SC.21.Pl.6.

MAG 4357

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


ſtans inter mortuos ac viventes pro populo
deprecatus eſt, et plaga ceſſavit Num. 16.

Digitized by Google

R. P. OCTAVII MARIÆ A S. JOSEPH

Tuſculani, Theologi Auguſtiniani Excalceati

OPERA OMNIA.

IN QUIBUS

Bis mille, trecenta, & decem Dubia Moralia per modum Interrogationum, & Reſponſionum diſcuſſa, continebantur.

In hac ſexta Editione in duos Tomos diſtributa, multis in locis Doctrinis locupletata, & per varios Titulos Alphabetico ordine diſpoſita.

Additis centum aliis Quæſitis ejuſdem Auctoris, nondum impreſſis, necnon Propoſitionibus hucuſque à diverſis Summis Pontificibus damnatis; unà cum Inſtructione pro Caſibus, quorum abſolutio, ſeù diſpenſatio, à Sacra Apoſtolica Pœnitentiaria impetratur.

PRODEUNT

SUB FOELICIBUS FAUSTISQUE AUSPICIIS

DIVI NICOLAI TOLENTINATIS,

AUGUSTINIANI ORDINIS GLORIÆ, ECCLESIÆ, AC CONVENTUS AD CAPITA DOMOR. URBIS, PROTECTORIS VIGILANTISSIMI.

TOMUS PRIMUS.

ROMÆ, M. DCCVIII.

Noviſſimis Typis Joſephi Nicolai de Martiis, propè Magnam Curiam INNOCENTIANAM.

SUPERIORUM FACULTATE, ET PRIVILEGIO.

Si vendono dal medeſimo Stampatore, e da Pietro Leone Libraro in Parione all' Inſegna di San Giovanni di Dio.

CLARISSIMO SANCTORUM SIDERI

DIVO NICOLAO TOLENTINATI,

CREBRIS MIRACULIS CORUSCANTI, ASSIDUISQ; PRODIGIIS PRÆCLARO.

AUGUSTINIANI ESCALCEATI PATRES
Sub ejus in Urbe Eccleſia Commorantes,
Hocce leve munuſculum D. D. D.

AD Te ſanè Deo perdilectum, Hominibuſque carum, qui in mundi Adverſis nemini adverſaris, Cœli proſpera in proſperitate promittis, Beneficus Reis, Piorumve perenne Solatium, Cunctos adjuvans, nulloſque relinquens: Ad Te, inquam, non modò dicàre fas erit, ſed præpropero gradu feſtinàre

ſtinàre

Digitized by Google

ſtinàre neceſſe,quæ ſerò quidèm,àſt ùt optaverat Auctor, Imploratione Tua, perficere conatus eſt. Nos igitùr, Tua paritèr cõfiſi Gratiá,unà cum his Operibus Pectora noſtra offerimus, humilitèr deprecantes, ut in Dilectione Operum Tuorum, quibus aſsimilari cupimus, benignè perſeveràre concedas. Suprà hæc Tibi ſit cordi,Errorum omnium expulſio, Hæreſeos profligatio, ut Sancta Mater Eccleſia, Orthodoxa Romana,Tui Deprecatione perpetuã ſentiat Tranquillitatem,& Pacem. Cœnobiumque noſtrum adjuvare non deſine Spiritualibus, ac Corporalibus Fulcimentis; Et quod Tuo venit Nomine, Tuum ſit, vel ad apicem, exemplatum.

AMI-

AMICO
LECTORI

SUO Viduàta Auctore Volumina in duos Tomos redacta, cum materià ad omnium legentium commoditatem coordinatà jàm prodeunt. R. P. Octavius Maria à S. Joſeph. Auguſtinianus Excalceatus, adeò Confeſſarijs benemeritus Auctor, Opera Omnia Moralia, quæ complevit, morte prę-ventus non vidit. Vide Religioſi ſenis, & Ægri, indefeſſum laborem; Cerne Animi Magnitudinem, quà nedùm varios pro oportunitate majori Titulos poſuit, verùm alijs ditavit centum Quęſitis. Plura habuiſſes, ni mors, quam inſtàre pręſenſit, rapuiſſet Auctorem, prò quo pie Lector haud ceſſes ad Deum fundere preces. Sub S. R. E. Cenſurà, ac purgato oculo tuo vide conſcripta, & ſtude, ut diù victurus, vive, ut cras moriturus.

FACULTAS.

NOS Fr. Valerianus à S. Cęcilia Fratrum Eremitar. Diſcalceat. Ordinis S. P. Auguſtini Congregationis Italiæ, & Germaniæ Generalis Vicarius, noſtri auctoritate Officii licentiam, quantum, ad nos attinet, harum ſerie, & tenore impartimur Tibi R. P. Octavio Mariæ à S. Joſeph noſtræ Congregationis Theologo denuò in lucem prælo mittendi Opera tua moralia, alia vice approbata, ac noviſſimè in duos Tomos redacta, & per varios titulos alphabetico ordine diſpoſita à R. P. Nicolao à S. Joanne Baptiſta ejusdem noſtræ Congregationis S. Theologiæ profeſſore, cnm addittione centum Quæſitorum nondum impreſſorum, quæ Anteceſſoris juſſu à duobus Theologis noſtris, cum fuerint reviſa, & approbata, ſervatis de jure ſervandis, Typis mandare poſſis, itidem facultatem lubentes in Domino concedimus: In quorum fidem, &c. Dat. in Conventu noſtro Jeſu Mariæ de Urbe, hac die 24. Menſis Decembris anno 1707.

Fr. Valerianus à S. Cęcilia Vic. Gen.

F. Joannes Vincentius à S. Jacobo Proſecretarius.

Reg. lib. 3. fol. 201.

APPROBATIO THEOLOGORUM ORDINIS.

N*OS Infraſcripti, qui per Adm. Rev. P. Hieronymum à S. Dominico Congregationis noſtræ Diſcalceatorum S. Auguſtini, Italiæ, & Germaniæ Vicarium Generalem ſpecialitèr deputati fuimus ad reviſionem* centum Quæſitorum Moralium cum ſuis Reſponſis, quæ doctè more ſolito exaravit R. P. Octavius Maria à S. Joſeph, Tuſculanus, ejuſdem noſtræ Congregationis Theologus, & Scriptor; *Attentè vidimus, omnibus benè penſatis, ac juxtà ſanam Doctrinam intellectis, Opiniones ejus in praxi tutas, bonis moribus conformes, & nequicquam ſapere pluſquam oportet ſapere. Quarè ut publicè poſſint exponi, dignas exiſtimamus; ſi tamèn ita arbitrentur ji, quibus impreſſionis licentiam impartiendi munus eſt. Datum in Conventu noſtro S. Nicolai Tolentinatis Urbis hac die 23. Decembris 1707.*

Ego F. Michael a S. Hieronymo Sacræ Theologiæ Profeſſor.

Ego F. Nicolaus a S. Jo: Baptiſta Sac. Theol. Profeſſor.

REIMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſs. P. Mag. Sac. Palat. Apoſt.

Dominicus de Zaulis Epiſcopus Verulanus Viceſgerens.

Approbatio ex Commiſſione Reverendiſſimi P. Paulini Bernardinii Sac. Apoſt. Palatii Magiſtri.

REVERENDISSIME PATER

OBtemperans mandatis P. V. Reverendiſſimæ libentèr perlegi *Reſponſa ad Centum Quæſita Moralia R. P. Octavii Mariæ à S. Joſeph Ordinis Diſcalceatorum S. Auguſtini*: Nec in jis aliquid, licuit animadverte, quod Fidei Catholicæ; Sacris Canonibus; aut bonis moribus adverſetur: Immò quamplura confeſſariis valdè utilia ad praxim deprehendi: Idcircò in lucem, ut edatur, ſi P.V. Reverendiſſimæ videbitur, nihil obſtare, exiſtimo.

Romæ ex Ædibus S. Silveſtri Montis Quirinalis quarto Kalendas Decembris anno 1707.

Franciſcus Maria Muſcettula Clericus Regularis &c.

REIMPRIMATUR,

Fr. Jo: Baptiſta Carus Mag. & Reverendiſs. P. Mag. Sac. Palat. Apoſt. Paulini Bernardinii Socius, Ord. Præd.

P. OCTA-

P. OCTAVII MARIÆ A S. JOSEPH OPERA MORALIA

Confeſſariis, & Perſonis Eccleſiaſticis utilia, atque fructuoſa.

TOMUS PRIMUS.

TITULUS I.

DE ABBATIBUS.

Vide tit. de alien. Int. 6. tit. de Epiſc. &c. Int. 67. 70. 71. tit. de Præl. Regul. Int. 1. 18. tit. de Quer. Subd. Regul. Int. 1. tit. de Subdit. Int. 1. 2.

1 INterrogatio 1. Abbates Regulares habentes jura Epiſcopalia, ſeù quaſi Epiſcopalia, uſumque Mitræ, & Baculi, poſſuntne primam tonſuram, & Ordines Minores conferre?

Reſp. Poſſunt, ſed dumtaxàt ſuis ſubditis Regularibus, non autem Regularibus alterius Cõgregationis, Ordinis, vel inſtituti. Ità declaravit Sac. Congregatio *die* 25. *Novembris* 1641. additis pœnis, &c. ut videre licèt apud Lezanam *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 14. *ſub n.* 13. Vide Em: Sà *verb. Ordo n.* 16. idem docentem. Et nota non eſſe neceſſarium, quod ipſi Abbates conferentes primã tonſuram, aut Ordines minores ſuis ſubditis Regularibus ſint benedicti, pro ut ex Sac. Congreg. refert deciſum Barb. *in Collect. Bullar. verb. Ordo apud* Lezan. *tom.* 2. *verb. Ordine: Sacri ſub n.* 6. qui alios etiam allegat id aſſerentes. Vide Barboſ. *in collect. ad Trident. ſeſſ.* 23. *de reform. c.* 10. *n.* 7.

2. Inter. 2. Præfati Abbates poſſuntne Conſecrare Calices, Altaria, Campanas, & benedicere Lapides, Pixides, & alia vaſa Eccleſiaſtica ſuarum Eccleſiarum, & etiam alienarum?

Reſp. Tale dubium poſt alios movet Diana *par.* 3. *tract.* 2. *reſ.* 25. & adducit DD. prò una, & altera parte, & concludit affirmativè, ex conſuetudine fundata in privileg. Innoc. VIII. & pro ſe citat. Barb. *de poteſt. Epiſc. par.* 2. *alleg.* 26. *n.* 36. Mirandam, Portellum, Rodriquez, & Aſcanium Tam-

Digitized by Google

burrinum de jure Abbat. *tom.* 1. *diſp.* 23 *qu.* 13. & prætereà refert Privilegia Urbani II. & Pauli III. & quamvis Sac. Congr. apud Naldum *verb. Abba- n.* 1. declaravit Abbatem benedictum Mitræ, & Baculi Paſtoralis uſum habentem non poſſe ſe ingerere in illis benedictionibus Altarium, Calicum, & hujuſmodi in quibus unctio requiritur tamèn ad inſtantiam Procuratoris generalis Congregationis Caſſinenſis exhibentis ſummarium Privilegiorum, & Gratiarum ejuſdem Congreg. Sacra Cardinalium Congregatio cenſuit nō obſtare, quo minùs idem prædictæ benedictionis munus quoad ea, in quibus unctio requiritur, impedire queant ſi ſpecialibus Sedis Apoſtolicæ privilegiis, quibus Concil. Trident. nequaquam derogat, muniti fuerint. Ità ex Diana, ubi ſuprà, qui tandem advertit, hoc eſſe ſpeciale Privilegium pro Abbatibus Cōgregationis Caſſinenſis, nec poſſe extendi per communicationem privilegiorum ad alios Prælatos Regulares. Tenendum igitur pro benedictione eorum, in quibus adhibetur Sac. Chriſmatis unctio, ſpeciali requiri privilegium, *ut ſub die 6. Decembris* 1631. decrevit Sacra Congregatio apud Lezanam *tom.* 2. *verb. Calix n.* 3.

3 Inter. 3. Ad Abbate Conſecrato, qui non eſt Epiſcopus, poteſtnè Sacramentum confirmationis adminiſtrari?

Reſp. Abbates ex privilegio Sedis Apoſtolicæ, & de conſenſu Ordinarii, poſſunt tale Sacramentum adminiſtrare, ut refert deciſum Armendarix apud Barboſam *in Collect. DD. in Trident. ſeſſ.* 7. *de confirm. n.* 5. Vide Barboſam *par.* 2. *alleg.* 3. *nu.* 5. *de officio, & poteſt. Epiſc.* Cæterùm Abbas, qui non eſt Epiſcopus, de Jure communi confirmare non poteſt. Bonac. *de Sacram. diſp.* 3. *quæſt. unica, pun.* 2. *n.* 7. Tandem nota, quod confirmans plures ſucceſſivè in peccato mortali, tot mortalia peccata committit, quot perſonas confirmat, ut dicam *in tit.* 163. *de peccatis ad Int.* 24. *cum* Diana *par.* 9. *tr.* 7. *reſ.* 58.

TITULUS II.

De Abbatiſſis, ſeù Prioriſſis.

Vide tit. de Illegit. Int. ult. tit. de Virgin. Int. ult.

4 INter. 1. Poſſuntne Abbatiſſæ, ſeù Prioriſſæ omnium Monialium vota irritare, ſicut Prælati Regulares?

Reſp. Licèt Abbatiſſa, ſeù Prioriſſa nequeat diſpenſare in votis Monialium, quia caret juriſdictione Eccleſiaſtica, non tamen ſequitur, non poſſe Monialium vota irritare, etiamſi ſubſint Epiſcopo, vel Prælatis Regularibus, nam irritare vota non pertinet ad Eccleſiaſticam authoritatem, ſed directè ſpectat ad poteſtatem dominativā, ſeù quaſi dominativam; Undè non minorem poteſtatem debet habere Abbatiſſa, ſeù Prioriſſa in actus Monialium, quàm Matrem nutrix impuberum, maximè cum Abbatiſſa habeat poteſtatem præcipiendi, & Moniales pendere debeant ex ipſius nutu, & voluntate; Hæc, & alias rationes, & DD. affert Sanchez pro hac tuenda ſententia *tom.* 1. *par.* 2. *lib.* 4. *cap.* 33. *n.* 19. quibus concordat Bonac. *de præcep. Decalogo diſp.* 4. *quæſt.* 2. *pun.* 6. §. 2. *n.* 26. *verſ. Adde* 4. pro qua ſententia alios DD. adducit. Vide Lezan. *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 16. *n.* 15. Caſſian. à S. Elia *in Arbor. opin. moral. verb. Abbatiſſa*, §. 3. *n.* 26. *& tit.* 175. *Int.* 13.

5 Inter. 2. Poſſuntne Abbatiſſæ, ſeù Prioriſſæ, ſibi eligere Confeſſarium ab Ordinario non approbatum, & ſuis ſubditis hanc licentiam concedere, ut Superiores Regulares facere queunt?

Reſp. Non ſolum non poſſunt ſibi eligere Confeſſarium non approbatum, ſed neque approbatum, niſi ſpecialiter ab Ordinario fuerit pro ipſis approbatus, nam Gregorius XV. *In conſt.* 18. *quæ incipit, Inſcrutabili*, emanata *die* 5. *Febr. anno* 1622. ſtatuit, ut Monia-

Monialium Confeſſarius ab Ordinario approbetur. Imò Sac. Congregatio apud Lezanam *tom. 1. par. 1. cap. 25. num. 46.* declaravit Regulares generalitèr ab Epiſcopo approbatos ad Confeſſiones Perſonarum Sæcularium audiendas, nequaquam cenſeri approbatos ad audiendas Confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum, ſed egere quoad hoc, ſpeciali Epiſcopi approbatione; Et prætereà Regularis ab Epiſcopo approbatus ad audiendas Confeſſiones Monialium unius Monaſterii, non poteſt audire Confeſſiones Monialium alterius Monaſterii, nec Confeſſarius extraordinarius ſemel Deputatus, atque ab Epiſcopo approbatus ad Monialium Confeſſiones audiendas pro una vice, poteſt pluries in vim approbationis ejuſmodi, illarum Confeſſiones audire, ſed totiès eſt ab Epiſcopo approbandus, quoties caſus deputationis contigerit. Ità Sac. Congregatio declaravit, ut videre licèt apud Lezanam *loco ſupra cit.* ubi plura ad intẽtum, & tandem Clem. X. in Conſt. incip. *ſuperna* ſic præcipit.

6 Inter. 3. Poteſtne Abbatiſſa, ſeù Prioriſſa de bonis Monaſterii aliquas eleemosynas, aut etiam donationes remuneratorias facere? & quid dicendum eſt de Monialibus, cæteriſque Religioſis?

Reſp. Dare, ſeù donare aliquid titulo, ſeù ex dictamine gratitudinis in remunerationem, vel compenſationem beneficiorum, eſt licitum, & permiſſum Religioſis utriuſque ſexus, cum licentia tamen expreſſa, & oretenus, vel ſaltem tacita, ſeù interpretativa ſui Superioris. Vide Dianam *par. 1. tr. 6. reſ. 20. ubi reſ. 21.* aſſerit etiam ſufficere licentiam obtentam ſemel pro ſemper; nam ſolum in ordine ad forum externum eſt neceſſaria licentia in ſcriptis, quia in foro conſcientiæ, ſatis eſt licentia tacita, vel interpetrativa, ut docet Valerus *in differen. utriuſque Fori verb. munera num.* 83. & præcipue S. Thomas 2. 2. *quæſt. 33. art. 8. ad 1.* Donatio igitur remuneratoria eſt permiſſa, quia non eſt propriè, & ſtrictè donatio, ut colligitur *ex l. Attilius Regulus ff. de donationibus*: ſed eſt jure naturæ omnibus debita, ſic poſtulante gratitudinis lege, ut optime tradunt S. Thomas 2. 2. *quæſt. 106. art. 6.* Paſſerinus *de ſtatib. tom. 2. quæſt. 187. art. 1. num. 869.* Trulench. *in decal. lib. 7. cap. 17. dub. 8. num. 4.* Caſſianus à S. Elia in *Arbr. opin. moral. verb. adminiſtrator* §. 2. *num.* 14. Bonac. *de cõtract. diſp. 3. quæſt. 12. pun. 1. num. 6.* & alii plures, quos refert Diana *ubi ſupra reſol.* 15. Immo in remunerationem pro beneficio accepto dari poteſt aliquid plus, ut docet S. Thomas *loco cit.* & alii, quos refert, & ſequitur Diana ibidem *reſ. 16.* Itẽ licitè dari poteſt illi, à quo ſperatur aliquod beneficium, aut majores eleemoſynæ ſperantur. Lezana *tom. 2. verb. dare, ſeù donare, num.* 7. Diana *ſuprà reſ.* 15. *verſ. Reſtat modo.* Præterea non ſolum licitè tribui poſsũt munera à Religioſis utriuſq; ſexus cauſa gratitudinis, & in recompenſationem beneficiorum, ſed etiam ex aliis cauſis, quæ ex natura ſua ſunt actus Virtutis, & meriti, & ita claré conſtat ex declaratione Sac. Congregationis ab Urbano VIII. confimata, quam videre licet apud Lezanam ubi ſupra *num.* 10. & cui nos his temporibus ſtare debemus. Ex quo ſequitur, quod eleemoſynæ erga Pauperes, beneficientiæ erga Proximos, cum ſint actus Virtutis, & meriti, de licentia Superioris localis, non prohibentur in Bulla de largitione munerum. Vide Lezanam *loco cit. num.* 8. 11. *&* 12. & alios penes ipſum, Bonac. *in tract. de larg. munerum tom. 1. diſp. 3. pun. 1. num. 9.* Concludendum eſt igitur quod ſicut Religioſi de ſuorũ Superiorũ licẽtia, ut diximus, aliqua dona præbere poſſunt, ita à fortiori poſſint ipſi Superiores, cum Superiores tuta con-

conſcientia queant uti illis facultatibus, ſeù licentiis, quas ſuis ſubditis conferre poſſunt, nè ſint pejoris conditionis, quam ipſi ſubditi, ut pluribus citatis firmat Peyrinus *d. Relig. ſubdito. q. 1. cap. 8. § 5. verſ. Dico ſexto, cum D. Thoma 2. 2. q. 185. art. 8. in corpore propè finem.* Ultra quod ſicut Prælati Regulares poſſunt remunerare merita, & obſequia, non ſolum, quando merita pariunt actionem ex juſtitia, ſed etiam quando ejus ſunt naturæ, ut hominem doceant gratum eſſe, ac antidoraliter obligant, ut inquit Theſaurus *de pœnis par. 2. verb. munera cap. 10. verſ. Eſt autem.* Ita pariter dicendum eſt de Abbatiſſa, ſeù Prioriſſa, cum ſit diſpenſatrix, & moderatrix bonorum temporalium Monaſterii. Sic docent Sanchez, & Ledeſma, quos dat, & ſequitur Lezana *tom. 2. verb. Abbatiſſa num. 17. in fine.* Ad Abbatiſſam enim libera bonorum Monaſterii adminiſtratio pertinet, vt docet Abbas *in cap. 2. de his, quæ fiunt à Prælato num. 4.* conſequenter poterit licitè eleemoſynas facere de ſuperfluis, aut non ſuperfluis Monaſterii, ac etiam alias donationes tribuere pro ratione adminiſtrationis, ex cauſa tamen, quam vir prudens ſufficientem exiſtimaverit. Favet Andreas Mendo *Epit. opin. moral. verb. Moniales ſub num. 10. in fine.* Siquidem ſi alicui perſonæ, cui bonorum adminiſtratio competit, prohibitum ſit donare, ea prohibitione non cenſetur comprehendere donationes remuneratorias, & colligitur *ex cap. Si quos 12. q. 2.* Vide Layman *tom 1. lib. 3. tr. 4. cap. 12 num. 10.* Hoc tamen intelligi debet, dummodo tamen modeſtè, & diſcretè fiant eleemoſynæ, aut donationes, & dummodo per Regulã, aut Ordinis ſtatuta non prohibeantur, ut bene admonet Bonac. *in tract. de larg. munerum diſp. 3. pun. 6. num. 1.* ubi concordantes refert; Ita etiam docet Sanchez *in ſum. tom. 2. lib. 7. cap. 19. num. 44 Diana par. 1. tr. 6. reſ. 22. in fine*, & alii communiter. Itaque notent hæc omnia Religioſi, nè fallantur, nam Superiores non ſunt Domini bonorum Conventuum, vel monaſterii, *ut dicam tit. 180. Inter. 40.* Adverte tamẽ ex Divo Thoma *q. 13. de malo art. 4. ad 3.* Dare temporale pro Spirituali, tamquam gratuitam compenſationem, vel è contra, ſimoniacum crimen cenſendum eſſe, ut validè probat etiam P. F. Laurentius Maria Piaſanus *in Gedeonis gladio, propoſ. 43. num. 8.*

7. Inter. 4. Abbatiſſa, ſeù Prioriſſa expleto officiorum ſuorum triennio, poteſtnè denuò eligi ad eadem officia?

Reſp. Ex Bulla Gregorii XIII. quæ incipit: *Expoſcit dubitum &c.* edita anno 1583. habetur, quod nõ; Nam abſtinere debent per trienium à die finitæ adminiſtrationis ſui Officii. Vide Quarantam *in Sum. Bullar. verb. Abbatiſſa,* & Gavantũ *in Man. Epiſc. verb. Monialium Officiales num. 19.* Unde abſque Sedis Apoſtolicæ, aut Sac. Congreg. licentia, denuò eligi non poteſt; & ità pluries declaraſſe Sac. Congreg. teſtatur Lezana *tom. 1. par. 1. cap. 26. num. 4.* Barboſa *in Trident. ſeſſ. 25. de Regul. cap. 7. n. 10. & 11.* Concludendum eſt igitur ex Barboſa *num. 22.* ſecundum Bullam Gregorii XIII. quod in Italia ad triennium tantummodo eligendæ ſunt Abbatiſſæ, & Prioriſſæ; & expleto triennio ſui officii, nullatenus poſſint ad illud immediatè reeligi abſque expreſſa licentia ſaltem Sac. Congregationis, quæ iuſtis de cauſis cum nonnullis conditionibus eam concedere ſolet

8 Inter. 5. Monialis Abbatiſſę Soror poteſtne eligi in Abbatiſſam, & immediatè ſuccedere in officio Sorori?

Reſp. Dummodo nullum adſit impedimentum legitimum, nec ſit pro-

prohibitum per Conſtitutiones Ordinis; & ſi canonicè fuerit electa, ejus electio valida cenſeri debet; quia de jure communi non eſt prohibitum, quin poſſit eligi in Abbatiſſam Soror Abbatiſſæ præteritæ, & ſic licitè Abbatiſſę Soror, poteſt ſuccedere in officio Sorori. Ità refert deciſum à Sac. Congregatione Aldanus *in compend. canon. reſol. lib.* 1. *tit.* 28. *num.* 15. apud Barboſam *ubi ſupra num.* 12.

Quæritur. An Abbatiſſa poſſit præcipere Monialibus aliquid in virtute ſanctæ obedientiæ, & Spiritus Sancti ſicut poſſunt Prælati Regulares?

Reſp. Quamvis Moniales teneantur in conſcentia obedire Abbatiſſæ, ſeù Prioriſſæ, cui ſubſunt, ut habetur *ex cap. dilecte filii de arbit. cap. dilecta, de exceſ. prælat. & cap. dilecta, de maior, & obedien.* Tamen non per hoc ſequitur poſſe Abbatiſſam imponere ſpiritualia præcepta, quæ vim legis, & præcepti habeant, ut poſſunt Epiſcopi, & cæteri Prælati Eccleſiaſtici, conſequenter nec poſſe pręcipere in virtute Spiritus Sancti, & Sanctæ obedientiæ, quià Abbatiſſa non habet poteſtatem ſpiritualem in Moniales, ſed tantum poteſtatem domeſticam ſicut habet Mater familias, undè ſicut filiæ tenentur obedire Matri, & filii Parentibus, ità tenentur Moniales obedire ſuæ Prioriſſæ, ſive Abbatiſſæ, & peccabunt ejus præceptis non obtemperantes circà ea, quæ ad domeſticam, & communem Monaſterii pacem conducunt, mortaliter, aut venialiter juxtà gravitatem, vel levitatem materiæ præceptæ. Ità tradunt Sanchez. *tom.* 2. *ſum. lib.* 6. *cap.* 1. *n.* 21. Portellus *in dub. Regul. verb. Abbatiſſa n.* 1. Sayrus *in Clavi Regia lib.* 5. *cap.* 10. *n.* 26. Ledeſma, Baldellus, Valentia, & Ugolinus, quos dat, & ſequitur Diana *part.* 5, *tr.* 9. *reſ.* 16. qui hanc ſententiam probabilionem vocat, ſed penes ipſum ſit auctoritas; ego enim dumtaxat probabilem puto, & ſcio eam docere etiàm Chaves *in ſum Victoriæ ubi de Clavibus ſub n.* 14. Rotarius *in Appar. Theol mor. p.* 1. *cap.* 10. *ſect.* 3. & alii. Sed ut verum fatear, mihi magis placet oppoſita, quàm tuetur Lezana *tom.* 1. *cap.* 26. *n.* 10. qui pro ſe citat Azorium, & Corneium, & alios refert Diana *loco cit.* & tandèm invenio eam docere ex præclariſſima Prædicatorum familia doctiſſimum Paſſerinum *tom.* 1. *de ſtat. quæſt.* 186. *art.* 8. *n.* 89. *& ſeqq.* nàm prima ſententia docens Moniales vovere obedientiam Abbatiſſæ, & negans ipſi poteſtatem Spiritualem, videtur ſibi contradicere, quià poteſtas, quæ eſt ex vi voti, ſimpliciter Spiritualis eſſe debet; Siquidem Abbatiſſa non eſt veluti Pater, vel Mater, cujus poteſtas dominativa fundatur in ſubjectione naturali filii imbecillis ingenii in impubertate, ſed fundatur in ſacra traditione Monialis facta ipſimet Abbatiſſæ, eaque poteſtas etiàm irritando habet prò objecto cultum Divinum in directione monialis, non ſic Mater familias, quæ neque reſpicit perfectionem filii, in dirigendo ipſum proùt Abbatiſſæ convenit. Neque ex hoc ſequitur, quòd ordinariè poſſit diſpenſare, & ſimilia facere, quæ juriſdictionem requirunt. Vide quæsò Paſſer. *loco cit.* qui hanc ſententiam fortioribus terminis tuetur, itèm vide Suarez. *tom.* 3. *de Relig. lib.* 10. *cap.* 11. *n.* 20. Caſtropalaum *tr.* 16. *diſp.* 4. *punc.* 2. *n.* 3. & alios, qui meritò iſtam ſententiam defendunt, ne auferatur meritum Sanctæ obedientiæ ex voto à Monialibus.

TITU-

TITULUS III.

De Abortu.

9. INnter. 1. Medicus poteſtne licitè applicare medicinã, quæ æqualiter tendat ad ſalutem matris, ac ad fœtus abortum?

Reſp. Suppono primò, probabilem eſſe illorum ſententiam, quæ docet pro ſalute matris prægnãtis licere aliquando uti medicamentis, non directé tendentibus ad expulſionem fœtus, ut ſectio venæ, pharmacum, balneum &c. ex quibus tamen poteſt ſequi abortus fœtus animati, dummodò Medicorum iudicio ſecuturam timeaturMatris mortem cum prole ante eius nativitatem: Nam in tali caſu occiſio fœtus per accidens reſultat, cum fœtus vita pendeat à vita, & ſalute Matris, & rariſſimé contingat fœtum vivum edi poſt mortem matris, ut pluribus citatis docet Diana *par.* 3. *tract.* 5. *reſ.* 11. & *par.* 7. *tract.* 5. *reſ.* 35. qui etiam *ibidem reſ.* 36. cum Trullencho *in decal. tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 1. *dub.* 4. *num.* 5. Sanchez. *tom.* 3. *de Matrim. lib.* 9. *diſp.* 20. *num.* 18 aſſerit in caſu propoſito, poſſe Matrem ſumere medicamentum, quod æqualiter tendit ad eius ſalutem, ac ad fœtus abortum, & Medicum poſſe licitè applicare, quia potius jus habet Mater ad vitam ſuam conſervandam, quam habet fœtus, cum hic à matre pendeat, ut dixi ſupra, & non è contra; eo etiam maximè, quod matre pereunte, penè miraculum ſit, ſi fœtus incolumis euadat; Alias ratiões vide apud eumdem Dianam, qui denique *ibidem. reſ.* 37. reſoluit, quod ſi adſit ſpes, ut fœtum animatum, Mater poſſit in lucem prodere, teneatur cum periculo ipſiuſmet vitæ ſupradicta medicamenta non adhibere, ut fœtus baptizetur; aliàs peccet contra charitatem ipſa Mater, talia medicamenta aſſumendo, & Medicus applicando, & rectè hoc dicit, quia præceptum charitatis illam obligat ad præferẽdã vitæ ſuæ corporali, vitam ſpiritualem proximi extremè indigentis, qualis eſt puer non baptizatus. Vide Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *par.* 3. *cap.* 4. Trullenchum *loco cit. num.* 4. & Sanchez *ubi ſupra num.* 17. & alios, quos refert, & ſequitur idem Diana, qui tandem cõcludit cum Leſſio *lib.* 2. *cap.* 31. *dub.* 6. *n.* 33. quod ſi tali remedio non adhibito probabile eſſet utrumque moriturum; eò verò adhibito probabile eſſet, Matrem ſaltem poſsè conſeruari, in tali caſu poſſet illud licitè adhibere, & Medicum applicare, quia de duobus malis, minus eſt eligendum.

10. Inte 2. Peccatne mortaliter, qui ſuadet abortum mulieri, quæ ob vitandam infamiam, vel nè occidatur à Patre, vel alio conſanguineo, parata eſt ſe occidere?

Reſp. Non peccat, nam DD. communiter docent licere conſulere minus malum, ad vitandum majus malum quando totum malum removere non poteſt, & quia in tali caſu conſuluit minus malum, & removet mulierem à majori malo, ideò nullo modo peccat. Diana *par.* 7. *tr.* 5. *reſ.* 39. *Vide tit,* 46. *Inter.* 11.

11. Inter. 3. Si Pater eſſet animo firmus occidere filiam ex turpi concubitu gravidam repertam ad avertendam infamiam, poteſtne alter ei ſuadere, ut eam non occidat, ſed faciat ut abortiatur?

Reſp. Licitè, & ſine peccato id facere poteſt, & ratio eſt, quia tunc abortus malitia formaliter continetur in matris occiſione, cum matris enecatio regulariter ſecũ trahat animati fœtus enecationem, & ſic ſuadens abortum, non inducit Patrem Puellæ ad malum, ſed abducit à parte mali, cum eum à toto avertere nequeat. Favet Diana *par.* 7. *tr.* 5. *reſ.* 39. & alii plures apud Cabrinum *par.* 2. *caſ.* 7. *in Corollario. Vide tit,* 46. *Inter.* 57.

12. In-

Digitized by Google

12. Inter. 4. Puella poteſtne ſine gravi peccato procurare abortum ad hoc ne reperiatur gravida, & à Patre, vel Fratre occidatur.

Reſp. Non poteſt, quia alter in caſu ſupradicto ideò poteſt Puellæ abortum ſuadere, quia dominium voluntatis Puellæ non habet, & ità ſi non poteſt à toto malo eam avertere, rectè agit, ſi ſaltem à mali parte removeat; Puella verò dominium ſuæ voluntatis habet, ideò poteſt, & tenetur ſuam voluntatem à toto malo culpæ abducere: alìàs ipſa mortaliter peccat peccato homicidii. Doctores communiter.

13 Inter. 5. Eſtne licitum procurare abortum, pro occultando peccato, & Peccatore, vitando ſcandalò, & infamia, & ne Puella occiſionis periculo ſe exponat, ſi partus in lucem prodeat cum ſcandalo, infamia, inimicitia, &c.

Reſp. Non licèt, & omninò graviſſimum peccatum eſt, & ubi culpa, & peccatum eſt, etiam leviſſimum, potius vitam propriam, & quodcumque bonum creatum perire tenemur permittere quàm peccatum admittere, nec ſunt facienda mala, ut eveniant bona. Vide Dian. *par. 7. tr. 5. reſ.* 32. & hoc procedit, etiamſi fætus non ſit animatus, ut rectè docet ipſe Dian *par. 6. tr. 8. reſ. 37.* Et jam contraria ſententia fuit reprobata ab Innoc. XI. die 2. Martii 1679. & eſt propoſitio 34. inter reprobatas.

14 Inter. 6. Si fœmina nobilis, vel monialis cum viro peccaverint, & timēt mortem, vel infamiam, vel grave ſcandalum, ſi gravidæ fiant, eſtnè licitum procurare abortum, ſi fœtus nondum ſit animatus?

Reſp. Non deſunt Auctores pro affirmativa ſententia, ut videre licet apud Dianam *par. 6. tr. 8. reſ. 37.* ſed negativam, & meritò docent Theſaurus *in praxi par. 2. verb. Abortus cap. 1. limit.* 3. Diana *par. 3. tract. 5. reſ. 11.* Baſſęus *verb. Abortus num.* & contrariam eſſe improbabilem tenet Candidus in Diſquiſ. moral. *tom. 2. diſquiſ. 1. art. 2.* & ità eſt omninò tenendum, cum ad minus tanquam ſcandaloſa, & in praxi periculoſa oppoſita ſententia fuerit reprobata ab Innoc. XI. ut ego jam breviter dixi ad Inter. 5. antecedentem in hoc eodem tit. de Abortu, nam non ſunt facienda mala, ut eveniant bona, & eſt contra ordinem naturæ impedire conceptionem fœtus; quia ſemen, & copula ſunt inſtituta ad prolis conceptionem, & generationem; ergo eſt illicitum procurare abortum, etiam ante animationem fœtus, quamquam Puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur, nec aliter affirmari poteſt ſub pœna excomunicationis latæ ſententiæ, & Summo Pontifici reſervatæ, ut patet ex decreto Innoc. XI. die 2. Martii 1689. Vide Inter. proximè ſequentem.

15. Inter. 7. Fœminæ prægnantes procurantes abortum fœtus, præſertim animati, quam pœnam incurrunt?

Reſp. Certum eſt quod pœna excommunicationis afficiuntur, qui abortum præſertim animati fœtus procurant, ut ſtatuit Sixtus V. in Conſtit. infra ad Inter. 9 referenda, & cōfirmavit Gregorius XIV. quā excomunicationē abſolvere non poſſunt Confeſſarii, niſi ad hos caſus ſpecialiter per loci Ordinarium fuerint deputati, ut dicā ad duas ultimas interogationes huius tituli de Abortu. Verùm an dictam excommunicationem incurrant ipſæmet fœminæ pregnantes proprium procurantes abortum, diſſenſio eſt inter Doctores, quia in Conſt. Sixti V. non loquitur de recipientibus potionē ad abortiendum, ſed de tradentibus, vel conſulentibus, vel cooperantibus, vel innuentibus. Tamen Bonac. *de legib. diſp. 3. q. 1. pun. 4. num. 6.* verius, & probabilius eſſe putat, huiuſmodi

fœmi-

Digitized by Google

fœminas excommunicationem incurrere, tum quia ſic uſu receptum, tum quia textus loquitur non ſolum de cooperantibus, ſed etiam de ipſiſmet fœminis, quæ vel ut principales, vel ut ſociæ, conſciæ ſunt talis criminis per opem, conſilium, favorem, potionem &c. & ità eſſe ſentio. Vide quæ dixi ſuprà ad Inter. 4. huius tituli de Abortu.

16 Inter. 8. Fœtus quando cenſetur animatus?

Reſp. Si loquamur de maſculo, cenſetur animatus poſt quadraginta dies, ſi autem de fœmina poſt octoginta dies; nam mas ferè animatur die quadrageſimo, fœmina octogeſimo: ſed in dubio præſumitur maſculus. Ità Sylveſter *verb. Homicidium num. 3.* Navar. *cap. 27. num. 223.* Conradus *in Reſponſis caſ. conſc. q. 1.* Em: Sà *verb. Homicidium nũ 2.* & alii communiter. Sed ſecundum Burgaſium *de irregul. par. 6. tit. de veneſic. ſub. num. 14.* tam in mare, quam in fœmina anima iudicatur infuſa, ſi lineamenta omnium membrorum fœtus habebit.

17 Inter. 9. Procurantes abortum, aut impedientes humanam generationem ſuntne omnes irregulares?

Reſp. Dico irregulares non eſſe qui modo deformant embrionem inanimatum, nec qui propinant viro, aut mulieri potum, quo eis generandi facultas impediatur, nec qui pregnantem abortiri faciunt ante fœtum anima rationali informatum, juxta terminos Juris communis, & Sacrorum Canonum. Vide Capitulum *quod verò, cap. Moyſes 32. q. 2. & cap. ſicut ex* litterarum, de homic. & ea quæ dicam ad Inter. ſequentem, & ad *inter. 7. tituli 197.* tamen graviter peccant in dictis caſibus, quamquam irregularitatem non incurrerent. Qui autè propinat potum venenoſum, quo ſequitur abortus creaturæ animatæ, non ſolum graviter peccat, ſed etiam fit irregularis, & graviſſimas pœnas incurrit, ut patet ex conſtir. Sixti V. quæ incipit: *Effrenatam* edita die 16. Novemb. 1588. quam moderavit in parte Greg. XIV. in alia ſua Conſt. quæ. incipit *Sedes Apoſtolica* edita anno 1591. quando fœtus eſt animatus; Si verò nondum ſit animatus, conſtitutio Sixti V. tollitur in totum, & reducitur ad terminos Juris communis, & non facit irregularem. Abortus denique fœtus animati eſt unus ex caſibus, in quibus perſona Eccleſiaſtica poteſt tradi Curiæ ſeculari punienda. Vide Moronum *reſp. 40. n. 6. & ſeqq.* ubi plura ad intentum.

18 Inter. 10. Fitnè irregularis, qui abortiri facit fœminam, ſi fœtus nondum ſit animatus, nempè antè quadrageſimum diem à die conceptionis?

Reſp. Minimè, nam de jure irregularitas non contrahitur, niſi ſequatur hominidium; Fœtus nondum vivificatus non eſt homo niſi in fieri, & conſequentèr qui abortiri facit, non eſt propriè homicida, & ſic neque irregularis; Ità habentur *ex cap. ſicut. 2. de homicidio*, & docet Toletus *lib. 1. cap. 76. ſub num. 5.* quod graviter peccet, in dubium revocare non licet. Bordonus *in conſ. Regul. reſ. 45. num. 11.* & alii apud Diapar. *7. tract. 5. reſ. 8.*

19 Inter. 11. Quidam Clericus dedit potionem mulieri gravidæ, ut fœtus jam conceptus, & animatus abigatur, ſed effectus non fuit ſubſecutus, eſtnè cenſendus irregularis dictus Clericus?

Reſp. Quidquid ſit de pœnis aliis temporalibus, de quibus hic ego non loquor, certum eſt irregularitatem minimè incurriſſe, quià verba legis accipienda ſunt cum effectu ſecuto, quem Legiſlator punire intendit. *cap. ult. 15. quæſt. 1.* & probat Navar.

var. *conſ.* 60. *de ſent. excom.* Et proptereà conatus ſolus ad culpam non meretur pœnam ordinariam legis effectu non ſecuto. Favet Toletus *lib.* 1. *cap.* 76. *num.* 6. Diana *par.* 7. *tract.* 5. *reſ.* 10. *verſ. Vndè Novarius*, & alii.

20 Inter. 12. Qui dubitat, an fœtus fuerit animatus, debetne ſe irregularem reputare, vel non?

Reſp. In dubio ſemper præſumitur fœtum fuiſſe animatum, conſequentèr talis debet ſe tenere tanquam homicidam, tanquam obnoxium reſervationi, tanquam excommunicatum, & irregularem, ac proindè abſtinere debet a Miniſterio Altaris; Intellige ſi effectus ſit ſecutus. Secùs dicendum eſt de aliis pœnis, quæ à Judice ſolent imponi, cum pœna ſtatuta delicto certo non ſit imponenda delicto dubio, ſed extraordinaria pro qualitate dubii. Vide Doctores, quos refert, & ſequitur Diana *par.* 3. *tract.* 5. *reſ.* 24. & *par.* 5. *tract.* 2. *reſol.* 16. qui teſtatur de communi, & in Sum. *verb. Abortus num.* 12. Barboſam *de poteſt. Epiſc. par.* 3. *alleg.* 51. *num.* 14. Cabrinum *par.* 2. *caſ.* 7. *annot.* 6. *num.* 18. & alios penes ipſos.

21 Inter. 13. Si adultera procurat abortum, ſitne irregularis adulter, qui ſuppeditavit prolem?

Reſp. Adulter non dicitur cauſa homicidii, quia ipſe ſuppeditavit prolem, conſequenter niſi ſuadeat, aut adjuvet adulteram in dicto caſu, non ſit irregularis. Vide Bartholomæum à S. Fauſto *in ſpeculo Confeſſ. diſp.* 23. *quæſt.* 8 *num.* 8. & Dianam *part.* 2. *tract.* 17. *reſol.* 55. *verſ. Qui aſſert.* Alii verò dicunt, quod ſi illam impedire non ſtudet, irregularitatem incurrat, quia tamquam Pater tenetur titulo iuſtitiæ vitam ſeruare Filio. Sed Diana *part.* 4. *tract.* 2 *reſol.* 8 negativã ſententiam tanquam probabilem defendit, & cum Leſſio *lib.* 1. *cap.* 9. *dub.* 13. *num.* 94. docet, Patrem non teneri defendere vitam Filiorum lege iuſtitiæ, ſed pietatis, & officii paterni. Verùm licèt hæc opinio ſit probabilis; mihi tamen probabilior apparet contraria, nempè teneri Patrem ex iuſtitiâ vitam tueri filiis, & qui non impedit homicidium, quod tenetur ex iuſtitiâ impedire, irregularitatem incurrit, ut docent Doctores communiter, quidquid dicat Diana *ea part.* 4. *tract.* 2. *reſol.* 7. ergò Adulter, qui ſcit Mulierem, prægnantem à ſe redditam, abortum procurare, & eam impedire non ſtudet, irregularitatẽ incurrit ſecuto effectu.

22. Inter. 14. Quid facere debet ille qui contraxit irregularitatem ex Abortu?

Reſp. Ad Summum Pontificem recurerre debet ſi publicum eſt delictum, Verùm ſi caſus eſt occultus ad Sac. Pœnitentiariam recurrendum eſt. Nauar. *cap.* 2. *num.* 194. Conrad. *de diſpen. Apoſt. lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 3. & 13. quos allegat, & ſequitur Cabrinus *in ſuo Elucid. caſ. reſeru. part.* 2. *caſ.* 7. *de gravitate huius delicti.* Imò Theſaurus *in praxi par.* 2. *cap.* 1. *in fine* obſervat, quod ſupplicans in Sac. Pœnitentiaria pro diſpenſatione ſuper irregularitate ex abortu, debet exprimere ſi erat fœtus à ſe genitus, aliàs gratia eſſet ſubreptitia, ut patet ex ſtylo, & facultatibus Sac. Pœnitentiariæ, in quibus maior in hoc caſu ponitur difficultas ad diſpenſandum, & hoc docet etiam Alphonſus de Leone *de cenſu. Recollect. n.* 58. teſte Diana *par.* 7. *tract.* 5. *reſ.* 21. *in fine.*

23 Inter. 15. Poteſtne Epiſcopus diſpenſare in irregularitate contracta ex abortu, effectu ſecuto, ſi delictum ſit occultũ?

Reſp. Nequaquam poteſt, quia cum irregularitas abortus oriatur ex homicidio voluntario, ad illam non ſe extendit Epiſcopi auctoritas. Vide quæ dicam tit. 83. Inter. 28. & Dianam *reſol.* 21. *p.* 7. *tract.* 5. Undè non eſt audi-

Digitized by Google

audiendus Novarius *in Sum. Bullarum tom.* 2. *tit. de Abortu num.* 21. improbabiliter aſſerens oppoſitum. Sed Vide Navar. *loco proximè cit.* & Layman. *lib.* 3. *tract.* 3. *par.* 3. *cap.* 12. *num.* 1.

24. Inter. 16. Qui percutit prægnantem in vtero ſine intentione tamèn cauſandi abortum, & ſequitur abortus ex tali percuſſione, poteſtne Epiſcopus illũ diſpenſare ab irr egularitate?

Reſp. Affirmat Diana *par. 7. tract. 2 reſ. 30. verſ. Et ideò, cum* Sayro *de cenſu. lib.* 7. *cap.* 7. *n.* 7. Et Marchino *de Sac. Ordinis tract. 2. part. 9 cap.* 1. *diffic.* 3. *n.* 6. contrà Nauar. *cap.* 27. *n.* 242. & alios. Et ratio eſt quià non eſt homicida voluntarius, nam quod nõ eſt volitum in ſe, ſed in cauſa tantũ, eſt caſuale, & conſequentèr integrum erit Epiſcopo cum eo diſpenſare, non ſolum ſi delictũ ſit occultum, ſed etiã quando eſt publicum, prout alijs citatis tenet Diana *loco cit. reſ.* 31. *ex Marchino.* Vide Bonac. *de cenſ. diſp.* 7. *quæſt.* 5. *pun. ult. num.* 9. & Lezanam *tom.* 3. *verb. Irregularitas ſub num.* 69. qui ex Triden. *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. *de reform.* huic ſententiæ fauent; nam eodem modo, eodemque verborum tenore loquitur ibi Concilium de irregularitate ortà ex homicidio caſuali, ac de illà, quæ oritur ex homicidio ad ſui tutelam, ergò ſi Epiſcopus poteſt ivxtà cõmunem ſententiam in poſteriori irregularitate diſpenſare, ità etiam in priori. Ità Marchinus *loco cit. n.* 9. & ex eo Diana *vbi ſuprà.* Tamen ipſe Diana *part.* 12. *in tract. de conſec. Epiſc. reſ.* 104 *verſ. Nota tamèn*, rè melius conſideratà, ſuam ſententiam non approbat, ſcilicet poſſe Epiſcopũ diſpenſare in irregularitate ex homicidio caſuali publico, niſi ad Ordines minores, & ad beneficium ſimplex, prout obſervat ſtylus Curiæ Romanæ. Sic Diana, & rectè quidem.

25 Inter. 17. Abortum fœtus animati procurans, gaudetnè immunitate ſiſequatur effectus?

Reſp. Bonac. *de legibus, diſ.* 3. *queſt.* 7. *punc.* 6. §. 3. *num.* 8. negat immunitàte privari, quia non dicitur verè proditoriè occidere, niſi qui per inſidias, ſeù dolũ aliquem id nõ prævidentem occidit, & hoc rectè probat, & ita probabilius puto cum eo tenendum, & alijs ibi citatis. Vide Dianam *part. 3. tract. 5. reſol.* 42. *idem docentem*

26 Inter. 18. Qui habet generalem facultatẽ ab Ordinario abſoluendi ab omnibus caſibus reſeruatis, poteſtnè abſolvere à caſu abortus fœtus animati?

Reſp; Non poteſt, quia talis actus, ſi effectus ſit ſecutus, habet annexam excommunicationem, ut docent DD. communiter, Hoc idem noviſſimè docet Author Cautelæ *Confeſſarii lib.* 2. *capite* 20. *ſub numer.* 16. Hic Romæ verò quilibet confeſſarius approbatus poteſt à dicto caſu abſoluere, quia ſolum prohibetur ne à caſibus Summo Pontifici reſeruatis pœnitentem abſoluat.

27 Inter. 19. Qui habet priuilegium abſoluendi ab omnibus cenſuris Epiſcopo reſeruatis, poteſtnè abſolvere ab excommunicatione contractà ob abortum fœtus animati effectu ſecuto?

Reſp. Non poteſt quià confeſſarius in terminis Bullæ Gregorij XIV. quæ incipit: *Sedes Apoſtolica, debet eſſe ad hunc caſũ ſpecialiter deputatus*; ideò non cenſetur conceſſus niſi ſpecificetur; Eſt communis ſententia contra Bonac. Diana *part.* 7. *tract.* 5. *reſ.* 15. *&* 19. Cabrinus *de caſibus reſerv. par* 2. *caſ.* 7. de gravitate huius delicti, Caſſianus à S. Elia *in Arbor. opin. moral. verb. Abortus num.* 9. *& ver. Abſolutio* §. 10. *num.* 103. & alij apud ipſos.

Quæritur. An ſit licitum ſuadere abortum Mulieri, quæ quidem parata eſt ſe occidere ne à Patre, vel alio conſanguineo occidatur, aut mori potiùs, quam cum dedecore vivere?

Reſp.

Reſp. Non dico eſſe licitum abortum procurare, ne Mulier occidatur, aut infametur, quià hoc meritò reprobatum fuit ab Innoc. XI. ſed probabiliter dico, quod ſuadere abortum Mulieri, quæ prorſus eſt determinata ſe occidere, nec eſt alia via diſuadendi illam, non ſit abortum procurare, neque contrà decretum Pontificis, quia ſuaſoris finis eſt mulierem avertere à majori malo patrando. Undè abortum ſuadens in dicto caſu, nequaquam influit in effectum peccaminoſum, & prohibitum, niſi indirectè, & per accidens, cum directè, & per ſe primò velit dumtaxat ne majus malum committatur, ſcilicèt duo homicidia, & ſic dum fœminæ ſuadet abortum, non ſuadet ei malum, ſed conatur eam removere à parte mali, quod habet in animum perpetrandi, conſequenter ipſe ſuadens nõ procurat abortum, neque cooperatur peccato illius, cum ei non ſuadeat malum, ſeù peccatum, ſed ſolùm, tali pacto, majus malum ei vitandum proponat, cum aliud remedium magis opportunum non videat in tali caſu. Si autem nil ampliùs diceret, poſtquam fœminam conatus eſt removere ab utroque malo, duo quippe ſequerentur homicidia majori cum ſcandalo, ac Dei offenſa, & meritò dicere poſſet væ mihi, quià tacui, nam unicuique mandavit Deus de proximo ſuo; Immò qui commodé poteſt malum impedire, & non impedit, eſt ejuſdem peccati reus: Ergò dicendum eſt, quod nullo modo peccet qui abortum ſuadet Mulieri indirectè, & & tanquam minus malum, ſi ab utroque malo eam avertere nequeat, & ipſa ſit jam parata ſe occidere ob vitandam infamiam, vel ne occidatur à Patre, aut ab alio Conſanguineo, ut breviter docui in hoc titulo *ad Inter.* 2. cum Sanchez. *de Matrim. lib.* 7. *diſp.* 11. *num.* 14. Card. de Lugo *de juſt. tom.* 1. *diſp.* 19. *ſect.* 2. §. 2. *n.* 43. Mazzuchello, & aliis, quos refert, & ſequitur Diana *par.* 7. *tr.* 5. *reſ.* 39. quibus ſubſcribit Joſeph. Cabrinus *de caſ. reſer. par.* 2. *caſ.* 7. *pag.* 149. *in corollario*, quidquid in contrarium dicat noviſſimè P. Auguſtinus Matthæuccius *in Cautela Confeſſarii lib.* 2. *cap.* 20. *n.* 13. cui in hoc ſanè adhærere nõpoſsũ, quia licet ſit verum, quod in materia peccatorum, ſeù malorum moralium non valeat dicere *de duobus malis minus eſt eligendum*, cum peccatum nunquam ſit eligibile, & de hoc nullum eſt dubium, tamen dico, quod qui dat conſilium in dicto caſu, potius permittit minus malum, quam faciat, aut ad faciendum inducat, præſertim quando quis unum de duobus ſit facturus, aut utrumque prorſus facere velit; Itaque dum quis eſt omnino paratus facere majus malum, licitè, & ſine peccato poſſum illum retrahere à majori malo patrando, ut in caſu noſtro, & ſimilibus, in quibus alterius ſuaſione, ſaltem à parte mali delinquens retrahi poteſt, ne majus malum, & peccatum committat: Siquidem in hoc caſu, niſi ſuadeatur abortus, duplex quidem ſequitur homicidium, nempè Matris, & prolis, cujus damnum jam certum eſt, & omninò irreparabile in utroque eventu, ejuſque Mater inſuper moritur in peccato mortali, & æternè damnantur. Hæc mea igitur reſponſio, non fundatur in illo communi axiomate: *De duobus malis minus eſt eligendum*, ut videtur ſupponere idem P. Matthæuccius *loco cit.* quia certò peccatum nunquam eſt eligibile, ſed fundatur in eo, quod majus malum ſit evitandum in illo, cujus voluntatis dominium non habeo, & ideo à toto malo avertere non poſſum, & ſic rectè ago ſi ſaltem a mali parte illum removeam. Undè non perperam me docuiſſe memini non peccare mortaliter eum, qui parato facere majus malum, ſuadet minus malum, ut ma-

jus vitetur, dummodò tamen non ſit damnum tertii,& damnum ſit irreparabile, quod quidem in caſu noſtro irreparabile puto. Denique inſuper dico,quod ſi aliquis extra confeſſionem ſciat hujuſmodi Mulierem velle ſe interficere, nec poſſe diverti, & dubitet rationabilitèr de jactura vitæ fœtus,debet potius illi innocenti ex charitate ſubvenire curando, non obſtante ſecreto naturali, ut Judex ponat in tuto vitam fœtus, & Matris ab offenſione parentum: Et ita faciendum eſt, ſi adeſt tempus, & commodè fieri poſſit, nam mea reſponſio militat quando nullum aliud ſuppetat remedium in dicto caſu, prout de facto ſuppono.

TITULUS IV.

De Abſolutione à Cenſuris.

Vide tit. de Val. Abſ.

28 INter. 1. Ad quid tenetur Confeſſarius, qui à cenſuris malé abſoluit pœnitentem, ex eo quia talem facultatem non habebat?

Reſp. Tenetur,ac debet ipſum pœnitentem, licet abſens, abſoluere, obtentà prius facultate à Superiore abſoluendi à cenſuris, & ratio eſt quia abſolutio cenſurarum ferri poteſt in abſentem, ignorantem, ac etiam exiſtentem in peccato mortali. Tolet. *lib* 1. *cap.* 14. *ſub num.* 3. & alij paſſim ita docent. Vide Bonac. *de Cenſu. diſp.* 1. *q.* 3. *pun.* 4. *num.* 4.

29 Inter. 2. Abſolutio generalis à cenſuris, & diſpenſatio ab irregularitatibus, quæ communiter ſolet dari à Prælatis Regularium in Capitulis, Viſitationibus,& certis feſtivitatibus, ad quid inſeruit & prodeſt?

Rep. Inſeruit, & prodeſt Religioſis in foro interno animæ, ſaltem pro cenſuris, & irregularitatibus dubijs; & oblitis, ſeù ignoranter incurſis. Ita Ledesma *de ſtatu Religioſo in tom. cap.* 4. Peyrnus *tom.* 1. *privileg. Minim. in Conſt.* 1. *Iulij II.* Lezana *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 18. *num.* 93. qui etiam valdè probabiliter putat inſuper valere pro cenſuris & irregularitatibus certis, ac manifeſtis, occultis tamen, & in foro conſcientiæ dumtaxat. Et quia abſolutio à cenſuris poteſt dari abſenti, & ignoranti, ut dixi ad Inter. præcedentem cum Toleto & Bonac: quos ibi adduxi, tenent etiam Reginaldus. & Avila apud Lezanam *tom.* 2. *verb. abſolutio num.* 16. Ideò probabile eſt illam abſolutionem valere itidem abſentibus, & diſtantibus, poſito quod Superior talem intẽtionem habeat. Tandem in dicta abſolutione generali ſolet concedi à Superiore facultas omnibus Confeſſarijs Conventus, & Religionis, ut valeant & poſſint à reſervatis ſuos eiuſdem Ordinis Religioſos pænitẽtes abſolvere. Vide Lantuſc. *in Theat. Regul. verb. abſolutio n.* 14.

30 Inter. 3. Qui obtinuit facultatem abſolvendi a caſibus reſervatis, poteſtne etiam abſolvere a cenſuris?

Reſp. Quando quis obtinuit facultatem abſolvendi à caſibus Papalibus, poteſt etiã abſolvere à cenſuris Papæ reſervatis; quia caſibus omnibus, qui ſunt Papæ reſervati, annexa eſt aliqua cenſura, vt docent Navarrus, & Viualdus, quos refert Victorellus apud Emm. Sà *verb. caſus reſervati num.* 2. qui ſic inquit. Conceſſis caſibus Papalibus intelliguntur etiam cenſuræ. Vide etiam Toletum *lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 2. Verùm ſi obtinuit facultatem ab Epiſcopo abſolvendi à caſibus, quos ipſe reſervat, nequit abſolvere à cenſuris, quia caſus, & cenſuræ, apud Epiſcopum ſunt res diſtinctæ, & diverſæ, & à diverſis nõ valet illatio. Ità Navar. *in man. cap.* 27. *num.* 261. Sanchez *in Sum. lib.* 2. *cap.* 11. *num* 1., & alij, quos ſequitur Bonac. *de cenſu. diſput.* 1. *queſt.* 3. *pun.*

pun. 1.*num.* 15. Sed vide quæ dicam *tit.*6. *Inter.* 7.

31 Inter. 4. Quinam ſunt caſus, in quibus Metropolitanus poteſt abſoluere à cenſuris latis à Suffraganeis?

Reſp. Eſt communis ſententia non poſſe Archiepiſcopum abſolvere à cenſuris latis à ſuffraganeis, vel à Papa, quia in ſubditos ſuffraganeorum non habet iuriſdictionem. Verùm dantur aliqui caſus,in quibus Archiepiſcopus iudicare poteſt ſubditos ſuffraganeorum, & hi ſunt tres. Primus quando facta fuit appellatio apud Archiepiſcopum, & cognitum fuit de appelltione, & vocatæ fuerunt partes. Secundus eſt, quando Epiſcopus ſuffraganeus malitioſè, aut negligenter differt abſolutionem. Tertius eſt, quando viſitat Diœceſim; nam tunc ratione officij, ordinariam facultatem habet ad abſolvendum. Ita pluribus relatis probat Bonac. *de cenſu. diſp.* 1. *queſt.* 3. *pun.* 2. *num.*7. Vide Dianam *part.* 7. *tract.* 2. *reſol.* 7. & Armillam *verb. Abſolutio num.* 50.

32 Inter. 5. Quiſnam poteſt abſolvere ab excommunicatione à Iure impoſita,quando nemini eſt reſervata?

Reſp. Epiſcopus,Capitulum Sede vacante, Abbas, & Prælatus Religioſorum; Nam hi omnes,cum habeant iuriſdictionem in utroque foro, iure Ordinario abſoluere poſſunt ſibi ſubditos à cenſura iuris nemini reſervata. Ità docent Doctores omnes cum D. Thoma in *Addit. quæſt.* 24. & 21. teſte Diana *part.* 5. *tract.* 9. *reſol.* 5. & deducitur *ex cap. Nuper*, §. *in* 2. *caſu de ſent. excom.* & licet ibi ſolum fiat mentio de minori excommunicatione,ratio tamen aſſignata currit etiam de excommunicatione maiori, & ubi eſt eadem ratio, eſt eadem iuris diſpoſitio. Immo docent quam plurimi Doctores, quos ſequitur Diana *loco cit.* poſſe Parochum,& quemlibet alium Confeſſarium approbatum abſoluere à tali excommunicatione, non iure Ordinario, ſicut Epiſcopi, cæterique Prælati habentes iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, ſed ex commiſſione à Summo Pontifice facta in prædicto *cap. Nuper*, & hanc ſententiam docet etiam Toletus *lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 2. & intèr alios citat S. Thom. *in* 4. *diſt.* 18. *queſt.* 2. *art.*5. Vide etiam Bonac. *de cenſur. diſp.* 1. *queſt.* 3. *pun.* 1. *num.* 10. idem docentem, modò non adſit in aliqua Diœceſi peculiaris prohibitio abſolvendi à cenſuris.

33 Inter. 6. Excommunicatus ab vno Epiſcopo, poteſtnè abſolui ab alio, in cuius Diœceſi iam reſidet, & habet domicilium?

Reſp. Oportet diſtinguere, vel eſt excommunicatus per generalem ſententiam, vel per ſententiam particularem; in primo caſu poteſt abſolvi ab Epiſcopo. Vide Bonac. *de cenſu. diſp.* 1. *queſt.* 3. *pun.* 1. *num.* 7. In ſecundo autem caſu non poterit abſoui, niſi ab eo, à quo excommunicatus fuit, quia cauſa eſt incepta, & ad illum pertinet cauſæ,& litis conſummatio, & conſequenter eſt ei ſingulariter reſervata illa cenſura. Ita Suarez *de cenſu. diſp.* 7. *ſect.* 2. *num.* 19. & 26. *Coninchus de Sac. diſp.* 14. *dub.* 16. *num.* 258. Layman *de cenſu. tract.* 5. *par.* 1. *cap.* 7. *num.* 4. & alij quos ſequitur Diana *part.* 5. *tract.* 9. *reſol.* 8.

34 Inter. 7. Titius dum verſabatur in alieno Epiſcopatu contraxit quandam excommunicationem ibidem per ſtatutum impoſitam, poteſtnè abſolvi dum redit in patriam, à proprio Epiſcopo?

Reſp. Dico quod Titius dum perpetravit delictum in alia Diœceſi, in qua eſt impoſita excommunicatio contra tale delictum perpetrantes, non poteſt abſolvi à proprio Epiſcopo, quia ratione delicti eſt ſubditus illius Epiſcopi, ubi delictum commiſit, & ab illo ſolum poteſt abſolvi, & ità decernitur in ivre, ut non niſi

Epiſco-

Epiſcopus ille abſovere poſſit, in cuius Diœceſi deliquit, quia ratione criminis illius in illa cauſa Titius delinquens factus eſt ſubditus illius Epiſcopi. Habetur *ex cap. propoſuiſti de foro compet.* & docet Diana ex Fabro *part. 5. tract. 9. reſol. 9.*

35. Inter. 8. Sacerdos, qui in excommunicationem incidit, abſolvendo abſque facultate à caſibus reſervatis, poteſtnè ab Epiſcopo abſolvi vigore Concilij Trid. *ſeſſ. 24. de ref. cap. 6.* aut à Prælato Regulari, ſi fuerit ſibi ſubditus dictus Sacerdos?

Reſp. Negant aliqui apud Dianam mox adducendum, & aſſerunt ita declaraſſe Sacram Cardinalium Congregationem: oppoſitum tamen ex Beia, Finellio, Homobono, Suario, & Peregrino reſolvit Diana *part. 3. tract. 4. reſ. 73.* Idemque docet Bonac.. *de Sac. diſp. 5. queſt. 7. pun. 5. §. 2. & in tract. de Cenſur. queſt. 3. pun. 2. num. 4.* ſubſtinet per decretum Clementis VIII. non eſſe revocatum privilegium Epiſcopis conceſſum in Trident. Quare putant vigore Concilij poſſe Epiſcopum à dicta excommunicatione abſoluere, dũmodò occultum ſit delictum. Mihi verò prima ſentetia placet, tum ob clauſulam revocatoriam in Decreto Clementi VIII. tum etiam propter ea, quæ dicam infrà *tit. 25. ad Inter. 2. & tit. 115. ad Inter. 4.* An verò poſſint Prælati Regulares abſolvere ſibi ſubditum vide *tit. 175. ad Inter. 2.* nam privilegia Regularium non cenſentur revocata, niſi in novis reſervationibus Papalibus adſit clauſula irritans ſpecialiter huiuſmodi privilegia Regularibus conceſſa.

36 Inter. 9. In quibus caſibus poteſt Epiſcopus abſolvere ab Excõmunicatione contracta ob percuſſionem Clerici ſine onere ſe præſetandi Summo Pontifici, vel ejus Legato?

Reſp. Quando quis habet impedimentum perpetuum; nam quando impedimentum eſt perpetuum, tunc Epiſcopus poteſt abſolvere impeditum non impoſito onere ſe præſentandi Summo Pontifici, aut eiuſdem Legato, quia impoſſibilium nulla eſt obligatio. Quod ſi excommunicatus poteſt adire Legatum, aut alium habentem privilegium ad abſolvendum à cenſura reſervata, tunc non poteſt Epiſcopus abſolvere, quia tunc ceſſat neceſſitas, à qua ortum habuit facultas abſolvendi facta Epiſcopo, vt benè docet Leander *par. 4. diſp. 17.* allegans plurimos DD. Vide quæ dicam *tit. 83. ad Inter. 17.* Item poteſt Epiſcopus abſolvere Clericos viuentes in Seminarijs, vel Cathedralibus inſervientes percutientes ſe ad invicem percuſſione etiam gravi, ſed non enormi ſine onere ſe præſentandi Summo Pontifici, &c. habetur ex *cap. Quoniam de vita, & honeſtate Clericorum* Item pariter poteſt abſolvere ſine dicto onere impuberes doli capaces ab hac cenſura. Diana *part. 9. tract. 2. reſol. 68.* Immò poteſt etiam abſolvere pueros, qui ante *annos* 14. Clericum, quamvis graviter percuſſerint, etiam poſtquam compleverint annum decimum quartum ætatis, ut docet Alloza *verb. excommunicatio ſect. 8. num. 5.* & alii communitèr.

TITULUS V.

De Abſolutione à Peccatis.

Vide tit. de Confeſſ. Int. ult. tit. de Dub. Inter. 13. tit. de Val. Abſ.

37 I Inter. 1. Poteſtnè Confeſſarius abſolvere Concubinarium, aut Uſurarium manifeſtum?

Reſp. Dico primò, non poſſe Concubinarium abſolvere, quotieſcumque adeſt periculum recidivandi, & ſi non vult Concubinam abijcere, quia non eſt contritus. *Can. legatur 24. queſt. 2.* Nam vera pœnitentia

tentia non eſt ſine exciſione cauſarum peccandi. *cap. ſatisfatio, de pœnitentia diſt.* 3. Dico 2. quod nec Uſurarium manifeſtum poteſt, aut debet abſolvere, niſi reſtituerit, vel de reſtituendo cautionem idoneam dederit *cap. quamquam, de uſuris in* 6. In articulo tamen neceſſitaris extremæ ſi cautionem facere nequit, poteſt Confeſſarius eum abſolvere. *Can. ſi quis, de pœnit. diſt.* 7. Item ſi Uſurarius non eſſet ſolvendus, nec inveniret cautionem, tamen cum juramento poteſt abſolvi, ſed ad vitandum ſcandalum, bonum eſt hoc fieri de licentia Epiſcopi. Vide Silveſt. *verb. Concubinarius ſub num.* 2., *& verb. Uſura* 9. *ſub. num.* 18. Uſurarius verò manifeſtus, qui dicatur, docet ipſe Silveſt. *ibidem num.* 1. Emanuel Sà *verb. Uſura num.* 7. qui alios refert, & iterum Emanuel Sà *verb. Confeſſio. num.* 32.

38 Inter. 2. Quæ, & quot ſunt conditiones, quas debet habere Confeſſarius ad hoc, ut licitè abſolvere queat?

Reſp. Sunt quinque, ſcilicet Scientia, prudentia, Bonitas, Poteſtas, & Sigillum; Verumeſt tamen, quod poteſtas Ordinis, & Juriſdictionis ordinaria, vel delegata, eſt neceſſaria ſimpliciter. Ita docent DD. communiter. Vide Armillam *verb. Confeſſor num.* 1. *& ſequen.*

39 Inter. 3. Quid tenetur ſcire Confeſſarius, ad hoc ut licitè poſſit confeſſiones audire, & pœnitentes abſolvere?

Reſp. Tenetur ſcire differentias peccati venialis, & mortalis, & quæ ſint communiter peccata mortalia ordinaria, & circumſtantiæ mutantes ſpeciem, Cenſuræ, & Caſus reſervati, & habere principia, quibus dubitet de reliquis, ac conſulat Viros doctos, non enim tenetur omnia ſcire, cum hoc ſit impoſſibile. *Tolet. lib.* 3. *cap.* 15. *num.* 1. & docent communiter DD. Vide Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *quæſt.* 7. *pun.* 4. §. 2. *num* 7. *&* 8.

40 Inter. 4. Si Confeſſarius certò ſciat, aliquē feciſſe peccatū mortale, ipſe verò non ſe accuſat de eo, imo à Confeſſario interrogatus, negat; poteſtnè talis Confeſſarius dictum pœnitentem abſolvere?

Reſp. Dicunt aliqui Doctores, quod non debeat, nec poſſit illum abſolvere, quia cenſetur indiſpoſitus; Tamen dicendum eſt quod ſi Confeſſarius prudentèr poterit ſibi perſuadere, quod apud alium Confeſſarium ſit confeſſus, poſſit ac debeat eum abſolvere: Rationes, & Doctores pro utraque parte refert Diana *part.* 3 *tract.* 4. *reſ.* 105. Vide etiam Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *quæſt.* 7. *punc.* 5. §. 2. *num.* 23. *& ſeq.*

41 Inter. 5. Quando Confeſſarius debet aliquem ſub conditione abſolvere, ſufficitnè ſi conditio in ſua mente ſiſtat, aut eſt verbis exprimenda?

Reſp. Non eſt neceſſe, quod verbis exprimatur, ſed ſola mente poteſt apponi. DD. communiter ita docent

42 Inter. 6. Confeſſarius poteſt nè à peccato abſolvere pœnitentem excommunicatum quem ab excommunicatione abſolvere nequit?

Reſp. Silveſt. *verb. Confeſſor* 3. *num.* 12. cum D. Th. & alijs, docet, quod non, & ratio eſt quia omnis excommunicatus, etiam minori excommunicatione, eſt privatus participatione Sacramentorum paſſiva, & hæc eſt communis ſententia Theologorum, Canoniſtarum, & Summiſtarum, teſte eodem Silv. Vide ea, quæ dicam ad *Inter. ſequentem, nec non in tit.* 83. *ad Inter.* 2. *& in tit.* 222. *pariter ad Inter.* 2. *præcipuè verò in tit.* 230. *item ad Inter.* 2. Unde non eſt audiendus Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 78. *ubi verſ. & omnia*, habet, validam eſſe abſolutionem impenſam à Confeſſario illi pœnitenti, quem ſcit habere peccata, quæ annexam habent excommunicationem, licet ipſe

Con-

Confeſſarius poteſtatem non habeat abſolvendi à tali cenſura, ſiquidem communis ſententia docet, quod excommunicatione non ablata invalida ſit abſolutio?

43 Inter. 7. Poteſtnè abſolutio peccatorum impendi excommunicato, qui prius ab excommunicatione non fuit abſolutus?

Reſp. Minimè, nam Sacerdos non poteſt excommunicatum abſolvere à culpa, & à peccatis, niſi prius fuerit ab excõmunicatione abſolutus, quia excommunicatus non eſt particeps Sacramentorum Eccleſiæ. Tolet. *lib. 3. cap.* 10. *num.* 1. & eſt communis ſentẽtia. Vide Armillam verb. *Excommunicatio* 95. prope finem.

44. Inter. 8. Peccatnè Sacerdos, quoties mutat formam abſolutionis, ſed iſta mutatio eſt tantũmodo accidentalis, & remanet idem ſenſus, eademque ſignificatio?

Reſp. Peccat quidem, nam quilibet tenetur ſe communi uſui Eccleſiæ accomodare. DD. communiter.

45 Inter. 9. Si Confeſſarius mutet tantum accidentaliter formam abſolutionis, peccatnè mortaliter, vel venialiter?

Reſp. In hoc non conueniunt Doctores. Suarez, Coninchus, & alij, putant peccare mortaliter. Sotus autem, Valentia, & alij plures, dicunt venialiter; Utrumqe eſt probabile; Tamen melius eſt ſervare formam conſuetam, ad vitandum peccatum, quod diſplicet Deo, licet ſit veniale.

46 Inter. 10. Inquo caſu poteſt unus Sacerdos plures pœnitentes eodem tempore abſolvere?

Reſp. Si ingruente procellà, graſſante peſte, vel ſæviente prælio, aut incendio, Confeſſarius audit multos altà voce aliquod peccatum confitentes, poſſe, imò, & debere, aut ſaltem expedire ſimul eos abſoluere, dicendo; Ego vos abſolvo à cenſuris, & peccatis veſtris, in nomine Patris &c. docent communiter DD. teſte Leandro à Sanctiſſima Trinitate *par.* 1. *tract.* 5. *diſp.* 2. *queſt.* 33. Quia in hoc nulla eſt implicantia, ſicut non eſt in eo, quod quis unicà aſperſione multos baptizet, dicendo. Ego vos baptizo in nomine Patris &c. ut docet S. Thom. *3. par. queſt. 66. ar* 5. *ad.* 5. & alii apud Dianam *part.* 5. *tract.* 3. *reſ.* 27. vide etiam Bonaciu. *de Sac. diſp.* 5. *queſt.* 5. *ſect.* 2. *pun.* 2. §. 3. *diffic.* 4. *num.* 17. & P. Remigium à S. Cath. *in ſuo Extract. moral. de Sac. Pœnit. num.* 49.

47 Inter. 11. Parochus, vel alius Confeſſarius poteſtnè tempore peſtis audire aliqua peccata, & confeſſione non finita moribundum abſolvere?

Reſp. Doctores pro utraque parte ſentientes refert Diana *part.* 5. *tract.* 3. *reſol.* 74. ipſe tamen tenet cum illis, qui aſſerunt, quod excuſatur Confeſſarius ab audiendà integra confeſſione, ex qua ſibi mortem timet; ſed hæc opinio cum duplici limitatione eſt intelligenda, prima pro illis, qui necdum tantà charitate ardent, ut periculum vitæ corporalis pro maiori quiete ſpirituali proximi adire audeant, ut docet Chapeavilla de Sac. pœnit. *queſt.* 26. *in fine.* Secunda, caſu quo Confeſſarius in excipiendo confeſſionem integram alicuius infirmi detineretur, & alii ſine confeſſione morerentur. Ita tradunt Villalobos, & Jo. de la Crux *in Direct. caſu. conſc. part.* 2. *de Sac. pœnit. queſt. 3. dub. 5. conclu.* 3. apud eumdem Dianam *loco cit.* ubi plura videre poteris ad intentum. Verùm Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *quæſt.* 5. *ſect.* 2. §. 3. *diffic.* 4. *num* 12. ſic habet. quando infirmus laborat morbo contagioſo, & Confeſſarius non poteſt ipſum etiam à longe abſque periculo audire, diutius immorando in peccatis audiendis, Confeſſarius poteſt auditis aliquibus peccatis abſolutionem ſtatim impen-

dere,

Digitized by Google

dere, & pro ſe citat Vasquez, & Coninchum, & ratio eſt quia confeſſio integrè faciéda eſt, quando moraliter fieri poteſt abſque damno notabili pœnitentis, vel Confeſſarij. Vide Victoriam *in ſum. tit. deconfeſſione n.* 165.

48 Inter. 12 Poteſtnè quilibet Sacerdos abſolvere à peccatis exeoquod habeat poteſtatem Clavium, ſcilicet ligandi, & ſolvendi ?

Reſp Non quivis Sacerdos, præciſo mortis periculo, à peccatis abſolvere validè poteſt, nam in Sacerdote requiritur præter poteſtatem Ordinis, poteſtas juriſdictionis, ut conſtat ex Trid. *ſeſſ.* 14. *de pœnit. cap.* 7. ſicque non poteſt quis aliquem abſolvere, vel ligare, niſi ſuper eum habeat juriſdictionem ordinariam, vel ſaltem delegatam, & ſicut nemo poteſt abſolvi niſi à proprio Sacerdote, vel ab eo, cui ipſe licentiam dederit, ut decernitur *cap. omnis, de pœnit. & remiſ.* Ita etiam non omnis Sacerdos exercere poteſt uſum Clavium, ſeù Juriſdictionis poteſtatem; Sed hi dumtaxat, qui oves proprias habent, vel ſibi commiſſas à proprio Sacerdote. Sylv. *verb. Confeſſor* 1. *num.* 1. Bonac. *de Sacr. diſp.* 5. *q.* 7. *ſect.* 5. *punct.* 1. *n.* 1. *& præſertim n.* 8. *& alii communiter.*

49 Inter. 13. Poteſtné quivis ſimplex Confeſſarius abſolvere à peccatis Sacerdotem, qui ob delictum præteritum fuit ſuſpenſus à celebratione pro tanto tempore, vel ad arbitrium Superioris?

Reſp. Quamvis ſimplex Confeſſarius non debeat abſolvere à peccatis, niſi prius pœnitens ſit abſolutus à cenſuris, tamen in caſu propoſito certò poteſt ipſum abſolvere, & ratio eſt, quia dicta ſuſpenſio non eſt propriè cenſura, ſed pura pœna vindicativa delicti præteriti, & ad illud puniendum inflicta principaliter fuit, non in emendationem, & contumaciam, & conſequenter non habet rationem cenſuræ, quæ debet eſſe medicinalis, & ſolum inſtituta ad tollendam contumaciam, ut docent Doctores communiter. Vide Suarez *de cenſur. diſput.* 25. *ſect.* 1. *num.* 2. Moronum *Reſp.* 18. *num.* 6. *&* 7. Lezan. *tom.* 2. *ver. Suſpenſio num.* 6. *prope finem*, Gabriel à S. Vincentio *de cenſu. diſp.* 5. *num.* 11. *& ſeqq.* Andream à Matre Dei *tom.* 2. *Theol. mor. tr act.* 10. *de cenſ. cap.* 5. *punct.* 1. *num.* 5. Bonac. *de cenſ. diſput.* 1. *quæſt.* 1. *pun.* 3. *num.* 20. *& diſp.* 3. *pun.* 1. *ſub nu.* 2. & alios apud illos. Immò quando Clericus ob delictum iam perpetratum privatur Officio, & Beneficio in vindictam commiſſi criminis, talis privatio non habet rationem cenſuræ (quamvis privet Divinis Officiis) ſed ſolivs pœnæ vindicativæ, ut ait ipſe Bonac. *cit. num.* 20. Ergo &c. Ultrà quod notandum eſt, ſuſpenſum ab Officio, licet nō poſſit Sacramenta adminiſtrare, poſſe tamē Sacramenta recipere, item, & indulgentias, & ſepeliri in loco Sacro; Quando verò quis eſt ſuſpenſus à perceptione Sacramentorum, tunc non poteſt Sacramenta recipere ſine gravi peccato, & conſequenter Confeſſarius non poteſt illum abſolvere à peccatis, dum actualiter peccat petendo abſolutionem à peccatis, antequam ſit à ſuſpenſione abſolutus ab habente authoritatem, & ſic in iſto caſu dumtaxat, non poteſt ſimplex Confeſſarius abſolvere ſuſpenſum, niſi fuerit priùs à ſuſpenſione liberatus, ſive abſolutus, nam militat eadem ratio de excommunicato, ut dicam, *tit.* 230. *ad Inter.* 2.

50 Inter. 14. Poſſuntnè ſimplices Sacerdotes, qui non ſunt ab Ordinario approbati, abſolvere à venialibus, ac etiam à mortalibus peccatis aliàs ritè abſolutis?

Reſp. Sententia affirmatiua erat plauſibilis, & recepta inter non infimæ notæ Doctores, ſed nunc ſtante *Decreto Sac. Congregationis publicato die*

die 15. *Februarii* 1679. oppoſitum dicendum eſt omninò, excepto dumtaxat mortis periculo, in quo quilibet ſimplex Sacerdos poteſt abſolvere (abſente tamẽ aprobato Confeſſario) quẽlibet in mortis periculo conſtitutum.

51 Inter. 15. Qui dubitat an aliquem in honore, fama, aut fortunæ bonis læſerit, poteſtnè à Confeſſario abſolvi antequam ſatisfaciat parti læſæ?

Reſp. Dico quod ſic, durante tamèn, & non depoſito tali dubio, & dummodò paratus ſit animo ad ſatisfaciendum, cum ſibi moraliter de debito conſtiterit, nam illa regula Juris, *Quod in foro externo nullus ſolvere cogatur antequam monſtretur eſſe debitor*, etiam in animæ judicio locum habet, ut rectè reſolvit Cabrinus *in Elucid. caſ. reſer. par.* 1. *reſol.* 135. *verſ. non, placet* & pro ſe citat Leſſium, Sotum, & Layman *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 31. Idem enim eſt judicium fori externi, & interni, quando forum externum non nititur falſa præſũptione, ut docent Doctores communiter.

52 Inter. 16. Poteſtnè abſolvi, qui non dolet de peccato, quia per illud Deum offendit, ſed propter vitandas pœnas Inferni, ut ſi diceret, ſi nõ eſſét pœnæ Inferni, nõ curarẽ Deũ offẽdere?

Reſp. Certè talis abſolutione non eſt dignus, quia tunc ille dolor neque attritio eſt, & conſequenter nequ e idoneus dolor ad juſtitiam impetrandam cum Sacramento; Unde merito aſſerit Sotus *diſt.* 19. *q.* 3. *art.* 2. quod non auderet abſolvere dicentem ſe non pœnitere propter Deum. Vide Sà *verbo Confeſſio in fine.*

53 Iner. 17. Hic actus v. g. doleo ex animo, quod non ſatis doleam de meis peccatis, quibus offendi Deum, ſufficitnè pro obtinenda abſolutione Sacramentali?

Reſp. Sufficit quidem, dũmodò cõiungatur cum propoſito non peccandi de cætero, quia eſt actus atritionis. Emanuel Sà *verb. Contritio num.* 5. & alii. Tamen hoc intelligi debet, ſi ly ſatis deſignet, quod doleat ſe non habere tantum dolorem, quantum exigeret offenſa Dei, nam ſi ly ſatis ſignificet ſe non habere dolorem ſufficientem ad Sacramenti validitatem, certè non ſit validum Sacramentum.

TITULS VI.

De Abſolutione à reſervatis.

Vide tit. de Valid. Abſol.

54 INter. 1. Poteſtnè ſimplex Confeſſarius pœnitentem à non reſervatis abſolvere, & poſtea illum ad ſuperiorem pro reſervatis tranſmittere?

Reſp. Poſita neceſſitate, vel rationabili cauſa, utique poteſt; Unde qui eſt obſtrictus neceſſitate cõmunicandi vel celebrandi, ad vitandum grave damnum, vel ſcandalum, vel gravis infamiæ periculum, poteſt tali Confeſſario ſimplici confiteri peccata, tam reſervata, quam non reſervata, nã directè à non reſervatis, indirectè vero à reſervatis poterit abſolvi; cum onere tamen, & obligatione adeundi Superiorem pro abſolutione reſervatorum. Tolet. *lib.* 3. *cap.* 8. *ſub n.* 3. *& alii paſſim,* ita docent, & præſertim Bonac. *de S. diſ.* 5. *q.* 7. *pu.* 5. §. 3. *n.* 6. 8. *&* 19.

55 Inter. 2. Quando Epiſcopus, ſeù Ordinarius injuſtè denegat facultatem abſolvendi à reſevatis, poteſtnè hoc non obſtante, Confeſſarius à reſervatis abſolvere?

Reſp. Pœnitentem abſolvi poſſe, docent nonnulli, nam in tali eventu dicunt eſſe judicandum, ac ſi Superior eſſet abſens; tamen non eſt recedendum à communi ſententia, nempe nõ poſſe, quia etiam injuſta denegatio facultatis ualida eſt, ſicut valida cenſetur injuſta reſervatio. Bonac. *de Sac. diſ.* 5. *q.* 7. *pu.* 5. §. 2. *n.* 20. *& alii plures.*

56 Inter. 3. Quam pœnam incurrit abſolvens aliquem à caſibus Epiſcopo reſervatis, ſecluſo articulo, aut probabili mortis periculo?

Reſp. Non ſolum peccat mortaliter

liter, & nulla eſt abſolutio, ſed præterea incidit in excommunicationem, ac incurrit in privationem omnium Officiorum, Dignitatum, & Beneficiorum, inhabilitatemque audiendi confeſſiones, & ad quæcumque officia ipſo facto abſque ulla alia declaratione, ſuper quibus à nemine, quam à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo abſolutionem impetrare poteſt, ut patet ex decreto Clementis VIII. edito die 9. Januarii 1601 cum eiuſdem Pontificis moderatione facta die 26 Novembris 1602. & ex decreto Pauli V. ſub die 7. Januarii 1617. quo confirmatur, & innovatur præfatũ decretum Clementis cum ſua moderatione, non obſtantibus privilegiis, & tandem ex alio decreto Urbani VIII. de anno 1628. die 17. Novembris, quo prohibetur Regularibus facultas abſolvendi à caſibus reſervatis in Bulla Cœnæ, & à caſibus reſervatis Ordinariis locorum, itidem non obſtantibus privilegiis obtentis, & obtinendis. Vide Mirandam *in manual. tom.* 1. *qu.* 46. *art.* 2. Lezanam *tom.* 1 *par.* 1. *cap.* 19. *num.* 16. & 17. Barboſam *de officio Parochi cap.* 19. *num. ult.* Dianam *p.* 2. *tract.* 17. *reſ.* 30. & *par.* 3. *tra.* 2. *reſ.* 13. & præſertim *par.* 11. *tra.* 2. *reſ.* 18. §. *ſed quicquid* Bonac. *tom* 1. *de Sacramen diſp.* 5. *quæſt.* 7. *pun.* 5. §. 2. *n.* 14. & *tom.* 3. *diſp.* 2. *quæſt.* 9. *pun.* 5. *n.* 16. Auſonium *in ſumma Diana verb. Abſolvere num.* 33. & *verb. Regulares num.* 37. & alios penes ipſos Diana verò *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 73. notat, quod ad incurrendas pœnas prædictas non ſatis eſt abſolvere à reſervatis, abſque facultate, ſed neceſſaria eſt præſumptio in abſolvente, ut patet ipſis verbis decreti; unde abſoluens ſub ſpe ratihabitionis, vel ex inconſideratione, aut ignorantià, non tamen craſſa, aut affectata, non incideret in excommunicationem &c. ita Diana, & eſt communis ſententia. Vide, quæ dicam ad Inter. ſequentem, & iterum Dian. *par.* 10 *tra.* 13. *reſ.* 22. *verſ. ſed prorſus* ubi refert per extenſum quamdam Epiſtolam Sac. Congregationis de mandato Innocentii X. directam Archiepiſcopo Neapolitano.

57 Inter. 4. Qui audet, ſeù præſumit abſolvere à caſibus clarè, vel dubiè contentis in bulla Cœnæ Dom. vel alias Summo Pontifici, vel locorum Ordinariis reſervatis, quam pœnam incurrit?

Reſp. Qui abſolvit à caſibus quomodolibet Papæ, vel Epiſcopo reſervatis ſine licentià, & hoc faciat ſcientèr ex malitià, & præſumptione, incurrit ipſo facto in excommunicationem Summo Pontifici reſervatam, ut patet ex decreto Sec. Congregationis Em. Cardinalium ſuper negociis Epiſcoporum, & Regularium emanato de ſpeciali mandato Clem. VIII. die 9. Januarii 1601. & ex declaratione illius edita die 26. Novemb. 1602. quam invenies apud Finellium *de caſ. reſerv. cap.* 6. Vide Mirand. *tom.* 1. *qu.* 46. *art.* 2. Bonac. *tom.* 3. *de cenſ.* in particulari *diſp.* 2. *qu.* 22. *pun.* 7. *num.* 17. & 18. Lezan. *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 19. *num.* 15. & *ſeq.* & *tom.* 2. *verb. Caſus reſerv. num.* 4. Dian. *par.* 2. *tr.* 17. *reſ.* 30. *par.* 3. *tr.* 2. *reſ.* 13. *par.* 10. *tr.* 14. *reſ.* 8. Auſon. *in Sum.* Dian. *verb. Abſolvere num.* 33. & *verb. Caſus reſerv. num.* 1. & *verb. Regul. num.* 37. & Cutillum. *in append. ad practicam* 3. *Iacobi Mancini dubio* 3. Nota tamen, quod ad incurrendam excommunicationem, non ſufficit ingnorantia etiã craſſa, ſive juris, ſive facti, quia fertur dumtaxat contra præſumentes abſolvere, quod verbum denotat requiri ſcientiam in abſolvẽte, ut plerique tradunt Doctores teſte Diana *par.* 3. *tract.* 2. *reſ.* 13. *verſ. Nota quarto.* Dico ergo, quod quando pęna lata eſt cõtra ſcienter violãtes, aut præſumentes, etiã ingnorantia

craſſa, & ſupina excuſat tranſgreſſorem, à cenſura. Snachez *de precep. Decalogi lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 38. Qui tamen benè ſubdit non excuſare ignorantiam affectatam, aut adeò craſſam, ut eſſet quaſi ſcientia, & ingens temeritas, ut aliis citatis probavit idem Sanchez *de matrim. tom.* 3. *lib.* 9. *diſp.* 32. *num.* 39. *&* 40. vide Bonac. *de cenſu. diſp. queſt.* 2. *pun.* 1. *num.* 11. *&* 12. Dian. *par.* 3. *tra.* 5. *reſ.* 13. §. *Notandum*, *& tract.* 6. *reſ.* 7. *& par* 5 *tra.* 9 *reſ.* 17. §. *Notandum.* Imò etiam de ingnorantia affectata id eſſe verum probabilitèr putant. Bonac. Diana, & alii apud ipſos.

58 Inter. 5. Quando quis dubitat, an caſus ſit reſervatus, vel non, poteſtnè à ſimplici Confeſſario abſolvi?

Reſp. Dico cum Emanuel Sà *verb. caſus reſervati num.* 5. quod caſus in dubio non præſumitur reſervatus, quia pœnæ ſunt reſtringendæ, conſequenter poteſt abſolvi à quolibet Confeſſario tanquam non reſervatus, ut pluribus relatis docet Portellus *in dub. Regul. verb. caſus reſerv. num.* 7. cui ſubſcribit Diana *par.* 4. *tra.* 3. *reſ.* 4. Lez. *tom.* 2. *verb. caſus reſervati num* 14. & alii multi, quos refert, & ſequitur Cabrinus *in Elucidar. caſ. reſer. par.* 1. *reſ.* 9. *&* 10. Vide etiam Bonac. *de Sacr. diſp.* 5. *queſt.* 7. *pun.* 5. §. 4. *num.* 2., vbi ait, quod quidubitat ſe homicidium commiſiſſe, vel compleviſſe peccatum aliquod reſervatum, vt copulam inceſtuoſam, ſodomiam cum ſeminis emiſſione in vaſe fœdiſſimo &c. non debet cenſeri reſevatione innodatus ac proinde à quolibet Confeſſario abſovi poteſt. Idem aliis relatis docet idem Cabrinus ubi ſupra *reſol.* 10., qui latè hanc pertractat difficultatem, & etiam ad obiecta reſpondet. Notandum eſt tamen, hanc doctrinam intelligendam eſſe dumtaxat dum ſit ſermo de caſibus ab Epiſcopis reſervatis: Caſus autem Bullæ Cœnæ dubiè, vel clarè, ſemper ſunt reſervati, ut docet Lezana *tom.* 2. *verb. Caſus num.* 14. & alii communiter. Item quando dubium eſſet, an percuſſio Clerici eſſet levis, vel gravis, credendum eſt eſſe gravem, juxta Extravagantem quandam, quam refert Navar. *in man. cap.* 27. *n.m.* 91. teſte Lezana *loco cit.* Et hoc ego puto verum, quidquid in cōtrarium alii apud Cabrinū ubi ſupra, quos ipſe ſequitur, ſentiant, dum dicunt, quod quando dubitatur utrum percuſſio Clerici ſit levis, aut mediocris, aut gravis, judicari debeat levis: tamen dicendum eſt, quando dubitatur an percuſſiò ſi levis, vel gravis. vel mediocris, judicanda eſt gravis, ut patet ex Extravagan. *perlectis* apud Navar. Sayrum, Molinam, & Philiarcum, quos dat, & ſequitur Bonac. *de cenſu diſp.* 2. *queſt.* 4. *pun.* 5. *ſub num.* 8.

59 Inter. 6. Quando Confeſſarius petit facultatem ab Epiſcopo pro una perſona abſolvenda à caſibus reſervatis, poteſtnè illa facultate uti pro ſua perſona?

Reſp. Dico quod in illa facultate petita ab Epiſcopo comprehenditur etiam ipſe petens, ſi petat ſic. Eſt quędam perſona, quæ indiget veſtra auctoritate, placetnè vobis illam dare? Secus autem ſi diceret, Rogo te, ut des facultatem pro unà perſonà, & ratio noſtra eſt quia non tenetur ſeipſum prodere, ultra quod in generali ſermone comprehenditur etiam perſona ipſa, quando loquens cōcipit in perſona alterius. Ita ex Florono, Villalobos, & Leone, firmat Diana *par.* 8. *tract.* 7. *reſ.* 91. qui idem docuerat *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 142. Vide Cabrinum *de caſibus reſervatis part.* 1. *reſ.* 20.

60 Inter. 7 Qui obtinuit à Sede Apoſtolica facultatem abſolvendi ab omnibus cenſuris, poteſtnè abſolvere, à reſervatis contentis in Bulla Cœnæ, aut ab Epiſcopo loci reſeruatis?

Reſp.

Reſp. Nec validè, nec licitè poteſt abſolvere, non obſtante quocumque privilegio, quia in generali conceſſione non veniunt ea, quæ non eſſet quis veriſimiliter conceſſurus in ſpecie iuxta regulam 18. iuris in 6. præter quamquod ita decrevit Clem. VIII. in ſuo decreto, quod incipit *Sac. Congregatio*, *ſæpe cit.* & docet Bonac. *de Sacram. diſp.* 5. *quæſt.* 7. *punc.* 5. §. 2. *num.* 14. & habetur ex conſtitutione Clementis X. quæ incipit *Superna*, edita anno 1670. ergo ab hac reſponſione non eſt recedendum. Vide Cabrinum *de caſibus reſ. par.* 1. *reſp.* 38. & 40. qui luculenter firmat, ut dixi. Vide *ſuprà ad Inter.* 3. *tit.* 4. *de abſolutione à cenſuris*.

61 Inter. 8. Quomodo ſe gerere debet Confeſſarius circa pœnitentes habentes caſus reſervatos, quos ipſe nequit abſolvere?

Reſp. Debet pœnitentē ad Superiorem remittere, vel ipſe Confeſſarius petat facultatem à Superiore, qua poſſit pœnitentem abſolvere. Ita docent Doctores communiter. Vid Bonac. *de Sac. diſp* 5. *quæſt.* 7. §. 2. *pun.* 5. *num.* 18.

62 Inter. 9. Mortuo, vel amoto Epiſcopo ab Epiſcopatu, poteſtnè quivis Confeſſarius abſolvere à caſibus, qui Epiſcopo erant reſervati?

Reſp. Emanuel Sà *verb. Abſolutio num.* 20. affirmativè reſpondet; hoc tamen limitant alii, & dicunt eſſe intelligendum de caſibus, quos Epiſcopi ſibi reſeruant, non verò de illis, qui de jure ſunt reſervati ipſis Epiſcopis. Ita Quaranta apud Lezanam *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 19. *num.* 17. *in fine*, Viualdus *in Candelab. tit de abſolut. verb. caſus Epiſcopo reſervati à jure num.* 10. Mendo *Epit. opin. moral. verb. reſervati caſus num.* 43. Dicendum eſt igitur, quod quando caſus ſunt reſervati à jure, vel à conſuetudine, aut per ſtatuta Diœceſana, ſeu in conſtitutionibus Synodalibus reperiuntur inſerti, tunc eorum reſervatio cum ſit à iure, & vim, & firmitatem retineat, etiam poſt mortem Epiſcopi, vel ejus amotionem ab Epiſcopatu, ac proinde abſolutio petenda ſit à ſucceſſore, aut à Capitulo ſede vacante. Ita ex Gavan. Piaſecio, & aliis, firmat Diana *part.* 4. *tra.* 4. *reſ* 108. Vide Mendo *vbi ſup. verb. Epiſcopus num.* 5. & 6. Cabrinum *in Elucidario caſ. reſer. par.* 1. *reſ.* 37. Auſonium *in ſum. Diana verb. reſervata num.* 2. Caſus verò, qui à jure ſunt Epiſcopis reſervati, ſunt quinque, aut ſex, ut videre licet apud citatos Auctores, & apud Navar. *in Man. cap.* 27. *num.* 256. Quamvis Mendo. *loco proximè cit. num.* 4. aſſerit, quod de facto nulli caſus ipſo jure reſervati ſint Epiſcopis, niſi quos ipſi reſeruant, quia reſervati olim iam per cōtrariā coſuetudinem conſentientibus Epiſcopis ſunt abrogati.

63 Inter. 10. Qui confitetur Superiori, vel alii habenti facultatem ſupra reſervata, ſi obliviſcatur reſervata confiteri, poteritnè deindè ab illis abſolvi à ſimplicī Confeſſario?

Reſp. Maximè, quia tunc deſinunt eſſe reſevata Sylv. *veb. Confeſſ.* 1. *n.* 7. Navar. *cap.* 26. *num.* 14. Emanuel Sà *verb. Caſus reſer. num.* 7. & *alii communiter.* Vide etiam Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *quæſt.* 7. *punc.* 5. §. 5. *num*. 5.

64 Inter. 11. Confeſſarius ſimplex, qui non habeat facultetem abſolvendi á reſervatis, poteſtnè abſolutionem impendere iter agentibus, aut peregrinis habentibus caſus reſervatos proprio ipſorum peregrinorum Epiſcopo.

Reſp. Si in Diœceſi ubi Confeſſarius excipit confeſſiones non ſint caſus reſervati, poteſt illos abſolvere, quia Confaſſrius non tenetur ſcire caſus aliis Epiſcopis reſervatos, tum etiam quia reus judicari ſolet juxta leges, & conſuetudines loci, in quo reperitur. Navar. *in man. cap.* 27. *num.* 275. Suar. *de pœnit. diſp.* 30. *ſect.* 1. *num.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

num. 4. & alii plures, quos dat, & ſequitur Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *queſt. pun.* 5. §. 2. *num.* 9. His tamen non obſtantibus dicendum eſt, hoc eſſe verum, modò præfati iter agentes, & peregrini id non faciant conſultò, & data opera in fraudem reſervationis, ut benè decernitur in conſt. Clem. X. quæ incipit *Superna, edita Anno* 1670. Par enim non eſt ut fraus, & dolus eis patrocinetur.

65 Inter. 12. Poteſtnè ſimplex Confeſſarius abſolvre Peregrinum habentem caſum reſervatum in loco ubi confitetur, ſed non reſervatum Epiſcopo proprii domicilii?

Reſp. Minimè poteſt eum abſolvere, niſi habeat facultatem abſolvendi à reſervatis, quia Peregrini judicari debent juxta leges loci, in quo reperiuntur, ut docent Navar. *ubi ſup. num.* 261. & Suarez *loco cit. num.* 15. quibus ſub ſcribit Bonac. *loco ſup. cit. n.* 10. & 11. quæ ratio militat à fortiori ſi Peregrinus habeat caſus reſervatos utriqe Epiſcopo.

66 Inter. 13. Quilibet Sacerdos valetnè abſolvere à caſibus, & cenſuris quamlibet Prægnantem?

Reſp. Quando nõ poteſt haberi copia Superioris; & fœmina primum partũ ſit editura, vel alios difficiles atque periculoſos partus experta ſit, & jã doloribus partus ſit correpta, poteſt à quolibet Sacerdote abſolvi, nam cenſetur in probabili mortis periculo conſtituta, & in hoc omnes Doctores conveniunt, ut videre licet apud Dianam *par.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 72. & *par.* 5. *tra.* 3. *reſ.* 63. Cabrinum *par.* 1. *reſ.* 82. & alios quos dat, & ſequitur Paſqualig. *de privileg. eorum qui in peric. mortis conſtituuntur, queſt.* 4. *num.* 6. Ubi præterea *num* 7. docet, non omnes prægnantes proximè parituras cenſendas eſſe in periculo mortis, ut quidam putant, ſed ſolum prægnantem, quæ eſt primo proximè paritura, aut ſi aliàs peperit, experta eſt cum periculo parere, aut licet aſſueta ſit feliciter parere, tamen de præſenti ſubeſt talibus circumſtantiis, ut rationabiliter mors timeatur; In his ergo caſibus à quolibet Sacerdote poteſt abſolvi, quod quidem eſt valdè notandum nè in praxi Sacerdotes fallantur.

67 Inter. 14. Quædam nobilis puella habet caſum reſervatum, & non poteſt ſine nota infamiæ adire Superiorem, aut non ſe communicare illa die, poteſtnè Confeſſarius ſimplex illam abſolvere?

Reſp. Dicunt quidam, quod Confeſſarius poſſit illam abſolvere indirectè à reſervatis, & directè à nõ reſervatis cum onere comparendi per ſe, vel per Confeſſarium coram Superiore pro abſolutione reſervatorum, ut docui ſupra ad Inter. 1. hujus tituli De abſolutione a reſervatis, cum Bonac. *de Sacr. diſp.* 5. *queſt.* 7. *pun.* 5. §. 3. *num.* 6. 8. & 9. & aliis abipſo relatis. Nunc vero invenio Dicaſtillum *de Sac. tom.* 2. *tra.* 8. *diſp.* 11. *dub.* 17. *num.* 305. quem ſequitur Diana *p.* 11. *tra.* 8. *reſ.* 49. docentem, probabilitèr credi poſſe illud peccatum pro tali caſu non eſſe reſervatum, quia cum poteſtas Prælati, & exercitium illius ſemper ſit, & præſumatur eſſe in ædificationem, non in deſtructionem Animarum, & in eo caſu reſervatio potius cederet in damnum, quam in bonum Animæ pœnitentis, non cenſetur Superior exercuiſſe ſuam poteſtateſtatem reſervandi abſolutionem pro illa occaſione, quando ex reſervatione graviſſima damna ſequerentur, & tanti Sacramenti frequentia, quam poſſet habere, privaretur, imò Communionis frequentia, ad quam etiam non poſſet accedere, niſi urgente neceſſitate proptèr impedimentum illius peccati reſervati. Itaque voluntas credita, vel præſumpta Superioris ex parte Superioris, qua tale peccatum hic, & nunc ab inferiori Sacerdote poſſit

poſſit abſolvi, non eſt voluntas illa præſumpta, aut ratihabitio, ſeu interpretativa, qua cenſeatur velle hic, & nunc, ut tale peccatum, quod reſervatum eſt, abſolvatur; talis enim voluntas nulla eſt, nec eam Superior ſignificat actu, ut virtute illius cenſeatur inferior habere juriſdictionem, ſed eſt duplex alia voluntas Superioris: altera, quæ contulit Confeſſario poteſtatem generalem abſolvendi omnia peccata, ad quæ non pertingat reſervatio, & alia voluntas Superioris reſervantis, quæ non cenſeatur reſervare peccata pro caſibus tantæ neceſſitatis, ſed ſe continere citra illam occaſionem. Quibus duabus voluntatibus ſic probabilitèr præſuppoſitis, & præſumptis cenſetur libera, & expedita facultas ad abſolvendum ab illis peccatis, quæ extra illam occaſionem cenſerentur reſervata. Hæc Dicaſtillus, qui poſtea proſequitur hanc doctrinam, confirmando alia ratione, ex qua Diana ad dubium propoſitum affirmativè reſpondet. Ego autem priorem ſententiam, quam, ut dixi, ſupra docui, amplectendam eſſe ſentio, præcipuè nè his ſubtilibus interpretationibus paulatim infirmetur reſevatio caſuum.

68 Inter. 15. Si Epiſcopus reſervaret abſolutionem alicujus excommunicationis Summo Pontifici, poſſetnè hoc non obſtante Metropolitanus in caſibus ſibi permiſſis eam elargiri?

Reſp. Dicendum eſt poſſe Metropolitanum in caſibus jure permiſſis abſolvere, non obſtante illa reſervatione facta per Epiſcopum Papæ; nam licèt talis reſervatio tollat ipſo facto poteſtatem abſolvendi vigore renunciationis factæ, non poteſt tamen præjudicare Metropolitano; quia, etſi valeat quis renunciare favori, vel juri ſuo, non tamen in alterius præjudicium, ut rectè ex Novario contra Campanili firmat Diana *par. 3. tract. 4. reſol.* 158. quibus calculum meum adjungo.

69 Inter. 16. Qui habet facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſt. reſervatis, poteſtnè etiam ab omnibus caſibus Epiſc. reſervatis?

Reſp. Nequaquam affirmari poteſt ſtante Conſt. Clemen. X. in qua oppoſitum approbatur.

70 Inter. 17. Teneturnè Epiſcopus, vel alius Superior, Facultatem abſolvendi a reſervatis, toties quoties opus fuerit, ac ſemper concedere?

Reſp. De rigore non tenetur; Verum eſt tamen, quod debet ſe facilem ad concedendam oſtendere, ut ait D. Thomas, cœterique Doctores.

71 Inter. 18. Poteſtnè committi facultas abſolvendi a reſervatis cuilibet Confeſſario indifferenter, & ſine diſcrimine?

Reſp. Poteſt a Superiore committi, tamen generaliter committenda non eſt niſi Viro ſcientia, ac prudentia prędito: Undè pro gravioribus peccatis, quæ reſervari ſolent, deputari non debent, niſi qui inter alios, ſunt doctiores, peritiores, ac ad id munus aptiores, ut ipſamet ratio docet.

72 Inter. 19. Qui habet facultatem ab Epiſcopo abſolvendi à caſibus reſervatis, poteſtnè illam alteri ſubdelegare?

Reſp. Non eandem facultatem alteri committere valet ſine expreſſa Epiſcopi licentia, quia delegatus ad nudum miniſterium non poteſt ſubdelegare: Verum in aliquo caſu particulari occurrente, ſi petatur ab eo facultas abſolvendi aliquem cum tali caſu reſervato, poteſt quidem tunc illam concedere inferiori confeſſario, ut pœnitentem abſolvat ab illo caſu; ſed hoc intelligo de illis confeſſariis, quibus ratione dignitatis, vel officii committitur generalis abſolvendi facultas à caſibus reſervatis, ut ſunt Vicarii Epiſcopi, etiam foranei, Pœnitentiarii majóres in Cathedralibus, & etiam alii, quibus ab Epiſcopo delegata eſt facultas ad univerſitatem cau-

ſarum

ſarum,ſcilicet abſolvendi à reſervatis, niſi tamen ſit privilegium perſonale, nempè ob ejus doctrinæ, vel prudentiæ prærogativam, nam tunc eſſet electa induſtria perſonæ,quæ ſubdelegari non poteſt.Ita reſolvunt Piaſecius in *praxi Epiſcop. par. 2. cap. 1. num.* 15. Riccius *in praxi fori Eccleſ. part.* 1. *reſ.* 419. *num.* 1. Zerula *in praxi pœnit. cap.*25.*quæſt.*17.*& in praxi Epiſc. par.* 1. *verbo Pœnitentiarius quæſt.* 4. Finellins *de caſibus reſervatis cap.* 9. *num.*11. Homobonus *de caſibus reſerv. par.* 1. *cap.* 5. & alii, qnos refert, & ſequitur Diana *par.*2. *tract.*17.*reſ.*53. quibus addo Cabrinum *de caſibus reſervatis par.* 1. *reſ.*36. qui benè addit, niſi aliam eſſeSuperioris delegātis voluntatem conſtet. Ideò vide illum, ſi non vis errare.

Quær. 1. An Prelati Regulares poſſint abſolvere ſuos ſubditos a caſibus Bullæ Cœnæ, & quid dicendum ſit de Epiſcopis?

Reſp. Nullo modo poſſe Prælatos Regulares abſolvere ab hæreſi externa occulta ſuos ſubditos, jam fuiſſe declaratum a Sacra Congreg. *die* 17. *Novemb.*1628. teſtatur Diana *par.* 1. *tract.*5.*reſ.*6.*& par.*3.*tract.*2.*reſol.*122. idemque affirmatLezana *tom.*1.*par.*1. *cap.* 18. *num.* 38. ubi præterea contra nonnullos aſſerit, neque poſſe abſolvere ſibi ſubditos a caſibus BullæCœnæ hæreſi exceptâ,& hoc quidèm puto tenendum, quidquid aliqui in contrarium dicant apud Dianam *par.* 3. *tract.* 2. *reſol.* 72. qui etiam prò hac noſtra ſententiâ plures Doctores refert,licèt ipſe nolit ſuum interponere judicium, tamen Bordonus penes Lezanam *ubi ſupra* cum Sygiſmundo de Bouonia, Naldo, Vecchio, Cruce, Sorbo,Tamburino,Zanardo,ac etiam Diana, firmat, nullatenus poſſe Prælatos Regulares abſolvere ſuos ſubditos à caſibus Bullæ Cœnæ, & hanc ſententiam puto veriorem, maximè propter præfatam Sac. Congreg. declarationem, quam per extenſum refert idem Diana *par.*8.*tract.*7. *reſ.*50. §. *ſed hanc doctrinam*, ubi expreſsè comprehenduntur etiam alii caſus, qui in Bulla Cœnæ continentur.Immò *par.* 10. *tract.* 17.*reſ.* 21. adducit quandam Epiſtolam Sac. Congreg. ſub Innoc X. directam adArchiepiſcopum Neapolitanum, exqua ſanè appare hanc noſtram ſententiam eſſe ſecundum ſtylum, & praxim Romanæ Curiæ; Nec obſtat ſi dicatur præfatam prohibitionem abſolvendi eſſe intelligendam in ordine ad Sæculares perſonas, non autem in ordine ad Règulares, quia reſpondetur cum Angelo a Lantuſca *in Theat. Regul. verb. caſus reſer. num.*2. *infin.* Semper ſtandum eſſe ſtylo curiæ. Vide ergò quæ dicam in *tit.*102.*de Hæreſi, & Hæreticis,ad Int.* 5.& P. Auguſtinum Matthæuccium *in Cautela Confeſſ. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 28. Ratio verò hujus noſtræ ſententiæ eſt, quia Papa in publicatione BullæCœnæ,quæ fit quolibet āno,cōmuniter derogat ōnibusprivilegiis,&facultatibusabſolvendi a caſibus & cenſuris in ea expreſsè nominatis ita quod nec Epiſcopi poſſunt ab illis abſolvere,ut docet Bonac.*de cen. diſp.* 2. *q.*5.*punc.* 2. *n.* 8. *& tom.* 3. *de cenſ. in part. diſp.*1. *quæſt.* 22. *punc.* 2. *num.*2. *&* 3. *&* 23. qnibus in locis plures Doctores prò hac ſententia refert, & ad objecta reſpondet. Idem docet Tolet. *lib.* 1. *cap.* 30. *n.* 2. *& cap.*41. *num.*7.Em.Sa *verb. Epiſcopus num.*27. Lezana *tom.* 3. *verb. Bulla cænæ à num.* 54. *&* 55. *& verb. caſus reſer. num.* 28. Immò *in verb. Bulla cænæ loco cit.* addit, & bene, quod oppoſita ſententia. etſi plurium Doctorum, tamèn parum tuta, aut ſecura ſit in praxi. Ergo hæc noſtra cum ſit conformis uſui,ac ſtylo curię Romanę,vera, ac tuta omninò cenſeri debet.Undè Paſſerin. *de elect. can. cap.* 26. *num.*51. efficaciter eam probat, & ſolidis fundamentis oſtendit, nec Prę-

latos

latos Regulares, nec Epiſcopos poſſe his temporibus ſuos ſubditos validè abſolvere ab hæreſi, & ab aliis caſibus in Bullâ cœnæ contentis. Verùm quid faciendum ſit in tali caſu, quo nec per privilegia, nec per Bullam cruciatæ, nec per Epiſcopum quis abſolutionem obtinere poteſt, docent idem Lezana *ubi ſupra in verb. caſus reſer. num.* 24. Diana *par.* 1. *tract.* 5. *reſ.* 4. Lanteuſca *loco cit. eodem verb. num.* 4. & ego *in tit.* 102. *de Hæreſi, & Hæreticis, ad Inter.* 6. Longum quidèm eſſet hic recenſere quod ibi dicimus; ideò non te tædeat conſulere ea loca indicata.

Quær. 2. An Confeſſarius poſſit abſolvere alterius Epiſcopi ſubditum, qui ob locutionem cum monialibus in propriâ Diœceſi contraxit excommunicationem occultam ſuo Epiſcopo reſervatam?

Reſp. Licèt hæc excommunicatio, quà eſt talis pœnitens innodatus, fuerit lata per ſtatutum, aut ab homine per ſententiam generalem, tamen quia eſt illi Epiſcopo reſervata, non poteſt relaxari, niſi ab eo, vel ejus ſucceſſore, vel delegato, ergo ſi talis pœnitens non ſit in articulo, aut in mortis periculo conſtitutus, à nullo alio Confeſſario poteſt abſolvi, quia excommunicatione non ablatâ, invalida eſt abſolutio; Nemo enim poteſt abſolvi à peccatis, antequam abſolvatur ab excommunicatione, tàm majori, quam minori, ut docent Doctores communiter, nàm excommunicatus, etiam occultus, eſt privatus ſuſceptione Sacramentorum: Nec relevat ſi dicatur, quod in Diœceſi Cōfeſſarii non ſit lata pœna excommunicationis contra alloquentes Moniales, nàm ſufficit, ut Confeſſarius ſciat prohibitionem ſub pœnâ excommunicationis factam ab Ordinario Pœnitentis, contra alloquentes Moniales in ſuâ diœceſi, & quod talis excommunicatio ſit ei reſervata; generalitèr enim excommunicatus in unâ Diœceſi, aut in unâ Eccleſia, eſt excommunicatus ubique locorum ut colligitur, *ex cap. curæ.* 11. *q.* 3. & docet Abbas *in cap. Paſtoralis n.* 18. *de appellat.* apud Toletum *lib.* 1. *c.* 11. *ſub num.* 7. itaque ex defectu juriſdictionis, nequit dictus Confeſſarius abſolvere à peccatis ſubditum alterius Epiſcopi, in cujus Diœceſi delinquendo excommunicationem reſervatam contraxit, neque bona fides pœnitentis ſuffragatur, dum ad Diœceſim Confeſſarii ſe transferat devotionis, aut negotiationis gratia, & non in fraudem, quia bona fides operatur dumtaxat, ut abſolui poſſit à reſervatis, non autem ab excommunicatione reſervatâ, cum tùm ratione domicilii tum ratione commiſi criminis ſemper dicatur ſubditus ſui Epiſcopi, ideoque ſine ejus facultate ab excommunicatione liberari non poteſt. Caſus autem reſervati non prohibentur abſolvi, ſi pœnitens non accedat in fraudem reſervationis, & dummodò Confeſſarius non ſit in ſuâ Diœceſi prohibitus ad abſolvendum, nam reſervatio non eſt pœna, ſicuti eſt excommunicatio, quæ quidem abſolvi non poteſt, niſi cum licentiâ Superioris, qui illam tulit, quapropter abſolutus in articulo, ſeù periculo mortis, ſi convaleſcat, omninò ad obediendum tenetur ſe præſentare ſuo Superiori, & ſi non obediat, ob illud peccatum inobedientiæ, incidit in excommunicationem eodem modo reſervatam, ut erat illa, ſuper quâ fuerat abſolutus, ut alibi dixi, & tradunt Doctores communitèr. Ergo non eſt eadem ratio de peccatis reſervatis, ac de cenſurâ, nam prò reſervatis non tenetur comparere, benè tamèn prò cenſura, à quâ fuit abſolutus, & ideò habet onus ſe præſentandi cum primum poterit, ut ſatisfaciat Eccleſiæ, & congruam medicinam recipiat: Ex quâ doctrinâ ſatis colligitur non poſſe

Confeſſarium abſolvere pœnitentem alterius Epiſcopi Subditum ab excommunicatione, quam contraxit alloquendo moniales ſine debitâ licentiâ, etiãſi ad eum accedat bona fide, quia tam ipſe, quam Epiſcopus pœnitentis, æqualem, aut diverſam auctoritatem haberent, unus ſcilicet ligandi, alter verò abſolvendi, unus imponendi pœnam, alter relaxandi, unus prohibendi, alter contemnendi præceptum, quod eſt abſurdum aſſerere. Vide *cap. Nuper de ſenten. excom.* ubi loquitur de excommunicatione nemini reſervatâ, quæ poteſt à quolibet Confeſſario abſolvi, Ergò ſecus dicendum eſt, quandò eſt Superiori reſervata. Hanc ſententiã ſuſtinuit olim perdoctè, & in ſcriptis amiciſſimus, & Rev. P. Abbas Magnonus Canonicus Regularis Lateranenſis à me nunquã ſatis laudatus, in cujus gratiam ego etiam hæc breviter ſcripſi.

TITULUS VII.

De Accuſationibus, & proteſtatione in illis.

Vide titul. de Denuciation. ad Quæſ. tit. de Homicid. Int. 6. tit. de Judicib. Int. ult. tit. de Præl. reg. Int. 28. tit. de Quer. ſubd. reg. Int. 1. tit. de Regul. &c. Int. 54. tit. de Teſtib. &c. tit. de Uxor. Int. 1. 2.

73 INter. 1. Quam pœnam incurrunt Clerici, & Laici accuſantes aliquẽ apud Judicẽ in causâ Sãguinis?

Reſp. Eccleſiaſtici prohibentur accuſare aliquem apud Judicem Sæcularem, quandò agitur de pœnâ mortis infligendâ à Judice proptèr tale delictum, de quo eſt accuſatus, habetur *ex cap. Sententiam ſanguinis, nè Clerici, vel Monachi*, ubi Gloſ. ſic ait, *Clerici prohibentur* [illegible]*mnia illa, ex quibus ſequitur, vel* [illegible]*ui poteſt vitæ amiſſio, vel ſangui*[illegible]*uſio*; colligitur etiam *ex cap. Poſt*[illegible]*ſi, de homic. cap. Prælatis eodem titulo in 6.* Itaque tam Clerici, quàm Laici accuſantes aliquẽ in causâ ſanguinis, ſecuta morte, vel mutilatione, fiunt irregulares *cap. penul. de homic. in 6. Covar. in Clem. 1. de homic. par. 2. §. 5.* & alii communiter. Verum eſt tamen, quod irregularitas, quæ contrahitur à Laicis dicitur ex defectu lenitatis; quæ autem contrahitur à Clericis dici poteſt ex delicto, quia ipſis prohibitum eſt accuſare, non verò Laicis. Vide Bonac. *de cenſu. diſp. 7. quæſt. 4. pun. 2. num. 1. & ſeqq.* Lezanam *tom. 2. verb. Accuſare num.* 18. ſed hoc intelligendum eſt, quandò accuſant aliquem petendo vindictam, & non, ut dicetur in ſequenti Reſponſione.

74 Inter. 2. Fitne irregularis, qui accuſat, vel denunciat aliquem in criminibus dignis morte, non petendo vindictam, ſed ſolum ſatisfactionem, vel intereſſe ſibi debitum?

Reſp. Minimè, ſed debet proteſtari, quod non intendit pœnam mortis, vel ſanguinis. Ità pluribus relatis firmat Bonac. *loco cit. num.* 3. & teſtatur de communi, & colligitur *ex cap. Prælatis 2. de homic.* quod per extenſum refert Lezana *ubi ſupra num. 18. in fin.* Vide Cajet. 2. 2. *quæſt. 33. artic. 7. Navar. cap. 27. num.* 213. & alios penes Lezanam. Ità etiam non fiunt irregulares Clerici, aut Laici, ſi præmiſſa proteſtatione accuſant alterum pro damno illato ſuis domeſticis, aut ità conjunctis, ut injuria illorum per conſequentiam aliquo modo ipſorum accuſãtium cenſeatur. Layman. *lib. 3. de juſt. tract. 3. par. 3. cap. 7. aſſert. 5. num.* 5. & alii apud Bonac. *num.* 4. Lezana *loco cit. num.* 19. & alii plures quos refert, & ſequitur Diana *par. 4. tract. 2. reſ.* 33. Prætereà poteſt Clericus ſivè præmittat proteſtationẽ, ſive poſponat illam poſt accuſationem, modò antè ſententiam proteſtetur ſe non intẽdere mortem, & non habere affectum ad homi-

cidium,

cidium, vel mutilationem, poteſt, ut dixi, accuſare etiam injuſtum damnificatorem ſuæ Eccleſiæ, aut ſuorum ſubditorum, vel ad evitandum grave damnum innocentis, vel Reipublicæ, quandò alitèr tale damnum impedire non poſſit. Vide præcitatos Doctores, à quibus plura haberi poſſunt ad intentum, vide infra *in hoc titulo Inter. 7.*

75 Inter. 3. Proteſtatio debetne fieri, quandò quis accuſat aliquem apud Judicem Eccleſiaſticum de crimine pœnâ mortis digno?

Reſp. Neceſſaria non eſt, & conſequentèr fieri non debet, quia *cap. Prælatis de homic. in 6.* ſolum dicit neceſſariam eſſe, quandò penes Judicem Sæcularem fit depoſitio criminis; ultra quod Judex Eccleſiaſticus non poteſt imponere pœnam ſanguinis, & licèt tradat Reum brachio Sæculari, tamèn non per hoc dicitur concurrere ad mortem, & ita nec accuſator. Suarez *de cenſ. diſp.* 47. *ſect.* 2. *num.* 18. Naldus *in Sum. verb. Irregularitas num.* 11. Cornejo apud Lezanam *ubi ſupra num.* 19. & alii communiter.

76 Inter. 4. Qui omittit proteſtationem ex oblivione in cauſa criminis morte digni, incurritnè irregularitatem ſecutâ morte?

Reſp. Qui ex oblivione, vel inadvertentiâ non proteſtatur, ut ſupra, &c. licèt excuſetur à peccato, tamen irregularitatem incurrit ex defectu lenitatis, ſed non ex delicto. Ita ex Sayro, & aliis docet Bonac. *de irregul. diſp.* 7. *quæſt.* 4. *pun.* 2. *num.* 8.

77 Inter. 5. Incurritnè irregularitatem qui juſtè accuſat aliquem, præmiſsâ proteſtatione ficto animo, ſcilicèt interius deſiderando vindictam, & ſanguinem?

Reſp. Navar. *in Man. cap.* 27. *num.* 226. Sylveſter. *verb. Homicidium* 2. *quæſt.* 8. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 86. *num.* 5. & alii, quos dat, & ſequitur Bonac. *ubi ſuprà num.* 11. dicunt quod non incurrat, & ratio horum eſt, quià proteſtatio ficta tantum valet apud Judicem ignarum fictionis, quantum valeret ſi ex animo, & non fictè fieret, tum etiam quia in textu nulla fit mentio alicujus intentionis interioris, ſed ſolum exterioris proteſtationis, ergo cum ſimus in materiâ odioſâ, & pœnali, benigniorem partem amplecti debemus. Ità etiam tenent Suarez, & Cornejo apud Lezanam eo *tom.* 2. *verb. Accuſare ſub num.* 19. tamen ipſe Lezana, licèt dicat hoc eſſe probabile, putat quod oppoſitum in praxi conſulendum ſit propter auctoritatem Doctorum oppoſitum ſentientium, & rectè quidem.

78 Inter. 6. Quomodo debet fieri proteſtatio coram Judice, apud quem deponitur querela, & debetnè fieri in ſcripto?

Reſp. Non eſt neceſſe, quod fiat in ſcripto, ſed poteſt fieri ſolâ voce, dicendo ſic, vel ſimilibus verbis. *Domine peto cures mihi ſatisfactionem, vel reſtitutionem exhiberi ab ipſo, qui mihi damnum intulit, proteſtorque me nulla ratione intendere mortem, pœnam ſanguinis, vel mutilationem illius.* Ità colligitur *ex cap.* 2. *de Homicidio in 6.* & docet Bonac. *loco cit. num.* 9. Lezana *ibidem*, & alii penes ipſos.

79 Inter. 7. Poſſuntnè dari aliqui caſus, in quibus Clericus excuſetur ab irregularitate, accuſando alium de crimine, etiam non præmiſſâ proteſtatione?

Reſp. Certò dari poſſunt, ut aſſerunt Bonac *ſupra num.* 7. & Lezana *verb. Accuſare num.* 20. & alii. Primus eſt quandò crimen, de quo accuſat, eſt adeò leve, ut Reus non ſit dignus morte, vel mutilatione; nihilominus Judex pro ſuâ malitiâ, vel ignorantia illum condemnat ad mortem; tunc enim non Accuſator, ſed Judex cenſetur cauſa efficax mortis. Secundus eſt quandò ipſe Clericus accuſat de re levi aliquem, & poſteà in carcere conſtitutus, propter alio-

D 2 rum

rum accuſationes damnatus eſt morte. Et hocverum eſt, quando non potuit prævidere illud periculum. Tertius quando accuſat ad vitandum grave damnum innocentis, vel Reipublicæ; nam tenetur in tali caſu ex charitate, vel juſtitiâ accuſare delinquentem, ſi non poſſit damnum imminens alio modo impedire. Denique quandò petit ſatisfactionem ſibi debitam dumtaxàt, non verò vindictam, ſed in hoc caſu debet ſe proteſtari, quod non intendit pœnam ſaguinis, etiamſi poſteà ſequatur, eamque certò ſecuturam præviderit, non fit irregularis, ut dixi ſupra *in hoc eodem titulo ad Inter.* 2.

80 Inter. 8. Quid eſt conjuratio, & conſpiratio, & debentnè admitti conjuratores, & conſpiratores ad denunciandum, accuſandum, vel teſtificandum?

Reſp. Conjuratio eſt multorum ſimul juratio, & contingit quando aliqui Rebelles auctoritate in unum ſe colligendo, juramenta in ſe dederunt *cap. ſiqui Clericorum* 11. *quæſt.* 1. Conſpiratio importat idem ſine juramento, nam hæc duo pro eodem crimine accipiuntur, ut patet *ex cap. conjurationum* 11. *qu.* 1. Eſt autem conſpiratio quædam fraudulenta confederatio facta in præjudicium alicujus perſonæ, vel dignitatis. *cap. ſiquis laicus* 22. *quæſt.* 5. Conjuratio, & conſpiratio aliquando poteſt eſſe licita, & illicita; unde ſi aliqui conjurant, aut conſpirant in unum, quod de ſe eſt bonum, vel ſaltem non malum, tunc dicitur licita, ut ſi Canonici conſpirent de non parendo Epiſcopo excommunicato, vel non eligendo indignum &c. Si verò conjurant, ut rebellent Prælato, vel obedientiæ, & hujuſmodi, dicitur conjuratio, vel conſpiratio mala, & illicita, eſtquæ peccatum mortale. Colligitur *ex cap. petitio veſtra de jurejurando*, & ibi Panormitanus *num.* 2. In dubio autem, an ſit licita, vel illicita, ſemper præſumitur mala, & illicita ſecundù Innocentium, & alios, quos refert, & ſequitur Sylveſter *verb. Confraternitas*, ubi loquitur etiam de conjuratione, & conſpiratione. Omnis igitur conjuratio, vel conſpiratio, ut plurimum damnabilis eſt, præcipuè contra Clericos, & Religioſos. Et eſt adeò gravis hæc culpa, ut conſpiratores audiendi non ſint, utpotè infames; deducitur *ex cap. Conſpiratores* 3. *quæſt.* 4. & *cap. conjurationum* 11. *quæſt.* 1. ac proindè repelluntur ab accuſatione, denunciatione, & teſtimonio ferendo contra quem conſpiraverunt. Gloſ. *in cap. Conſtitutionem de verborum ſignific. in* 6. & jura ibi citata. Vide infra ad *Inter.* 11. *tit.* 220.

81 Inter. 9. Si quis dixerit Confeſſarium Confeſſionem revelaſſe, ille verò neget, vel ſe quidem aliquid dixiſſe fateatur, ſed negat ſe illud per Confeſſionem habere; cui in tali caſu probandi onus incumbit?

Reſp. Generaliter loquẽdo, onus probandi, ſemper incumbit actori, ſeù accuſatori; Undè quandò, id quod apponitur Confeſſario, vel à pœnitente, vel à tertia perſonâ non conſtet, & Confeſſarius non ſit convictus, aùt non ſit confeſſus, cæteris paribus præſumendum eſt in favorem Confeſſarii, eſtque abſolvendus, cum non ſit illi minùs credendum, quàm aliis. Si verò Confeſſarius dixerit; ſe quidem aliquid dixiſſe; ſed negat illud per Confeſſionem habere, tunc ipſe docere tenetur, aliundè illud ſe habuiſſe, aliàs præſumptio eſſet contra ipſum, ut patet *ex cap. placuit* 6. *quæſt.* 2. licèt non debeat puniri pœnâ ordinariâ, ſed arbitraria, quia non apertè convincitur. Vide Sylveſ. *verb. Confeſ.* 3. *num.* 5. qui pro hac ſententiâ refert Hoſtienſem, Panormitanum, & Riccardum. Item de hac re vide Dianam *par.* 5. *tract.* 11. *reſ.* 25.

reſ. 29. qui ut ſemper ſolet plures Doctores cumulat ità rectè ſentientes, quos Judices Eccleſiaſtici in caſu contingenti videre poterunt,& præſertim Facundez *par.* 2. *lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 10.

82 Inter. 10. Qui capit furem, vel alium Malefactorem ſuæ utilitatis, vel defenſionis cauſa, & illum tradit, vel indicat Judici, ſitne irregularis, ſi Judex illum ad mortem condemnet?

Reſp. Si præmiſsâ proteſtatione, quòd non intendit, ut deveniatur ad pœnam ſanguinis id faciat, certò non fit irregularis, licèt Judex ad illam deveniat. Ità habetur *in cap. Prælatis de Homicidio in* 6. Vide Toletum *lib.* 1. *cap.* 86. *num.* 3. & ego jam dixi *ſuprà in hoc tit. ad Inter.* 1. Verùm ad vitandam irregularitatem in foro conſcientiæ, oportet, ut ei diſpliceat, quòd Judex procedat ad dictam pœnam; ſi enim ei placet,licèt ſit proteſtatus, in foro conſcientiæ irregularitatem incurrit, ut dixi *etiam in hoc tit. ad Inter.* 5. *in fine* & docent plurimi Doctores apud Dianam *par.* 4. *tract.* 2. *reſ.* 75. licèt alii oppoſitum ſentiant. Vide Tolet. *ubi ſupra n.* 5. pro hac noſtra ſententia.

TITULUS VIII.

De Adoratione.

Vide tit. de Papa &c. Inter. 1. *tit. de Simul. Inter.* 2. 3. *tit. de Superſt. Inter.* 1.

83 INter. 1. Quid, & quotuplex eſt adoratio?

Reſp. S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 84. *art.* 1. ait, quod àdoratio eſt exhibitio reverentiæ propter excellentiam, cui exhibetur, ſeù, ut dicunt alii, quos refert Bonac. *de præcept. decalog. diſp.* 3. *quæſt.* 1. *punt.* 1. Adoratio eſt actus, quo unus alteri ſe ſubmittit, vel alterum honorat in recognitionem ipſius excellentiæ. Adoratio verò eſt triplex, ſcilicèt una latriæ,quæ debetur Deo ob increatam excellentiam; alia eſt Duliæ,& debetur Sanctis ob perfectionem creatam; tertia denique dicitur Hiperduliæ, quæ debetur Beatiſſimæ Virgini ob ejus excellentiam, quâ reliquos Sanctos antecellit. Vide S. Thomam 2. 2. *quæſt.* 103. *art.* 3. & 4. & alios Doctores, quos refert, & ſequitur Bonac. *loco ſupracit. punt.* 1. *per totum*, & Caſſianum à S. Elia *in Arbor. opin. moral. verb. Adoratio* §. 1. *num.* 1. & *num.* 5.

84 Inter. 2. Viri probi in hoc mundo, & poſt ipſorum mortem, poſſuntnè licitè adorari, ſi nondum relati ſunt in numerum Sanctorum ab Eccleſia?

Reſp. Proculdubio multi homines viventes propter ipſorum Sanctitatem,& excellentiam digni ſunt honore, & adoratione in hoc mundo, & poſt mortem etiam licitè adorari poſſunt; quamquam in Catalogum Sanctorum nondum à Summo Pontifico ſint relati: ſed cum hac limitatione, non publicè, ſed privatim adorandi ſunt, videlicèt ex privatâ, & peculiari devotione colentis; non autem nomine Eccleſiæ, & tanquàm ab Eccleſia, ut Sancti nobis declarati. Duplex eſt enim cultus, unus dicitur privatus,qui non exhibetur tanquam inſtitutus ab Eccleſia, neque nomine Eccleſiæ; alter dicitur publicus, & ſolemnis, & hic non ideò dicitur talis, quod coram aliis exibeatur; ſed quia defertur tanquam inſtitutus ab Eccleſia, & nomine Eccleſiæ. Itaque poſſumus licitè cultu privato tales hônes juſtos colere,& adorare; licet nobis certò non conſtet ipſos eſſe Sanctos: nam *in cap. fin. de Reliquiis, & vener. Sanctorum* prohibemur hujuſmodi Sanctos publicè adorare, & ideò à contrario ſenſu videtur illos privatim adorare eſſe permiſſum. Ità ex Sanchez, Azorio, & aliis

aliis docet Bon. *ubi ſupra pun.* 2. ubi plura videri poſſunt ad intentum. Vide etiam Lezanam *tom.* 3. *verb. Sanctorum cultus num.* 1. *&* *num.* 5. *&* *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 12. *num.* 40.

85 Inter. 3. Quid licet, & minimè prohibetur faciendum circà adorationem hujuſmodi virorum, qui ex hac vitamigrarunt cum famâ, vel opinione Sanctitatis, vel martyrii, & quid non licet, & eſt expreſsè prohibitum?

Reſp. Dico primò licère illos privatim vocare Sanctos; ſed in Concionibus ab hujuſmodi appellatione abſtinendum eſt. Eorum imaginem in domibus depingi, retineri, & coli non eſt prohibitum: ſed non poteſt exponi in templo, vel in Altari, niſi fortè cauſa ornatus cum aliis imaginibus, ſcilicèt Pontificum, Imperatorum, Regum, Patronorum &c. abſque tamen laureolis, radiis, vel ſplendoribus. Item eorum reliquiæ retineri poſſunt, & oſculari, etiam in aliorum præſentiâ, dummodò ſcandalum abſit; non licet tamen dictas Reliquias publicé venerandas proponere, aut Altaria, vel Cappellas ipſis dedicare: nec privatim, nec publicé in Litaniis, divino officio, aut in Miſsâ illos invocare, neque licet inſtituere publicum feſtum, aut publicum jejunium, vel votum publicum in die Sancti, nondum canonizati; quamvis liceat in die natalis ejuſdem, prætermiſſis operibus ſervilibus, operam dare Spiritualibus in ipſius memoriam, vel ei votum offerre, in ejus vigiliâ jejunare, etiamſi alii hoc ſciant. Dico ſecundò, Urba. VIII. in generali Congregatione S. Officii *die* 4. *Aprilis* 1625. tres præcipuas actiones prohibere in caſu noſtro, prima eſt ne quis imagines illorum proponat cum laureolis, radiis, vel ſplendoribus, nec illos apponant in Eccleſiis quorumcumque, tàm Sæcularibus, quàm Regularibus, Oratoriis, vel aliis locis publicis, vel privatis antequam canonizentur, vel Beati declarentur à Sede Apoſt. Secunda actio eſt, ne libros continentes illorum geſta, miracula, revelationes, vel beneficia, tanquam ipſorum interceſsionibus obtenta, imprimantur ſine recognitione, & approbatione Ordinarii. Tertia actio denique eſt, ne tabellas, aut imagines ex cerâ, aut aliâ materiâ ad eorum ſepulchra appendantur, vel affigantur, aut lampades, vel lumina accendantur, niſi factâ ab Ordinario recognitione, eâque approbatâ à Sede Apoſtolicâ. Hæc omnia libavi ex Bonac. *loco proximè cit. pun.* 2. & Lazana *verb. Sanctorum cultus tom.* 3. *à num.* 6. *uſque ad num.* 8. *incluſivè*, qui alios concordantes referunt. Vide iterum Lezanam *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 12. *num.* 39. *&* 40. & Caſsianum à S. Elia *in Arbor opin. moral. verb. Adoratio* §. 2. *n.* 20. *&* *ſeqq.*

TITULUS IX.

De Adulterio.

Vide tit. de Confeſ. Sacr. Inter. 12. *tit. de Deb. conjug. Inter.* 2. 3. *tit. de Divort. Inter.* 5. 6. 7. 8. 10. 12. *tit. de Fornic. Inter.* 1. *tit. de Homicid. Inter.* 4. 5. *tit. de illegit. Inter.* 1. *tit. de Infam. Inter.* 2. *tit. de Irreg. Inter.* 7. 8. 9. *tit. de Met. Inter. ult. tit. de Reſt. accep. Inter.* 12. *tit. de Reſt. dam. Inter.* 1. 2. 4. 5. 6. *tit. de Sac. Matrim. Inter.* 13. 14. *tit. de Val. Sac. Matrim. Inter.* 8. 9. 10. *tit. de Uxor. Inter.* 1. 2. 3.

86 INter. 1. Uxoratus, qui habet copulam cum conjugata, committitnè unum, aut duo Adulteria?

Reſp. Duo Adulteria committit, ideò utrumque in Confeſſione explicare tenetur, quia facit injuriam propriæ Uxori, & Marito conjugatæ, cum quâ peccavit. Bonac. *de Matr. diſp.* 6. *pun.* 15. *à num.* 5. *&* *alii ab ipſo rel. Vide ad Inter. ſequentem.*

87 Inter. 2. Quid eſt Adulterium, & quotupliciter poteſt committi?

Reſp.

Reſp. Adulterium eſt acceſſus ad alienum torum,ſeù violatio alieni tori,eſt enim illicitus concubitus cum conjugata,vel è contra,& ideò tripliciter poteſt committi;primo, quando conjugatus congreditur cum fœmina ſoluta,2. quando conjugata congreditur cum ſoluto 3.quando uterque,qui copulam habet, eſt matrimonio junctus,& quia duplex torus violatur, & duobus fit injuria, ideoque talis circumſtantia aperienda eſt in confeſſione,ut dixi *ad Int.præcedẽ*.Imò aliquādo Adulterium cum ſtupro conjungitur,& eſt quando conjugatus rem habet cum Virgine,quod etiam explicari debet in cõfeſſione.Vide Tolet.*li.5. c.11.n.2.*Bon.*de Matr.q.6.pu.15.n.1. & 3.& de Sac.diſ.5.q.5.ſect.2.pu.3.§.3. diffic.3.n.11.* & eſt comunis ſententia.

88 Inter. 3. Adulter teneturnè aliquid reſtituere Marito propter adulterium commiſſum cum ſuâ Uxore?

Reſp. Licèt Adulter peccet contra juſtitiam violando alterius torum, quia privat Conjugem Jure ſuo, & utitur re alienâ invito Domino; ad nullam tamen reſtitutionem pecuniarum tenetur, quia peccat ſolùm contra juſtitiam ratione injuriæ datæ abſque omni damno, in quo caſu,& ſimilibus non requiritur alia reſtitutio, niſi quædam ſatisfactio, quæ conſiſtit in petitione veniæ à patiente injuriam, & oſtendere ei ſigna doloris, & ſimiles actus, quando tamen injuria ſit nota patienti, ſcilicet Marito adulteræ, & quando putari poteſt eum deſiderare, & velle talem ſatisfactionem. Vide Stephanum à Sancto Gregorio *de contr. lib. 1. cap. 11. num. 7.* qui plura congerit ad hoc propoſitum.

89 Inter. 4. Poteſtnè licitè Rex, aut alius Princeps abſolutus, ſine ullâ citatione, aut proceſſu Uxorē deprehenſam cum adultero interficere?

Reſp. Circa tale dubium decertant inter ſe Card. de Lugo *de Juſt. tom. 2. diſp. 37. ſect. 5. num. 52,* & Boſſius *tom. 1. tract. 1. tit. 1. §. 29. num. 910.* ut videre eſt apud Dianam *par. 10. tract. 15. reſol. 34.* Negat de Lugo, ſed affirmat Boſſius, cui adhæret Diana ibidem. Imò probat, quod quando delictum eſt occultum,ut non poſſit juridicè probari, ſaltem plenè, ſcitur tamen à Principe, queat Princeps rationabili causâ exiſtente condemnare Delinquentem abſque juridicâ probatione per Teſtes,& abſque citatione rei. Vide ergò Dianam, qui plures affert rationes pro hac tuendâ Sententiâ, quæ quidem eſt probabilis, ſervato tamen quantum fieri poteſt ordine charitatis ad ſalutem animæ occidendi, & ut certò conſtet Principi de delicto, & aliis tribus,ità ut juridice probari poſſet; nam quando crimen ità eſt probabile, nullam habet juſtam defenſionem, & Princeps diſpenſare poteſt ſuper lege humanâ requirente citationem rei, & proceſſum.

TITULUS X.

De Æmulatione.

90 INter. 1. Cajus videt hominem doctum, & triſtatur, non quia ille ſit doctus, ſed quia ipſe doctrina caret, aut videt, ſibi æquales habere bona temporalia, & triſtatur ſe non habere ſicut illi habent, ut familiam poſſit ſubſtinere,peccatnè Cajus in tali caſu?

Reſp. Hæc triſtitia Caii non eſt propriè Invidia, ſed æmulatio quædam, quia tam doctrina, quàm bona temporalia ſunt ei proportionata, & ob bonum finem illa deſiderat, nullo modo peccat, ſi triſtatur de illis bonis, non quatenus in altero ſint, ſed quià eis ipſe caret.DD. Communiter. Vide Bonac. *de præcept. decal. diſp. 3. quæſt. 4.pun.ult. §. 2. ſub num. 1.*

91 Inter. 2. Peccatnè mortaliter Titius,qui triſtatur, & dolet quod Sempronius aſſecutus ſit Beneficium, illud ſibi cupiens?

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Si Titius triſtatur, non quatenus Sempronius adeptus eſt Beneficium; ſed quia eo ipſe caret, illud ſibi optando ad bonum finem, non peccat, quia non eſt triſtitia inordinata pertinens ad Invidiam, cum non doleat de bono illius, quatenus eſt diminutivum propriè excellentiæ, ſed ſolùm, quia videt ſe eo deſtitutum, ſecus autem ſi intenderet Sempronii injuriam, & damnum, nam eſſet peccatum odii, vel quatenus eſt diminutivum proprii boni, quod propriè eſſet peccatum Invidiæ. Bonac. *loco ſup. cit.*

TITULUS XI.

De Aetatibus ad Diverſa Munera requiſitis.

Vide tit. de Electione &c. Inter. ult. tit. de Jejun. Inter. 26. 27. 28. tit. de Jub. Inter. 3. 9. tit. de Poru. mat. Inter. ult. tit. de Patrin. Inter. 4. tit. de Puer. tit. de Regul. Inter. 55. tit. de Sac. Ord. Inter. 6. tit. de Sep. par. Inter. 1. 2. tit. de Teſt. &c. Inter. 7.

92 INter. 1. Cujus ætatis debet eſſe Monialis, ut eligi poſſit in Abbatiſſam, seù Prioriſſam?

Reſp. Dico debere eſſe quadraginta annorum ætatis, & octo poſt expreſſam profeſſionem, ſi autem his qualitatibus non reperiatur in eodem Monaſterio, ex alio ejuſdem Ordinis eligi poteſt, ſed ſi hoc Superiori videatur incommodum poteſt eligi cum Ordinarii licentia una ex iis, quæ in eodem Monaſterio annum trigeſimum exceſſerit, & quinque ſaltem annos profeſſionis habuerit. Ità habetur in Concilio Trid. *ſeſſ.* 25. *de Regular. cap.* 7. & tradunt Suarez. *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 7. Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 26. *num.* 3. *& alii*; Dicunt præterea, quod defectus dictarum conditionum, non reddat electionē nullam, aut irritam, ſed ad ſummum irritandam, ſed Aldanus apud Barboſam *in collect. Tridentini loco cit. à num.* 9. aſſerit Sac. Congreg. in Viterbien. 16. Maii 1623. decidiſſe, Electionem Abbatiſſæ, quæ ætatem 40. annorum requiſitam non habebat, ſi in Monaſterio non deerant aliæ Moniales quadragenariæ, atque habiles, licèt non adeo idoneæ, ſicuti electa, nullam eſſe, ac irritam. Nota tamen ſecundum aliquos, prædicti 40. anni non requiruntur completi, ſed vide Dianam *par.* 7. *tract.* 12. *reſ.* 9. ubi oſtendit oppoſitum; nempè 40. annos debere eſſe completos, & ità puto tenendum.

93 Inter. 2. Quam ætatem, & conditiones debet habere, qui aliquod Beneficium ſimplex exoptat?

Reſp. In primis quoad ætatem ſufficit, quod habeat 14. annos inceptos. Vide Conc. Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 6. Em. Sà *verb. Beneficium num.* 30. Secundò debet eſſe Clericus, ſaltem primâ Tonſurâ initiatus, ac nullo Canonico impedimento irretitus, ſcilicet non irregularis, excōmunicatus, ſuſpenſus, & hujuſmodi. Tertiò debet eſſe dignus, quod conſiſtit in ſcientia, morum rectitudine, & aptitudine ad officium. Quartò denique unum tantū beneficium habere debet, nec alterum accipere, nec retinere poteſt abſque diſpenſatione. Vide Toletum *lib.* 5. *cap.* 79. *&* *cap.* 81. *num.* 3. ubi ſic inquit. *Nullus deinceps poteſt habere plura beneficia, etiam ſine cura quocumque modo, nec etiam ad commendam perpetuam, niſi cum unum ad ſuſtentationem, pro ratione perſonæ, loci, & temporis non ſufficit.* Dixi ſupra ſufficere, ut habeat 14. annos inceptos, ſcilicèt non completos, quia ſic referunt fuiſſe deciſum plures Doctores, quos allegat, & ſequitur Barb. *in collect. in Trident. loco ſupra cit. num.* 2. Vide eundem Barboſam

de poteſt.

Digitized by Google

de poteſt. Epiſc. par.3.alleg.6. num.75.

94 Inter. 3. Poteſtné Epiſcopus diſpenſare, ut quis ante annum 14. Beficium ſimplex obtineat?

Reſp. Dicendum eſt, quod non poſſit id facere, & ita deciſum fuiſſe in Sac. Congregatione referunt Azorius, Novarius, Armendarix, Riccius, & alii, teſte Barboſa *in Collect. Trident. ſeſſ. 23. de reform. cap. 6.n.8.* Immò ſecus faciens Epiſcopus mortaliter peccaret, & collatio Beneficii nulla eſſet omninò. Vide eundē Barb. *de poteſt. Epiſc. par. 3. alleg. 60.n. 75.*

95 Inter. 4. Æetas 14. annorum ſufficitné ad obtinendum Canonicatum in Eccleſia Collegiata, & poteſtnè habere vocem in Capitulo?

Reſp. Sufficere referunt deciſum Gonzalez *in reg. 8. Cancell, Gloſ. 5. num. 91. & alii*, quos refert Barboſ. *in tract. de Canonicis cap. 13. num. 14. & in Trident. loco proximè cit.num.4. & ibidem num. 5.* aſſerit ætatem 14. annorum requiri ad obtinendam dimidiam portionem in Eccleſia Cathedrali, nec tales dimidias portiones habere annexum ordinem Sacrum & ita teſtatur deciſum Gonzalez *dicta Gloſ. 5. num. 39.* quem affert idem Barboſ. *in tract. de Canonic. cap. 13. num. 17.* Verùm licèt in Collegiata Canonicus poſſit eſſe 14. annorum, ut dixi, tamen niſi ſit ætate 22. nō poteſt habere vocem in Capitulo. Barboſa *in collect. Trident. ſeſſ. 22. cap. 4.n. 5.*

96 Inter. 5. Ad Cardinalatum, & Papatum quænam ætas requiritur?

Reſp. Omnia circa ætatem, natalia, ſcientiam, vitam, & mores requiſita in eo, qui eſt Cardinalicia dignitatate decorandus, ſtatuit Syſtus V. in ſua Conſt. incip. *Poſtquam verus, de Anno* 1595. ibique §. 6. decernit in Diaconum Cardinalem aſſumi poſſe illum, qui ſaltem vigeſimo ſecundo ſuæ ætatis anno fuerit conſtitutus Vide Barboſ.*in collect.Trident .ſeſſ. 24. de reform. cap. 1. nu. 6. & 7.* Itaque ad Cardinalatum requiritur ætas, ut intra annum poſſit promoveri ad eum Ordinem, ad quem deſtinatur, ut probat Marchinus *de Sac.Ordinis tr. 1. par. 5. cap. 2. num. 23.* apud Dianam *pa. 10. tract. 16. reſ. 86. verſ. Et tandem*, ubi idem Diana ex eodem Marchino reſolvit, quod nulla pro Summo Pontifice à Jure determinata ætas requiſita ſit, ſed eo ipſo, quo à duabus partibus Cardinalium fuerit electus, qui aliàs jure naturali, & divino ſpectato aptus fuerit ad Eccleſiam Dei gubernandam, electio valida perſiſtat.

97 Inter. 6. Quænam ætas requiritur in eo, qui ad Dignitatem, cui animarū cura ſubeſt, promoveri deſiderat?

Reſp. Ad Dignitates quaſcumque, quibus animarum cura ſubeſt, nemo promoveri poteſt, *niſi ſaltem* 25. ætatis ſuæ annum attigerit *cap. cum in cunctis de elect. §. Inferiora, cap. licet eodem. tit. in 6.* Moronus *reſp. 97. num. 32.* & alii ab ipſo relati. Vide Barboſ. *in collect. ad Trident. ſeſſ.24. de reformat.cap.12. num.1.* ubi ex Aldano refert deciſum, ætatē incipere à die nativitatis non autem à die Baptiſmi, & ſufficere dictum 25. ætatis annum inceptū; Verum ſi nondum hunc attigit annum, ſine diſpenſatione non poteſt retinere beneficium, nec fructus percipere, ut benè notat Toletus *lib.5.cap.1.ſub num. 5.* Et Emm. Sà *verb. Benef .n. 9.* Nota tamen quod ad Epiſcopatum requiruntur 30. anni completi, ut dicā *in tit.de Epiſ.ad In.3.*

98 Inter. 7. Pro dignitatibus, vel perſonatu, quibus animarum cura nulla ſubeſt, quænam ætas requiritur?

Reſp. Ad Dignitates, vel perſonatus in Cathedralibus, quibus nulla ineſt Animarum cura, excepto tamen Archidiaconatu, de Jure communi requiritur ætas viginti duorum annorum completorum, & ita ſæpe fuiſſe à Sac. Congregatione deciſum refert Garzia *pa.7.de Beneſ.ca.4.n.70.*

& hanc ſententiam tanquam veriorem amplexi ſunt Barboſa *de poteſt Epiſc. par. 3. alleg. 60. num. 66.* Diana *par. 10. tr. 16. reſ. 86. verſ. ſed his non obſtantibus*, & alii penes ipſos: Quare audiendi non ſunt, qui docent ſufficere annum 22. eſſe inceptum, præſertim ſtantibus deciſionibus Sac. Congreg. à Garzia relatis. Immò prædicti 22. anni, qui deſiderantur ad dignitates in Cathedralibus, requiruntur etiam ad dignitates, quæ ſunt in Collegiatis, ut docent, & deciſum referunt Garzia *loco ſupra cit. num. 59. & 62.* & Armendarix *lib. 7. de Epiſcopis num. 2.* licèt oppoſitum dicant Barboſ. *ubi ſupra num. 67.* Gonzalez *ad regul. 8. Cancell. Gloſ. 9. num. 29.* Piaſcecius *in praxi Epiſc. par. 2. cap. 5. numer. 25.* & alii, quos allegat idem Barboſ. *in collect. ad Triden. ſeſſ. 24. de refor. cap. 12. num. 13.* & Em. Rodriquez *in Addit. ad Bullam compoſit. num. 4.* teſtatur Chriſtopharum Vellam Archiepiſcopum Burgenſem contuliſſe cuidam Scholaſtico ætatis 17. annorum dignitatem Scholaſticæ Eccleſiæ Collegiatæ de Aguilar de campo, & lite mota, judicatum eſſe collationem fuiſſe canonicam, & juridicam. Vide Barboſ. *loco proximè cit. num. 13.* & Dianam *par. 10. tr. 16. reſ. 86. §. Verum* qui contra Caſtropalaum hanc ſuſtinet ſententiam. Vide etiam ſuprà *ad Inter. 4. hujus Tituli,* Lezanam *tom. 2. verb. ætas num. 9.*

99 Inter. 8. Quænam ætas ſufficit pro obtinenda penſione?

Reſp. Emm. Sà *verb. Beneficium num. 30.* docet nullum poſſe, nec beneficium, nec penſionem ante 14. annum inceptum obtinere, & hoc aſſerit ex Conc. Trident. *ſeſſ. 23. de ref. cap. 6.* & ex declaratione. Sac. Congreg. Cancilii, & ita etiam ſentiunt alii, quos refert Barboſ. *in collect. ad Trident. loco cit. num. 9.* licet ipſe reſolvat cum Riccio, Gonzalez, Graziano, & Novario ad penſionem obtinendam ſufficere ætatem ſeptem annorum, quia diſpoſitio Conc. Trid. non procedit de penſionibus, ſed Beneficiis. Tamen ſi conſtat authenticè de deciſione Sac Congreg., non eſt recedendum ab ea. Vide Lezanam *tom. 2. verb. ætas num. 9. & infrà in tit. 166. ad Inter. 2.*

100 Inter. 9. Ad contrahendum matrimonium, quænam ætas de Jure requiritur, & quid dicendum eſt quando malitia ſupplet ætatem?

Reſp. Ad contrahendum matrimonium requiritur ætas, quæ ad generationem ſit apta, undè in maribus requiruntur anni 14. in fœmina verò 12. habetur *cap. de illis 2. de ſponſ. impub.* Sed hoc intelligendum eſt, niſi malitia ſuppleat ætatem. Ortus autem pilorum, & menſtruorum ſunt ſigna pubertatis, Immò ſecundum Medicos menſtrua ſola arguunt pubertatem in muliere, quæ ſi incipiat habere, eſt apta ad generationem, & ſic quando malitia ſupplet ætatem, nempè ſi maſculus ante 14. annos, & fœmina ante 12. habent coeundi potentiam, quæ interdum malitia appellatur, poſſunt ſimul in matrimonium copulari; nam quando certis indiciis oſtenditur, puerum, aut puellam ante dictam ætatem diſcretionem, & pubertatem, ſivè carnalis copulæ potentiam aſſecutos fuiſſe, à matrimonio repellendi non ſunt; quià quando adeſt potentia generandi, & ſufficiens diſcretio ad ſe obligandum, validè ante dictam ætatem contrahere poſſunt matrimonium, ut docent Sylveſter *in ſum. verb. matrimonium 5. quæſt. 3.* Lancellottus *Inſtit. juris can. tit. de ſponſ. lib. 1. verſ. non proximi fol. 191.* Layman *tom. 2. lib. 5. tract. 10. cap. 12. per totum.* Bonac. *de matrim. quæſt. 1. pun. 4. propoſ. 2.* Diana *in ſum. verb. matrimonium num. 18.*. Vide Navar. *conſ. 39. de ſponſ. per totum*, ubi plura ad intentum reperiuntur. Vide etiam

Em.

Digitized by Google

Em. Sà *verb. matrimonium n.* 7. Dianam *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 277. *in fine*, & Fagnanum *in cap. de illis de deſponſ. Impub. num.* 47. *& ſeqq.*

101 Inter. 10. Peccantnè mortaliter, vel venialiter ante ætatem legitimā matrimonium contrahentes?

Reſp. Paludanus, quem ſequitur Sylveſter *loco proximè cit. num.* 6. *in fine*, dicit, quod peccant mortaliter ſi ſine juſta cauſa, vel licentia Epiſcopi matrimonium contrahunt ante legitimam ætatem, nec matrimonium eſt valium, niſi ſint potentes, ut dictum eſt in precedenti reſponſione, ſed ſolum ſponſalia. Vide *cap.* 14. *de ſponſ. impub.* & Em. Sà *verb. matrim. n.* 8. ubi concludit ſic. *Nec ſequens copula facit matrimonium ante contractum Impuberum validum, niſi adſit conſenſus, ſaltem tacitus utriuſque;* & ante ipſum docuit idem Sylveſter. *ubi ſuprà ſub num.* 8. Vide Dianam *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 276.

102 Inter. 11. Quænam ætas requiritur pro ſuſcipienda prima Tonſura, & Ordines minores, atque majores?

Reſp. Ad primam Tonſuram, & tres minores, requiruntur ſeptem anni completi, ad Accolitatum duodecim: Ad Subdiaconatum autem requiruntur viginti duo anni incepti, ad Diaconatum viginti tres, & ad Sacerdotium viginti quinque item incepti. Ità habetur ex Trident *ſeſſ.* 23. *de reform. cap.* 4. 11. *&* 12. & docent DD. communiter. Vide Em. Sà *verb. Ordo num.* 20. 21. *&* 22. Bonac. *de Sacram. diſp.* 8. *quæſt. unica pun.* 5. *n.* 12. & Fornarium *de Ordine cap.* 3. *num.* 5.

103 Inter. 12. Quidam bona fide fuit ordinatus ante legitimā ætatem, remanetnè ſuſpenſus; & celebrando fitnè irregularis, vel ſolum irregularitatem incurrit, ſi adveniente mala fide celebret?

Reſp. Pœna ſuſpenſionis appoſita per Pium II. eſt ſolum contra præſumentes, ſed qui credit ſe habere ætatem legitimam non dicitur præſumere, conſequenter ſuſpenſionem non incurrit, neque irregularitatem, ſi celebrat, & hoc eſt verum, etiam adveniente mala fide; quia dum non eſt ſuſpenſus à principio, irregularitatem minimè incurrere poteſt celebrando, ut per ſe patet, quamvis mortaliter peccet. Vide Portellum *in dub. Regul. verb. Ordines Sacri num.* 13. Mirandam *in man. tom.* 1. *quæſt.* 36. *art.* 6. Suarez *de cenſur. tom.* 5. *diſp.* 31. *ſect.* 1. *num.* 20. Peyrinum *de Privil. minimor. in conſt.* 1. *Julii II.* §. 16. *num.* 29. & præſertim Dianam *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 182. Bonac. *loco proximè cit. ſub num.* 13. & Fornarium *de Sac. Ordinis cap.* 8. *num.* 2. Vide infrà in *tit.* 197. *ad Inter.* 6.

TITULUS XII.

De Affinitate.

Vide tit. de Sac. Matr. Inter. 15. 16. 17.

104 Inter. 1. Quid eſt Affinitas?

Reſp. Affinitas, ut docent Doctores communiter, eſt propinquitas perſonarum proveniens ex carnali copula licita, vel illicita.

105 Inter. 2. Quotuplex eſt Affinitas?

Reſp; Eſt duplex, quia una oritur ex copula licita, ſcilicet Matrimonii, quæ extenditur uſque ad quartum gradum incluſivè, altera naſcitur ex copula illicita, ſcilicet fornicaria, quæ tamen non excedit ſecundum gradum, ut dicam ad Inter. ſequentem Vide Bonac. *de Matrim. q.* 3. *pun.* 12 *num.* 1. & eſt communis ſententia.

106 Inter. 3. Per copulam licitam, & per copulam fornicariam contrahiturnè eodem modo impedimentum affinitatis?

Reſp. Non eodem modo, quia per copulā licitam cōtrahitur uſque ad ad quartum gradum, per illicitam verò uſ-

rò uſque ad ſecundum incluſivè. Em. Sà *verb. Imped. dirim. n.* 13. nam ad ſecundum gradum reſtricta fuit affinitas ex fornicaria copula à Concilio Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 4. *de reform.* Toletus *lib.* 7. *cap.* 15. *ſub num.* 1.

107 Inter. 4. Affinitas dirimitnè Matrimonium, vel tantùm impedit?

Reſp. Abſque dubio dirimit, cum affinitas ſit unum ex impedimentis dirimentibus, ſecundum omnes DD.

108 Inter. 5. Oriturnè affinitas per Matrimonium ratum, & non conſummatum?

Reſp. Minimè, quia non ſit una caro per illud, donec conſumetur ſaltem à Viro; Oritur tamen ex eo impedimentum publicæ honeſtatis. Diana *par. 6. tr. 8. reſ.* 25. & alii plures apud ipſum. Vide Em. Sà *verb. Imped. dirimen. num.* 12. *&* 13. *ubi ait,* quod ad contrahendam affinitatem requiritur ſeminatio viri intra vas fœminæ, & verbo Affinitas idem aſſerit cum Navar. *Vide tit.* 163. *ad Inter.* 9.

109 Inter. 6. Contrahiturnè affinitas, ſi Vir in fine copulæ extrahat membrum genitale, & ſemen foras emittat, aut per actum ſodomiticum?

Reſp. Minimè contrahitur affinitas, niſi per copulam intra vas naturale fœminæ cum ſeminatione ſaltem Viri, undè excluditur ſola penetratio vaſis fœminæ, vel etiam conjunctio ſodomitica, ſeù quivis alius actus luxuriæ; nam ad contrahendam affitatem requiritur ſanguinum cōmixtio & quod fiat una caro, & denique, quod ex copula carnali generatio ſequi poſſit; & ità docent DD. communiter Vide Navar. *cap.* 12. *num.* 41. Tolet. *lib.* 7. *cap.* 15. *ſub num.* 1. & Em. Sà *verb. Affinitas. Vide ad Inter.* 11. *in hoc titulo.*

110 Inter. 7. Contrahiturnè Affinitas, poſito, quod ſolus vir intrà naturale vas Fœminæ ſemen emittat, vel requiritur etiam Fœminæ ſeminatio?

Reſp. Magna quidem difficultas eſt iſta, ideò vide quæ dicam *tit.* 243. *ad Inter.* 7. & Doctores ibidem citandos, Quidam enim ad contrahendam Affinitatem, & ad Prolis generationem juxtà Medicorum ſententiam utrumque, tam viri, quàm fœminæ ſemen dicunt eſſe neceſſarium; Sed juxtà communiorem, & veriorem ſententiam Theologorum, illa dicitur perfecta copula, & ſufficiens ad generationem, & ad affinitatem contrahendam, in quà ſolùm Vir intrà clauſtra pudoris fœminei ſeminat, ergò ad contrahendam affinitatem, fœminæ ſeminatio non requiritur, ut rectè docet Sylv. *in Sum. verb. Matrimon.* 8. *quæſt.* 15. Em. Sà *verb. Affinitas*, & alii quos citat, & ſequitur Cabrinus *de caſ. reſerv. par.* 2. *caſ.* 5. *annot.* 5. *num.* 14. Nam per ſolam viri ſeminationem gigni affinitatem probabilius eſt, & tenendum. Vide Bonac. *de Matrim. qu.* 3. *punc.* 13. *n.* 13. Sanchez *de Matrimon. lib.* 7. *diſp.* 64. & alios apud ipſos.

111 Inter. 8. Oriturnè Affinitas ex copula, in qua ſola fœmina ſemen emittit?

Reſp. Minimè, quia ſemen fœmineum non eſt ſufficiens ad generationem, & ad ſanguinis commixtionem, ſicut ſufficiens eſt ſeminis virilis emiſſio. Bonac. *eo num.* 13. & Cabrinus *par.* 2. *caſ.* 5. *annot.* 3. *num.* 7. & alii communiter.

112 Inter. 9. Quando ſit commixtio ſeminum in copula, ſed pudoris clauſtra non franguntur, contrahiturnè affinitas?

Reſp. Maximè, ratio eſt, quia ex illa commixtione, generatio ſequi poteſt, & conſequenter contrahitur affinitas. Sylveſter *in Sum. verb. Matrimon.* 8. *quæſt.* 15. Em. Sà *verb. Affinitas, & alii communiter.*

113 Inter. 10. Oriturnè Affinitas ex copula habita cum fœmina invita, vel dormiente?

Reſp.

Reſp. De hoc minimé eſt dubitandum, quià ex tali copula certò ſequi poteſt generatio, & commixtio ſanguinis, & habetur *cap. diſcretionem, de eo, qui cognovit conſaguineam uxoris*, & docent DD. communiter, teſte Bonac. *de Matrim. quæſt. 3. punc. 13. num. 17.*

124 Inter. 11. Quid requiritur ad contrahendam Affinitatem, tàm ex copula licita, quam illicita?

Reſp. Requiritur, quod copula ſit perfecta, & intra vas fœminæ naturale conſummata, nam ratio ob quam ex copula naſcitur Affinitas, eſt quia per eam vir, & fœmina fiunt una caro. Undè quia non efficiuntur una caro, niſi per copulam intra vas naturale fœminæ conſumatam, quæ ſimùl ad Prolis generationem ſufficit, ideò ad contrahendum Affinitatem requiritur copula perfecta intra vas naturale fęminæ conſummata; Ità Navar *in Man. cap.* 22. *num.* 42. Tolet. *lib. 7. c.* 15. *nu.* 1. Sanch. *de Matrim. lib. 7. diſp.* 64. *num.* 8. Bonac. *loco ſupra citato num.* 12. & eſt communis ſententia. Vide igitur ea, quæ dixi *ad Inter.* 5. *&* 6. hujus tituli, & quæ dicam *tit.* 112. *ad Inter.* 3. *& tit.* 163. *ad Inter.* 9.

115 Inter. 12. Inter Virum, & Uxorem, contrahiturnè affinitas?

Reſp. Non contrahitur, ſed naſcitur ab eis. Ita tradunt DD. communiter.

116 Inter. 13. Quos effectus producit Affinitas ſuperveniens matrimonio jam contracto?

Reſp. Dico, quod Conjux, qui commiſit Inceſtum cum conſaguinea alterius Conjugis, in primo, vel ſecundo gradu, privatur jure petendi debitum conjugale ſi ſcienter commiſit Inceſtum cum affine, ideſt cum conſanguinea alterius Conjugis, & prohibetur (altero Conjuge defuncto) matrimonium cum aliis contrahere, etiamſi inceſtus ſit occultus, ſiquidem propter Inceſtum contraxit unum ex impedimentis impedientibus; quod ſi eo mortuo ducat uxorem, vel reſpectivè maritum, peccat mortaliter, & abſque diſpenſatione, debitum petere non poteſt. Ità pluribus relatis firmat Bonac. *de Matrim. diſp. 3. pun.* 12. *num.* 20. *& pun.* 14. *n.* 10. Verum, qui cognovit conſaguineam ſuæ uxoris in primo, vel ſecundo gradu, tenetur reddere debitum alteri petenti, quia non debet innocens damnum pati ob culpam alterius &c.

117 Inter. 14. Affinitas extinguiturnè morte Perſonæ, ex qua contracta eſt?

Reſp. Non extinguitur, ſed durat ſemper. Ità S. Th. *quæſt.* 55. *artic.* 3. *in Addi. ad* 3. Sà *verb. Affinitas*, & eſt ſententia communiter recepta.

TITULUS XIII.

De Alienatione bonorum Eccleſiæ.

Vide tit. de Reliq. Sac. Inter. 4.

118 INter. 1. Quidam Superior localis Regularium urgente neceſſitate Monaſterii indigentis, ſcilicet victu, & veſtitu pro ſuis Religioſis, de licentia ſui Capituli, ſed ſine licentia Sac. Congregationis oppignoravit quædam vaſa argentea, nempè lampades, & candelabra, quæro an incurrerit pœnas contra alienantes bona Eccleſiaſtica impoſitas?

Reſp. Suppono eſſe notum non poſſe alienari dicta bona Eccleſiæ, aut oppignorari, non ſolum ſi ſint immobilia, ſed etiam mobilia pretioſa, quæ ſervando ſervari poſſunt ultra triennium, ut ſunt vaſa aurea, argentea, gemmæ, caſſulæ pretioſæ, tapetes, item quæcumque triennio non corrumpuntur, & ſimul fructificant, ut ovium grex, Caprarum &c. Copioſa bibliotheca librorum, multitudo arborum ferentium, vel non ferentium fructum, quià hæc omnia quoad æſtimatio-

matio-

mationem comparantur inter immobilia,& prohibitum eſt alienari ſub pœna excommunicationis, privationis Officiorum, vociſque activæ, & paſſivæ, & inhabilitatis ad alia &c. ut videri poteſt *in Extravaganti* Pauli II. quæ incipit *Ambitioſæ*, & in Decreto Sac. Congregationis apud Lezanam *to.* 1. *par.* 1. *cap.* 10. *num.* 1. *& ſeqq. & tom.* 2. *verb. Alienatio num.* 3. 4. *&* 5. Reſpondeo itaque ad præfatum dubium, & dico, nullam pœnam incurriſſe Superiorem in dicto caſu, quià poſita urgente neceſſitate Monaſterii, ut præfertur, eſt unus ex caſibus à Jure permiſſis, in quibus licita eſt alienatio ſinè ulla Sedis Apoſtolicæ licentia, vel Sac. Congregationis, de quibus agit idem Lezana *dicto cap.* 10. *ſub num.* 4. Quaranta *in Sum. Bullar. verb. Alinatio rerum Eccleſiæ num.* 24. *limita.* 7. Filliucius *tom.* 3. *tract.* 44. *cap.* 5. *num.* 11. & tandem vide Peyrinum *in Formulario littera* A *cap.* 11. *num.* 3. qui rectè probat poſſe Regulares abſque conſenſu Sac. Congregationis,& abſque incurſu cenſurarum res pretioſas in pignus tradere, ſeù pecunias ad cambium ſumere, ſi aliter non reperiant, & etiam dato, quod tradito pignore non recipiant pecunias, vendere poſſint dictas res pretioſas,immò, & immobilia, quando tamen tam urgens ſit neceſſitas, ut expectare non poſſint licentiam Sacræ Congregationis. Vide ipſum, qui certò optimè ad intentum concludit. Vide etiam Dianam *par.* 5. *tract.* 13. *reſ.* 6. qui putat contra Peregrinum, neque neceſſariam eſſe in dicto caſu licentiam Epiſcopi, etiamſi commodè haberi poſſit.

119 Inter. 2. Sub nomine bonorum Eccleſiæ,quæ prohibentur alienari ab Epiſcopis, Parochis, Beneficiatis, & Regularibus &c. ſine licentia Sac. Congregationis, quid intelligitur?

Reſp. Intelligitur de bonis, quæ dicuntur corporalia, ut ſunt bona immobilia, prætioſa, quæ ſervando ſervari poſſunt, ac etiam de bonis, quæ dicuntur incorporalia, quæ ſunt veluti actiones, Jura, nomina debitorum, & ſervitutes, ut docet Bonac. *in tract. de alienatione diſp.* 2. *q. unica. pun.* 2. *ſub num.* 2. Item intelligitur de pignoratione; Unde ſicuti res Eccleſiæ alienari non poſſunt, neque etiam poſſunt oppignorari propter eandem rationem, & tandem, ut omnia unico verbo concludam dico, quod in Extravaganti *Ambitioſæ* Pauli II. ſic habetur *Omnium rerum, & bonorum Eccleſiaſticorum, omneque pactum per quod ipſorum dominium transfertur, conceſſionem, hypotecam, locationem, & conductionem ultrà triennium, necnon infeudationem, vel contractum emphyteoticum, præter quam in caſibus Jure permiſſis, ac de rebus, & bonis in emphyteuſim ab antiquo concedi ſolitis, & tunc cum Eccleſiarum evidenti utilitate, ac de fructibus, & bonis, quæ ſervando ſervari non poſſunt pro inſtanti temporis exigentia, hac perpetuò valitura Conſtitutione fieri prohibemus.* Vide Lezanam *tom.* 2. *verb. Alienatio num.* 3. & Bonac. *tom* 3. *diſp.* 2. *qu.* 4. *punct.* 11. *n.* 3. *&* 4. & alios *in verb. Alienatio*.

120 Inter. 3. Alienatio facta cum hac conditione, ſalvo Summi Pontificis conſenſu, valeat, nondum obtento beneplacito Apoſtolico.

Reſp. Doctores communiter docent non valere teſte Bonac. *de contract. diſp.* 3. *qu.* 8. *punct.* 4. *num.* 7. *verſ. caveant, & tom.* 3. *diſp.* 2. *qu.* 4. *punct.* 11. *num.* 11. & ratio eſt, quià proteſtatio eſt contraria facto, & etiam quià aſſenſus Superioris debet actum præcedere, cum ſit de illius forma, unde qui bona Eccleſiaſtica vendit, aut alienat cum dicta conditione, excommunicationem, & alias pœnas contrà alienantes incurrit, ſaltem ſi bona tradat antequam beneplacitum

citum Apoſtolicum obtineat, ſed circà tale dubium ne deſeras videre Dianam *par.* 1. *tract.* 8. *reſ.* 77.

121 Inter. 4. Clericus in Sacris conſtitutus poteſtnè ſine licentia ſui Epiſcopi alienare Patrimonium, ad cujus titulum fuit Ordinatus, ſi aliquod acquiſivit Beneficium, vel alia bona ſufficientia pro victu?

Reſp. Magna lis eſt inter Doctores an requiratur licentia Epiſcopi in dicto caſu, ut videre eſt apud Barboſam *in Collect. ad Trident. ſeſſ.* 21. *de reform. cap.* 2. *num.* 63. & apud Dianam *par.* 9. *tract.* 8. *reſ.* 23. qui tandem ſuam profert ſententiam dicens, & probans alienationem patrimonii factam abſque licentia Epiſcopi eſſe illicitam, etiamſi promotus de novo habeat ſufficiens Beneficium, vel congruam ſubſtentationem, & hoc ſibi probabilius videtur, licet oppoſitum, quod docet etiam Bonacin. *de ſac. diſp.* 8. *quæſt. unica punct.* 5. *num.* 41. ſit probabile. Dicendum eſt igitur Epiſcopi licentiam neceſſariam eſſe ad Patrimonium alienandum, quamvis dictus Clericus Beneficium Eccleſiaſticum, vel alia bona ſufficientia pro victu adeptus fuerit, nam ad Epiſcopum pertinet judicare poſt diligens examen de tali ſufficientia, qua exiſtente pro dicti Patrimonii alienatione ſuum debet præſtare conſenſum. Rationes prò hac probabiliori ſententia vide ſi lubet apud Ugolinum *de officio Epiſc. cap.* 26. §. 13. *n.* 4. *verſ. obviam*, *Barboſ. ubi ſupra*, & *par.* 2. *alleg.* 19. *num.* 9. & Dianam *loc. cit.*

122 Inter. 5. Qui Patrimonium ad quod fuit ad ordines promotus abſque Epiſcopali licentia vendit, permutat, obligat, aut aliquo modo alienat, incurritnè ſuſpenſionem, & eſt ne valida dicta alienatio?

Reſp. Turrianus, & Gordonus apud Dianam *par.* 5. *tract.* 10. *reſ.* 57. dicunt, quod qui renunciat Patrimonio poſt ſuſceptum Ordinem Sacrum graviter peccat ſi non habet unde vivere poſſit, tamen ſuſpenſionem non incurrat, & hoc mihi non diſplicet, quia reverà habebat titulum, quando fuit ad Ordines Sacros promotus, ſuſpenſio autem eſt impoſita contrà ſuſcipientes Ordines Sacros ſine titulo, ut docent quidam, quos ego infrà citabo *in tit.* 158. *ad Inter.* 4. ubi tamen oſtendã nullam ſuſpenſionem incurrere ipſo jure, ergo &c. Vide Bonac. *de ſac. diſp.* 8. *quæſt. unica pun.* 5. *num.* 19. & *ſeqq.* An verò valida ſit dicta alienatio Patrimonii, antequam habeat unde vivere poſſit, vel non, diſſenſio eſt inter Doctores; Probabilior autem ſententia docet nullam eſſe, ut colligitur *ex Trident. ſeſſ.* 21. *de reform. cap.* 2. prohibente dictam alienationem ſub *verb. Nullatenus*, quod tollit potentiam alienandi, & reddit actum nullum ex Gloſs. *in Clem.* 1. *verb. Nullatenus de ſequeſtrat. poſſeſſ.* & *in Auth. ſi qua mulier verb. Nullatenus C. ad Senatus Conſul. Vellejanum*, & ex verbo non poſſit, quod etiam inducit nullitatem, utpotè quod omnem potentiam ad actum aufert, teſte Bart. *l. Cum lex num.* 6. & 7. *ff. de fidejuſſoribus*, *Jaſon. l. Frater à Fratre num.* 44. *verſ. tertia difficultas ff. de condict. indebiti*, & pluribus aliis exornat Sanchez *lib.* 6. *de matrim. diſp.* 38. *num.* 20. & hanc ſententiam docent plures Doctores apud Barboſam *in Collect. ad Triden. ſeſſ.* 21. *de reform. cap.* 2. *num.* 60. 61. & 62. quibus addo Navar. *in man. cap.* 27. *num.* 158. & Em Sà *verb. ordo nu.* 26. & alios penes Dianam *par.* 9. *tract.* 8. *reſ.* 23. *verſ. Verum hi non obſtantibus* tamen ipſe favet Adverſariis, dicens oppoſitum eſſe probabile: ſed hanc noſtram Sententiam probabiliorem vocat, ideòque ab ea diſcedendum non eſt, ſed firmiter adhærendum, Vide Barb. *ubi ſupra*, & *de poteſtat. Epiſc. par.* 2. *alleg.* 19. *num.* 77. Sanchez

Digitized by Google

chez *loco cit. diſp.* 32. *num.* 7. Avilam *de cenſu par.* 3. *diſp.* 5. *dub.* 5. *concluſ.* 2. Præpoſitum *in* 3. *par. qu. unica de Sac. Ordin. dub.* 18. *num.* 178. & alios, quos refert Barboſ. *locis citatis*, Vide etiam Bonacin. *in tract. de alienat. diſp.* 2. *qu. unica punct.* 2. *num.* 28. *&* *tom.* 3. *diſp.* 3. *qu.* 1. *punct.* 8. *num.* 22. & Tolet. *lib.* 1. *cap.* 38. *num.* 16.

123 Inter. 6. Sub quibus pœnis, & cenſuris eſt prohibita alienatio rerum, & bonorum Eccleſiæ?

Reſp. Sub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, tàm contra eum qui alienat, quàm contra illum qui alienatas res receperit, modo alienans non ſit Epiſcopus, vel Abbas, nam ſi Pontificali, vel Abbatiali præfulgeat dignitate ab ingreſſu Eccleſiæ interdicitur, & ſi per tres menſes in interdicto permanſerit, ſuſpenſus remanet à regimine, & adminiſtratione Eccleſiæ, vel Monaſterii, cui præſidet in temporalibus, & ſpiritualibus: Alii verò Prælati inferiores, ſuis officiis, & dignitatibus ipſo facto abſque ulla declaratione privati ſunt. Tandem contra Regulares eſt impoſita etiam pœna privationis vocis activæ, & paſſivæ, officiorum omnium, & perpetuæ inhabilitatis ad illa inpoſterum obtinenda, quam ipſo facto abſque alia declaratione incurrunt ex Decreto Sac. Congregationis Concilii *die* 7. *Septembris* 1624. juſſu Urbani VIII. edito. Vide Bonac. *de alienatione diſp.* 2. *quæſt. unica pun.* 1. *n.* 1 *&* 8. Lezanam *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 10. *num.* 1. *& ſeqq. & tom.* 2. *verb. Alienatio num.* 19. 21. *&* 22.

TITULUS XIV.

De Apoſtatis à Religione.

Vide tit. de Eccleſ. Immunit. Inter. 16.

124 INter. 1. Eſtnè cenſendus apoſtata Religioſus, qui diſcedit à Conventu ſine licentia, animo tamen ſe præſentandi Superioribus, ut ab injuſta vexatione, aut gravaminè ſublevetur?

Reſp. Non ſolum non eſt Apoſtata, ſed neque fugitivus, dummodò agatur de cauſa gravi, non de levi, ut docent communiter Doctores reſte Andrea à Madre Dei *in Curſu Theol. Moral. tom.* 4. *tract.* 5. *cap.* 5. §. 1. *num.* 125. eſt enim ab iniqua vexarione ſe ita liberare, quando aliud non ſuppetit remedium eam evadendi, ſiquidem fugere non dicitur, qui ad ſuperiorem vadit. Ità Emm. Sà *verb. Fuga*; Sanchez *in Sum. lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 13. *&* 17. Azorius *par.* 1. *lib.* 12. *cap.* 8. *num.* 11. *quæſt.* 7. *&* S. Bonac. *ubi infra*, Angelus à Lantuſca *in Theat. Regul. verb. Appellatio num.* 8. & alii mox citandi. Neque hoc eſt contra Concil. Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 4. *de Regul.* & ibi Barb. *num.* 9. *in collect. Doctorum*, ubi citat Doctores ad ſatietatem, & Emm. Sà *verb. Religio n.* 51. ſic inquit. Non obſtat Concil. Trident. Ei, qui fugit nimis ſæviente Superiore, idem docet Diana *par.* 3. *tract.* 2. *reſ.* 56. *in fine*, Peyrinus *tom.* 2. *de ſubdito quæſt.* 1. *cap.* 20. *verſ. Addunt.* Vide Bonac. *de Clauſura diſp.* 2. *pun.* 11. §. 1. *num.* 9. Lezanam *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 4. *num.* 34. *& cap.* 11. *num.* 11. *& cap.* 16. *num.* 8. *&* 9. *& tom.* 2. *verb. Appellat. n.* 27. *&* 28. Ubi obiter loquitur de Religioſo, qui poſito gravamine Romam petit, Theſaurū *de pœnis par.* 2. *verb. Relig. cap.* 5. *ver. limita, & ca.* 7. *prope fin.*, ubi refert exēplum de S. Antonio de Padua, qui fugit, & Romam venit, Panimollam *tom.* 2. *deciſ.* 84. *aduot.* 3. *num.* 22. *&* 23. Dianam *par.* 3. *tra.* 2. *reſol.* 115. & alios penes ipſos. Et tandem hoc colligitur *ex cap. Dilecti filii* 2. *de Appell.* ubi dicitur, quod adire Superiorem ob injuſtum gravamen habet vim appellationis. Tandem vide etiam Caſſianum a S. Elia *in Arbor. Opin. Moral. verb. Acceſſus* §. 3 *n.* 77. *& ſeqq.* & Barb. *in collect. Triden. ſeſſ.* 25. *cap.* 4. *n.* 9. Nec ab Ordinario vigore Trid. *ſeſſ.* 25. *de Reg. cap.* 9. debet incar-

Digitized by Google

incarcerari,aut puniri,ut docent Dian. *par.3. tract.2.reſ. 56.* & Lezana *tom.1. par.1. cap. 11.ſub num. 11.* ſi abſque licentia repertus fuerit.

125 Inter. 2. Eſtne cenſendus Apoſtata Religioſus in dicto caſu, ſi dimiſſo habitu incedat, nè detegatur, aut comprehendatur in via, vel alia juſta de cauſa?

Reſp. Dico quod non, quia ratio Apoſtaſiæ non conſiſtit præcisè in habitus dimiſſione, nam poteſt quis deferre habitum, & eſſe apoſtata, & ècontra,cum reverà ille dicatur apoſtata,qui diſcedit animo deferendi ſtatū Religioſum,aut diſcedit intentione non amplius redeundi. Bonac. *loco cit. num.* 1. Lezana *tom.1.par.1.cap.16. num.* 7. & eſt communis. Non officit igitur in dicto caſu habitus Religionis dimiſſio, quia id prudenter aliquando fieri poteſt, ut quoties v. g. timetur aliquod grave damnum eventurum. Favent huic Reſponſioni Emm. Sà *verb. Religio num.* 71. Portellus *in dub. Regul. verb. Habitus n.3.* Diana *par. 3. tract. 2. reſ.* 115. *verſ. Non deſinam.*Bonac. *tom. 3. de cenſur. diſput. 2. quæſt.8. pun. 6. num.* 15. ubi ſic ait. Excuſatur Religioſus, qui cauſa defenſionis famæ, vel ad præcavendum ſcandalum, & pravam ſuſpicionem, habitum Religionis dimittit. Vide Caſſianum à S. Elia *loco ſupra cit.*, qui ex Azorio firmat,ut diximus, & tandem Theſaurum ubi ſupra ita aſſerentem. Poteſt tunc Religioſus, habitum dimittere, ſi aliter non poteſt ſibi conſulere. Idem docet Peyrinus *loco proximè cit. quæſt.* 1. *cap.* 20. Nec incidit in excommunicationem latam *in cap. 2. ut Periculoſa, de Religioſis domibus*, contra temerè habitum Religionis dimittentes, quia non temere, ſed juſta ſubſiſtente cauſa, ut ſuppono, habitum Religionis dimittit, modò recto tramite ad Superiorem ſe transferat: ſunt enim aliquando ita indiſcreti, & parum charitativi aliqui Superiores, ſe ipſos potius paſcentes, quam ſubditos, ut miſeris miſera ſit agenda vita, niſi his jurium fulcris ſubſtententur. Peyrinus *ubi ſupra quæſt.* 1. *cap.* 20. *verſ. Addunt.*

Quær. An Apoſtatæ à Religione ſint de hæreſi ſuſpecti, Et quaspœnas incurrant?

Reſp. Si tranſeunt ad partes hæreticorum, & cum eis communionem habent, ſunt quidem de hæreſi ſuſpecti, dummodò tamen aliquid addant, quod ſapiat hæreſim, ut eſt eorum conciones audire, habitum Religioſum lacerare,eumque pedibusconculcare,& quid ſimile agere in contemptum Religionis Catholicæ. Itèm quoties Apoſtata per annum in excōmunicatione inſordeſcit,& poſtquàm eſt declaratus excommunicatus adhuc perſiſtat cum pertinacia,& animi perverſitate non curat ad Religionem redire, eſt de hæreſi ſuſpectus, & tanquàm talis debet ad S. Officium denunciari, & poteſt ab Inquiſitore citari ad dicendum quid ſentiat de fide &c. Ità pluribus relatis firmat D. Meus Dandinus *de ſuſpec.de hæreſi cap.ult. ſect. 1.num.* 23. *& ſeqq.* quibus addo Dianam *par. 4. tra. 7. reſ. 3. §. Quærò igitur*, qui citat Zanardum, Sanctarellum,& Peyrinum *de privil.Minim. in conſt. 1. Pauli V.* §.2. *num.* 13. *tom.* 2. Idem docet Lantuſca *in Theat. Regul. verb. Apoſtata num.* 3. & alii ab ipſo relati. *Vide cap. Excommunicamus 1. & cap. cum contumacia de hæret.in 6.* Tandem omnes tranſuntes ad Judæos, Saracenos, Idololatras, vel hæreticos, etiamſi id faciant, non animo relinquendi fidemCatholicam, ſed ex libidine, deſperatione &c. itidem de hæreſi ſuſpecti cenſētur,ut docet Lezana *tom. 3. verb. Hæreſis n.* 4. Quas verò pœnas incurrant Religioſi apoſtatæ, refert idem Lezana *tom. 1. par. 1.cap. 16. num.*12. *&* 13. ſed inter alias eſt excommunicationis pœna,

na, quià deponendo habitum Religionis temerè, cum aſſumptione vitæ Sæcularis, ipſo jure ſunt excommunicati, *in cap. ut periculoſa ne Cler. vel Mon. in 6.* & docent Armilla *verb. Apoſtata num. 6. verb. Excom. 53. & verb. habitus num. 2.* Sylveſt. *verb. Apoſtata num. 11.* Em. Sà *verb. Religio num. 75.* Tolet. *lib. 4. cap. 18. n. 4.* & alii paſſim; Ac etiam ex peculiari Statuto, Regula, vel Conſtitutione aliquarum Religionum, ut loquens de ſua, teſtatur Lantuſca *loco cit. num. 1.* & ego de mea idem dico, ut videre licet *in 4. part. noſtrarum Conſtitutionum cap. 14. ſub num. 1.* Tandem Apoſtatæ à fide ſunt etiam irregulares. *cap. Presbyteros diſt. 50.* Et puniendi ſunt, ut hæretici. Vide Armillam *verb. Irregularitas*.

TITULUS XV.

De Appellationibus.

Vide tit. de Quer Subd. Reg. Inter. 2.

126 INter. 1. Quid eſt appellatio, & quot ſunt effectus, quos producit appellatio, & quænam eſt forma faciendi illam?

Reſp. Appellatio eſt à minori ad majorem, vel Superiorem provocatio, ut habetur *cap. omnis appreſſus, & cap. placuit 2. q. 6.* & docet Sylveſter *verb. Appellatio num. 1.* Lezana *tum. 2. eodem verb. num. 1.* & alii communiter. A Papa nullus jure appellare poteſt ex eo quià non habet Superiorem in Terris, nec ab æquali ad æqualem, nec à Superiori ad inferiorem dari poteſt appellatio. Duo effectus autem producit appellatio, unum devolutivum, alterum ſuſpenſivum. Primus eſt devoluere cognitionem cauſæ ad Superiorem ad quem appellatur: Secundus eſt ſuſpendere ſententiam, quamquam illam non extinguat. Forma verò appellationis, in qua tam ea quæ ſunt de ſubſtantia ipſius, quam alia continentur, videri poteſt apud eumdem Lezanam *loco cit. num. 15.* qui eam à Doctoribus ſatis perdoctè collegit.

127 Inter. 2. Poteſtnè dari appellatio à Vicario ad Epiſcopum, & à Delegato ad delegantem?

Reſp. Dico quod à Vicario Generali ad Epiſcopum non datur appellatio, quià idem eſt Tribunal Epiſcopi, & Vicarii, & eadem eſt juriſdictio, & poteſtas amborum. Habetur *ex cap. Romana Eccleſia 3. de appellat. in 6. & cap. 2. de conſuet. item in 6.* à Delegato verò ad Delegantem permiſſa eſt appellatio. Ità patet ex *cap. ſuper quæſtionem 27. §. Porrò, de offic. Judicis deleg.* & docet Diana *par. 10. tract. 15. reſol. 31. verſ. Confirmatur*, Victorellus *in addit. ad* Emm. Sà *verb. Vicarius ſub num. 5.* & eſt communis ſententia. Ab Archidiaconis tandem, & Vicariis Foraneis datur ad Epiſcopum appellatio. Nicolius *Elucubrationum par. 2. lib. 1. tit. 28. num. 10. limit. 47.*

TITULUS XVI.

De Attentione.

128 INter. 1. Qui recitat Horas Canonicas in Choro, vel extrà, vel audit miſſam ſine interna attentione, ſatisfacitnè præcepto Eccleſiæ?

Reſp. Attentionem internam, non eſſe neceſſariam ſub præcepto peccati mortalis in recitatione Officii, & auditione Miſſæ, & conſequenter ſatiſfacere præcepto Eccleſiæ, qui recitat Horas, vel Miſſam audit ſine internâ attentione, ſuſtinent innumeri Doctores, quos refert, & ſequitur Diana *pa. 2. tra. 12. reſ. 2. & par. 4. tr. 4. reſ. 107. & par. 5. tract. 13. reſ. 61. in fine, & par. 7. tract. 11. reſ. 30.* Et horum fundamentum eſt, quia lex humana

non

non poteſt præcipere,aut vetare,quod non poteſt punire, nec punire, quod cognoſcere, & judicare non poteſt, ſed nulla poteſtas humana poteſt cognoſcere, & judicare actus internos, ergo neque eos præcipere,aut vetare: Fortiſſimum quidem argumentum, ſiquidem Eccleſia non habet juriſdinem ſuper actus merè internos, neque de illis poteſt legem ferre, actus enim merè mentales non judicat,ideò neque lege punit, & hæc Doctrina fundatur in communi illo effatu; Eccleſia non judicat de occultis: quod ſatis diverſis juribus comprobatur, & tandem docet S. Th. 1. 2. *quæſt.* 91. *art.* 4. Cœterum, quia S. Doctor ibi non loquitur de oratione, prout in caſu, de quo fit ſermo, ideoque nullo modo Adverſariis favet; Unde oppoſitum in caſu noſtro eſt longe probabilius, verius, & in praxi ſequendum cum eodem S. Thoma loco adducendo. Nam in Concilio Generali ſub Innoc III. *cap. Dolentes de celebrat. Miſſ.* præcipitur recitatio devota, & actus orationis, & ut Divinum Officium celebretur ſtudioſè, pariter, & devotè, quod ſanè ſignificat internam attentionem, & devotionem, non eſt autem Oratio,ſive in Deũ elevatio,ubi nulla eſt mētis attētio,ſed inanis vociferatio,quia ſi cor nõ orat, in vanum lingua laborat; Ultra quod, licèt Eccleſia non poſſit directè præcipere actum internum ſeorſim ſumptum, tamen poteſt illum compræcipere, quatenùs ſcilicet habet connexionem cum actu externo, ut docet Bonac. *de legib. diſp.* 1. *q.* 1. *pun.* 5. *num.* 7. Et quoties actus internus eſt de ſubſtantia actus externi, Eccleſia poteſt actum internum præcipere: Itaque concludendum eſt, in recitatione Divini Officii, & in auditione Miſſæ,neceſſariam eſſe attentionem,ſecus non ſatisfieri Eccleſiæ præcepto,& hæc ſententia eſt verior, probabilior, & tutior, ut ipſimet adverſarii fatentur: Vide S. Th: *in* 4. *diſtinct.* 15. Cajet. 2. 2. *quæſt.* 83. *art.* 13. Navar. *in Man. c.* 25. *num.* 133. Em. Sà *verb. Horæ Canon. n.* 19. Tolet. *lib.* 2. *cap.* 10. *nu.* 4. & *cap.* 13. *nu.* 20. Layman. *tom.* 1. *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 5. *n.* 9. & 10. Bonac. *de Hor. Canon. diſ.* 1. *quæſt.* 3. *pun.* 2. §. 2. *num.* 14. & *ſeqq.* ubi ſatisfacit objectis, & luculenter reſpondet; Plures prò hac ſententia refert Bonac ibidem, & Diana *par.* 2. *tract.* 12. *reſ.* 2. *in princip.* & licèt ipſe oppoſitam defendat, tamen hanc noſtram probabiliorem appellat, & meritò: nam qui non habet attentionem, ſaltem implicitam, & virtualem, more Pſittaci vociferatur, ſed reverà non orat. Ergo &c.

129 Inter. 2. Ad quid attendere debet qui recitat Divinum Officium, ut adimpleat præceptum?

Reſp. Quatuor modis quis attendere poteſt, ut præceptum adimpleat. Primò ad verba, ne ſcilicet dicat unum verbum pro alio, ne confundat, aut colligat verba, ut diſtinctè, ac reverenter dicat. 2. ad ſenſum verborum, ut percipiat mente, & applicet affectum ad id quod verbis ſignificat 3. ad gratiam petitam, vel ad rem, quam petit, putà Caſtitatem, Humilitatem, Fidem, Spem, Divinam amicitiam, Cœleſtem Patriam, & alia hujuſmodi, quæ ſola petuntur communiter in Divino Officio 4. ad ipſum Deum, vel ad Jeſu Chriſti paſſionem cum intentione ipſum laudandi,vel ad Sanctos,ad quos orationem dirigit; Et una iſtarum attentionum ſufficit quidem, nec aliud ex vi orationis exigitur, ut rectè docent Cajet *in Sum. verb. Horæ Can.* Toletus *lib.* 2. *cap.* 13. Em. Sà *verb. Horæ Can. num.* 19. Bonac. *de Horis Can. diſp.* 1. *quæſt.* 3. *pun.* 2. §. 2. *n.* 4. & *ſeqq.* & alii ab ipſo relati. Vide Navar. *in man. cap.* 25. *n.* 105. & *ſeqq.*

130 Inter. 3. Beneficiarius qui Divinum Officium recitat ſine attentione,

teneturnè ad reſtitutionem fructuum?

Reſp. Bonac. *de Horis Can.diſp.* 1. *quæſt.* 2. *punc.* 2. *num.* 17. pluribus relatis reſponet teneri, & rectè quidem nam de ſubſtantia orationis eſt attentio, ut ego ſatis dixi ad Inter. 1. hujus tituli. Qui ergo recitat officium ſine attentione non ſatisfacit præcepto quoad ſubſtantiam, & perindè eſt ac ſi non recitaſſet, & per conſequens neceſſarium dicendum eſt teneri ad reſtitutionem fructuum. Immò ſi recitat in Choro ex officio, neque diſtributiones in conſcientia retinere poteſt ſi abſque attentione divinum Officium recitavit. Vide Bonac. & alios penes ipſum, qui ità rectè concludunt; licet oppoſitum dicat Tolet. *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 6. & alii, ſed vide Cajet. *in Sum. verb. Horæ Can. verſ. quoad Tertium*, ubi plura ad intentum.

TITULUS XVII.

De Attritione.

Vide tit. de Abſol. à pec. Inter. 16. 17. *tit de Contri. ad quæſ. tit. de Differ. Inter.* 1. 2. *tit. de Moribun. &c. Inter.* 5. 15. *tit. de Sac. Pœnit. Inter. ult.*

131 INter. 1. Quid eſt Attritio?

Reſp. Eſt dolor impefectus de offenſa Dei, quoniam, vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu, vel ex timore amiſſionis gloriæ communiter concipitur; debet tamen excludere voluntatem peccandi, cum ſpe veniæ: Ita communiter Doctores. Vide Conc. Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 4.

132 Inter. 2. Attritio de peccatis ob malum temporale, v. g. ob nocumentum ſalutis, vel ob pœnam pecuniariam, ſive corporalem, qua peccator damnatus eſt, vel damnandus à Judice humano, vel ob ſimilia, ſufficitnè ad Sacramentum pœnitentiæ validè recipiendum?

Reſp. Tale dubium proponitur à Diana *par.* 4. *tra.* 4. *reſ.* 193. & pro parte negativa adducit Vaſq. *in* 3. *par. tom.* 4. *quæſt.* 92. *art.* 1. *dub.* 3. Suar. *de pœnit. diſp.* 20. *ſect.* 2. Sylv. *in* 3. *par. Supplem.* D. Th. *quæſt.* 1. *art.* 3. *in fin.* quibus ego addo Tolet. *lib.* 3. *c.* 4. *numer.* 5. *verſ. prima quidem*: ubi docet deteſtari peccatum propter malum illatum, licèt ſit bonus actus, non tamen ſufficere ad Sacramentum; Imò qui ſic accederet, putat eum peccare denuò, & non implere præceptum, & conſequentèr eſſe repetendum Sacramentum, ſiquidem non quælibet attritio ſufficit ad gratiam, & fructum in Sacramento pœnitentiæ ſuſcipiendum, ſed requiritur, & ſufficit attritio ſupernaturalis, & efficax, ut patet ex Trid. *ſeſſ.* 6. *c.* 6. *ſeſſ.* 13. *c.* 3. *& ſeſſ.* 14. *c.* 4. & docet Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *quæſt.* 5. *ſect.* 1. *pun.* 3. *num.* 3. Undè cum nemo poſſit ſolis viribus naturæ ſufficienter ſe diſponere ad Sacramentum, ejuſque effectum recipiendum, ideò videtur non ſufficere attritionem ob malum temporale, ut ponitur in quæſito. Tamen ipſe Diana probabiliter cenſet cum aliis ab eo congeſtis, attritionem, & dolorem peccatorum ob malum temporale cum reſpectu ad Deum, à quo immiſſum, aut immittendum eſt, ſufficere ad effectum Sacramenti pœnitentiæ ſuſcipiendum, nam dolor de peccatis ob malum temporale, reſpiciens Deum, ex ſe, non ſolum eſt honeſtus, ſed etiam habet motivum, quod movet ad dolendum de peccato, & non ad dolendum de bono opere, & excludit affectum peccandi, quia Deus etiam eo malo punit peccatum, & non opus bonum, &c. aliæ rationes videri poſſunt apud Dian. *ubi ſupr. & par.* 9. *tract.* 11. *reſ.* 51. *verb. Nota etiam hic.* Cœterum

rum hæc opinio, ſi intendat eſſe licitum confiteri advertentér cum ea ſola attritione, ſubiacet damnationi propoſitionis primæ reprobatæ ab Innoc. XI. ut oſtendit Jo: de Cardenas in Criſi *diſſert.* 8. *c.* 6. *art.* 2. *quæſt.* 2. Vide ipſum, qui optimè concludit. Hanc ſententiam ſequitur etiam Author Caut. Confeſ. *lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 27. *&* 28.

133 Inter. 3. Peccator, qui non habet copiam Confeſſarii, cui peccata confiteri valeat, poteſtnè ſalvari cum ſola attritione?

Reſp. Minimè ſalvari poteſt, quia non dicitur habere Sacramentum Pęnitentiæ in re, vel in voto, nam peccata non remittuntur, niſi per Sacramentum Pœnitentiæ in re, vel in voto; In re quando de facto ſubiiciuntur peccata legitimo Confeſſario, in ordine ad abſolutionem recipiendam, & tunc ſufficit attritio; In Voto autem remittuntur peccata per contritionem in ordine ad Confeſſionem; Siquidem qui actum contrictionis elicit, quando non habet copiam Confeſſarii, tenetur adhuc eadem peccata, quorum remiſſionem per actum contrictionis obtinuit, ſubiicere ſuo tempore Sacramento Pœnitentiæ, quod neceſſarium eſt in re, vel in voto illis, qui mortaliter peccarunt poſt Baptiſmum, tàm neceſſitate medii, quam neceſſitate præcepti. Vide Bonac. *de Sac. Pœnit. diſp.* 5. *quæſt.* 2. *pun.* 3. *per tot.* Ubi plures Doctores refert. Ideò, qui non habet copiam Confeſſarii eliciat actum contritionis, cum propoſito tunc confitendi ſi poſſet, aliàs ſalus non obtinetur.

TITULUS XVIII.

Vide tit. de Fil. ad Quæſ. 1.

De Bannitis.

134 INter. 1. Poteſtnè quivis ſimplex Sacerdos abſolvere Bannitum pœna capitali à caſibus reſervatis, & à cenſuris, etiã in Bullâ Cœnæ, Summo Pontifici reſervatis?

Reſp. Supponendum eſt primo tãquam certum, articulum mortis, & periculum, pro eodem accipi, quoad effectum abſolutionis à cenſuris, & caſibus reſervatis, tum à Romanis Pontificibus, tum à Sacris Canonibus, Theologis, & Juriſperitis, ut rectè probat Card. de Lugo *diſp.* 18. *de pęnit. ſect.* 20. *n.* 2. *& docet etiã* Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *c.* 12. *n.* 13. Bonac. *de Sacr. diſp.* 5. *quæſt.* 7. *pun.* 1. *n.* 10. Navar. *in Man. c.* 29. *num.* 31. Em. Sà *verb. Abſol. n.* 3. Diã. *par.* 3. *tr.* 3. *reſ.* 71. Caſſian. à S. Elia *in Arbor. opi. mor. verb. Articul. mort.* §. 6. *num.* 97. & alii plures penes ipſos, quidquid aliqui in contrarium ſentiant. Hoc poſito, dicendum eſt, poſſe quemlibet ſimplicem Sacerdotem abſolvere huiuſmodi Bannitos ab omnibus caſibus, & cenſuris, dummodò ſint diſpoſiti, ſcilicet contriti, cum propoſito non peccandi in futurum, & ratio eſt, quia Bannitus (modo tamen ſalvum conductum non habeat, & niſi ſit in loco ubi ſecurum ſe eſſe arbitratur) ubique, ac ſemper impunè poteſt occidi, & conſequenter dicitur eſſe in probabili mortis periculo conſtitutus, ideoque quivis ſimplex Sacerdos poteſt ipſum abſolvere, abſente alio Sacerdote approbato, & ita docent Naldus *in Sum. verb. Abſolut. num.* 9. Baſſæus *eodem verbo num.* 31. quibus ſubſcribit Cabrinus *par.* 1. *reſ.* 82. *verſ.* 5. Diana *par.* 5. *tra.* 5. *reſ.* 64. *& alii ab ipſo relat.* Lezana *tom.* 2. *verb.* Bannitus *num.* 14. Vide Paſqualig. *de Privileg. eorum, qui in peric. mortis conſtituuntur q.* 4. *n.* 15. ubi docet, quod non obſtante ſalvo conducto, adhuc Bannitus cenſendus ſit in periculo mortis, & conſequenter à quolibet Sacerdote poſſit abſolvi; nam ſi Bannitus ſciat habere inſidiatores vitę, & quod Princeps, à quo fuit bannitus, quærat caput ipſius, ſufficit quidem, ut dicatur eſſe in pericu-

periculo mortis; quia odium hominis potentis, eſt ſufficiens ad conſtituendum eum in tali periculo, ut benè probat ipſe Paſqualigus.

135 Inter. 2. Capitaliter Banniti cõfugientes ad Eccleſiam, gaudentnè ejus Immunitate?

Reſp. Ità certè tenendum eſt, dummodò delictum, pro quo ſunt Banniti, non ſit de exceptuatis in Bulla Gregoriana; cum de Jure communi omnes confugientes ad Eccleſiam non ſint ab Altari evellendi, ut dicitur *in cap. 2. de Immun.* Vide Sanchez *in Opuſc. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 8. num. 24.* Bonac. *tom. 2. de legibus diſp. 3. quæſt. 7. punct. 5. num. 15.* & Dian. *par. 6. tract. 1. reſ. 21.* & alios penes ipſos.

136 Inter. 3. Banniti capitales, confugientes ad Eccleſiam, gaudentné ejus immunitate, & quomodò ſe gerere debent Regulares Prælati, ſi ad eorum Eccleſias confugerint dicti Banniti, aut fures, & alii homines facinoroſi?

Reſp. Dico primo capitalitér Bãnitos, fures, alioſque facinoroſos homines gaudere Eccleſiarum immunitate, dummodò delictum, pro quo ſunt Banniti, non ſit de exceptuatis in Bulla Gregoriana, *ut dicam infrà tit. 76. ad Inter. 34.* & ità docet Sãchez *in Opuſc. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dun. 8. num. 24.* Barb. *de Jure Eccleſ. lib. 2. cap. 3. num. 130.* Bonac. *de legib. diſp. 3. quæſt. 7. pun. 5. num. 15.* & alii plures, quos ſequitur Diana *par. 6. tract. 1. reſ. 21.* & hoc eſt certiſſimum, & ipſe Diana ibidem ſatisfacit objectis, & rectè quidem. Dico ſecundo Prohibitum eſſe à Sac. Congregatione Regularibus retinere quoſcunque Bannitos, decoctores, ſeù fallitos, alioſque delinquentes ſub pœna privationis officiorum, ut aſſerit Lezana *tom. 1. par. 1. cap. 10. n. 21. & tom. 2. verb. Bannitus num. 2. & 8.* ubi refert aliam Epiſtolam, quam Sac. Congregatio mittere ſolet ad Epiſcopos, & Nuntios, qua prohibetur retineri in Eccleſiis quibuſcumque malè viventes, & facinoroſos, ultrà tres dies; non quià eis non ſuffragatur immunitas Eccleſiaſtica, quià Sac. Congregatio non intendit derogare Conſtitutioni Greg. XIV. ſed ob alia motiva, ut videre licet apud eumdem Lezanam *locis cit.* & Dianam *par. 3. tract. 1. reſ. 40.* qui conatur probare, quod dictæ Epiſtolæ miſſæ fuerunt ad Archiepiſcopum Bononienſem, & Archiepiſcopum Neapolitanũ; ideoque ibidem dumtaxat obligare, quod quidem mihi non placet, quià mens Sac. Congregationis eſt, ut nullibi retineantur, ut patet ex Epiſtola, quam refert Lezana *ubi ſuprà verb. Bannitus num. 8.* Verum Peyrinus *tom. 1. privil. Minim. in Conſtit. 4. Clem. VIII. num. 7.* aſſerit poſſe Superiorem Regularem retinere in ſuo Conventu per aliquot dies Bannitum aliquem ſibi benevolum, qui caſu aliquo, & non dolo, aut data opera commiſit aliquod crimen, propter quod proſcriptus eſt, v. g. homicidium, vel quid ſimile; quià iſte talis non debet vocari malè vivens, aut facinoroſus, de quibus ſolis in prædictis litteris, & aliis ſimilibus decretis ſit ſermo, & ità dicit Genuæ obſervari. Vide Lezanam *tom. 1. par. 1. cap. 10. n. 21.* ubi tandem concludit ſic. Cautè tamen in hoc procedendum. Vide Bonac. *ubi ſuprà ſub num. 6. verſ. Obiicies quarto.*

137 Inter. 4. Bannitus ſi ſteterit in Eccleſia ſuæ Patriæ, cenſeturnè fregiſſe exilium?

Reſp. Negativam ſententiam tenendam eſſe putat, & probabilitèr Doctus Diana *par. 4. tract. 1. reſ. 92.* nam tunc cenſetur, ac ſi eſſet extrà Territorium quoad juris effectum, quià eſſe in loco exempto, vel extrà Territorium eſt idem, juxtà ſententiam Pauli de Caſtro, Alexandri, Rolandi, Nattæ, & aliorum, & docent

cent Legiſtæ *in l. fin. de juriſdic. omnium Judicum*, ut obſervat ipſe Diana ubi ſuprà. Et rectè quidem, nam Eccleſia eſt extrà Territorium, & juriſdictionem Principis laici, ut docet Caſtro Palao *tom.2. tract.11. diſp. unica pun. 11. n. 6.* & alii, vel ut alii aſſerunt: Eccleſia, licèt dicatur eſſe in Territorio Principis Sæcularis, non tamèn propriè dicitur eſſe de ejus Territorio, ut docet Aymon *conſ. 908. num. 6. lib. 5.* Caſſanæus *in conſuetud. Burgndiæ rub. 1. §. 5. num. 117.* Thuſcus *verb. Eccleſ. concluſ. 5. num. 10.* Farinac. *de Immunit. cap.22.num. 356.* & Sperellus *deciſ. 3. num. 11.*

138 Inter. 5. Qui occidit capitaliter Bannitum exiſtentem in Eccleſia, quam pœnam incurrit?

Reſp. Peccat mortaliter, & committit Sacrilegium, & licèt, non poſſit puniri, tamquam homicida (cum Bannitus impunè occidi valeat) tamen ſeverè à Judice Eccleſiaſtico puniri debet hujuſmodi homicida, quia fuit violator Eccleſiæ, & Eccleſiaſticæ immunitatis, ac proindè etiam Excommunicationis vinculo cenſendus eſt innodatus, ut rectè firmat Diana *par. 6. tract. 1. reſ. 21. verſ. Notandum eſt etiam hic &c.* & pro ſe alios adducit.

139 Inter. 6. Peccatnè mortaliter, qui Bannitum, ſive proſcriptum capitaliter, interficit?

Reſp. Non peccat, quia quivis de populo poteſt etiam in foro conſcientiæ Bannitum, ſeù proſcriptum occidere, nam facit non privata, ſed publica authoritate. Tolet. *lib. 5. c. 6. ſub num.* 10. & alii mox citandi. Verum eſt tamen quod debent concurrere iſtæ quatuor conditiones; 1. ut per publicam mortis ſententiam data ſit omnibus facultas illum occidendi; 2. ut Bannitus exiſtat intra Territorium Principis proſcribentis, & non habeat ſaluum conductum; 3. ut id fiat publicæ Juſtitiæ zelo, non ex odio, aut privatæ vindictæ cauſa; 4. ut excipiantur parentes, *quia ut dicam ad Inter. ſequentem* non licet filio occidere Patrem Bannitum, & docet etiam Em. Sà *verb. Bann. num.* 4. Ità & è contra neque Patri licet occidere filium, vel fratri fratrem, nec uxori maritum, ut videre licet apud Nicol. *in Floſ. verb. Occiſio, ſub num.* 4. Cabrin. *de Caſ. Reſer. par. 2. caſ. 1. annot. 5. num.* 17. Lezana *tom. 2. verſ.* Bannitus *num. 9.* Quod tamen verum putant, niſi hujuſmodi eſſent Reipublicæ hoſtes, aut ei valdè noxii, cum bonum commune debeat præferri bono privato, *ut dicā etiā ad Inter. ſequen.* Immò dicunt aliqui, licitum eſſe etiam proditoriè, aut per inſidias Bannitum occidere (quidquid alii in contrarium ſentiant propter periculum damnationis æternæ, cui frequenter exponitur Bannitus, ſi occidatur in ſtatu peccati mortalis) nam ſibi proſpicere debet, cum poſſit ceſſare à Peccatis, & non vult, ideò ſibi imputare debet, ſi in ſtatu peccati mortalis occidatur, major enim ratio urget, ut occidatur pro bono communi, quam non, ob ſolum bonum privatum ipſius: Ità tradunt Molina, Filiuc. Azorius, & Megala, quos refert, & ſequitur Diana *par. 5. tract. 4. reſ.* 25. contra Bonac. *de Reſt. diſp. 2. queſt. ultima ſect. 1. pun. 2. num.* 3. & alios apud ipſum; Cabrinus autem *loc. cit. nu.* 16. fatetur ſibi magis placere opinionem Bonac. propter periculum damnationis Animæ, cui frequenter exponitur Bannitus, ſi in eo ſtatu proditoriè occidatur. Utraque ſententia eſt probabilis, modo concurrant quatuor illæ conditiones ſupradictæ. Vide Lezanam *loc. cit. num. 9. &* 10.

140 Inter. 7. Poteſtné ſine peccato mortali filius occidere Patrem Bannitum?

Reſp. Occidere Patrem bannitum non licet filio abſque peccato mortali, quia in tali caſu filius non amittit obliga-

obligationem naturalem, qua tenetur erga Patrem. Ità docet Bonac. *de Reſt. diſp.* 2. *quæſt. ult. ſect.* 1. *pu.* 2. *num.* 6. Diana *par.* 5. *tra.* 4. *reſ.* 25. *verſ. nota tamen*, Nicolius *verb. Occiſio num.* 4. ubi tamen notat, quod ſi Parentes hujuſmodi, eſſent Reipublicæ valde noxii, etiam à filiis occidi poſſent, quia bonum commune præferendum eſt privato. Vide Layman. *lib.* 3. *tract.* 3. *par.* 3. *c.* 2. *num.* 2. *& Reſp. ad Inter. antecedentem.*

TITULVS XIX.

De Benedictione Nuptiarum.

Vide tit. de Paroch. Inter. 36.

141 INter 1. Quodnam peccatum eſt conſummare matrimonium ante benedictionem?

Reſp. Dicunt aliqui, quod ſecluſo contemptu, & ſcandalo nullum ſit peccatum. Vide Dianam *part.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 240. *& reſ.* 265. *verſ. Adde*; Tamen quia Conc. Triden. *ſeſſ.* 24. *de reform. matrim. cap.* 1. hortatur, ut Coniunges non conſumment matrimonium ante benedictionem, ideò aliter facientes peccant venialiter, ſicut erat ante Concilium, ut ex Armilla, & Cajetano docet Toletus *lib.* 7. *cap.* 23. *num.* 2. Verum concludendum eſſe puto omittere benedictionem, aut ante eam conſummare, non eſſe peccatum mortale. Ità Sylveſter *verb Debitum conjugale* §. 11. imò nec veniale, ſi fiat juſta aliqua de cauſa, ut docent Emm. Sà *verb. debitum conjugale num.* 6. *& verb. matrimonium nu.* 6. Chaves *in ſum. Victoriæ de Sacram. matrim. quæſt.* 247. Diana *reſ.* 240. *cit.* qui cum Sanchez aliquando credit eſſe ſanū conſiliū matrimoniū cōſumare ante benedictionē, ut quando ex aliqua juſta cauſa differuntur, eſtque periculum incontinentiæ. Vide Bonac. *de matrimonio q.* 4. *pun.* 6. *ſub n.* 2.

142 Inter. 2. Tempore ab Eccleſia vetito, poteſtnè dari benedictio nuptiarum ſine peccato mortali?

Reſp. Quia violatur præceptum Eccleſiæ in re gravi, ideò committitur peccatum mortale dando benedictionem ſolemnem tempore ab Eccleſia interdicto, & Sacerdos graviter puniendus eſſet pœna arbitraria, cum in Jure nulla ſit præſcripta pœna. Sponſi verò in pœnam criminis ſeparandi eſſent ad tempus, niſi periculum incontinentiæ timeatur ob ſeparationem, ſed puniri deberent alia pœna arbitraria. Ità Sylveſter *verb. matrimonium* 7. *quæſt.* 2. *in fine*, Roſella *verb. impedimentum num.* 17. Sanchez *de matrim. lib.* 7. *diſp.* 7. *num.* 5. quos refert Bonac. *de matrim. quæſt.* 3. *pun.* 14. *n.* 4. *verſ. ſecundo ſequitur*.

143 Inter. 3. Benedictio conjugalis quando fieri debet?

Reſp. Benedictionem conjugalem non poſſe, niſi inter miſſarum ſolemnia fieri, reſolvit Aldanus, & teſtatur ità fuiſſe deciſum *in una Piſauren.* 13. *Julii* 1630. Vide Barb. *in Collect. ad Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *de reform. matrim. num.* 251.

144 Inter. 4. A quo fieri debent nuptiales benedictiones? & quam pœnam incurreret, qui ſine licentia ſponſos benediceret?

Reſp. Fieri debent ab Ordinario, vel à Parocho Sponſi, vel Sponſæ, vel ab alio Sacerdote de ipſius licentia; nam ſi alius Sacerdos hoc faceret ſine licentia Parochi, vel Ordinarii, ipſo facto incurreret ſuſpenſionem ab officio, donec ab Ordinario Parochi abſolutionem habuerit, ut habetur, ex Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *de reform. matrimonii*; & idem dicendum eſſet ſi dictus Sacerdos eſſet Regularis, ſiquidem ſuſpenſionem ſolum incurreret, non autem excommunicationem latam in Clementina 1. *de privil.* ut pluribus relatis docet Bonac. *de matrim. quæſt.* 4. *pun.* 6. *n.* 3. & ego dicam *in tit.*

Digitized by Google

in tit. 196.*de Sac.Matrim. ad Inter.* 7. ad quam te remitto. Vide DD. apud Barboſ. *in Collect. ad Trid. loco cit. num* 154. *& ſeqq.*

145 Inter. 5. In ſecundis nuptiis,eſtnè opus, ut Sponſi iterum benedictiones recipiant?

Reſp. Non eſt neceſſarium, quia benedictiones non reſpiciunt nuptias, ſed perſonas, undè ſi in primis nuptiis eas receperint, non ſunt iterum aſtrigendi ad illas recipiendas; dummodò tamen in eo loco non adſit conſuetudo in contrarium; nam conſuetudini legitimæ Diœceſum circa ſecundas nuptias benedicendas ſtandum eſſe afferunt plures Doctores. Cæterum quando alter Conjugum non ſuſcepit benedictionem, videtur uſu receptum, ut in ſecundis nuptiis benedictiones conferantur,maximè ſi fœmina nondum fuit benedicta, cum ſit virgo. Ità pluribus allegatis docent Bona. *loco proximè cit. num.* 4. & Barb. *ubi ſupra n.* 152. *&* 153. Sed ſi plura circa tale dubium ſcire deſideras, vide Sylveſtrum *verb. Nuptiæ*, Em. Sà *verb. Benedictio num.* 2. & Dianam *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 265.

TITULUS XX.

De Beneficiariis, & Beneficiis Eccleſiaſticis.

Vide tit. de Aetat. &c. Inter. 2. 3. *tit. de Attentione Inter.* 3. *tit. de Bigam. Inter.* 8. *tit. de Cappel. tit. de Canon. tit. de Electione. &c. Inter.* 1. 2. 4. 6. 8. *tit. de Eleem.* 1. 14. *tit. de Epiſcop. &c. Inter.* 15. 42. 69. *tit. de Excom. Min. Inter.* 4. *tit. de Horis Canon. &c. Inter.* 1. *tit. de Injuſt. Inter. ult. tit. de Ira & Od. Inter. ult. tit. de Irregul. Inter.* 2. 16. *tit de Largit. Mun. Int.* 1. *tit. de Mutu. Inter. ult. tit. de Paroch. tit. de Peccat. Inter.* 27. *tit. de Penſionar. &c. tit. de Privileg. &c Inter.* 7. *tit. de Reſid. Inter.* 6. *tit. de Reſt. accep. Inter.* 6. 7. 8. 9. 10. *tit. de Sac. Ord. Inter. ult. tit. de Simon. tit. de Suſp. Inter.* 1. 2. *tit. de Val. Benef.*

146 INter. 1. Ad quem pertinet Beneficiorum collatio?

Reſp. Beneficia conferre pertinet pro toto Orbe ad Papam, pro ſua Diœceſi ad Epiſcopum(cum quo cōcurrit Legatus à latere) Et aliquando pertinet ad Capitulum, ut docet Layman *lib.* 4. *tr.* 2. *cap.* 10. & ex eo Lezana *tom.* 2. *verb. Beneficium ſub num.* 12. Verùm, ut benè advertit Toletus *lib.* 5. *cap.* 77. *num.* 2. Capitulū non poteſt conferre Beneficia per ſe, niſi in tribus caſibus. Primus eſt quādo Ordinarius eſt ſuſpenſus à collatione Beneficiorum, ut non poſſit cōferre, aut eſt excommunicatus.Secūdùs, quando vacat Sedes, & tale eſt Beneficium, quod Capitulum cum Epiſcopo providere ſolebat, ſecus verò ſi ſolus Ordinarius conferre debebat. Tertius, quando eſt Beneficium iuriſpatronatus; nam licèt ſolus Ordinarius conferebat, tamen vacante ſede, poteſt Capitulum per ſe ipſum conferre. Extra iſtos tres caſus non poteſt de iure Capitulum beneficia conferre; ſed tantum ex ſpeciali aliquo privilegio, ſi habet, aut ex immemorabili aliqua conſuetudine, vel ſtatuto in contrarium; nam poſito aliquo ſtatuto, vel conſuetudine immemorabili, quivis, licèt non ſit Ordinarius, Beneficia conferre valet.Vide Sylveſtrum *verb. Beneficium* 2. Toletum, & Lezanam *locis citatis*. Et nota, quod collatio beneficiorum, non eſt actus Ordinis, ſed iuriſdictionis. Vide infra *in tit.* 83.*ad Inter.* 15.

147 Inter. 2. Poteſtnè fieri licitè promiſſio beneficii vacaturi, aut ad id præſentatio?

Reſp. Talis promiſſio quacumque verborum forma fiat, nec licet, nec valet: habetur *ex cap.* 1. 13. *&* 16. *de conceſſ. Præben. & cap. deteſtanda eodem*

Digitized by Google

tit.in 6.& cap. Ne captandæ de ſpol. Cler. Vide Em: Sà *verb. Beneficium num.* 16. & Armillam eodem *verb. num.* 14.

148 Inter. 3. Non Clericus, aut Clericus, ſed Coniugatus, poteſtnè habere Eccleſiaſtica Beneficia?

Reſp. Dicam alibi non Clericum, ſeù laicum obtinere minimè poſſe beneficium Eccleſiaſticum, cum ſit quid ſpirituale, quod dari non poteſt laico. Vide infrà *in tit.*22.*de Validitate Beneficiorum, ad Inter.*5. Quantum verò ad Clericum Coniugatum, licèt gaudeat privilegio fori, & canonis, ſi unâ, & Virginem duxerit, & incedat in habitu, & tonſura, & alicui Eccleſiæ ſervitio, vel miniſterio ab Epiſcopo deputatus eidem Eccleſiæ ſerviat, vel miniſtret, ut ſtatuit Triden. *ſeſſ.*23.*de reform.cap.*6. tamen de jure communi habere non poteſt beneficium Eccleſiaſticum, nec adminiſtrationes Eccleſiaſticas, quarè nec eſſe poteſt Vicarius Epiſcopi, ut docet Panormitanus *in cap. Joannes, & in cap. Sanè de Cler. Coniug. &* Doctores communiter *in cap. unico eodem tit. lib.* 6. teſte Sylveſtro *verb. Beneficium* 3. *num.* 8. *q.* 4. qui etiam citat D. Thomam pro hac ſententia.

149 Inter. 4. Clericus beneficiarius Matrimonium contrahens, perditnè ipſo facto beneficium?

Reſp. Si eſt in Sacris, & contrahit per verba de præſenti, non eſt ipſo facto privatus, ſed eſt privandus; nam matrimonium eſt nullum, ideoque compellitur uxorem dimittere, & ſic non valet regula, quod non poſſit ſervire uxori, & beneficio, ut dicitur de Clerico in minoribus ordinibus conſtituto, qui contrahit matrimonium per verba de præſenti; quia cum matrimonium validè ſit contractum, perdit jus ad benificium per vinculum incompatibile cum ipſo beneficio, & ad illud amplius non habet regreſſum. Si verò Clericus in minoribus ſolum contrahit ſponſalia per verba de futuro, non perdit beneficium, quia diſſolutis ſponſalibus, poteſt ad ſuum redire beneficium, ut aliis citatis docet Sylveſter *loco proximè citato num* 23. *quæſt.* 22. & Em. Sà *verb. Beneficium num.*24. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 82. *num.* 2. Itaque qui ducit uxorem, perdit Beneficium, nec illud poteſt ullo modo retinere.

150 Inter. 5. Qui animo ducendi uxorem retinet beneficium aliquod, peccatnè mortaliter, & teneturnè ad reſtitutionem?

Reſp. Certò mortaliter peccat, niſi animum mutet: ad reſtitutionem verò non tenetur, niſi cum curatum eſt beneficium, & non Collegiatum. Navar. *cap.* 25. *n.* 118. & Soto *lib.*10. *quæſt.* 5. *art.* 6. apud Toletum *lib.* 5. *cap.* 5. *n.* 2. ſed Gabriel *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 8. *art.* 3. putat teneri ad reſtitutionem in omni beneficio, etiam non curato, tamen cum non ſit jus ad hoc obligans, non videtur eſſe pœna amplianda; quare ſi uxorem ducat, non tenetur fructus jam ante perceptos reſtituere juxtà communiorem ſententiam.

151 Inter. 6. Qui Beneficium recipit animo illud reſignandi, vel permutandi, incurritnè aliquam pœnam?

Reſp. Ex Bullâ Pauli IV. quæ incipit *Inter cætera* edita die 27. Novembris 1557. quam per extenſum ponit Gonzalez *in Regul.*8. *Cancellar. gloſſa* 15. *num.* 90. & refert etiam Filliucius *tom.* 3. *tr.* 14. *cap.* 5. *num.* 43. apud Dianam *par.* 8. *tr.*7.*reſ.* 14. prohibitum eſt ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & ſummo Pontifici reſervatæ recipere beneficium animo reſignandi, vel permutandi: & in Romana Curia, teſte Diana *ubi ſupra*, datur juramentum, quod non accipiatur beneficium animo reſignandi. Verùm, ut docet Garzias de Benefic. *tom.* 2. *par.* 11. *cap.* 3. *n.*291. dicta Bulla procedit duntaxat in obtinen-

tinentibus, ſeù impetrantibus beneficia in Curia Romana, ſeù à Papa, non autem ab Ordinariis locorum extra Curiam; nec dictam pœnam incurrit, qui non ſtatim, ſeù infra paruum tempus, ſed poſt aliquos annos habet intentionem reſignandi Beneficium, & ità eſſe uſu receptum aſſerit idem Garzias; quia nemo tenetur habere animum retinendi ſemper beneficium, & juramentum, quod Romæ exigitur ſic accipiendum videtur; Immò qui obtinet beneficium cum animo dubio, aut conditionali illud reſignandi in favorem alterius, dictam pœnam non incurreret, prout tenet ipſe Garzias, cui adhæret Diana *loco cit.* ad quem brevitatis gratia Lectorem remitto.

152 Inter. 7. Excommunicatus occultus, teneturnè ſe manifeſtare, ne accipiat Beneficium?

Reſp. Si poteſt abſque ſcandalo, & infamia ſe manifeſtare, tenetur id facere, quia quilibet tenetur obedire Eccleſiæ, & ſervare effectus cenſuræ, ſi verò imminet periculum infamiæ, vel ſcandali, non debet ſe prodere, nam Eccleſia non obligat cum tanto incommodo. Debet tamèn ſi poteſt, aliquo honeſto titulo ſe excuſare, & non acceptare beneficium, at ſi illud acceptavit, debet quam primum petere abſolutionem occultè à Sac. Pœnitentiteria, & ſic erit tutus in conſcientia Vide Bonac. *de Cenſ. diſ. 2. q. 2. pu. 4. §. 1. n. 12.* Dia. *par. 4. tr. 4. reſ. 56. proptè fin.* & Suarez *de cenſu. diſ. 13. ſect. 1. n. 11.*

153 Inter. 8. Beneficiarius ſi incidat in excommunicationem, eſtnè ipſo jure privatus fructibus, redditibus, ſeù deſtributionibus Beneficii?

Reſp. Dicunt aliqui non teneri illos reſtituere, quia nulla adeſt obligatio reſtituendi, dummodò exequatur onera, & officia Beneficii, ſivè excommunicatus ſit Parochus, ſivè Canonicus, ſivè habeat Beneficium ſimplex, nam putant non eſſe ipſo jure privatum fructibus, &c. ſed neceſſariò requiri Judicis ſententiam. Alii verò probabilius docent excommunicatum non facere in conſcientia fructus ſuos, conſequentèr teneri abſque alia Judicis ſententia illos reſtituere, aut ſaltem curare eorum condonationem à Sac. Penitentiaria expoſita cauſa paupertatis, ignorantiæ, vel injuſtæ excommunicationis, vel diligentiæ in procuranda ſtatim abſolutione, ſed dilata culpâ aliorum. Ità Tolet. *lib. 1. cap. 13. num. 12.* cum Palud. *in 4. diſt. 18. quæſt. 4.* Sylveſt. *verb. Clercus 4. quæſt. 25.* & aliis ibi congeſtis ità etiam tenet Suarez *de cenſ. diſp. 13. ſect. 2. num. 4.* Filliucius *tom 1. tracta. 12. cap. 5. num. 129.* Sayrus *de cenſu. lib. 1. cap. 5. num. 14.* Reginaldus *tom. 2. lib. 32. tract. 1. cap. 7. num. 36.* & alii multi; Imò Tolet. *loco cit.* teſtatur de communi; ſed Bonac. *de cenſu. diſp. 2. quæſt. 2. pun. 4. §. 2. nu. 2.* èſt pro prima opinione, quæ revera eſt probabilis, ſed magis tuta mihi vedetur oppoſita, ideòque ſequenda in praxi. Vide Dianam *par 4. tra. 4. reſol. 54.* qui utriuſque partis Doctores refert, ſed adhæret illis, qui docent non eſſe ipſo jure privatum fructibus Beneficii: Idem docet Rotar. *in Appar. pro exam. Cler. cap. 8. ſect. 1. num. 9.*

154 Inter. 9. Expoſiti debētnè admitti ad Beneficia in Cathedralibus, & ſuntnè habendi puri ſanguinis?

Reſp. Dicam infrà *in tit. 83. ad Inter. 35.* Expoſitos habendos eſſe pro legitimis, & conſequenter ſunt habiles ad Ordines, & ad Beneficia, & hæc ſententia eſt probabilior, & communior, ut aſſerit Diana *par. 10. tract. 16. reſ. 96.* ubi citat Doctores ad ſatietatem *verſ. Reſtat modo*, & luculenter probat, in Cathedralibus Expoſitos admittendos eſſe ad Beneficia; quia ex præſumptione Juris habent puritatem ſanguinis, quod ſæpius firmavit Sac. Rota, ut videre licet

apud ipſum Dianam, qui egregiè reſpondet etiam ad argumenta contraria, & pluribus citatis hanc ſuſtinet ſententiam, quam impugnare difficile mihi videtur, etiamſi in aliqua Cathedrali adſit ſtatutum de puritate ſanguinis, & ſufficientem informationem expoſcat. Vide Dianam, & non te pœnitebit vidiſſe, nam longum eſſet recenſere omnia, quæ ibidem perdoctè tradit.

155 Inter. 10. Socrates ſervivit per multos annos cuidam Epiſcopo, & habuit intentionem recipiendi Beneficium, ut pretium ſervitii, obtinuit Beneficium, poteſtnè illud tuta conſcientia retinere?

Reſp. Multi dicunt quod non, ſed debeat illud reſignare, quia uſurarius mentalis tenetur ad reſtitutionem, & ità quoque teneatur qui committit Simoniam mentalem, ut fecit ipſe Socrates. Sed Sanchez *in Opuſc. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 105. *num.* 5. cum Cajetano, Angles, & aliis, docet, quod ſi in tali caſu externè nullum etiam implicitè interfuit pactum, ſed tam Socrates, quam Epiſcopus finxerint gratias facere, recipiens beneficium non teneatur illud reſignare, nec Epiſcopus ſolvere ſervitium, & hanc ſententiam ſequitur Diana *par.* 4. *tra.* 4. *reſol.* 168. & inter alios citat D. Thomam 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 6. *ad* 6. & benè quidem, nam Simonia mentalis non obligat ad reſtitutionem, ut obligat mentalis uſura. Em. Sa *verb. Simonia num.* 8. & alii apud ipſum.

156 Inter. 11. Quinam ſunt de jure inhabiles ad Beneficia Eccleſiaſtica conſequenda?

Reſp. Multi ſunt, qui de Jure cenſentur inhabiles ad beneficia Eccleſiaſtica conſequenda: Sunt igitur hæretici, eorumque fautores, receptatores, & defenſores, Excommunicati, Suſpenſi, Interdicti perſonaliter, Irregulares, Bigami, Conjugati, Laici, Illiterati, corpore vitiati, Publici aleatores, Ebrioſi, Simoniaci in beneficio aſſequendo poſt privationem; Clerici malè uſurpantes bona quæcumque, vel jura Eccleſiarum, Concubinarii incorrigibiles, Filii, & Nepotes offendentium Cardinalem, Neophiti, Ermaphroditi, Infames, Obligati Reipublicæ ob adminiſtrationem, aut redditam rationem, & cæteri hujuſmodi, de quibus latè agunt Squillante *de privil. Clericor. cap.* 4. *per totum.* Barb. *de jure Eccleſiaſtico lib.* 3. *cap.* 13. & alii. Vide etiam Lezanam *tom.* 2. *verb. Beneficium num.* 4. *& ſeqq.*

157 Inter. 12. Qui committit crimen, propter quod, lege ità ſtatuente, incurrit ipſo facto, vel ipſo jure pœnam privationis beneficii, & officii, teneturnè in Foro conſcientiæ ſtatim illud dimittere ante ſententiam declaratoriam Judicis?

Reſp. Dicam infrà *in tit.* 168. *de pœnis, ad Inter.* 1. non teneri juxtà ſententiam plurimorum Doctorum, quos ibi citabo. Vide igitur Dianam *par.* 12. *in tra. de conject. Epiſc. reſ.* 56. qui pluribus allegatis docte, ut ſemper ſolet, hanc ſuſtinet ſententiam, quæ revera mihi videtur probabiliſſima, quia, ut quis re, quam poſſidet, privetur in pœnam criminis, oportet ut ſententia aliqua præcedat; cum natura abhorreat, ut idem ſit agens, & patiens; ideoque lex humana videretur nimis acerba, & ſupra humanas vires, ſi cogeret ad exequendum in ſe pœnam valdè gravem: unde non cenſetur obligare cum tanto rigore, ſaltem, niſi exprimat, ut in conſcientia ante omnem declaratoriam quis teneatur dimittere jus, quod habet, & rem, quam poſſidet, ante omnem Judicis ſententiam declaratoriam. Alias rationes vide ſi libet apud ipſum Dianam, & alios Doctores, quos ipſe refert, & præſertim Thomam Hurtadum variar. *tom.* 2. *tra. ult. reſ.* 12. §. 4. *num.* 700. & Garziam *de Beneſic. par.* 11. *cap.* 10. *num.* 8. *&* 9. Vide

etiam

Digitized by Google

etiam Em. Sà *verb. Beneficium nu.* 20.

158 Inter. 13. Teneturnè Beneficiarius perſolvere horas canonicas ſtatim poſt adeptam collationem Beneficii?

Reſp. Non ſtatim ad onera Beneficii obligatur, ſed poſtquàm Beneficii poſſeſſionem jam accepit, nam æquum non eſt, ut qui non poteſt jura beneficii exercere, teneatur ipſius onera ſentire: Ità pluribus relatis docet Dian. *par.* 2. *tract.* 12. *reſ.* 21. ſed hoc intelligo niſi Beneficiarius ſpontè differat poſſeſſionem capere, ſiquidem eſſet in culpa, & Eccleſia debito obſequio defraudari non debet ob ejus culpam, aut negligentiam, maximè cum fraus, & negligentia ipſius non debeat ei prodeſſe, ut benè ex Leſſio, Pariſio, Menochio, Filiuc. Azorio, Molfeſio, Squillante, & Vaſquez reſolvit Bonac. *de Horis Can. diſp.* 1. *quæſt.* 2. *pun.* 5. *num.* 2.

159 Inter. 14. Beneficiarius teneturnè Divinum Officium recitare ſi Beneficium ſit ita tenue, ut non ſufficiat ad vitæ ſuſtentationem?

Reſp. Communis ſententia docet teneri, & bene quidem, nam jurandum afferunt beneficium dari propter officium, indiſtinctè loquuntur, nec magis loquuntur de beneficio pingui, quam de tenui, ut patet ex Concil. Lateranenſi ſub Leone X. *ſeſſ.* 29. *can.* 9. &c. ex Bullâ B. Pii V. Quare cum verba Concilii, & Bullæ præfatæ generalia ſint, nec ullo modò excipiunt habentes Beneficium tenue, nec nos diſtinguere, aut excipere debemus, nec quis poteſt ſe excuſare ſi inde non percipiat neceſſaria ad ſuſtentationem, quà voluntariè, & ſcienter ad illud intitulari ſe fecit; ſcienti autem, & volenti non fit injuria, ideò imputet ſibi. Sylv. *verb. hora n.* 3. Navar. *de Orat. cap.* 7. *num.* 37. & *cap.* 25. *n.* 102. D. Antoninus *par.* 3. *tit.* 13. *cap.* 4. §. 1. Tolet. *lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 4. Suarez *de Relig. to.* 2. *lib.* 4. *cap.* 21. *num.* 4. Azor. *par.* 1. *lib.* 10. *cap.* 3. *qu.* 3. Caſtropal. *to.* 2. *diſp.* 2. *pun.* 1. §. 2. & alii plures, quos refert, & ſequitur Bonac. *de Horis can. diſp.* 1. *quæſt.* 2. *pun* 4. *nu.* 17. qui etiam ad objectiones in contrarium reſpondet; & licèt Diana *par.* 2. *tract.* 12. *reſ.* 9. hanc noſtram ſententiam non ſequatur, tamen communem eſſe fatetur, & plures Doctores allegat in favorem. Verùm non deſunt Doctores alitèr ſentientes, ut videre licèt apud Bonac. *loc. ſupra cit.* & apud Dian. *loc. cit.* & *par.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 146. & *par.* 5. *tr.* 5. *reſ.* 25. & *par.* 10. *tract.* 16. *reſ.* 47. *verſ.* & *tandem nota*; Et quamvis hæc oppoſita ſententia probabilitate non careat, tamē puto non eſſe diſcedendum à communi ſententia, quæ quidem verior eſt, ac probabilior. Vide igitur Bonac. *ubi ſupra*, qui fortioribus terminis hanc ſuſtinet ſententiam, & meritò.

160 Inter. 15. Clericus qui non eſt ſacris ordinibus initiatus, & habet beneficiū Eccleſiaſticum, peccatne mortaliter ſi officium Divinum non perſolvit?

Reſp. Peccat certò mortaliter. Tolet. *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 2. quia facit contra determinationem Eccleſiæ in re gravi, & contra finem propter quem datur beneficium, ut patet ex Bullâ B. Pii V. edita 12. Kal. Octobris anno 1571. apud Bonac. *de Horis Can. diſp.* 1. *quæſt.* 5. *pun.* 2. *num.* 2. & ſi elapſis primis ſex menſibus poſt obtentam Beneficii poſſeſſionem officium non recitaverit, nō ſolum peccat mortaliter, ut dixi, verum etiam tenetur ad reſtitutionem pro rata temporis, & officii omiſſi. Ità docet Bonac. *loc. cit. num.* 8. & rectè quidem, tenetur enim ex obedientia. Vide Bonac. *diſp.* 1. *q.* 2. *pun.* 4. *n.* 1. *ubi ſup.*

161 Inter. 16. Qui habet onus recitandi Divinum Officium ratione Beneficii, ſi culpabiliter illud recitare prætermittit, ad quid tenetur?

Reſp.

Reſp. Tenetur reſtituere pro rata juxtà omiſſionem Officii, & hoc patet ex Concil. Lateranenſi ſub Leone X. & etiam ex Bullâ B. Pii V. quam per extenſum refert Navar. *in Man. cap.*25.*num.* 22. Bonac. *de Horis Can. diſ.* 1. *quæſt.* 5. *pun.* 2. *num.* 2. & alii: Vide Dianam *par.* 4. *tract.* 4. *reſ.*111. qui docet quomodo debat fructus reſtituere.

TITULUS XXI.

De Beneficiorum Permutatione.
Vide tit. de Beneficior. Inter. 6.

162 INter. 1. Permutantes Beneficia ſine Superioris licentia, incidunt nè in cenſuras, & alias pœnas contrà Simoniacos inflictas?

Reſp. Affirmativè tenendum eſt omninò, nam hujuſmodi permutationes minimè fieri poſſunt ſine labe Simoniæ, ſine Superioris licentia, quidquid in contrarium dicat P. Navarrus. Nam ſic habetur *ex cap. cum olim, & cap. Quæſitum, de rerum permutatione, cap. Majoribus de præben. & cap. fin. de pactis*, & tradunt quamplures DD. quos allegat, & ſequitur Diana *par.* 10. *tract.* 16. *reſol.* 16. qui teſtatur de communi. Hæc autem Simonia eſt dumtaxat de jure Canonico prohibita, ut probat Bonac. *loco mox citando num.* 3.

163 Inter. 2. Si Beneficiarii tractant inter ſe de aliqua permutatione inter eos facienda, ſi Superiori placuerit, committuntne peccatum Simoniæ?

Reſp. Nullum peccatum committunt, nam licet partibus inter ſe tractare de futura permutatione, ſi Superior conſentiat. Sylveſter *verb. permutatio* 2. *quæſ.* 5. & alii plures, quos dat Diana *loco proximè cit. verſ. Sed hic quæro;* qui etiam teſtatur de communi. Vide Bonac. *de Simon. diſp.* 1. *quæſt.* 4. §. 12. *num.* 5.

164 Inter. 3. Poteſtnè licitè fieri permutatio Beneficiorum ſinè juſta aliqua cauſa?

Reſp. Nequaquã, ſiquidẽ requiritur aliqua cauſa, quæ juſta cenſetur quidẽ, ſi permutans uno loco commodius propriæ ſaluti ſit conſulturus, vel quià in loco ſui Beneficii habet graves inimicitias, aut ſaltem incommodum patitur propter aeris intemperiem, &c. Si verò permutatio pro aliquo commodo temporali unius, aut utriuſque fiat, eſſe Simoniam, docet S. Thomas *in* 4. *diſt.* 15. *quæ.* 3. *ar.* 3. *ad* 8. Cœterùm Diana *loco cit. verſ. Quæro* 2. excuſat à peccato Simoniæ, qui permutat pro aliquo ſuo temporali bono, ſed mihi non placet, ſed ſolùm concedo cum Sylveſtro ubi ſuprà *n.* 3. quando quis in alio loco poſſit meliùs Deo ſervire, licitam eſſe permutationem. Vide Tolet. *lib.* 5. *cap.* 91. & Bonac. *ubi ſupra num.* 7.

TITULUS XXII.

De Beneficiorum Pluralitate.
Vide tit. de Cardinal. Inter. 5.

165 INter. 1. Poteſtnè quis tuta conſcientia habere plura Beneficia ſimul?

Reſp. Plura Beneficia ſimul retineri non poſſunt licet ſint ſimplicia, ſi perſonalem requirant reſidentiam, vel ſint ſuprà ſufficientem, & honeſtam poſſidentis ſuſtentationem. Concil. Triden. *ſeſſ.* 24. *cap.* 17. Itaque habens unum Beneficium ſufficiens, non poteſt retinere duo, & habens duo per ſe ſeparatim inſufficientia, ſed ſimul juncta ſufficientia, non poteſt retinere tertium. Ità Doctores apud Barb. *in Triden. loco cit. num.* 6. & concordat Panor. quem citat Sylveſt. *verb. Beneſic.* 4. *ſub num.*2. *circà finem*, ac proindè, qui habet Beneficium, quantumcumque ſimplex, quod per ſe ſufficiat ad vitam Beneficiati, non poteſt aliud tenere ſine peccato mortali, ſecundum Gloſ. *in cap. dudum* 2. *de elect.* Quod ſi à Papa diſpenſetur, ut plura ſimplicia poſſit habere pinguia Beneficia, Ego non audeo improbare; Sed

re; Sed ſolum vellem, ut legerentur Doctores, quos allegat, & ſequitur Diana *par.* 10. *tract.* 13. *reſol.* 1. *per totam*. Vide Navar. *in Man. cap.* 25. *nu.* 125. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 80. Sylveſt. *loco cit.* Em. Sà *verb. Beneficium nu.* 1. & D. Thomam *quodlib.* 9. *art.* 15. Rotarium *de exam. Cler. cap.* 8. *ſect.* 2. *num.* 14. & infrà in hoc eodem *tit. ad Inter.* 4.

166 Inter. 2. Epiſcopus poteſtnè diſpenſare, ut aliquis poſſit habere duo Beneficia ſimplicia?

Reſp. Epiſcopus habenti unum beneficium ſimplex, quod non ſufficiat ad ejus ſuſtentationem, poteſt quidem aliud ſimile conferre uſque ad ſufficientem ſuſtentationem abſque Apoſtolica diſpenſatione, ſed non poteſt plura ſimplicia ultrà duo conferre ſine Papæ diſpenſatione. Vide Doctores apud Barboſ. *in Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 17. *num.* 4. *& ſeqq.* Em. Sà *verb. Beneficium num.* 2. & Panimollam *tom.* 2. *deciſ.* 31. *adnot.* 1. *num.* 34. *& ſeqq.*

167 Inter. 3. Quando dicitur poſſe Beneficium Eccleſiaſticum ſufficere ad congruam ſuſtentationem Beneficiarii?

Reſp. Hoc relinquendum eſt ad arbitrium Superioris, qui conſideratis conſiderandis exiſtimare poterit plus, vel minùs quid neceſſarium ſit pro qualitate perſonæ, loci, & temporis. Ità pluribus relatis firmat Barboſa *loco cit. nu.* 17. *& de poteſt. Epiſc. par.* 3. *alleg.* 62. *num.* 11.

168 Inter. 4. Qui ſine juſta cauſa obtinet ex diſpenſatione Papæ plura Beneficia, eſtnè tutus in conſcientia?

Reſp. Doctores ad ſatietatem refert Barb. *in Trid. loco ſuprà cit. n.* 54. qui loquuntur de materia tam periculoſa, & lubrica: Item vide S. Thoma. *quodlib.* 9. *quæſt.* 7. Sylveſt. *verb. Beneficium* 4. *num.* 4. Em. Sà *eodem verb. ſub num.* 1. & alios, quos refert, & ſequitur Diana *par.* 10. *tract.* 13. *reſ.* 1. Quænam autem ſint juſtæ cauſæ ad diſpenſandum, habebis ex DD. allegatis. Hoc unum verò non prætereo, ſcilicèt, quod nemini ſuffragatur diſpenſatio Pontificia ad poſſidendum plura ſimul Beneficia, niſi ex juſta cauſa fuerit obtenta, ut docet Marchantius apud Dianam *loco cit. in fine*; Juſta autem cauſa non eſt, niſi in utilitatem Eccleſiæ, vel ob ipſius Eccleſiæ neceſſitatem, ſecus non eſt bona diſpenſatio, nec eſt homo ſecurus coram Deo. Toletus *lib.* 5. *cap.* 81. *num.* 4. Nam diſpenſatio Papæ ſemper, vel ſaltem in dubio intelligi debet facta cum illa bona intentione, ut beneficia non habeantur ad proprium commodum, luxum, &c. alias ſic diſpenſare ex Hoſtienſi apud Dianam, eſt in Infernum cum licentia Papæ introire. Alia quæ dicunt ipſi DD. circà tale dubium, libentèr prætermitto, ſciens, quod durus eſt hic ſermo apud aliquos: Multa exempla aliquorum, qui fuerunt æternalitèr condemnati propter Beneficiorum pluralitatem, referuntur in Prato ſpirituali, & apud Villadiegos teſte Barboſ. *in Triden. loco cit. num.* 1. *in fine*. Tandem Vide Dianam *par.* 12. *tract. de Conſec. Epiſc. reſol.* 72. Armillam *verb. Benefic. num.* 43. & Sylveſ. *verb. Benefic.* 4. *num.* 4. ſi plura ſcire deſideras.

169 Inter. 5. Qui habet plura Beneficia, & non perſolvit divinum Officium, teneturnè ad reſtitutionem fructuum omnium Beneficiorum, vel ſufficit reſtituere pro rata officii omiſſi? & quot peccata committit?

Reſp. Licèt qui plura Beneficia juſtè, & cum legitima ſuperioris auctoritate retinet unum ſpecie peccatum committat, dum horas Canonicas prætermittit, quia facit contra obligationem ejuſdem rationis, ut docent quamplurimi DD. apud Bonac. *de Horis Can. diſp.* 1. *q.* 2. *pun.* 1. *num.* 9. *in fin.* & Dian. *par.* 2. *tra.* 12. *reſ.* 23.

reſ. 23. tamen tenetur fructus omnium Beneficiorum pro rata officii culpabiliter omiſſi reſtituere,& hoc clarè patet ex Bullâ B.Pii V.& tradunt DD. communiter.

TITULUS XXIII.

De Bigamia.

Vide tit. de Differ. Inter. 22. *tit. de Privil. &c. Inter.* 2. 3. 4. 5.

170 INter. 1. Quotuplex eſt Bigamia?

Reſp. Triplex eſt Bigamia, ſcilicet vera, interpretativa, & ſimilitudinaria: Vera illa dicitur, quando quis duas, vel plures uxores ſucceſſivè ducit, & cum utriſque copulam perficit: Interpretativa illa dicitur, quando conjugatus denuò contrahit cum alia, & cum ea copulam habet, vel quando unam uxorem legitimam habuit, poſtea aliam invalidè ducit cum impedimento dirimente, & cum ea affectu maritali, & uti uxore matrimonium conſummat, vel ſemel matrimonium cum fœmina ab alio cognita, ſive antecedenter nupta, ſive vidua contrahit; Denique quando quis contrahit matrimonium cum Virgine eamque cognoſcit, poſtquam ipſa adulterata fuerit, ſive per vim, aut metum; Nota tamen quod qui ducit fœminam à ſe ipſo corruptam ante Matrimonium, non fit bigamus, quia caro non eſt diviſa, juxtà veriorem, & communiorem ſententiam: Vide Dian. *par.* 4. *tract.* 1. *reſ.* 27. *verſ. Notandum eſt*. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 66. *num.* 5. Tandem Bigamia ſimilitudinaria, eſt quando quis poſt votum ſolemne caſtitatis emiſſum in ordinibus ſacris, vel in profeſſione in approbata Religione, matrimonium celebrat cum aliqua virgine, vel corrupta, eamque carnaliter cognoſcit, & licèt matrimonium ſit nullum, præterea ſit Irregularis ratione bigamiæ, qui hujuſmodi matrimonium cōtrahit, necnon committit ſacrilegium, & eſt ſuſpectus de fide. Vide Dian. *par.* 7. *tract.* 7. *reſ.* 5. Bonac. *de Cenſur. diſp.* 7. *quæſt.* 2. *punc.* 5. *per totum præſertim n.* 3. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 65. *num.* 1. *& ſeqq. & cap.* 67. Zeccum *de caſibus reſer. caſ.* 1. *de Irregular. pag.* 109. *num.* 37. Peyrinum *tom.* 3. *in Conſtit.* 2. *Julii II.* §. 29. *num.* 120. & alios *verb. Irregularitas, vel in verbo Bigamia.*

171 Inter. 2. Laicus contrahens Matrimonium cum Moniali, aut cùm ea, quæ votum ſolemne caſtitatis emiſit, ſitnè irregularis ratione bigamiæ ſimilitudinariæ?

Reſp. Minimè, quia in jure non eſt expreſſa talis irregularitas; & irregul. nō incurritur, niſi ſit in jure expreſſa, ut patet *ex cap. Is qui, de ſent. excomm.* tum etiam, quià tale matrimonium non poteſt ſignificare unionem Chriſti cum Eccleſia. Et idem dicendum eſt de Clerico in Minoribus conſtituto, aut de habente ſolum votum ſimplex caſtitatis, ſi contrahat cum Virgine, propter eamdem rationem. Bonac. *de cenſu. diſp.* 7. *quæſt.* 2. *pun.* 5. *ſub num* 2. Lezana *verb. Bigamia n.* 3. *propè finem* & alii.

172 Inter. 3. Fitnè Bigamus, & irregularis Maritus, qui ignorat adulterium Conjugis, & illam carnalitèr cognoſcit? vel qui putat ducere Virginem, & ducit corruptam?

Reſp. Supponendum eſt tanquam certum, quod bigamia interpretativa, non ſolum contingit, quando quis contrahit matrimonium cum Vidua, quæ prius matrimonium conſummavit, vel ducit corruptā ab alio ut deducitur *ex cap. Præcipimus, & cap. Si quis Viduam diſt.* 34. *& cap. Debitum de Bigamis*, ſed etiam per acceſſum ad propriam Uxorem, poſtquam illa Adulterium commiſerit, licèt à principio Virgo accepta fuerit, ut tradunt communiter Doctores, teſte Sua-

Digitized by Google

ſte Suarez *de cenſu. diſp.* 49. *ſect.* 3. *num.* 15. & Tolet. *mox adducendus n.* 6. *&* 7. Diana *par.* 7. *tract.* 12. *reſ.* 20. hoc ergò ſuppoſito, quidquid dicant aliqui, tenendum eſt irregularitatem incurrere dictum Maritum ignarum Adulterii; nam hæc eſt communis ſententia, quam docent Avila *de cenſu. par.* 7. *diſp.* 8. *dub.* 1. *verſ. Tertio modo* Sanchez *de Matrim. diſp.* 84. *n.* 15. Layman *lib.* 1. *tract.* 5. *par.* 5. *cap.* 6. *num.* 3. & alii innumeri apud ipſos. Et idem dicendũ eſt de eo, qui à principio putavit ducere Virginem, & duxit corruptam; Tolet. *lib.* 1. *cap.* 66. *num.* 3. Et ratio eſt, quia hæc irregularitas non in pœnam delicti, neque ob infamiam ullam Perſonæ, ſed ob defectum ſignificationis inducta eſt. Vide Dianam *par.* 10. *tract.* 11. *reſ.* 25. ubi plura ad intentum, & Bonac. *de cenſu. diſp.* 7. *quæſt.* 2. *pun.* 5. *num.* 10. 11. *&* 12. & Em. Sà *verb. irregularitas ex Bigamia num.* 2. *&* 3.

173 Inter. 4. Quare eſt irregularis ratione Bigamiæ, qui ducit fœminam ab alio cognitam, & non qui contrahit matrimonium cum Virgine, quamvis ipſe ſæpius fornicatus ſit?

Reſp. Rationem reddit Bonac. *de cenſ. diſp.* 7. *quæſt.* 2. *pun.* 5. *ſub n.* 7. ubi ſic inquit. Defectus Virginitatis in Sponſa arguit majorem indecentiam, quam in Viro, eſt enim ignominioſum ducere fœminam fornicariè ab alio cognitam; Sicut etiàm ignominioſum videtur contrahere cũ Serva, aut mima, ſeù ſcenica, ideſt publica fabularum actrice, & ob id contrahens cum ea eſt irregularis, etiamſi illa Virgo fuerit, ut poſt Sylveſtrum notat Suarez, Reginal. & Filiuc. *ex can.* 17. *Apoſtolorũ, & cap. Si quis Viduam diſt.* 34. nam contrahens cum vili Perſona, ſimilis illi efficitur: Tum quià ſicut motus non ſpecificatur à termino à quo, ſed à termino ad quẽ, ità etiam matrimonium non ſpecificatur ab ipſomet contrahente, qui ſæpiùs fornicatus eſt, ſed ab altero contrahente, ad quem terminatur, qui eſt fœmina, cujus caro ſæpius diviſa eſt, undè ſi fœmina capax eſſet Ordinum, fieret bigama, ducendo virum fornicarium, ſicut ipſe vir ſit Bigamus contrahendo, & conſummando Matrimonium cum ea, quæ fuit ab alio carnaliter cognita. Hactenus Bonac.

174 Inter. 5. Quare Bigamus cenſetur irregularis ex defectu Sacramenti? & quid ſignificat: Ex defectu ſignificationis?

Reſp. Ex defectu ſignificationis, & Sacramenti, eſt idem; Dico igitur, quod ideò Bigamus ſit irregularis, & talis cenſetur ex defectu Sacrameti, quià Matrimonium conſummatum ſignificat unionem Verbi cum natura humana, quæ à Theologis dicitur unio hypoſtatica, & etiam ſignificat unionem Chriſti cum Eccleſia, quæ quidem uniones ſunt indiſſolubiles; hanc autem ſignificationem non habet Bigamus, quià unio Chriſti cum natura humana, & cum Eccleſia, eſt unius cum una, Bigamus verò eſt unius cum pluribus; & ſic non poteſt aptè habere hanc ſignificationem, quæ ratio, & ſi propriè procedat in Bigamia reali, proportionalitèr tamen adaptatur ad interpetrativam, & ſimilitudinariam per quandam analogiam, ut docet Lezana *tom.* 2. *verb. Bigamia ſub num.* 2. eſtque communis Theologorum ſententia. Et hæc eſt ratio, per quam Bigamus dicitur irregularis propter defectum Sacramenti. Vide Bonac. *loco ſuprà cit. num.* 3. & Toletum *lib.* 1. *cap.* 65. *num.* 2.

175 Inter. 6. Poteſtne Epiſcopus diſpenſare cum Bigamo, ut poſſit Ordines ſuſcipere? aut in ſuſceptis miniſtrare?

Reſp. Qui duxit unicam, & Virginem, nulla indiget diſpenſatione, quià non eſt Bigamus, nec irregularis. An verò poſſit Epiſcopus in Bigamia

H vera

vera, vel interpetrativa diſpenſare, hæc eſt difficultas,& abſolutè reſpondendum eſt, non poſſe, quamvis occulta ſit; quià non oritur ex delicto, ſed defectu Sacramenti. Tolet *lib.* 1. *cap.* 68. *num.* 1. qui teſtatur de communi; Imò Bonac. *loco ſuprà cit. n.* 15. aſſerit, hoc tempore Epiſcopũ nõ ſolũ nõ poſſe cum Biagamis diſpenſare ad ſuſcipiẽdos Ordines Sacros, vel ad uſũ ſuſceptorum, ſed neque ad Minores, vel ad primã Tonſuram, vel ad Beneficium etiam ſimplex, ut colligitur ex Triden. *ſeſſ.* 23. *cap.* 17. *ad finem*, & ità declaraſſe Sac. Congregationem apud Garziam, teſtatur contra communem DD. ſententiam. Undè non eſt audiendus Diana *par.* 10. *tract.* 11. *reſ.* 25. in fine, ubi docet poſſe Epiſcopum etiam cum Bigamis propriis diſpenſare, ut Ordines Minores, & Beneficia ſimplicia obtineant. In Bigamia verò ſimilitudinaria, non prohibetur diſpenſare, ſi talis Bigamus contraxit cum Virgine, imò ei conceditur *in cap.* 1. *qui Clerici, vel voventes*, ſed non cum fœmina ab alio corrupta. Bonac. ibidem ità docet. Et eſt communis ſententia. Vide etiam Lezanam *loco proximè cit. n.* 4. idem docentem, & Tolet. *lib.* 1. *ubi ſuprà num.* 4. 5. *&* 6.

176 Inter. 7. Quis diſpenſare poteſt in omni bigamia vera, & interpetrativa? Et conceditúrne hujuſmodi diſpenſatio?

Reſp. Solus Papa diſpenſare poteſt in omni bigamia; nam bigamia eſt de jure humano introducta, ergò in ea Papa valet diſpenſare. Tolet. *ubi infra num.* 2. cum D. Thoma *in* 4. *diſt.* 27. *quæſt.* 3. & aliis. Verùm difficillimè diſpenſat cum bigamo vero, niſi fortè ad Minores Ordines, aut cum ingrediente Religionem ad Sacros: Minori autem cum difficultate diſpenſat cum Bigamo interpetrativo. Et ratio eſt, quia bigamia vera (quæ eſt quando quis verè duas Uxores legitimè duxit, & cognovit carnalitèr, ſivè duxerit antè Baptiſmum, ſivè poſt illum) majorem habet bigamiæ rationem, quam interpetrativa, & hæc quàm ſimilitudinaria, & ſic major, vel minor debet eſſe difficultas in diſpenſando. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 68. *num.* 3. Em. Sà *verb. Irregularitas ex bigamia num.* 6. & alii omnes.

177 Inter. 8. Bigamus poteſtne conſequi Eccleſiaſtica Beneficia?

Reſp. Bigamus non ſolum eſt incapax Sacramenti Ordinis, ſed poſito etiam, quod poſt ſuſceptionem Ordinis fiat bigamus, tamén non poteſt conſequi Eccleſiaſtica beneficia, ut pluribus relatis firmat Barb. in Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 17. *num.* 3.

TITULUS XXIV.

De Blaſphematoribus, & Blaſphemiis. Vide tit. de Caſ. reſer. Inter. 6. *tit. de Correct. Inter.* 6. *tit. de Denunc. Inter.* 1. 2. 3. 4. *tit. de Parv. mat. Inter.* 1. 2. 15. *tit. de Peccat. Inter.* 5.

178 INter. 1. Quid eſt Blaſphemia?

Reſp. Blaſphemia ſecundum ſuam rationem formalem eſt loquutio in Deum, B. Virginem, aut Sactos per modum convicii, vel contumeliæ.

179 Inter. 2. Quotuplex eſt Blaſphemia?

Reſp. Blaſphemia eſt duplex, alia ſimplex, alia verò hæreticalis.

180 Inter. 3. Quænam eſt Blaſphemia ſimplex, & quæ hæreticalis?

Reſp. Illa dicitur ſimplex Blaſphemia, quæ directè falſitatem non continet contra fidem, hæreticalis verò eſt illa, quæ errorem contra fidem continet, quia, vel opponitur articulis fidei, vel denegat Deo, quod ipſi convenit, aut tribuit ei, quod ipſi non convenit.

181 In-

181 Inter. 4. Blaſphemias hæreticales proferens, eſtnè eo ipſo excommunicatus?

Reſp. Si detineatur errore repugnante Catholicæ veritati, & illum pertinaciter, pertinacia, explicanda inferiùs *in tit.* 102. *de Hæreſ, & Hæreticis, reſponſione* 3. retineat, utique eſt hæreticus, & conſequenter excõmunicatus in Bulla Cœnæ; ſi verò nullo detineatur errore adverſante Catholicæ fidei, in foro pœnitentiali, licèt ſit impius Blaſphemus; tamen non eſt hæreticus, neque excõmunicatus *in Bulla Cœnæ*; nam forum pœnitentiæ, non præſumptione, ſed veritate nititur; quamvis talis perditiſſimus peccator, ſi extrà Sacramentalem confeſſionem innoteſcat, Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis denunciari debeat, ut pluries me dixiſſe memini; quia in foro externo habetur tanquam hæreticus, & excommunicatus. Vide Graffium *de caſ. reſer. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 45.

182 Inter. 5. Blaſphemantes Deum, & Beatam Virginem, gaudentne immunitate Eccleſiarum?

Reſp. Quod tales gaudeant privilegio immunitatis, apud me eſt certiſſimum, non ſolum poſt Conſtitutionem Gregorianam, ſed etiam de jure communi. Vide Dianam *par.* 6. *tract.* 1. *reſ.* 26. *verſ. Quæro octavo.* Verùm eſt tamen, quod ſi blaſphemia eſt hæreticalis, utique eam evomens, Eccleſiæ immunitate gaudere non poteſt, non ratione blaſphemiæ, ſed quia eſt ſuſpectus de hæreſi, & conſequenter à miniſtris Sanctiſſimæ Inquiſitionis licitè ab Eccleſia extrahi poteſt, incarcerari, & puniri, ſicut de quocumque alio de hæreſi ſuſpecto contingit. Ità firmat Diana *par.* 4. *tract.* 1. *reſ.* 51. ubi concordantes adducit. Vide iterùm ipſum Dianam *par.* 1. *tract.* 1. *reſ.* 38. idem, ut dixi, aſſerentem, & Bonac. *de Legibus, diſp.* 3. *quæſt.* 7. *pun.* 5. *num.* 13.

183 Inter. 6. Blaſphemiæ, ſivè ſint in Deum, ſivè in Sanctos, ſuntne ejuſdem, vel diverſæ ſpeciei?

Reſp. Secundum probabilem opinionem, ſunt ejuſdem ſpeciei, niſi hæreſim contineant, vel à formali odio Dei procedant, Diana *par.* 1. *tra.* 7. *reſ.* 50. *& par.* 5. *tr.* 13. *reſ.* 21. *in fin.* & alii ab ipſo relati.

184 Inter. 7. Si quis dixerit *Rinnego Dio, la Madonna, San Pietro*, eſtne cenſendus Blaſphemus hæreticalis, ita ut poſſit ab Inquiſitoribus puniri?

Reſp. Certum eſt Blaſphemiam hæreticalem eſſe dicere *Rinnego Dio*, ut docent Doctores communitèr teſte Diana *par.* 4. *tract.* 7. *reſ.* 8. *verſ. Notandum eſt etiam hic*, & de facto contra talem blaſphemantem procedunt Inquiſitores, & benè quidem; nam in foro externo cenſetur tanquam Apoſtata à fide. Quando quis verò ſolùm diceret *Rennego Maria, San Pietro &c.* puto quod non ſit blaſphemus hæreticalis, & per conſequens non procedunt contra illum Inquiſitores, ſed Epiſcopus, ut teſtatur Sanchez *tom.* 1. *moral. lib.* 2. *cap.* 32. *num.* 36. Sed hoc intelligendum eſt, dummodò ex aliqua circumſtantia talis blaſphemus meritò judicari non poſſit ſuſpectus de fide; nàm Inquiſitores regulariter poſſunt cognoſcere de blaſphemiis, quæ habent in ſe hæreſim implicitam, vel explicitam, ut optimè docet Lazzarius *de blaſphemiis quæſt.* 6. *num.* 10.

185 Inter. 8. Eſtne cenſendus Blaſphemator hæreticalis, qui dicit *al diſpetto di Dio* hoc feci, vel faciam, & poſſuntne Inquiſitores hunc Blaſphemantem punire?

Reſp. Licèt nonnulli graves Auctores defendant talem blaſphemiam non eſſe hæreticalem, quia fidei confeſſioni non opponitur, & conſequenter nec punitionem pertinere ad Inquiſitores, ſed ad Judices Ordinarios. Vide Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 6.

Digitized by Google

*cap.*5. *num.*8. Rojas *de hæreticis par.*2. *num.*170.Sanchez *in Sum.tom.*1.*lib.*2. *cap.* 32. *num.* 36. quos allegat Diana *loco proximè cit. verſ. Sed ponam hic*. Tamen dicendum eſt dictam blaſphemiam eſſe hæreticalem, & huic ſententiæ tanquam probabiliori adhæret idem Diana, & pro ſe citat Naldum, Sanctarellum, Lazarium, & Filliucium, & ratio hujus aſſertionis eſt, quia ſenſus horum verborum, ſcilicet *al diſpetto di Dio*, eſt quod omninò debeat fieri id, quod Blaſphemans profert, etiamſi Deus ſua omnipotentia nolit, quod eſt derogare divinæ potentiæ; Quare abſolutè tenendum eſt poſſe Inquiſitores contra evomentem talem blaſphemiam inquirere, & illum punire; Imò quivis in conſcientia tenetur hujuſmodi verba proferentem Inquiſitoribus denunciare, ut rectè reſolvit ipſe Diana *loco cit.*

186 Inter. 9. Blaſphemi conſuetudinarii excuſanturne, ſi blaſphemant in iracundia, vel ebrietate vel ſomno, vel ludo?

Reſp. Qui eſt ſolitus blaſphemare, non debet excuſari ſi in iracundia profert blaſphemias, ſicut nec in totum excuſatur, ſi in ſomno dormiens blaſphemat, ut dicit Alex. Rom. *Pragm.*1.*num.*128. *de blaſphemia*, quæ facit linguam diſertam, & acutam in blaphemiis & maledicentiis; Neque qui in ebrietate; nàm debet ſe abſtinere à quantitate, vel qualitate vini, aliàs non excuſatur: & tandem nec eſt excuſatione dignus, qui ludendo exponit ſe periculo blaſphemandi; ſiquidem eſt in culpa, qui enim ſcit, quod aliquem actum faciendo, incidit in iram, & ex ira in blaſpemiam, debet ſe ab illo actu abſtinere, aliàs excuſationem non meretur, ut aliis relatis rectè reſoluit Raynaldus *to.* 1. *obſer. cap.* 1. §. 1. *ad* 7. *num.* 34. *uſque ad num.* 38. *incluſivè*. Vide id, quod ego obiter Dicam *in tit.* 33. *de Caſibus Reſervatis, ad Inter.* 6. *in fin.* Et tandem pro praxi notandum eſt id, quod docet Zanardus *in direct. Theol. par.* 2. *præcep.* 1. *cap.* 11. *num.* 10. *ubi aſſerit*. Blaſphemi in ira ſemel, bis, & ter, ſi ira magna fuit, & ex cauſa juſta non ſolent abjurare: conſuetudinarii verò in ira abjurant de levi, & conſuetudinarii in ira, & extra iram de vehementi. Vide Dianam *par.* 4. *tract.* 7. *reſol.* 8. qui alios ſic docentes adducit. Et nota, quod Inquiſitores poſſunt procedere contra blaſphemãtes hæreticaliter in iracundia, ut ex aliis docet idem Diana *par.*4.*tr.*8.*reſol.*87.

187 Inter. 10 Poteſtne abſolvi à ſimplici Confeſſario Sempronius qui ſæpè ſæpius dum iraſcitur dicit; *Al coſpetto di Diò, Corpo di Dio, Sangue di Dio, poſſar Dio, poſſanza di Dio*?

Reſp. Affirmant quidam probabiliter, dummodò illa verba ſine indignatione in Deum proferantur, & quia, ut plurimum abeſt intentio blaſphemandi, ſeù convicium inferendi Deo, aut falſum dicendi, ideò non ſunt verè blaſphemiæ, niſi ex conſcientia erronea. Vide Navar. *c.* 12. *n.*84.*&* 85.

188 Inter. 11. Blaſphemator hæreticalis eſtne cenſendus Hæreticus tàm in foro fori, quàm in foro poli, ità, ut non poſſit à quolibet Confeſſario abſolvi?

Reſp. Contrà evomentes blaſpemias hæreticales ſolùm Inquiſitores procedere poſſunt, ut tradunt plurimi Doctores, quos refert, & ſequitur Diana *par.* 4. *tract.* 7. *reſol.* 8. Alios refert Raynaldus *tom.* 1. *obſerv. cap.* 1. §. 1. *ad* 7. *num.* 61. *&* 63. & in Inquiſitione Romana habentur vehementer ſuſpecti de hæreſi, & ideò imponitur eis abjuratio *de vehementi*, ut teſtãtur Doctores penes eumdem Dianam *loco cit.* Itaque quando quis aliquod hæreſim manifeſtam ſapiens profert, in foro fori abſolutio Inquiſitoribus reſervatur; tamen non ſequitur ex hoc, quod in foro poli ſit cen-

Digitized by Google

cenſendus Hæreticus, ac per conſequés nōpoſſit à quolibet Cōfeſſario abſolvi quià ſi revera errorem nō habet in intellectu, & malè non ſentiat de fide, quivis cōfeſſarius illum abſolvere valet, dummodò talis blaſphemia nō ſit ex caſibus ab Epiſcopo reſervatis, ut rectè docent Gyptius *de caſ. reſer. c.6.caſ.4.n.83. & 84.* Zanard. *in direct. Theol.pa. 2.præcep. 1.c.11.* apud Dian. *pa.3.tr.4.reſ.143.ver.Idē tenet, & verſ. & tandem*, ubi etiam pro hac ſententia refert Turreblan. & Bannez. Vide igitur quæ Dicam *tum in tit.* 206. *ad Inter.* 2. *&* 3. *tum etiam in tit.* 215. *ad Inter.*13. nam militat eadem ratio.

TITULUS XXV.

De Bullis.

Vide tit. de Abſolut. à Reſer. ad quæſ. 1. *tit de Epiſcopat. &c. Inter.* 19. 22. *tit.de Falſif. litt. &c. inter.*2. *& ſeqq tit. de Jubil. ad quæſ. tit. de Largitmun. inter.6. & ſeqq. tit. de Lib.prob. Inter.* 1. 2. 3. 5. *tit. de Medic. Inter.* 6. *tit. de Paru. mat. Inter.* 9. *tit. de Regul. Inter.* 31. *tit. de reſt. accep. Inter.* 9. *tit. de Sac. Ord. Inter.* 7. *tit. de Simul. Inter.* 2. *tit. dd Val.Conf. Inter.* 14.

189 INter. 1. Poſſuntne Regulares ſine licentia ſuorum Superiorum, ſaltem virtute Bullæ Cruciatæ ſibi eligere Confeſſarium extraneum?

Reſp. Quidam dicunt poſſe pro non reſervatis tantum, alii verò pro reſervatis etiam poſſe ſibi eligere Confeſſarium extra Religionem ſine licentia; hos Authores refert Diana *par.* 1. *tra.* 11. *reſ.* 14. *par.* 9. *tra.* 6. *reſ.* 10. *verſ. Notandum eſt hic obiter, & par.* 11. *tra.* 4. *reſ.* 37. *&* 38. verum communis ſententia docet, nullo modo poſſe Regulares vigore dictæ Bullæ confiteri extra Religionem ſine licentia Superiorum. Lezana *par.* 1. *tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 29. nam Religioſi ſine expreſſa ſuorum Superiorum licentia uti non poſſunt facultatibus in Jubileis, aut Bullæ Cruciatæ confeſſionalibus, aut aliis, quibuſcumque Apoſtolicis indultis, quomodocumque hactenus conceſſis, & in poſterum concedendis; ut decrevit Gregorius XIII. pro Patribus Societatis Jeſu teſte Diana *par.* 3. *tra.*2. *reſ.* 49. Et quia dictum decretum eſt privilegium Religionis, ideòquè per communicationem fruuntur illo etiā aliæ Religiones, ut docet Tambur. *de Jure Abbat. tom.* 1. *diſp.* 16. *nu.* 1. immò Molfeſius apud Barboſam *in collect.adTrident.ſeſſ.23.deReſor.ca.15. num.* 12. teſtatur ſæpè fuiſſe deciſum, quod nunquam Bullis Jubilæi, aut Cruciatæ uti poſſunt Religioſi, quo ad effectum eligendi ſibi confeſſarium niſi in illis id clare exprimatur, & prò ſe plures concordantes refert; & hanc ſententiam communiorem, atquæ probabiliorem eſſe, fatetur idem Diana *loco cit. par.* 1. *tra.* 11. *reſ.* 14. maximè poſt conſtitutionem Clementis VIII. emanatam *die* 23. *Novembris* 1590. apud Quarantam *verb. Confeſſor pag.mihi* 197. tandem ſic ferunt B. Pium V. reſpondiſſe, dum de tali dubio interrogatus fuit. Vide Bon. *de Sac.diſ.5.q. 7. pu.4.§. 1. n.27.in fine.*

190 Inter. 2. Titius ingreſſus Monaſterium Monialium ad malum finem, poteſtne ab Epiſcopo abſolvi, aut à Confeſſario virtute Bullæ Cruciatæ?

Reſp. Dicunt nonnulli, quod non, ut videre licet apud Dianam *par.* 2. *tra.* 16. *reſ.* 35. tamen ipſe pluribus allegatis ſuſtinet poſſe Epiſcopum vigore Concilii Tridentini *ſeſſ.24.cap.6.* abſolvere dictum Titium ab excommunicatione, dummodò occulta ſit, contracta ex ingreſſu ad monaſterium Monialium contra prohibitionem Gregorii XIII. ac etiam Confeſſarium virtute Bullæ Cruciatæ: Et ratio ipſius eſt, quia cum in reſervatione talis excommunicationis non efficiatur mentio de Concilio Tridentino

tine, non cenſetur illi derogatum, ex communi Doctorum ſententia; Siquidem decreta alicujus Concilii generalis ità ſancita ſunt matura deliberatione, ut videantur continere vim Clauſulæ derogatoriæ ad alia decreta poſteriora contraria, niſi de illis ſpecificam mentionem faciant. Vide Doctores penes Dianam *loco cit.* ſed quia Merolla *tom. 1. diſp. 1. cap. 2. diffic. 10. num.* 527. refert ex aliis, Sacram Congregationem, & Gregorium XIII. reſpondiſſe, Epiſcopum non poſſe ab hoc caſu, etiam ſi ſit occultus, abſolvere; ideo cautè procedendum eſt; nam dictam Sac. Congreg. reſponſionem referunt etiam Gavantus *in man. verb. Abſolutio n.* 15. & Barboſ. *de poteſt. Epiſc. par. 2. alleg. 39. n.* 45. Conſulo igitur, ut Epiſcopus ſe abſtineat ab abſolvendo, eò magis, quia Fagnanus *in cap. quoniã de conſt. n. 30. & in cap. dilectus de temp. ordin. num.* 33. docet ex Sac. Congreg. Moniales ſecretò delinquentes in materia clauſuræ ab Epiſcopo abſolvi non poſſe. Denique [quod caput eſt] idem Fagnanus ibidem *num.* 30. refert Sacram Congregationem cenſuiſſe, Epiſcopum non poſſe abſolvere facultate ſibi tributa *in cap. 6. ſeſſ.* 24. in caſibus occultis poſt Concilium ex nova lege Sedis Apoſtolicæ reſervatis, cum clauſula [non obſtantibus] ergo &c. Vide *in tit.* 115. *ad Inter. 4. in fine.*

191 Inter. 3. Bulla Clementis VIII. de largitione munerum obligatne in in conſcientia ad ſui obſervationem?

Reſp. Scio quidem multos viros doctos in illa ſententia eſſe, quod ſupradicta Bulla non obliget in conſcientia, quia non fuit uſu recepta quoad pœnas, quæ in illa continentur; Hos viros doctos refert Diana *par. 1. tra. 6. reſ.* 1. Immò hanc ſententiam putat eſſe probabiliorem, unde fatetur, quod non condemnaret illum Religioſum, qui legitimè præſcriptum ſequeretur uſum ſuæ Provinciæ, & Religionis. Verum hoc nullo modo eſt dicendum, & multo minus prædicandum, tùm quia inter magis timoratos eſt in uſu, tùm etiam quia videtur innovata in Decretis Sac. Congregationis de Apoſtatis, & ejectis ſub Urbano VIII. emanatis, ut rectè obſervat Lezana *tom. 1. par. 1. cap. 6. num.* 55. quamobrem nil obſtat quin illa Bulla in aliquibus partibus non ſit uſu recepta, aut ſaltem abjerit in deſuetudinem, ut teſtatur Peyrinus *tom. 2. de ſubdito quæſt. 2. de paupertate cap. 2. §. 6.* nam in dictis decretis de Apoſtatis, & ejectis, ſic habetur. *Curent Superiores, ut conſtitutio interdicens largitiones munerum, & præſcribens hoſpitalitatis formam ab omnibus in quolibet Cõventu inviolabiliter obſervetur.* Sed vide iterum Lezanam *tom. 2. verb. dare, ſeù donare ſub num. 1. propè finem*, ubi alias adducit authoritates, & tandem ſic reſolvit. *Modò ergo his temporibus excluſa quacumque non receptione dictæ Conſtitutionis Clem. ſeù etiam conſuetudine in contrarium, eidem Conſtitutioni ſtare debent Regulares omnes &c.* & ità tenendum eſt omninò. Vide Barb. *in collect. in Trident. ſeſſ. 25. de Regular. cap. 2. num.* 34. & nota, quod Innoc. XII. in Conſt. ſuper facultatibus majoris Pœnitentiarii edita *Anno* 1692. §. *Munera*, clarè ſupponit præfatam Conſtitutionem Clementis VIII. vigere. Vide igitur ibi.

TITULUS XXVI.

De Calice Miſſæ.

Vide tit. de Abbatibus Inter. 2. tit. de Laic. Inter. 7. tit. de Reliq. Sac. Inter. 2. tit. de Vot. Inter. 20. 21. & ad Quæſ.

192 INter. 1. Quam pœnam incurrit qui in Miſſa utitur Calice non conſecrato? *Reſp.*

Digitized by Google

Reſp. Incurrit pœnam depoſitionis ab officio, & beneficio, ut habetur, *ex cap. ult. de celebr. Miſſarum*, & docet Bonac. *de Sac. diſp.* 4. *quæſt. ult. pun.* 9. *num.* 17. Lezana *verb. Calix num.* 2. & alii.

193 Inter. 2. Calix non conſecratus manetne conſecratus, ſi quis in eo bona fide celebret?

Reſp. Affirmat Diana *par.* 1. *tr.* 14. *reſol.* 69. *&* *par.* 5. *tract.* 13. *reſol.* 60. ſed Lezana probabilius docet contrarium; quià Eccleſia pro forma conſecrationis calicis verbalem benedictionem aſſignavit. Vide igitur, quæ ego firmabo *in tit.* 77. *ad Inter.* 15. ubi quæritur, ſi Sacerdos bona fide celebret in Eccleſia polluta, ſit iterum reconcilianda? & tene, ut ibi dicam; quià eſt probabilius, & tutius; nam eſt eadem ratio in utroque caſu, & ubi eſt eadem ratio, eſt eadē legis diſpoſitio. Vide *ad Inter. antecedent.*

194 Inter. 3. Calix, qui uſu aurum amiſit, & itèrum poſteà deauratur, quoad illã ſuperficiē, quę tangit sãguinē Chriſti, debetne denuò cõſecrari?

Reſp. Doctores communiter affirmativè reſpondent; quia conſecratio fit propter contactum corporis, & ſangvinis Chriſti Domini; ergo conſecrari debet de nouo, cum amittat conſecrationem calix, & patena, qui indigent nova deauratiòne, & de facto deaurantur; nam in eo loco in quo proxime fit contactus non eſt conſecratus calix, ſeù patena, ergo &c. Et licet aliqui oppoſitum doceant, tamen non eſt recedendum a communi ſententia, ut dixi, præſertim cum ſit probabilior, & tutiòr, vt docet Vaſquez *in* 3. *par. tom.* 3. *quæſt.* 83. *art.* 2. *diſp.* 233. Immò Reginaldus *in praxi tom.* 2. *lib.* 29. *ſect.* 6. *nu.* 199. contrariam docet periculoſam. Vide Dianam *par.* 2. *tract.* 3. *reſol.* 3. Lezanam *tom.* 2. *verb. Calix ſub num.* 5. Emm. Sà, & Sylveſtrum eodem *verb. num.* 2. & Bonac. *de Sac. diſp.* 4. *quæſt. vlt. pun.* 9. *num.* 19. qui tenet, ut dictum eſt ſupra, & concordat Armilla *verb. Calix num.* 3.

195 Inter. 4. Ad quem ſpectat conſecrare calices, patenas, & alia, in quibus requiritur ſacra unctio?

Reſp. De Jure Ordinario ſpectat ſolum ad Epiſcopum; quia eſt actus Ordinis Epiſcopalis, ut docent Sylveſter *verb. benedictio num.* 2. *&* 3. Barboſ. *de poteſt. Epiſc. par.* 2. *alleg.* 27. *num.* 35. apud Lezanam *loco proximè cit. num.* 3. Emm. Sà *verb. calix nu.* 3. Et licet quidam dicant ſpectare quoque ad quoſdam Abbates Benedictinos, & Ciſtercienſes ex privilegiis Summorum Pontificum; tamen notandum eſt, Sac. Congregationem aliter declaraſſe *anno* 1632. quam declarationem refert idem Lezana *ubi ſupra tom.* 2. *verb. Benedictio num.* 8. & hanc eſſe vltimam, & poſtremam omnium, aſſerit idem Auctor *verb. calix ſub num.* 3. conſequenter illi ſtandum eſt, donec ab eadem Sac. Congreg. aliud declaretur. Vide quæſo ea, quæ dixi *in tit.* 1. *de Abbatibus, ad Inter.* 2. *&* *ea, quæ dicam infrà in tit.* 175. *de Prælatis Regularibus, ad Inter.* 17.

196 Inter. 4. Conſecratio vini in Calice facta à Sacerdote, cenſeturne facta de guttis in Calice ſeparatis a toto vino exiſtente in fundo Calicis?

Reſp. Affirmat Bonac. *de Sac. diſp.* 4. *quæſt.* 2. *pun.* 6. *num.* 7. & abſolutè aſſerit omnes vini guttas, quæ ſunt in Calice, licèt ſeparatæ a vino, manere conſecratas, & ratio ipſius eſt, quia intentio Sacerdotis ferri videtur circa totam materiam in Calice exiſtentem, quæ demonſtratur per particulam *hic*, ut patet à ſimili de conſecratione plurium hoſtiarũ in eodem vaſe exiſtentium. Verùm alii, quos refert, & ſequitur Diana *par.* 2. *tract.* 17. *reſol.* 16. *&* *par.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 32. dicunt, quod totum

illud

illud vinum cenſeri debet conſecratum, quod per modum unius continui potabile exiſtit in fundo Calicis, & non illæ guttæ vini ſeparatæ a toto vino,quod in Calice ipſo continetur, ob defectum intentionis, nam intentio habenda circa materiam Calicis eſt, ut Sacerdos intendat conſecrare illud vinum per modum unius continui potabile, quod intra Calicem exiſtit, ut docet Reginaldus *in praxi tom. 2. lib. 28. cap. 2. num.* 19. Expedit tamen prius omnes guttas,præſertim remotas, abſtergere, & tunc ſimpliciter omnem materiam conſecrabilem, quæ eſt in Calice, conſecrare, ne materia non conſecrata miſceatur conſecratæ, & hæc doctrina, quæ eſt Coninchi *de Sac. q.* 74. *art.* 2. *dub.* 3. *num.* 43. mihi magis placet. Sed vide Layman *lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 14.

TITULUS XXVII.

De Canonicis.

Vide tit. de Aetat. &c. Int. 4. *tit. de Cler. ad quæſ.* 3. *tit. de Fid. prof. Int.* 1. 2. *tit. de Hor. can. &c. Int.* 8. 9. 10. *tit. de Sepul. par. Int.* 4.

197 INter 1. Defectus nobilitatis, vel eminentis ſcientiæ repellitne à conſecutione præbendæ in illis Eccleſijs, quæ nobiles dumtaxàt viros, & eminentis ſcientiæ recipere ſolent?

Reſp. Juxtà Sac. Canones illi non debent repelli, quia non generis, ſed virtutum nobilitas, vitæque honeſtas gratum Deo faciunt. *cap. Venerabilis de præbend. & dignit. ubi Gloſ.* inquit quod ſolum S. Paulus, & S. Bartholomæus nobiles fuerunt, alij autem Apoſtoli ignobiles, & pauperes, & tamen electi fuerunt ad regimen Eccleſiæ, quia, ut ait S. Ambroſius, *Summa apud Deum nobilitas eſt, clarū eſſe virtutibus.* Cœterum neceſſarium non eſt,quod quis ſit eminentis ſcientiæ, ideò vide Concilium Trident. *ſeſſ.* 22. *de reform. cap.* 2.

198 Inter. 2. Poteſtne Epiſc. cogere Canonicos, & confeſſarios ſub pœna pecuniaria, ut ad Congr. caſuum conſcientiæ interveniant?

Reſp. Barb. *Collect. DD. ad Trid. ſeſſ.* 5. *de reform. cap.* 1. *num.* 7. affirmativè reſpondet, imò ex alijs docet, ità fuiſſe deciſum à Sac. Congr. Sed intellige de Canonicis confeſſariis, ut Sac. Congr. declaravit in una Urbitanen. *die* 10. *Mar.* 1663. Nota verò, quod licèt Epiſc. poſſit imponere pœnam pecuniariam in multis caſibus, ut docet Diana *par.* 10. *tr.* 8. *reſ.* 1. 2. 3. 4. 5. tamen debet eſſe moderata, itaut imponatur potiùs correctionis zelo,quàm lucri cupiditate; ità docet Riccius *in praxi for. Eccleſ. par.* 1. *reſ.* 330.

TITULUS XXVIII.

De Canonico Pœnitentiario.

199 INter 1. Quas conditiones debet habere Canonicus Pœnitētiarius, qui vigore Tridentini *ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 8. in omnibus Cathedralibus Eccleſiis inſtituitur?

Reſp. In primis requiritur quod ſit in ætate 40. annorum completorum, ut docet Barb. *de poteſt. Epiſ. par.* 3. *alleg.* 55. *num.* 9. ſed Moronus mox citandus dicit ſufficere, quod quadrageſimus annus ſit inceptus, & hoc ego puto veriùs cum Diana *par.* 10. *tract.* 16. *reſ.* 86. Morono, & aliis, quia annus inceptus habetur pro completo in tali caſu. 2. requiritur, quod ſit Magiſter, vel Doctor, aut licentiatus in Theologia, vel in jure Canonico; ſed dato nullū eſſe in Diœceſi, qui ſit doctor, aut licentiatus in Theologia, vel in jure Canonico, poteſt quidem quæri extrà Diœceſim, ſed omninò habere de-

bet

bet gradum ſcientiæ, maturitatem ætatis, & morum probitatem, Barb. *vbi ſupra*, Moronus *in ſuis Reſp.* 97. *ſub num.* 35. & alij penes ipſos, Imò deciſum fuiſſe dicunt à Sac. Congregatione officium Pœnitentiariæ non eſſe conferendum Doctori, qui dicebatur eſſe valdè ignarus, & rectè quidem, nam Doctori non eſt credendū propter dignitatem, ſed propter doctrinam, ut inquit Lezana *tom.* 2. *verb. opinio num.* 3. ſiquidem turpe eſt Doctori ignorare leges, in quibus verſatur, *habetur ex l.* 2. §. *ſervus ſulpitius ff. de origine juris*.

200 Inter. 2. Canonicus Pœnitentiarius electus vigore Tridentini *ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 8. poteſtne ex vi muneris ſui abſolvere à caſibus Epiſcopo reſervatis.

Reſp. Dico, quod non, quia nullo jure ei ratione officij cōpetit talis facultas, niſi ſpecialiter concedatur ab Epiſcopo. Ita tradunt Navar. *conſ.* 28. *tit. de pœnit. & remiſ. in novis*, Zerola *in praxi Epiſ. par.* 1. *verb. dimiſſoriæ* §. 1. Riccius *in praxi aur. reſ.* 179. *in fine*, & alii, quos dat, & ſequitur. Barb. *in Collect. Trident. ſeſſ.* 24. *cap.* 28. *num.* 25. quibus addo Pacem Jordanum *tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 4. *ſub nu.* 10. *verſ. neq; Pœnitentiarius*, Moronum *Reſp.* 76. *numer.* 104. & *ſeqq.* & Dianam *par.* 9. *tr.* 8. *reſ.* 11. & 12.

TITULUS XXIX.

De Capitulo Sede vacante.

Vide tit. de Monial. Int. 3. tit. de Vic. Capi.

201 INter. 1. Capitulum, ſede vacante, habetne facultatem diſpenſandi, & abſolvendi conceſſam Epiſcopis in Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6.?

Reſp. Negat Bonac. *de cenſ. diſp.* 7. *quæſt.* 5. *pun.* 1. *num.* 6. & alii penes ipſum, & apud Dianam *par.* 4. *tra.* 4. *reſol.* 211. & *par.* 7. *tract.* 2. *reſ.* 3. qui locis citatis pluribus relatis ſatis probat dictam facultatem habere etiam Capitulum ſede vacante, & hanc ſententiam præter alios, amplexi ſunt Sanchez *de Matrim. lib.* 8. *diſp.* 2. *num.* 10. Barboſa *de Poteſt. Epiſc. par.* 2. *alleg.* 39. *num.* 16. Gavantus *in Man. Epiſc. verb. Capitulum ſede vacante num.* 48. & alii plures apud ipſos, quibus ipſe aſſentior. Vide Dianam *par.* 7. *tract.* 2. *reſ.* 3. *cit. ſuprà*, ubi aſſignat rationem, quæ quidem ſatis cōcludit in favorē Capituli.

202 Inter. 2. Poteſtne Capitulum, ſede vacante, dare licentiam volenti Eccleſiam ædificare, ut acquirat in ea Juſpatronatus; & poteſtne præſtare conſenſum donationi Juriſpatronatus?

Reſp. Poſſe dare prædictam licentiam ego non dubito, quia Capitulum ſede vacante ſuccedit in omnem juriſdictionē ordinariam Epiſcopo cōpetentem, *ut dicam in hoc titulo ad Inter. ultimam*, & hanc ſentētiam docent Lambertinus *de jurepatron. par.* 2. *artic.* 9. Gargias *tom.* 1. *de benefic. par.* 5. *cap.* 9. *num.* 79. Barboſ. *de poteſt. Epiſco. tom.* 3. *allegat.* 70. *num.* 23. qui tamen *allega.* 71. *num.* 24. ſubddit cum Gratiano *diſcept. foren. cap.* 303. *num.* 10. & *ſeq.* Non poſſe Capitulum præſtare aſſenſum donationis iuriſpatronatus, quod ſi de facto id faciat, putat præſtare titulum coloratum ad præſcribendum *ex deciſ. Seraphin.* 88. *num.* 2. Vide Dianam *par.* 8. *tract.* 4. *reſol.* 54.

203 Inter. 3. Capitulum Sede Vacante poteſtne viſitare Diœceſim, ſicut poterat viſitare Epiſcopus?

Reſp. Dico, quòd poteſtas Epiſcopis conceſſa viſitandi Eccleſias Epiſcopatui ſubiectas tranſit ad Capitulum Sede Vacante, ſed poſt lapſum anni à die vltimæ Viſitationis per Epiſcopum factæ; Et dummodò

Digitized by Google

de proximo Eccleſia nõ ſit de Paſtore prouidenda. Ita Aldanus *in compen. Canon. reſol. lib. 2. tit. 16. num. 3. & ſeq.* Qui etiam plures fuiſſe deciſum à Sac. Cong. teſtatur. Vide alios quam plurimos Doctores, quos refert, & ſequitur Barboſ. *in Collect. Trid. ſeſſ. 24. de reform. cap. 3. n. 4. 5. 6. & 8.* Item vide Molinam *de Iuſt. to. 6. tract. 5. diſp. 11. num. 7.* & multos alios; quibus adhæret Diana *par. 8. tr. 4. reſ. 13.* Et hæc ſententia mihi valdè probatur, quia Capitulum Sede Vacante ſuccedit in Juriſdictione Ordinaria Epiſcopi, ut DD. communiter dicunt.

204 Inter. 4. Capitulum Sede Vacante ſucceditne in omnibus, quæ ad ordinariam Epiſcopi juriſdictionem pertinent?

Reſp. Communior, & probabilior ſententia eſt, Capitulum Sede Vacante venire nomine Epiſcopi, ipſique competere ea omnia, quæ competunt Epiſcopo jure communi, & juriſdictione ordinaria, & colligitur ex diverſis juribus citatis per Dianã *par. 8. tr. 4. reſ. 1.* vbi etiam plures Doctores pro hac ſententia refert. Vide Cabrinum *Elucid. caſ. reſer. par. 1. reſ. 118.* qui hanc ſuſtinet ſentẽtiam, & pluribus allegatis docet poſſe Capitulum Sede Vacante diſpenſare in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto proveniẽtibus, in quibus poteſt Epiſcopus vigore *Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 6.* Idem tenet Diana *loco cit. reſ. 7. & par. 7. tract. 2. reſ. 3.* Concludendum eſt itaque, capitulum Sede Vacante ſuccedere in juriſdictionibus Epiſcopo de jure cõmuni ſpectantibus; nòn autem competentibus de jure gratioſo, & ſpeciali, ut ſunt cauſæ delegatæ, ut docet Abbas *in cap. verum de foro compet. numer. 9.* Fran. Leo *in Theſaur. fori Eccleſ. par. 2. cap. 10. num. 8.* & conſtat ex his, quæ habet idem Cabrinus loco ſupracit. & Diana *eo reſ. 7. verſ. Nec obſtat.*

TITULUS XXX.

De Cappellania, & Cappellanis.

Vide tit. de Simon. Int. 8.

205 INter. 1. Cappellanus quotidiè obligatus ad celebrandum, poteſtne tuta conſcientia aliquando non celebrare?

Reſp. Si inſtitutio miſſæ dirigatur ad perſonam Sacerdotis, ut ſi dicatur, eligatur Cappellanus, qui quotidiè celebret, poteſt tutâ conſcientia ſemel in hebdomada à celebrando vacare, iuxtà *cap. Significatum, de præben.* Emm. Sà *verb. miſſa. num. 46.* Bonac. *de Sacr. diſp. 4. quæſt. ult. pun. 7. §. 2. n. 16. & 17.* Lezana *tom. 3. verb. miſſa num. 42.* Diana *par. 2. tract. 14. reſ. 28.* & alii apud ipſos. Sed non poteſt in tali die celebrare miſſam pro aliis, & accipere ſtipendium, ut docent Doctores communiter. Nullus enim tenetur quotidiè celebrare, ſed debet celebrare ſalua reverentia, & debita honeſtate, ut habetur *ex cap. Significatum cit.* & docet Sylveſt. *verb. miſſa 1. §. 7.* Navar. *conſ. 6. de præben.* Tolet. *lib. 2. cap. 3. num. 1.* Emm. Sà *ubi ſupra*, & alij communiter. Secus autem dicendum eſt, ſi Inſtitutor Cappellaniæ dixerit, quod per ſe, vel per alium, Cappellanus celebret, vel ut dicatur ab ipſo quotidiè miſſa in tali Eccleſia, vel in tali Cappella, tunc enim Sacerdos, qui huiuſmodi onus habet, ſine ulla vacantia, tenetur quotidiè celebrare, ut docent præcitati Doctores, & alii omnes. Sed vide infrà *in hoc titulo ad Inter. 7.* & Dianam *par. 10. tract. 14. reſol. 37.* & Armillam *verbo Miſſa numer. 29.*

206 Inter. 2. Cappellanus, qui per aliquot dies ægrotat, & non poteſt celebrare, teneturne per alium Sacerdotem ſupplere?

Reſp.

Reſp. Si Fundator Cappellaniæ ſuam mentem non explicavit, probabiliter docent Auctores non teneri per aliũ ſupplere, præſertim ſi Cappellanus ægrotaret per octo, vel decem dies dumtaxat. Ita Riccius *par.* 1. *reſ.* 140. *num.*5. Barb. *de poteſt. Epiſc. par.* 2. *alleg.* 24. *num.* 31. & alii apud Dianam *par.* 9. *tract.* 2. *reſ.* 27. Alii verò putant hoc eſſe verum, etiã ſi Cappellanus per ſpatium duorum menſium ægrotaret, ſed minus probabiliter quidem, nam tale dictum impugnatur, & meritò a Genuenſi *in praxi cap.* 47. *num.* 2. Diana tandem meo videri melius concludit, dicens, quod ſi Cappellani infirmitas non excedat quindecim dies, non obligaret illum ad Miſſas celebrandas, nec per ſe, nec per alium. Nam id poteſt de mente Fundatoris prudentiſſimè præſumi, niſi tale Beneficium, aut nota conſuetudo id non permittat, tunc enim maiore rigore vrgebit hæc obligatio quotidiana. Sed vide Paſqualigum *de Sacrif. Miſſæ quæſt.* 1122.

207. Inter. 3. Cappellanus, vel alius, qui ſimplici beneficio cum onere Miſſarum gaudet, poteſtne ſine licentia Epiſcopi alium idoneum ſubſtitutum deputare pro tali munere?

Reſp. Si in inſtitutione Cappellaniæ expreſsè fuit diſpoſitum, ut Cappellanus per ſe ipſum celebret, tunc per alium ſubſtitutum ſatisfacere non poteſt, quia ita declaratum fuiſſe à Sac. Congregatione, teſtatur Campanil. *rubr.* 7. *cap.* 6. *numer.* 13. Verum ſi hoc cautum non ſit in Inſtitutione Cappellaniæ, mihi non eſt dubium, quod poſſit Cappellanus ſine licentia Epiſcopi per alium ſubſtitutum ſatisfacere, quia nullum aliud onus habet, niſi celebrandi Miſſas, & non miniſtrandi Sacramenta, ut debet Vicarius Parochi, qui quidem non poteſt ſubrogari à Parocho, niſi de Epiſcopi licentia. Vide Dianam *par.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 87. qui ſic cum Fraxinello rectè cõcludit. Imò Barb. *in Collect. DD. in Triden. ſeſſ.* 25. *cap.* 5. *de reform. num.* 4. ex Garz. de Beneſic. *par.* 7. *cap.* 1. *numer.* 87. dicit deciſum à Sac. Congregatione, quod Epiſcopus non poſſit cogere obtinẽtem Cappellaniam, ut ipſemet celebret, licèt in eius fundatione diſponatur, quod Rectores celebrent, nam iſtis oneribus Miſſarũ rectè per ſubſtitutum ſatisfit, & hoc mihi valdè probatur.

208 Inter. 4. Quidam Cappellanus habet Cappellam, quæ pro paucis miſſis dicendis pingue ſtipendium reſpondet, ſi per alium Sacerdotem ſacra celebrentur, ſufficitne, quod Cappellanus det juſtum, & conſuetum ſtipendiũ, vel debet illi præbere totũ id, quod ſua Ceppellania reſpondet?

Reſp. Sufficit dare ſubſtituto juſtam ſtipem, & conſuetam, juxtà morem Patriæ, & ratio eſt, quià Cappellanus illud reliquum retinet titulo Beneficii, & Cappellaniæ; cum non tribuatur ei tantum pro miſſis dicendis, ut benè reſoluunt Philiarchus *in Sum. par.* 1. *lib.* 2. c. 14. Cenedus *in qq. Can. quæſt.* 27. *num.* 12. *in fin.* Poſſevinus *de Offic. Curati cap.* 2. *num* 18. Villalobos *in Sum. par.* 1. *tract.* 8. *diffic.* 17. *num.* 1. Ledeſma *in Sum. tom.* 1. *de Euch. cap.* 19. *concl.* 13. apud Dianam *par.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 11. qui ſic etiam declaraſſe Sac. Congregationem teſtatur. Nam Sac. Congregatio ad octavum dubium reſpondit, non habere locum Decretum Urbani VIII. in hoc caſu, niſi in fundatiòne beneficii aliud cautum fuerit, ſed ſatis eſſe, ut Rector beneficii tribuat Sacerdoti celebranti Eleemoſynam congruam ſecundum morem Civitatis, vel Provinciæ. Vide pro hac ſententia Rotarium *in Appar. pro exam. Cler. cap.* 7. *ſect.* 2. *num.* 30. & *Campion. Inſtr. pro ordin. cap.* 39. *num.* 66.

209 Inter. 5. Cappellanus quotidiè obligatus ad celebrandum, teneturne tres miſſas in die Nativitatis Domini applicare pro Inſtitutore Cappellaniæ, & etiam in die Commemorationis omnium Defunctorum?

Reſp. Dico primo non teneri niſi unam Miſſam applicare prò Inſtitutore Cappellaniæ in die Nativitatis Domini. Ità Paſqualig. *de ſacrific. Miſſæ quæſt.* 1133. ex aliis quatuor, qui benè probat ità. Obligatio celebrandi quotidiè ſufficientèr impletur per celebrationem unius Miſſæ, nam ſalvatur, quod celebraverit prò Fundatore, & ideò nihil ampliùs poteſt Fundator à Cappellano exigere. Dico ſecundo in die Commemorationis omnium Defunctorum non poſſe Sacerdotem pro aliquo particulari defuncto celebrare, ſed pro omnibus Defunctis in Purgatorio exiſtentibus in communi, & hanc eſſe Eccleſiæ mentem, probat Fraxinellus, quem reperies apud Dianam *loco ſuprà cit.* Sed hanc doctrinam Fraxinelli validè impugnat Paſqualig. *quæſt.* 1134. cui certum eſt, non adeſſe hanc obligationem; docet tamèn *num.* 4. Commemorationem omnium Defunctorum eſſe cauſam ſufficientem prò interpetranda voluntate Fundatoris, quod contentus ſit, quod illa die Cappellanus offerat prò omnibus Defunctis in communi, vel pro aliquo particulari ad ſe pertinente. Vide eundem Paſqualigum *loco cit.* & Dianam *par.* 4. *tra.* 4. *reſ.* 68. *verſ. Notandum eſt*, & ibidem *reſol.* 166. *verſ. Nota etiam*.

210 Inter. 6. Cappellanus obligatus ad celebrandum in certo Templo, Oratorio, vel Altari, peccatne mortalitèr alibi celebrando, & teneturne ad reſtitutionem?

Reſp. Peccare mortalitèr docent quamplures Doctores, quos ſequitur Diana *par.* 2. *tract.* 14. *reſ.* 29. & rectè quidem, nam infidelitèr ſe habet frangendo promiſſum in re magni momenti, quamvis ipſe Diana excuſet Cappellanum, qui bis, vel ter in Anno in tali Cappella, ſive Altari non celebret, proptèr parvitatem materiæ: Imò notat, quod ſi Cappellanus in deſignato loco minimè celebravit, & aliquod indè ſuffragium defunctis ſubtraxerit (cum aliqui ad eũ locum conveniſſent, ut ſacrum audirent, & mortuos precibus adjuvaſſent) teneatur ipſe Cappellanus in conſcientia hujuſmodi defectum aliis precibus compenſare. Vide Navar. *cap.* 25. *num.* 154. & Azorium *lib.* 10. *tom.* 1. *cap.* 24. *quæſt.* 8. Cœterum ad reſtitutionem non tenetur, quià juſtitiam non violavit, ſed tantum fidem, niſi obligatio eſſet celebrandi in Altari Privilegiato, quià tunc Teſtator damnum pateretur gravè, ut optimé obſervat Diana *par.* 9. *tract.* 2. *reſ.* 15. & alii ab ipſo relati. Vide Bonacinam *de Sacr. diſp.* 4. *quæſt. ult. pun.* 7. §. 4. *num.* 2. & 5.

211 Inter. 7. Cappellanus obligatus ſingulis diebus Miſſam pro aliquo celebrare, poteſtne tuta conſcientia in quolibet Anno aliquandò pro ſe, vel pro aliis Sacrificium applicare?

Reſp. Naldus *in Sum. verb. Miſſa n.* 7. & Homobonus de Bonis *in Exam. Eccleſ. par.* 3. *tract.* 4. *cap.* 1. *quæſt.* 1. *reſ.* 2. quibus addo Peyrinum, & Tamburinum, quos refert, & ſequitur Antonius à Spritu Sancto *par.* 2. *tract.* 7. *diſp.* 6. *ſect.* 4. probabilitèr putant ex aliqua ingruenti neceſſitate licere Cappellano aliquando per Annum, puta quater, vel ſexies pro ſe ipſo, vel ſibi conjuncto ad aliquam à Deo gratiam obtinendam celebrare, & ratio horum eſt, quià Inſtitutor Cappellaniæ hoc ei non negaſſet, ſi de tali caſu cogitaſſet, vel interrogatus ifuiſſet. Talem opinionem non impugnat Diana *par.* 4. *tra.* 4. *reſ.* 86. Vide Paſqualig. *de Sac. Miſſæ q.* 1129. *num.* 5. qui optimè ad intentum concludit.

212 In-

212 Inter. 8. Cappellania poteſtne conferri Clerico minorum Ordinum: ſi Teſtator dicat, ut Cappellania conferatur Sacerdoti?

Reſp. Si in fundatione talis Cappellaniæ cautum non eſt, ut Cappellanus per ſe ipſum Miſſas celebret, non tenetur promoveri ad Sacerdotium, ſed debet curare, ut per alium Miſſæ in illa celebrentur, ut ex Garzia docet Barb. *in collect. DD. in Trident. ſeſſ.* 25. *cap.* 5. *num.* 6. Conſequenter dicendum eſt, quod Cappella in caſu noſtro poſſit conferri Clerico minorum Ordinum, & licèt ſolum habeat annos quatuordecim, nam niſi expreſsè caveatur à teſtatore, quod Sacerdos per ſe ipſum celebret, poteſt quidem per alium celebrare, ut tenet Gonzalez *ad Regul. Cancell. Gloſ.* 5. *num.* 24. apud Dianam *par.* 2. *tract.* 14. *reſ.* 18. *verſ. Nota etiam*, qui Diana *par.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 227. idem ſuſtinet cum Lara, Barboſa, & Caſtropalao *tom.* 2. *tract.* 13. *diſp.* 1. *punc.* 6. *num.* 18. Undè ſi Teſtator dicat, Inſtituatur Cappellanus, qui Miſſas celebret, non ſequitur ex hoc Cappellaniam actu, vel aptitudine proxima, debere eſſe Sacerdotalem, ac proindè conferri poteſt conſtituto in ætate 14. annorum, ut dixi. Vide infrà *in tit.* 83. *ad Inter.* 42.

213 Inter. 9, Quid facere poſſunt, vel facere nequeunt Cappellani Confraternitatum in earum Eccleſiis?

Reſp. Dico quod Confraternitates non poſſunt in eorum Eccleſiis per ſuos Cappellanos facere ſolemnitèr celebrare, Confeſſiones audire, ſepelire, Sacramenta miniſtrare, & alia hujuſmodi, quæ ad ſolum Parochum ſpectant abſque expreſſa Ordinarii licentia, aut illius Parochi intra fines cujus Parochiæ Eccleſiæ Cōfraternitatum conſiſtunt. Ità à Sac. Congregatione refert deciſum Barboſ. *in collect. Bullar. verbo Confraternitates*, Lezana *tom.* 4. *conſ.* 24. *num.* 59. Bordonus *tom.* 3. *var. reſ.* 72. *ſub num.* 23. Nicolius *in Floſ. verb. Confraternitas num.* 19. & in terminis juris communis, ſecluſis privilegiis in contrarium, deciſio Sac. Congregationis eſt certiſſima, ut videre licèt *in cap. Eccleſiæ, & cap. Quicumque,* 16. *quæſt.* 1. *cap. Ad audientiam* 3. *de Eccleſ. ædific. cap. Paſtoralis de his quæ fiunt, & in Rubr. de Parocho.* Item non poſſunt, nec debent Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum in ſuis Eccleſiis tenere, niſi ex cauſa, & expreſſa licentia Ordinarii: Sac Congreg. *die* 3. *Aprilis* 1632. *in una Aſculana*; Nicolius *ubi ſuprà num.* 26. qui etiam dicit non poſſe Epiſcopum concedere Eccleſiæ non Parochiali dictā facultatem, ſed eſſe neceſſarium Privilegium Apoſtolicum, prout habent Eccleſiæ Regularium utriuſque ſexus. Verùm poſſunt facere ſolas proceſſiones, quando non fiunt in Parochiali, & primaria Eccleſia. Item poſſunt in eorum Eccleſiiis prædicare facere à Concionatore aliàs ab Ordinario approbato, benedicere Palmas, ignem, & aquam, ut habetur ex declaratione ejuſdem Sac. Congregationis apud Barboſ. quem refert Bordonus *loc. cit.* Sed oppoſitum aſſerit Nicolius *ubi ſuprà verb. Parochus num.* 18. ex Sac. Congregatione Rit. 28. *Maii* 1602. ſcilicet ad Parochum, non autem ad Cappellanum pertinere hujuſmodi benedictiones facere, nempè Cinerum, Candelarum, Ramorum Olivæ, Ovorum, aliarumque novarum frugum, & ità tenendum puto, niſi adſit conſuetudo in contrarium, & ſit ſufficienter præſcrpta, quia ita reſcripſit Sac. Congregatio Epiſcopo Cajetano *die* 26. *Martii* 1602. & Epiſcopo Senogallien. *die* 7. *Januarii* 2604. Teſte Nicolio *verb. Parochus ſub num.* 17. ſed vide Lezanam *tom.* 1. *par.* 2. *cap.* 15. *n.* 29. & 31. & *tom.* 4. *conſ.* 24. *per totum.*

TITU-

Digitized by Google

TITULUS XXXI.

De Carceratis.

Vide tit de Irreg. ad quæſ. 1.

214 INter. 1. Peccatne mortaliter Carceratus non audiendo Miſſam, quam omninò audire non poteſt, ſi ipſe ex conſcientia erronea putat ſe peccare mortaliter?

Reſp. Dico, quod non, quia non eſt in ſua poteſtate illam audire. Bonac. *de Peccat. diſp.* 4. *quæſt.* 4. *pun.* 6. *n.* 24. cui ſubſcribit Nicol. *in Floſ. ver. conſcient. n.* 2. nullũ eſt peccatũ, inquit ipſe Bonac. niſi voluntariũ, talis autẽ omiſſio Miſſæ non eſt volũtaria, cũ detentus in Carcere nequeat Miſſam audire, ergò non peccat.

215 Inter. 2. Titius in carcere detentus dimittitur à Cuſtode, vel Judice, cum juramento redeundi, teneturne Titius redire, etiamſi immineat ei capitalis ſententia.

Reſp. Dicunt nonnulli teneri etiã cum vitæ periculo. Vide DD. apud Bonac. *de præcep. decal. diſp.* 4. *quæſt.* 1. *pun.* 8. *num.* 2. *verſ. Secundo ſequitur* addentes prætereà, quamvis ſciat ſe ob id mortem obiturum, eamque ſibi inferendam injuſtè, quod tenet etiam Cajet. *in* 2. 2. *quæſt.* 89. *art.* 7. ad 4 & alii penes Dianam *par.* 9. *tract.* 8. *reſ.* 57. niſi tamen juramentum relaxetur per Epiſcopum. Vide Em. Sà *verb. Juramentum num.* 11. Limitant tamen aliqui apud Bonac. *ubi ſup*: niſi fortè jurauerit cum æquivocatione, aut niſi tempore juramenti inſcius eſſet tanti periculi. Tandem dicunt alij non teneri redire ſi iniquè detentus erat in carcere, puta quia innocens de facto, tamen juxtà allegata, & probata cenſetur reus, & nocens, & pro hac ſententia ſunt Navar. *in man, cap.* 12. *num.* 18. Vaſquez, & Reginaldus, quos citat, ſed non ſequitur Bonac. Ego tamen ſic concludo cum Tolet. *lib.* 4. *cap.* 22. *num.* 2. Quod ſi Titius contra juſtitiam detinebatur in carcere, & intellexit ſe obligare, & redire, peccat mortaliter, ſi non redeat; ſecus ſi æquivoce jurauit, nàm æquivocatione uti poterat, ſi reverà innocens erat de facto, nec peccat nõ redeundo: Jta etiam tenet Sylveſt. *verb. Juramentum* 4. *numer.* 26. Latè tractat de hac materia Sanchez *in Sum. lib.* 3. *cap.* 11. *à num.* 27. *uſque ad* 37. *& in Opuſc. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 4. *dub.* 16.

TITULUS XXXII.

De Cardinalibus.

Vide tit. de Aetat. &c. Int. 5. *tit de Decret. Int.* 4. *tit. de Electior. &c. Int.* 5. *tit. de Infam. Int.* 2. *tit. de Teſtib. &c. Int.* 3.

216 INter. 1. Poſſuntne Cardinales in ſuis titulis abſolvere, & diſpenſare ſuos ſubditos in caſibus occultis, ſicut poſſunt Epiſcopi vigore Concil. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de reform.*

Reſp. Quamvis Diana conatur probare affirmativam, ut videre eſt *par.* 5. *tract.* 2. *reſ.* 59. tamen diſcedendum non eſt à negativa ſententia per ea, quæ tradit Fagnanus *in cap. Ne pro dilatione de pœnit. & remiſſ. ſub num.* 42. nam ibidem ſic habet: *Et quamvis olim dubitatum in Sac. Congregatione Concilii an Cardinales, qui habent titulos Eccleſiarum Urbis, poſſint in ſuis Eccleſiis titularibus, & earum ſubditis, uti illis facultatibus, quæ à Concil. Trident. tributæ ſunt Epiſcopis in ſuis Civitatibus, & Diœceſibus, & ſpecialiter illis, quæ comprehenduntur ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *Facta relatione Sanctiſſimo, Sanctitas ſua dixerit ſe nolle ea, ut quæ Epiſcopis conceſſa*

ceſſa ſunt à Concilio, competant Cardinalibus in ſuis titulis, quia licèt habeãt quaſi Epiſcopalem juriſdictionem, ibi tamen verè, & propriè non ſunt Epiſcopi: Nihilominus hæc deciſio, ut in libris Sac. Congreg. eſt adnotatum, intelligenda eſt quoad facultatem conceſſam à Concilio; Extra illas autem ſalva manet juriſdictio Cardinalium in ſuis titulis juxtà notata in cap. His quæ de maior. & obed. Hactenus Fagnanus; ergo &c. Vide Reſponſionem *ad Inter. 3. huius tituli*.

217 Inter. 2. Cardinales poſſuntne conferre primam Tonſuram, & minores ordines in ſuis titulis?

Reſp. Certo poſſunt: ſed ſuis familiaribus, & dummodò tales Cardinales ſint præsbyteri, vt docent plures Doctores, quos refert, & ſequitur Barboſ. *in Collect. ad Triden. ſeſſ. 23. cap. 9. num. 3. & de poteſt. Epiſc. par. 2. alleg. 5. num. 19.* Sylveſt. *verb. Ordo 3. q. 2.* Bonac. *de Sac. diſp. 8. q. vnica pun. 4. num. 3. & tom. 3. diſp. 3. q. 1. pun. 11. ſub num. 4.* in fine, & alii plures, quos congerit, & ſequitur Diana *par. 5. tract. 2. reſ. 5.* Immò Barboſa *de poteſt. Epiſc. loco ſupracit.* teſtatur ità ſenſiſſe Rotam *in una Cremon. 3. Decemb. 1582.* & hoc procedit ex conſuetudine, quæ licèt dare non poſſit juriſdictionem, eſt tamen ſignum eam habere à Summo Pontifice, unde audiendi non ſunt qui oppoſitum docent. Vide Lezanam *to. 2. verb. Cardinalis n. 5.* & Fornarium *de Sac. Ordinis ſub n. 2.* vbi ſic inquit. *Cardinalibus autem hoc ex conſuetudine conceſſum eſt, ut notat Soto, Henriquez, & Valentia.*

218 Inter. 3. Cardinales poſſuntne leges ferre in ſuis titulis, ligantes in conſcientia? & quid facere poſſunt in Eccleſiis ſuorum titulorum?

Reſp. De hoc minimé eſt dubitãdum, quia in illis Cardinales habent juriſdictionem quaſi Epiſcopalem; Ità docent quamplurimi DD. quos refert, & ſequitur Diana *loco proximè cit. reſ. 71.* loquens de legibus ferendis. Item poſſunt concedere indulgentias centum dierum, ex conſuetudine, vel facultate Papæ, cognoſcere de cauſis Clericorum ibi, excommunicare, ſuſpendere, interdicecere, aſſiſtere, & dare licentiam aſſiſtendi matrimoniis, conferre beneficia, quando tamen ipſi Cardinales ſunt in Vrbe, ac etiam recipere reſignationes Beneficiorum exiſtentium in ſuis titulis. Ità aliis allegatis docet Lezana *tom. 2. verb. Cardinalis ſub num. 5.* & Diana *par. 5. tract. 2. per totum*, ubi plura ad intentum reſoluit, quæ ad Eminentiſſimos Cardinales pertinent. Vide ſupra *ad Inter. antecedentem*.

219 Inter. 4. Electus ad Cardinalatum amittitne omnia beneficia Eccleſiaſtica, quæ habet?

Reſp. Circa tale dubium extat quoddam Decretum ſub Syxto V. de anno 1588. *die 16. Martii*, in quo ſic habetur. *Sanctiſſ. D. N. Syxtus Papa V. decrevit, quod per promotionem ad Cardinalatum vacent omnes Eccleſiæ, & omnia beneficia cujuſcumque nominis & tituli ſint, niſi fuerit data retentio, quæ conceſſa intelligatur, & data ad Patriarhales, Metropolitanas, & Cathedrales Eccleſias, & Monaſteria, etiam commendata, ad Prioratus, & cætera omnia beneficia, quæ videntur convenire dignitati præeminentiæ Cardinalatus. Ad alia verò, quæ videntur repugnare dignitati, & gradui Cardinalatus, puta Archipresbyteratus, Archidiaconatus, Decanatus, Canonicatus, & ſimilia beneficia non extendatur, cum obtinentes hujuſmodi beneficia teneantur reſidere in Choro, & habere debeant locum poſt Epiſcopum, Cardinalis dignitati non convenientem*, Ità refert Diana *par. 5. tract. 2. reſ. 11.* qui citat Pariſium *de reſignat. benefic. lib. 3. quæſt. 1. num. 66.*

220 Inter. 5. Cardinales comprehenduntne legibus, quæ prohibent

duo,

duo,aut plura beneficia ſimul habere, *ut dixi in tit.* 22. *de Beneficiorum pluralitate ad Inter.* 1. *&* 4.?

Reſp. Hinc indè ſunt authoritates Doctorum circa tale dubium; Quidam enim volunt Cardinales comprehendi: alii verò nequaquam, ut videre licèt apud Dianam *par.* 5. *tra.*2. *reſ.* 41. Tamen quidquid ſit de hoc, certum mihi eſt, quod in Cardinalibus juſta ſubeſt cauſa,ut Romani Pontificis indulgentia ab hujuſmodi legibus ſoluti, plura Eccleſiaſtica beneficia conſequantur, ut rectè docet Azorius *tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *quæſito* 4. apud eundem Dianam, qui luculenter hanc firmat ſententiam tali pacto. Habetur autem *ex Extravag. execrabilis, de præben.* ut Cardinalibus concedatur, ut plura beneficia ſimul habeant, *& in cap. de multa, de præben.* dicitur, juſta cauſa eſt ad plura beneficia poſſidenda, ſiquis ſit doctrina, fama, induſtria, & prudentia clarus, cujus opera, & dilig entia maximè utilis eſſe credatur; Eccleſia enim talibus viris indigere videtur,& ob id eis multa concedi poſſe conſtat, quę cœteris meritò denegantur,ut inſinuat lex *in cap. cum ex eo, de elect. in*6. nam idcircò egregiis,ſtrenuiſque militibus, & Ducibus majora ſtipendia, & præmia tribuuntur, præſertim cum ob ſplendorem, & excellentiam perſonarum à rigore legis recedi poſſet. *l. beſtias ff. de pœnis*, & Cardinales honoris, amplitudinis, & dignitatis authoritate præſtant; ergo &c. Imò addo ego, ea quæ ſunt ſpecialiſſima, & habent nomen ſpeciale, non venire ſub generali locutione, ut deducitur *ex cap. de multa cit. cap. Sedes Apoſtolica de reſcrip. & cap. fin. de off. deleg. in* 6. & hanc ſententiam docet etiam Sebaſt. Cœſar. *de Eccleſ. Hierarchia par.* 1. *diſp.* 2. §. 5. *n.* 12. ubi docet Cardinales plura beneficia incompatibilia poſſe facilè ex diſpenſatione obtinere. Vide Dianam *loco citato, & ſequen. reſpon.*

221 Inter. 6. Cardinales habentes amplum patrimonium, poſſuntnè illud conſervare, & vivere de redditibus Eccleſiaſticis?

Reſp. De hoc ego non dubito; quia qui altari ſervit, de altari vivere debet, nec ullus ſuis militat ſtipendiis, niſi cedere velit juri ſuo, ut ex Covar. Navar. Molina, Azorio, & aliis, docet Bonac. *de oblig. Benefic. quæſt.* 4. *punc.* 2. *num.* 6. Vide Armillam *verb. Clericus num.*23. Vnde Cardinales vivere poſſunt de redditibus Cardinalatus, & conſervare patrimonium proprium, & poſſunt in victu uti pluribus ferculis; quia ad conſtituendam congruam ſuſtentationem Cardinalibus, eorumque familiæ, eſt habenda ratio ad tantam dignitatis amplitudinem, gravitatem, & auctoritatem; ſiquidem honorabilius debent veſtire familiam ſuam, & ſumptuoſo ornatu in veſtibus, familia, & ædibus, uti eos oportet, & ſic habita ratione ſcientiæ, litteraturæ, nobilitatis, & dignitatis, licitè poſſunt plus inſumere,quam faciunt alii Prælati inferiores. Ità ex Manfredo,Barbatia, & Germonio firmat Diana *loco proximè citato reſ.* 38.

222 Inter. 7. Cardinales poſſuntne ſibi eligere Confeſſarium non approbatum ab Ordinario?

Affirmat Diana *dicta par.*5. *tr.*2. *reſol.*10. *& par.*8. *tr.*1.*reſ.*85.*verſ. Tertius caſus, &* Lezana *tom.*2.*verb.Card. nu.*7. & plures Doctores id aſſerentes adducunt, & aſſerunt hoc eſſe verum tàm de Cardinalibus Epiſcopis,& Legatis à latere,quàm de non Epiſcopis, & Legatis, & non ſolum ante Concilium Trident. ſed etiam poſt illud. Vide Naldum *in ſum. verb.Cardinalis num.*8. Tannerum *tom.* 4. *diſp.*6.*qu.* 6. *dub.* 3. *num.* 58. & alios apud citatos Auctores. Tamen Fagnanus *in cap. ne pro dilatione de pœnit. & remiſ.* ſolidis rationibus, & auctoritatibus, oppoſitum firmat, non obſtante quacun-

cunque conſuetudine in contrarium. Vide igitur Fagnan. *loco cit. num.* 53. *uſque ad finem*, nec ego poſſum huic veriori ſententiæ contradicere; quare ſum in voto teneri Eminentiſſimos Cardinales eodem modo, quo tenentur Epiſcopi eligere Curatum, ſivè alium Confeſſarium ab Ordinario approbatum, præſertim quia, ut inquit idem Fagnan. *ibidem num.* 62. Sac. Congregatio declaravit privilegium eligendi Confeſſorem, quod competit Epiſcopis in vim hujus Decretalis, non eſſe quidem à Concilio ſublatum: ſed tamen non poſſe ſibi eligere Sacerdotem ſibi non ſubditum, niſi aut Parochiale Beneficium habeat, aut à ſuo Ordinario approbatus fuerit ad confeſſiones audiendas ad præſcriptum Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. idemque declaravit Greg. XIII. audita relatione Congregationis, cujus reſolutionis fundamenta, habentur ex eodem Fagnan. *ubi ſuprà à numer.* 6. *uſque ad* 30. qui tandem concludit idem dicendum eſſe de Cardinalibus per ea, quæ tradit Sarnen. *in reg. de valore quæſt.* 1. *num.* 6. præſertim verò, quia in diſputatione hujus articuli multas rationes perpendit Sac. Congregatio, quæ plurimum hanc ſententiam cofirmant. Vide quæ dicam de Epiſcopis *in tit.* 83. *ad Int.* 49. & 50. & præſertim Dianam *par.* 12. *in tra. de confecr. Epiſco. reſ.* 105. *verſ. ſed in his caſibus* ubi loquens de Cardinalibus, an poſſint ſibi eligere Confeſſarium, ſuum judicium interponere recuſat, & pro parte negativa plures Doctores refert.

223 Inter. 8. Poſſuntne Cardinales ingredi Monaſteria Monialium?

Reſp. Quidquid afferat Campanili *in diverſ. juribus canon. rub.* 12. *cap.* 16. *num.* 39. dicendum eſt, non poſſe Cardinales ingredi Monaſteria Monialium, niſi in caſibus neceſſariis, ut expreſsè mandavit Greg. XIII. teſte Diana *par.* 5. *tract.* 2. *reſ.* 20. & hoc ultimum etiam intelligendum eſt de Cardinalibus Protectoribus dumtaxat: nam alii nullam poſſunt habere juſtam cauſam ingrediendi clauſuram Monialium, niſi de expreſſa Summi Pontificis licentia.

224 Inter. 9. Cardinales ægritudine laborantes, poſſuntne pati ſanguinis miſſionem ſine licentia Papæ?

Reſp. Videtur curioſa petitio, ſed minimè neceſſaria, tamen video plurimos Doctores aſſerere nõ poſſe Cardinales ſine ſpeciali licentia Papæ (ubi commodè haberi poſſit) ſanguinis miſſionem pati, quia Cardinales dicuntur inviſcerati Papæ, & dicuntur pars corporis Papæ, & una perſona cum illo, ut habetur *in cap. fœlicis de pœnis in* 6. ergo ſine Papæ licentia ſanguinem, ſcindendo venam, emittere non debent, ut docent Hoſtienſis, Perez, Villadiego, Garcias, Moſconius, Jacobatius, & Manfredus, quos refert, & ſequitur idem Diana *ubi ſupra reſ.* 33. Undè non eſt dumtaxat hæc petitio curioſa, ſed valdè neceſſaria, & ſcitu digna, ut conſideranti patebit.

225 Inter. 10. Familiares Cardinalium ſi deliquerint, poſſuntne coerceri, & puniri ab iiſdẽ Cardinalibus, vel debent puniri à Vicario Sũmi Põtificis?

Reſp. Cardinalium exemptio redundat etiam in familiares ipſorum, ut patet ex Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 11. *propè finem*. Undè Julius Clarus *in praxi lib.* 5. *§fin. q.* 66. *n.* 32. ait Familiares Cardinalium judicari ab ipſis ſolis Cardinalibus, ità ut nec Vicarius Papæ eos judicet, ſed remittat ad ſuos Cardinales, qui propterea habent privatum carcerem, & teſtatur ità de ſtylo curiæ obſervari; & ideò non eſt audiendus Bonac. *tom.* 3. *diſp.* 1. *q.* 16. *pun.* 3. *num.* 7. & Scavia, qui hanc obſervantiam negant. Itaque concludendum eſt Cardinales habere facultatem judicandi, & puniendi ſuos domeſticos, & familiares pri-

privativè quoad alios; nam Vicarius Papæ dictos familiares non judicat, ſed eos remittit ſuo Cardinali. Vide Doctores ſic aſſerentes apud Dianam *ubi ſuprà reſ.* 25. & Fagnanum *in cap. Ne pro dilatione de pœnit. & remiſ. num.* 44. qui hanc ſententiam amplectitur.

TITULUS XXXIII.

De Caſibus Reſervatis.

Vide tit. de Confeſ. ſacr. Int. 30. *tit. de Ignor. Int.* 8. 9. *tit. de Regul. &c. Int.* 5. 6. *tit. de Relig. aliq. part. Int.* 2. *tit. de Sod. Int. vlt.*

226 INter. 1. Danturne alii caſus præter illos, qui continentur in Bulla Cœnæ,& ſibi reſervant Epiſcopi,in quibus nullus poſſit abſolvere ſub pœna excommunicationis?

Reſp. Certò dantur, & hi ſunt (niſi in articulo mortis) Violatio immunitatis Eccleſiaſticæ in terminis conſtitutionis Gregor. XIV. quæ incipit. *Cum aliàs nonnulli.* Violatio Clauſuræ monialium ad malum finem. Provocatio, & pugna in Duello juxtà decretum Tridentini,& conſtitutionem Gregor. XIII. incipi. *Ad tollendam &c.* Injectio violenta manuum in Clericos juxtà Canonem *Si quis ſuadente &c. quæſt.*4. ac juris diſpoſitionem. Simonia realis ſcienter contracta, atque etiam confidentia Beneficialis. Ità Bonacina *tom.*3. *diſp.*2. *quæſt.* 9. *pun.* 5. *num.*16. Diana *par.*11. *tr.*2. *reſ.*18. *verſ. Primum*, & iterum Bonac. *tom.* 1. *de Sacramentis diſp.* 5. *quæſt.* 7. *pun.*5. §.2. *ſub nu.* 14. qui ibidem *num.*15.ſubddidit,quod id fuit ſancitum à Clemente VIII. in ſua Bulla, quæ incipit: *Sac.Congregatio*, ædita anno 1602. idem fere ſub iiſdem pœnis prius conſtitutum fuerat à Syſto IV.in Extravag. incipiente, *Et ſi Dominici*, de pœnitentia, & remiſſione contra eos, qui extra mortis articulum abſolvunt à caſibus Bullę, aut ab interdicto à Sede Apoſtolica impoſito, aut excommunicatione contracta ob occiſionem, vel mutilationem alicujus in Sacris ordinibus conſtituti, aut à Simonia occaſione ordinum, vel Beneficiorum contracta.Vide Mirandam *in man. to.* 1. *q.*46. *art.*4. & 5. Peyrinum *to.* 1. *privil.in conſt.*1. *Julii* 11. §.32.*nu.*63. Lezanam *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 19. *ſub num.*15. Imminò adverte,ſi quis habeat privilegium abſolvendi à ſex prædictis caſibus, hoc privilegium ei non ſuffragari in tota Italia extra Urbem, ut conſtat ex duobus Decretis Clementis de anno 1601. & 1602. quæ omninò vide.

227 Inter. 2. Poteſtne Epiſcous, vel alii Superiores poteſtatem habentes ſibi reſervare caſus, quos pro ſuo libitu placuerit, & ſi modum excedant,poſſuntnè Confeſſarii validè abſolvere pœnitentes ab hujuſmodi caſibus reſervatis?

Reſp. Negari non poteſt, Epiſcopum caſus ſibi reſervare poſſe; nam qui hoc ſcienter negat, excommunicationis pœnam *incurrit, ut decernitur in Trident. ſeſſ.*14. *cap.*7.*can.*11.& docent DD. communiter apud Card. de Lugo *de pœnit. diſp.* 20.*ſect.*1. teſte Cabrino *in Elucid. caſ. reſer. part.* 1. *reſol.* 2. Hæc autem facultas reſervandi caſus competit Summo Pontifici in toto Orbe, Epiſcopo in ſua Diœceſi, Concilio Provinciali in Provincia, Generali in ſua Religione, unà cum Capitulo Generali, & pro ſola Provincia in Capitulo Provinciali, & non aliter; nam Clem. VIII. in ſuo Decreto edito *anno* 1593. *die* 26. *Maij* mandat, ut nemo ex Regularium Superioribus peccatorum abſolutiones ſibi reſervet; exceptis undecim, quæ videri poſſunt in dicto Decreto, & apud Lezanam *tom.* 1.

Digitized by Google

*tom.*1. *part.*1. *cap.* 18. *num.*20. Cabrinum *ubi ſupra reſol.*3. & alios. Undè non poſſunt Superiores Regulares pro ſuo libitu reſervare caſus. Epiſcopi verò juxtà eorum arbitrium poſſunt caſus ſibi reſervare, quamvis ſaluti animarum non expediat, ut multos caſus reſervent, ne confeſſio nimis oneroſa efficiatur, & ideò Clement. VIII. ut ſupra dixi, certos præſcripſit caſus, qui pro Religioſis reſervari poſſunt, ut rectè obſervat Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *quæſt.*7. *pun.*5. §. 1. *num.*1. Immò Epiſcopi monentur à Concil. Trid. *ſeſſ.*14. & à Sac. Congreg. de mandato Clem. VIII. apud Quarantam *in Summ. Bullar. verb. caſus reſer. num.* 14. ut conceſſa ſibi poteſtate utantur in ædificationem, non deſtructionem, nec in ea re modum excedant; tàmen, etſi illicitè excedant Epiſcopi, ſemper eſt valida reſervatio, ac proindè abſolutionem invalidam eſſe poſt reſervationem, communis, & vera ſententia docet; quià inferior accipit Juriſdictionem à Superiore, conſequènter non poteſt validè abſolvere, poſita reſervatione, cum Superior per reſervationem adimat inferiori facultatem abſolvendi. Ità docent Bonac. *loco cit.* & Cabrinus *ubi ſupra reſol.* 4. qui pro hac ſententia citat Sylveſtrum, Navar. Suarez, Layman, Coninchum, Filliuc. Facundez, Bonac. & Baſsæum, addens inſuper, quod ſi interdum nimia, & irrationabilis videatur Parochis caſuum reſervatio, Epiſcopis ſupplicare debeant, aut ad Superiorem recurrere: at interim legitimi eorum Superioris reſervantis diſpoſitioni acquieſcere illos conveniat.

228 Inter. 3. Quinam ſunt illi caſus, quos ſibi poſſunt Epiſcopi reſervare?

Reſp. Non poteſt dari certa regula, quià de jure communi relinquitur eorum arbitrio, & prudentiæ, ideòque juxtà illorum arbitrium reſervari hoc, vel illud peccatum mortale, & eſſe magis, vel minus limitata reſervatio. Cœterum Sac. Congregatio Ordinarios monendos cenſuit, ut non paſſim mortalia delicta; ſed atrociora tantum, gravioraque crimina ſibi reſervent, teſte Quaranta *in Summ. Bullar. verb. caſ. reſerv. num.* 14. & ex eo Cabrinus *in Elucid. caſ. reſer. part.* 1. *reſ.* 6. quod etiam, patet ex Triden. *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. nam ideò reſervantur caſus, ut crimina graviora corrigantur, ſalubrioraque jis remedia adhibeantur, & ut ex difficultate impetrandæ veniæ ſceleſti homines reddantur minus proclives ad committenda peccata, ſicut patet *ex Extravag. Et ſi Dominici, de Pœnit. & remiſ.*

229 Inter. 4. Si in uno loco ſit caſus reſervatus non jejunare in vigilia alicujus Sancti, non verò in alio loco alterius Diœceſis, ſi incola primi loci tunc ab illo diſcedat, & conſultò tranſeat ad ſecundum, & ibi non jejunet, incurritne caſum reſervatum contra non jejunantes.

Reſp. Dicunt aliqui, quod non, quia dicta obligatio eſt affixa illi loco, & nullam vim habere poteſt in alio, ultra quod præceptum Superioris obligat ibidem jejunare, ſed non ut quis non poſſit ſe aliò transferre, conſequenter, ſi tranſeat ad alium lo, cum utitur jure ſuo, ac proindè nullam fraudem, ſeù peccatum committere videtur. Ita docet Facundez *de præcept. Eccleſ. tract.* 1. *lib.* 1. *cap.* 7. *numer.* 7. Villalob. *in Summ. tom.* 1. *tr.* 2. *dub.* 34. Sanch. *de matrim. tom.* 1. *lib.* 3. *diſp.* 18. 18. Dian. *p.* 1. *tr.* 10. *reſ.* 18. & favet Bonac. *de præcept. decal. diſp.* 5. *q. unic. pun.* 3. *n.* 17. ſed vide, quæ dicam *in tit.* 93. *ad Int.* 16 & *in tit.* 105. *ad Int.* 14. & nota quod qui conſultò, & data opera aliò ſe transfert in fraudē reſervationis, pœnam reſervationis non evadit per ea, *quæ ſuprà dixi in tit.* 6.

K 2 *de Ab-*

Digitized by Google

de Abſolutione à reſervatis ad Inter. 11.

230 Inter. 5. Peregrini, aut vagi, qui nullibi fixum domicilium habent, incurruntne caſus reſervatos in loco per quem tranſeunt, ſi ibi Superiorum præcepta non obſervant?

Reſp. Ità dicendum eſt, aliàs hoc eſſet contra ordinem naturæ, ſeù dictamen rationis, quia darentur in Republica, ſeù Communitate aliqua membra nulli capiti pro tempore ſubjecta, quod utique abſurdum eſt aſſerere. Navar. *in man. cap.* 13. *num.* 5. *&c.* 23. *num.* 120. Suar. *de Relig. tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 8. Azor *par.* 1. *lib.* 5. *cap.* 11. *quæſt.* 13. & alii plures, quibus aſtipulatur Cutillus *in Appen. ad tract.* 3 Jac. Màcini *dub.* 17.

231 Inter. 6. Inciditne in caſum reſervatum, qui blaſpemias in Deum, vel Sanctos ex prava conſuetudine jactat, ſed tantùm inadvertenter?

Reſp. Non incidit, nam Blaſphemia ex prava conſuetudine, ſed inadvertenter emiſſa, verè, & propriè rationem blaſphemiæ non habet, cum in ſe, nec in cauſa ſit voluntaria: Quod ſi advertentia ſit aliqua, ſed non plena, ſufficit quidem ad venialem culpam, non autem ad mortalem, & conſequenter ad reſervationis pœnam. Favet Layman *lib.* 1. *tract.* 2. *cap.* 3. *num.* 6. *in fin.* Diana *par.* 3. *tr.* 5. *reſ.* 62. & alii ab ipſo relati. Mihi vero magis placet oppoſitum. Vide *Inter.* 5. *tit.* 47. *de Conſuetudine*.

232 Inter. 7. Qui dicit per modum contemptus *al coſpettaccio di Dio, al ſanguaccio di Dio: Dio Sacratone &c.* inciditne in caſum reſervatum, ubi eſt reſervata blaſpemia?

Reſp. De hoc minimè eſt dubitandum, nam graviſſimæ culpæ, & reſervationis pœnæ ſubjacet, qui per modum contemptus prædicta verba profert, cum majorem Dei contemptum contineant, & vilipendium, ut rectè docet Ignatius *de caſ. reſer. par.* 2. *caſ.* 2. quem refert, & ſequitur Cabrinus *in ſuo Elucid. caſ. reſer. par.* 2. *in reſolutiva praxi pro incidentibus pag.* 230. *num.* 18.

233 Inter. 8. Afficiturne reſervatione, qui necem ſuo nomine patratam, poſtea ratam habet, poſito, quod homicidium ſit caſus reſervatus, uti ferè ubique eſt talis?

Reſp. Non afficitur reſervatione, quia licèt ratihabitio quoad culpam æquiparetur mandato, non ità quoad reſervationis pœnam, quæ ad mandatum verum non fictum eſt extendenda, cum ſimus in pœnalibus, quibus debetur reſtrictio. Ratihabitio verò eſt mandatum fictum, non verum, ideò non debet fieri extenſio. Hic autem ego non loquor de illo, qui ratum habet homicidium nomine ſuo factum in perſonam Clerici, ſed in alterius perſonam. Vide Cabrinum *de caſ. reſ. par.* 2. *num.* 18.

234 Inter. 9. Inciditne in caſum reſervatum, qui committit ſodomiæ peccatum, ſed non complet actum in vaſe præpoſtero?

Reſp. Utiquè graviter peccat, tamen non incidit in caſum reſervatum, quia non cenſetur reſervationi obnoxius, qui hoc horrendum ſcelus inchoavit in vaſe turpiſſimo, ſed illud extrà conſummavit, foras ſemen effundendo: niſi aliud conſtet de mente Superioris; Diana *par* 7. *reſ.* 13. §. *Quæro tertio*, & alii apud ipſum. Vide etiam Bonac. *loco proximè citando*.

235 Inter. 10. Qui committit hoc nefandum ſodomiæ peccatum, inciditne in caſum reſervatum, ſi tantum fuerit ſuccubus, ſeù patiens?

Reſp. Succubi, ſeù Patientes, in rigore non dicuntur verè Sodomitæ, ſed molles, juxtà illud D. Pauli ad Corinth. *cap.* 7. *ſed neque molles, neque Maſculorum concubitores poſſidebunt Regnum Dei*: & hanc ſententiam, ut probabilem docent plurimi Doctores; Sed contraria certè eſt pro-

probabilior, & tutior, quia in correlativis, diſpoſitum de uno, cenſetur diſpoſitum etiam de altero, niſi aliud conſtet de verbis Legis, aut de mente Legislatoris Diana *par.* 7. *tract.* 12. *reſ.* 13. §. *Quæro ſecundò*. Cabrinus *de caſ. reſer. par.* 1. *reſ.* 28. Bonac. *de Matrim. quæſt.* 4. *pun.* 11. *ſub num.* 2.

236 Inter. 11. Impuberes, ſcilicet antè annum 14. Sodomiticè ſeſe recognoſcentes, inciduntne in caſum reſervatum?

Reſp. Minimè, quià non ſunt Juris diſpoſitioni obnoxii in hoc caſu, cum regulariter ſint inhabiles ad ſemen effundendum. Vide Dianam *par.* 7. *tract.* 12. *reſ.* 13. §. *Quæro quarto*, *& par.* 2. *tract.* 15. *reſ.* 1. ſed hoc intelligendum eſt, niſi malitia ſuppleat ætatem, nempè, quod non ſint apti ad ſeminandum.

TITULUS XXXIV.

De Celebratione Miſſæ.

Vide tit. de Cel. Miſ. tit. de Cappellania &c. tit. de Concubinar. &c. Inter. 4. *tit. de Confeſ. Sacr. Inter.* 35. 36. 37. 38. 39. *tit. de Eccleſ. pollut. Int.* 14. 15. 16. 18. *tit. de Epiſcopat. &c. Inter.* 26. 57. 56. *tit. de Excomm. &c. Int.* 3. *tit. de Excom. min. Int.* 5. *tit. de Hæreſ. &c. In. tit. de Infam. Inter.* 5. *tit. de Infirm. In.* 6. *ter.* 5. *tit. de Interdic. Inter.* 3. *tit. de Laic. Inter.* 4. *tit. de Moribun. &c. Inter.* 9. 10. 11. *tit. de Orat. priv. Inter.* 1. 2. 5. 6. 7. 9. 10. *tit. de Paroch. Inter.* 6. *tit. de Præc. an. com. Inter.* 3. *tit. de Regul. &c. Inter.* 5. 7. 8. 9. 36. 74. *tit. de Reſt. accep. Inter.* 9. *tit. de Sacerd. Inter.* 3. *tit. de Sacr. Euch. Inter.* 5. 7. *tit. de Sigil. Conf. Inter.* 17. *tit. de Simon. Inter.* 11. *tit. de Vot. Inter.* 18.

237 INter. 1. Qui celebrat Miſſam nondum recitato Matutino, peccatne mortaliter, vel venialiter tantùm?

Reſp. Quidquid dicant aliqui Doctores, mihi ſatis probabile videtur nullum eſſe peccatum celebrare ante dictum Matutinum, ſi hoc fiat ex aliqua juſta cauſa, puta ſi Prælatus præcipiat, vel alius eleemoſynam ei offerat, ut ſtatim Miſſam celebret, & nondum recitavit Matutinum. Leander *par. tract.* 6. 8. *quæſt.* 105. afferens Sotum, & alios 7. Doctores, ſecus erit tantum veniale. Vide Emm. Sà *verb. Miſſa n.* 22. & Bonac. *de Sac. diſp.* 4. *quæſt. ult. pun.* 6. *num.* 7. *& de Horis Can. diſp.* 1. *quæſt.* 3. *pun.* 4. *num.* 11. qui plures DD. allegat id aſſerentes. Et præſertim vide Dianam *par.* 2. *tract.* 14. *reſ.* 36. Concludo igitur cum communi ſententia, Miſſam dicere abſque rationabili cauſa, non præmiſſa recitatione Matutini eſſe peccatum veniale. Leander *q.* 106. & probabilius eſſe non committi peccatum mortale: Quam ſententiam modo eſſe communem teſtatur idem Leander *quæſt.* 104. pro ea referens 22. DD.

238 Inter. 2. Quodnam peccatum committit Sacerdos, qui advertenter non lotis manibus Miſſam celebrat, & in fine digitos non lavat?

Reſp. Secluſo ſcandalo, & contemptu, peccat venialiter, quià facit contra reverentiam tanto Sacramento debitam; Undè S. P. Auguſtinus *ſer.* 244. ſic inquit. *Erubeſcamus, & timeamus Euchariſtiam manibus ſordidis tangere.* Dicendum eſt igitur per ſe loquendo, non lotis manibus celebrare, eſſe peccatum veniale, ſi advertenter fiat, ut rectè reſolvunt Granad. *in* 3. *par.* D. Thom. *contr.* 6. *tract.* 10. *diſp.* 9. *num.* 13. Sotus *diſt.* 12. *quæſt.* 1. *art.* 7. Suarez *in* 3. *par. tom.* 2. *diſp.* 82. *ſec.* 1. Leander *de Sac. tom.* 2. *tract.* 7. *diſp.* 6. *quæſt.* 16. & alii, quos refert, & ſequitur Diana *par.* 10. *tract.* 12. *reſ.* 19.

Qui

Qui etiam concludit Sacerdotem non abluentem digitos poſt Miſſam nullum peccatum committere, quià lotio manuum ante Miſſam præcipitur, non autem poſt Miſſam, & ità puto tenendum cū ipſo Diana ubi ſupra, quidquid aliqui in contrariū dicāt.

239 Inter. 3. Eſtne opus, ut in Altari, dum Miſſa celebratur, collocetur Crucifixus, vel ſufficit, quod adſit Crux rantum? Et quid ſi fuerit picta, vel ſculpta in Altari?

Reſp. Audivi quoſdam dicentes, neceſſariò debere adeſſe Crucifixum, nec ſufficere Crucem, ſed nullus ex Doctoribus, quos hujuſque vidi, hoc dicit; ſed dicunt, quod requiratur Crux, prout apertè loquitur Rubrica; Miſſalis Romani *tit. de Præparat. Altaris n.* 20. Undè ſi neceſſariò deberet adeſſe Crux unà cum Crucifixo, clariùs quidē, & apertiùs locuta eſſet Rubrica; Non eſt igitur de verbis dialecticandum; ſed abſolutè dicendum eſt, quod Rubrica, Crucem in Altari, dum fit Sacrificium, ſolum expoſtulat; & ità docent Bonac. *de Sac. diſp.* 4. *quæſt. ult. pun.* 9. *ſub num.* 30. Lezana *tom.* 2. *verb. Crux num.* 3. Diana *par.* 10. *tract.* 15. *reſ.* 28. & alii communiter. Imò Diana ibidem, aliis relatis probabiliter docet, quod ſufficiat ſi in Altari adſit Crux, vel Imago Crucifixi depicta in tabula, vel pariete, etiamſi nulla alia Crux apponatur; Sed Paſqualigus *de Sacrificio Miſſæ quæſt.* 716. ait, & benè, quod Crux picta debet eſſe per ſe primo in ipſa Icone, ità ut principali modo ſe habeat, & nō aliter, atque quod tali modo ſita ſit, ut cēſeatur expoſita pro adoratione. Undè ſi eſſet pictus Chriſtus, aut ſculptus, ut deferens Crucem ad Calvarium non ſufficeret, quià non cenſeretur Crux expoſita in ordine ad adorationem, nec repræſentaretur, prout in ipſa Crucifixus eſt Chriſtus, ſed prout in ea debebat Crucifigi; ſicut ſi repreſentaretur nōdum Erector, ſed quando in ea offerens fuit Chriſtus. Sufficiet tamen Imago B. V. Pietatis, in qua pingi, aut ſculpi ſolet B. V. ſedens ante Crucem cum Chriſto Crucifixo ſuper genua, quia tunc Crux ſtat erecta, & tanquam adorabilis. Item Diana *par.* 5. *tract.* 5. *reſ.* 35. aſſerit ex Palao, & Sanchez licere Crucem variis reliquiis, licèt non approbatis ornatam in Altari collocare, & Populo adorandam proponere, quia adoratio Reliquiarum tunc eſt per accidens, & ſolum cultu privato, & non publico adorantur, cum ſola Crux adoranda proponatur, quæ cultu publico adoratur, nec diſſentit Lezana *ubi ſuprà*. Tandem omnes Doctores tenent, non eſſe peccatum mortale celebrare ſine Imagine Crucis, vel Crucifixi, licèt commodè haberi poſſent, & ratio eſt, quia omiſſio Cruci, vel Crucifixi, non videtur eſſe conjuncta cum magna irreverentia, quæ conſtituere poſſit culpam mortalem, ſed hoc ego puto eſſe intelligendum ſecluſo ſcandalo, & contemptu, & non aliter; ſed vide Leandrum *de Sac. tom.* 2. *tr.* 8. *diſp.* 7. *quæſt.* 23. & Bonac. *ubi ſuprà* qui citat Suarez, & Reginaldum.

240 Inter. 4. Quot mappis debent Altaria cooperiri ad hoc ut poſſit Sacerdos ibidem licitè Miſsā celebrare?

Reſp. Altaria debent cooperiri tribus mappis, ſeù tobaleis in repræſentationē Sanctiſſimæ Trinitatis, tum ex generali conſuetudine Eccleſiæ, tum ex Rubricis Miſſalis Romani *num.* 20. & habetur quoque *ex cap. Si per negligentiam de conſecr. diſt.* 2. & hæc eſt communis ſententia. Imò ſic præcipitur obſervari Romæ à Viſitatoribus Apoſtolicis à Sanctiſſimo Deputatis, nec tuta conſcientia alitèr fieri poteſt, ut docent Gavantus *in Comment. de Rubric. Miſſalis par.* 1. *tit.* 20. §. *Tribus mappis*, cui ſubſcribit Lezana *tom.* 3. *verbo Paramenta Sacra ſub num.* 2. Siquidem ſervandus

dus

Digitized by Google

dus eſt ritus Eccleſiæ, & quiſque debet Miſſali, & communi uſui ſe conformare, maximè quia Miſſale Romanum auctoritate Clem. VIII. & B. Pii V. editum fuit, & expreſsè tres mappas requirit, ut dixi. Ità Card. de Lugo apud Buſenbaum *lib.6. tr.3. cap.3. de celebr. Miſ. dub.5. nu.2.* & alii. Latè de hac re tractat Diana *p.10. tr.11. reſol.5.* & docet, ut dixi ſupra.

241 Inter. 5. Poteſtne Sacerdos in caſu neceſſitatis Miſſam celebrare ſine lumine, & de qua materia debet eſſe lumen?

Reſp. Miſſam celebrare abſque ullo lumine, nunquam licet, habetur *ex cap. fin. de celebr. Miſſ.* Lumen verò debet eſſe ex cereo ignito, & duæ candelæ requiruntur, licèt in caſu magnæ neceſſitatis una tantum ſufficiat: Item in dicto caſu neceſsitatis poteſt Sacerdos ſine peccato Miſſam celebrare cum lumine olei, ſecluſo tamen ſcandalo, & contemptu: Ex ſevo autem, aut inferiori materia, non licere Miſſam dicere, tenent nonnulli, quos dat, & ſequitur Lezana *tom.2. verb. Miſſa num. 60.* quamvis oppoſitum probabiliter doceat Layman *lib.5. tract.5. cap.6. numer.17.* dummodò ſcandalum abſit, cui adhærent Bonac. *de Sac. diſp.4. quæſt. ult. pun.9. num.3.* Diana *par.2. tract.14. reſ.45.* & alii. Et nota etiam, quod ſi Conſecratio à Sacerdote fuerit incæpta, & tunc lumen deficiat, nec aliud haberi poſſit, debet Sacerdos, imò tenetur Sacrificium perficere, quia urget præceptum divinum integrandi Sacrificium illud.

242 Inter. 6. Poteſtne unquam Miſſa celebrari ſine Miniſtro, & ſi adſit fœmina, quæ ſciat miniſtrare, poteſtne admitti?

Reſp. De jure poſitivo eſt quod Miſſa non celebretur ſine Miniſtro, habetur *ex Conc. Baſil. ſeſſ.21.* Non licet ergò Miſſam celebrare ſine Miniſtro, juxtà rubricas Miſſalis, & Eccleſiæ conſuetudinem. Emm. Sà *verb. Miſſa num.18.* Mendo *Epit. Opin. Moral. eodem verb. num.25.* ſecus eſt peccatum mortale, juxtà ſententiam Navar. Facundez, & aliorum; quos ſequitur Buſenbaum *lib.6. tract.3. de celebr. Miſſæ dub.5. ſub num.8.* Alii verò docent, quod urgente gravi neceſsitate poſſit Miſſa celebrari ſine Miniſtro. Alloza *verb. Miſſa ſect.3. num.22. 27. & 28.* Sed Bonac. *de Sac. diſp.4. quæſt. ult. pun.9. num.34.* non excuſat Sacerdotem à mortali, ſi celebrat ſine miniſtro etiam in die feſto, nè Populus careat Miſſa, quia tenetur ritus ab Eccleſia præſcriptos ſervare, nec debet Miſſam celebrare contra Eccleſiæ ritum. Tamen ego puto, quod in gravi neceſſitate, qualis eſſet diei feſti, vel præbendi moribundo Viaticum, poſſit Sacerdos ſibi ipſi reſpondere, quando nullus ſit, qui ſciat id facere, & ità pluribus relatis docet Diana *par.2. tract.14. reſol.43. & par.10. tr.15. reſ.26.* Auſonius *in Sum.* Diana *verb. Celebrare Miſſam numer.21.* Idem tenet Lezana *tom.2. verb. Miſſa num.63.* licèt poſteà ſubdat ſic. Conſulerem tamèn in tali caſu neceſſitatis, ut Sacerdos Sacrum facturus, neſcientem aliquem doceret præeundo etiam in ipſo Altari, & reſponſiones proferret cum eodem &c. Quod ſi Miniſter malè pronunciet, nil intereſt, ut docet Alloza *loco cit.* Cæterum fœmina nullo modo debet admitti, quia hoc expreſſiùs eſt jure prohibitum, & de ſe quid indecens, magiſque vitandum; Concedunt tamèn quidam, ut poſſit fœmina à longe reſpondere, non verò ad miniſterium immediatum admitti. Vide Doctores penes Dianam *par.10. tr.15. reſol.26. verſ. Poteſt tamèn*; Et de facto permittitur Monialibus reſpondere Sacerdoti ex Choro, & remotè, ex Eccleſiæ conſuetudine, ut docet Bonac. *loco cit. nu.33.* Facundez, & alii,

alii, quos dat, & ſequitur Lezana *ubi ſuprà*. Tandem nota id quod dicit Dominicus Soto *in* 4. *diſt.* 13. *quæſt.* 2. *art.* 5. Citius auderem Egomet mihi reſp ondere, & miniſtrare, quàm fœminam ad id muneris admittere, & rectè quidem, nam *in cap.* 1. *de cohabit. Cler. & Mulier.* ſic habetur. *Nulla fœmina ad Altare præſumat accedere, aut Presbytero miniſtrare.*

243 Inter. 7. Qui habet aliquod peccatum, cui eſt annexa excommunicatio, vel ſuſpenſio, ſed eſt occultum, poteſtne ad vitandum ſcandalum, vel gravem jacturam rerum ſuarum, vel honoris Perſonæ, celebrare?

Reſp. Dummdò non ſit in mora petendæ abſolutionis, vel diſpenſationis, prævia tamen contritione, & etiam confeſſione peccatorum quia licèt non abſolvatur à Confeſſario, ſtante cenſura reſervata Superiori abſenti, tamen ſit in ſignum majoris contritionis, vel ad ipſam excitandam, & ità poteſt celebrare, nec ullam irregularitatem contrahit, neque ullum peccatum committit; nam ſicut jugum Domini ſuave eſt, ità pià ſunt interpretanda Eccleſiæ mandata, ſcilicet nolle cum tam gravi iactura obligare, ne nimis gravia videantur. Navar. *in Manual.* Cordub. *Supplement.* Sylveſt. Caſtro, & alii, quos citat, & ſequitur Corradus *in Reſponſi tom.* 1. *quæſito* 52. *in fine.*

244 Inter. 8. Si Sacerdos inchoata Miſſa meminit ſe eſſe excommunicatum, vel ſaltem in peccato mortali, teneturne miſſam dimittere, & abſolutionem petere?

Reſp. Si Miſſam nequeat dimittere ſine ſcandalò, ut ferè ſemper contingit (raró enim poteſt ſine ſcandalo omitti) ideò præmiſſa contritione, poteſt Sacrum incæptum perficere, & poſtea quàmprimum confiteri, & abſolutionem petere. Ità pluribus relatis docet Bonac. *de Euchar. diſp.* 4. *quæſt.* 6. *pun.* 1. *num.* 16. & alii mox citandi: dixi præmiſſa contritione, quia actus contritionis eſt in noſtra poteſtate, poſito Divino auxilio, quod ſemper eſt paratum ad eum actum eliciendum. Vide Bonac. *loco cit. num.* 13. ubi præterea *num.* 15. hoc notabile ponit, ſcilicet, quod ſi Sacerdos poſſit vocare Confeſſarium ad Altare, commodè, & ſine ſcandalo, teneatur id facere, & benè quidem, nàm extat præceptum Divinum de præmittenda Confeſſione ante Euchariſtiæ ſumptionem, & ità etiam docet Sylv. *in Sum. Verb. Euchar.* 2. *quæſt.* 9. Navar. *in Man. cap.* 25. *num* 76. quod etiam probabilius cenſet Dian. *par.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 48. *verſ. non reticebo in fin.*

245 Inter. 9. Quid facere debet Sacerdos, ſit excommunicatus denunciatus intret in Eccleſiam, dum Miſſa celebratur?

Reſp. Admonere debet excommunicatum, ut exeat, ſi verò poſt admonitionem non vult exire, poteſt etiam per vim expelli, quamvis ſit Clericus, quod ſi nolit exire, nec expelli poteſt ſine periculo, Sacerdos debet tunc Miſſam omittere, modò nondum inchoata ſit conſecratio, ſi vero facta eſt conſecratio, perficere debet Miſſam uſque ad ſumptionem incluſivè, & poſt ſumptionem ſe recipere debet in Sacriſtiam, vel in alium locum, & ibi reliquas orationes dicendas poſt Communionem perſolvere, & in eo eventu omnes adſtantes debent ab Eccleſia exire, excepto inſerviente, ne ſimul cum excommunicato Miſſam audiant, alioquin minorem excommunicationē contraherent, & mortaliter peccarent, licèt aliqui à mortali excuſent, quod mihi non probatur, nam eſt communicatio in divinis, quę ſub mortali prohibetur. Verum, licèt quidam putent, Sacerdotem non debere omittere Sacrificium, quando excommunicatus vitandus advenit

nit, vel advertitu: adveniſſe tunc temporis, quo inchoatus eſt Canon Miſſæ ab iis verbis; *Te igitur Clementiſſime Pater*; Tamen tutius eſt ante conſecrationem omittere Miſſam, licet Canon ſit inceptus. Layman *lib. 2. tra. 5. par. 2. c. 2. n. 6.* Bonac. *De Cenſ. diſp.* 2. *queſt.* 2. §. 1. *punct.* 3. *n.* 12. *&* 13. Diana *par. 5. tr. 9. reſol.* 92. qui plures Doctores allegant. Excommunicatus tandem, qui admonitus à Celebrante, ut exeat, ſi exire nolit, incurrit novam excõmunicationem Papę reſervatã, ut habetur *c. Eos, de Sent. Excom.* Vide Lezanam *to. 2. verb. Excomm. n. 21. &* 22.

246 Inter. 10. Eſtne licitum celebrare Miſſam coram perſonis interdictis?

Reſp. Si tales interdicti ſunt nominatim denunciati, debent expelli, & ſi expelli non poſſunt, Sacerdos debet à celebratione Miſſæ ceſſare, juxtà modum dictum à me *ad Inter. antecedentem* prò caſu, quo excommunicatus vitandus vellet aſſiſtere Miſſæ. Lezana *verb. interdictum numer.* 25. in principio. Tamen quando locus non eſt interdictus, ſed tantum perſona eſt interdicta, & expelli non poteſt, eſt probabile, non eſſe ob eam cauſam omittendam Miſſam, quia in tali caſu non eſt moralis cooperatio cum perſona, ſeù perſonis interdictis; cum ſit potius contrà voluntatem Sacerdotis celebrantis. Imò conſiderato ſolo jure naturali (cum nulla ſit prohibitio juris poſitivi) non eſt aliquid, ratione cujus celebratio ſit inhoneſta, vel contra rationem, dummodò voluntariè non permittatur interdictis audire Miſſam: Ita pluribus relatis firmat Diana *par. 5. tr.* 10. *reſ.* 64. Et in dicto caſu, qui non ſunt interdicti, non tenentur exire ab Eccleſia, & Miſſam relinquere, ex eo quod illi Sacrificio aſſiſtat interdictus, quia non eſt prohibitum ab Eccleſia communicare cum interdictis, veluti cum excommunicatis. Cajet. *in Sum. verb. Interdictum*, Suarez, Naldus, & Layman, quos refert, & ſequitur Lezana *ubi ſupra ſub eo n.* 25.

247 Inter. 11. Quomodò ſe gerere debet, qui celebrat Miſſam coram Epiſcopo exiſtente in propria Diœceſi?

Reſp. Quando in principio dicit Confiteor, debet dicere, & Vobis Pater, & Fratres: In fine verò Miſſæ debe inclinare caput, & expectare ab Epiſcopo licentiam benedicendi adſtantes, deindè illos benedicere, ſed non Epiſcopum, poſteà iterum ſe debet Epiſcopo inclinare, velut expectans ab illo benedici, ſicque omnibus peractis faciat ei reverentiam. Ità rectè docet Emm. Sà *verb. Miſſa numer.* 52. Vide Sylveſt. *verb. Benedictio nu.* 1. Lezanam *eodem verb. to. 2. n. 2. & verb. Miſſa num.* 67. ubi addit hoc multò magis procedere, quando Sacerdos celebrat coram Cardinali, ideò nota, & tene menti

248 Inter. 12. Licetné Miſſam celebrare in Altari, in quo Epiſcopus eadem die celebravit?

Reſp. Dicunt aliqui, quod ſit neceſſarius conſenſus Epiſcopi, vel ut aliqua ſuperveniat neceſſitas ibi celebrandi, aliàs non eſſe licitum ob reverentiam illi debitam, & hoc deducunt *ex cap. fin. de conſec. diſt.* 2. & docet Naldus *in Sum. verb. Epiſcopus numer.* 31. *& verb. Miſſa num.* 17. & ex eo Bonac. *de Sacr. diſp.* 4. *quæſt. ult. pun.* 9. *numer.* 16. Sed Azorius, quem ſequitur Lezana *verb. Altare tom.* 2. *num.* 11. dicit, quod hic canon ſit diſſuetudine abrogatus, unde idem Lezana concludit conſuetudini Patriæ ſtandum eſſe, nam non ſine magno fundamento dicunt quidam apud Dianam *part.* 10. *tract.* 12. *reſ.* 24. ſupradictum canonem intelligendum eſſe de Miſſa ſolemni, & Pontificali, non autem de Miſſa particulari, & de Altari, in quo Epiſcopus tanquam particularis Sacerdos celebrat; Cœterum ſententia communis docet, quod dictus canon non ſit in uſu, at-

L que

que adeò non obligat. Ego tamen puto Patriæ conſuetudini in hac re ſtandum, & ubi viget ea, quà decet reverentia, obſervandam eſſe.

249. Inter. 13. Licetne unquam ſub dio, & extrà Eccleſiã Miſſam celebrare? vel ſupra Mare, aut Flumen in navi?

Reſp. Quamvis de jure communi non liceat celebrare niſi in Eccleſia conſecrata, vel benedicta, ut habetur *ex cap. 1. cap. Sicut, & cap. Nullus. de conſecr. diſt.* 1. & docet S. Thomas *3. par. quæſt.* 83. *artic.* 3. & expoſitores ibidem, & Canoniſtæ *in cap. ult. de conſecr. Eccleſ.* Tamen urgente neceſſitate jure communi permiſſum eſt celebrare ſub dio, & extra Eccleſiam, aut Oratorium deſignatum. Et eſt, ut docet Lezana *tom. 1. par. 1. cap.* 21. *num.* 16. ſi Rex, aut Dux ſit in Exercitu, vel Claſſis Chriſtianorum appellat ad terram, vel ſi in itinere Eccleſia deſit, vel cum magna multitudo hominum in aliquo die feſto ad parvam aliquam Eccleſiam concurrit, modò tamen ſemper adſit Altare Viaticum, ſeù portatile ab Epiſcopo conſecratum. Vide Barboſ. in Trident. *ſeſſ.* 22. *in Decreto de obſer. & evitandis in celebr. Miſſæ numer.* 18. *&* 20. & Probatur *ex can.* 1. *& can. concedimus, de conſecr. diſt.* 1. & pro hac ſententia idem Lezana *citat* Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 81. *ſect.* 3. & Vaſquez, & aſſerit præterea hoc eſſe permiſſum in dictis caſibus abſque eo quod accipiatur Epiſcopi licentia. Sed vide Dianam *part.* 9. *tr.* 1. *reſ.* 44. 45. *&* 46. ubi de his, & alijs caſibus loquitur, in quibus liceat celebrare extrà Eccleſiam, aut Oratorium: ſed *reſol.* 45. *verſ. Sed quid quid*, ſic concludit. *Securius erit in dictis caſibus petere licentiam ab Epiſcopo, & ita conſulendum eſſe exiſtimo Parochis, & alijs Sacerdotibus*, & pro ſe alios Auctores refert. Cœterum numquam licèt propter quamcumque neceſſitatem celebrare ſupra Mare, ſeù Flumen in naui propter periculum effuſionis ſanguinis ex motu Navis. Ità præcitati Doctores. Vide Emm. Sà *verb. Miſſa num.* 19. *&* 20. & Suarez *loco cit.* Item vide Armillã *verb. Miſſa n.* 4. *& verb. Altare n.* 5.

250. Inter. 14. Sacerdos, qui ob aliquam infirmitatem, vel Senectutem non poteſt ambulare ſine baculo, aut baculis, valetne Miſſam celebrare?

Reſp. Claudus, vel Debilis Sacerdos, utiqué poteſt Miſſam celebrare, licèt non poſſit ſine baculo incedere, modo tamẽ per ſe ipſum ad Altare accedere valeat, & functiones abſque baculo exercere; Nam Irregularis ſolùm cenſetur, qui Miſſam ſine baculo celebrare nequit, ut habetur *ex cap. Si quis in Infirmitate diſt.* 55. *& cap. nullus Epiſcopus diſt.* 1. Vide Em. Sà *verb. Irregularitas ex defectu corporis ſub num.* 4. Bonac. *de Cenſ. diſp.* 7. *quæſt.* 2. *punct.* 2. *nu.* 15. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 63. *ſub numer.* 3. & eſt communis ſententia. Imò nota, quod faciliùs aliquis toleratur, ut in ſuſceptis ordinibus miniſtrare valeat, quam admittatur ad Ordines ſuſcipiendos, ut patet ex *Can. vlt.* 15. *quæſt.* 1. Dico igitur talem Sacerdotem poſſe Miſſam celebrare, dummodò ſine baculo Altari aſſiſtere poſſit, ut benè obſervat Sylveſt. *verb. de Corp. vitiat. ſub numer.* 5. Zeccus *de caſ. reſer. caſ.* 1. *de Irreg. pag.* 107. & alii communiter.

251 Inter. 15. Si defectus ſurditatis contingat alicui, poſt quam fuit promotus ad Ordinem Sacerdotalem, poteſtne ſine diſpenſatione Miſſam celebrare?

Reſp. Non ſolum poteſt Miſſam celebrare, ſed etiam exercere valet omnia ea munera, ad quæ non eſt neceſſarius auditus, nec ulla indiget diſpenſatione. Navar. *lib.* 1. *tit. de Corpore vitiatis conſ.* 6. *num.* 1. ubi citat Gloſ. ſingularem *in cap. Hoc quoque de conſec. diſt.* 1. Vivaldus *in Can-*

del-

Digitized by Google

*del. aur. de Irregul. ex defectu corporis, & ibi de Auris defectu, num.*3. Andreas à Matre Dei *in Cur. Theol. moral. tom.*2. *tract.*10. *de cenſu. cap.*9. *pun.*6. *numer.* 67. Et licèt non audiat Miniſtrum reſpondentem in Miſſa, adhùc poteſt Miſſam ſubmiſsè celebrare, quià miniſtri auditio parum ducit ad intentum. Non eſt tamèn admittendus ad Miſſam ſolemnem celebrandam, nè riſum excitet, faciendo aliquid extrà tempus, ut benè ex Reginaldo advertit Bonac. *de Cenſu. diſp.* 7. *quæſt.*2. *pun.* 2. *num.* 7.

252 Inter. 16. Qui laborat infirmitate capitis, vel nimiæ frigiditatis cauſa, poteſtne licitè celebrare capite velato, vel à quo debet diſpenſationem impetrare?

Reſp. Nullus poteſt, niſi capite diſcooperto celebrare, prout habetur *ex Canon. Nullus Epiſcopus*, de *conſecr. diſt.* 1. Nec Epiſcopus, vel Prælati Regulares poſſunt in hoc diſpenſare cum ſuis ſubditis, ut quidam docuerunt, nam per duas Sacras Congregationes fuit deciſum, nullum præter Romanum Pontificem poſſe facultatem concedere celebrandi capite velato, nec Epiſcopus ipſe poteſt uti pileolo ſine Sedis Apoſtolicæ licentia. Vide Dianam *par.*2. *tra.* 14. *reſ.* 58. Lezanam *tom.* 2. *verb. Miſſa num.* 64. & alios penes ipſos, & id conſtat ex Miſſali Romano reformato juſſu Urbani VIII. in cujus principio habetur ſimilis declaratio cum derogatione cujuſcumque conſuetudinis in contrarium, teſte eodem Lezana *loco cit. in fine*. Verùm ſi gravis infirmitas id exigeret, & licentia facilè poſtulari nō poſſit, putat Suarez *in* 3. *par. to.* 3. *diſ.* 83. *ſect.* 3. poſſe id fieri ſine gravi peccato, & Ledeſma *tom.* 1. *de Sacr. Euchar. cap.* 21. *concl.* 7. dicit hoc eſſe probabile, quià ſecluſo ſcandalo, & contemptu, excepto tamèn Canone, non videtur materia peccati mortalis. Vide Dianam *loco cit. & in Sum. verb. celebrare Miſſam num.* 20. Verùm ego partem negativam tenendum cenſeo, præcipuè propter recentiores Rubricas Miſſalis, quas præfati Auctores nō viderūt.

253 Inter. 17. Poteſtne licitè Sacerdos poſt cibum celebrare Miſſam pro communicando Infirmo, qui eſt in articulo mortis?

Reſp. Quidquid cenſent nonnulli, non eſt recedendum à communi ſententia negativa, quia major ratio habenda eſt reverentiæ hujus Sacramenti, quàm neceſſitatis proximi, tum quià præceptum ſumendi Viaticū intelligi debet, quādò decentèr, & reverentèr Sacramentū confici, & ſumi poteſt. Sylveſter *verb Eucha.* 3. *n.* 8. D. Antoninus *par.* 3. *tit.* 13. *cap.* 6. §. 2. Navar. *cap.* 25. *n.* 88. Bonac. *de Sac. diſp.* 4. *quæſt.* 6. *pun.* 2. *num.* 24. & alii plures citati à Diana *par.* 9. *tr.* 6. *reſ.* 18. Vide Jac. Mancinum *pract.* 8. *dub.* 24. ubi pro hac ſententia plures allegat, & teſtatur de communi.

254 Inter. 18. In quo caſu poteſt licitè Sacerdos non jejunus ſumere, & conſecrare in Miſſa Sacram Euchariſtiam?

Reſp. In tribus præcipuè caſibus id licitè facere poteſt. Primus eſt quando aquam prò vino in calice poſuit, & illam poſteà poſt ſumptionem hoſtiæ aſſumpſit, tunc enim, vel denuò debet conſecrare hoſtiam, & calicem, vel ſaltem Sanguinem tantum propter integritatem Sacrificii. S. Thom. *in* 3. *par. quæſt.* 83. *art.* 6. *ad* 4. Navar. *in Man. cap.* 25. *num.* 89. Toletus *lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 3. Emm. Sà *verb. Miſſa à n.* 31. & alii, quos ſequitur Diana *par.* 2. *tract.* 14. *reſ.* 66. Sed omninò vide Dianam *ibidem reſol.* 70. Secundus caſus eſt quando poſt ſumptionem Calicis, & ejus ablutionem videt reliquias hoſtiæ in patena, vel Corporali, tunc licèt Sacerdoti ſumere illas Reliquias hoſtiæ à ſe conſecratæ, ſecus erit de Reliqui-

liquiis ab alio Sacerdote in altera Miſſa conſecratis. Emm. Sà *loco cit. num.* 36. Navar. *ubi ſuprà*, Silveſter *verb. Euchar.* 3. §. 8. & alii plures apud Dianam ibidem; dixi ſecus erit de reliquiis præconſecratis ab alio Sacerdote in alio Sacrificio, quià earum ſumptio non eſt convivii à celebrante parati, & ideò non poſſunt per modum unius cum Sacramento tunc conſecrato poſt ablutionem à Sacerdote ſumi, ut de communi teſtarur Diana *par.* 6. *tract.* 6. *reſ.* 23. contrà Marchinum. Tertius caſus eſt quando celebrans poſt conſecrationem recordatur ſe non eſſe jejunum, vel ſi poſt conſecrationem hoſtiæ deficiat, nam in tali caſu ſi adeſſet Sacerdos alius non jejunus, deberet Sacrificium illud perficere, & communicare, dummodò alius Sacerdos jejunus ibi non adeſſet. Vide Toletum *ubi ſuprà num.* 1. Coninchum *de Sacr. quæſt.* 60. *art.* 8. *num.* 63. & alios, quos refert, & ſequitur idem Diana *in primo loco cit.* & Em. Sà *ibidem num.* 38. & præſertim Dian. *par.* 9. *tr.* 6. *reſ.* 18. ubi pulchra invenies circa talem doctrinam.

255 Inter. 19. Poteſtne Parochus, aut alius Sacerdos illicò poſt mediam noctem celebrare proptèr neceſſitatem communicandi ægrotum morti proximum, ſi non adſint particulæ conſecratæ, vel poſt meridiem?

Reſp. Pluribus relatis affirmat Diana *par.* 10. *tr.* 12. *reſol.* 26. *verſ. Nota hic obiter*; Et hæc quidem eſt ſententia S. Antonini, Sylveſt. & Angeli, teſte Emmanuel Sà *verb. Miſſa num.* 27. Immo Vaſquez, Averſa, Caſpenſis, Caſtropalao, & Leander penes Dianam *loco cit.* aſſerunt poſſe Sacerdotem jejunum celebrare ad tres horas poſt meridiem in dicto caſu: An vero requiratur Epiſcopi licentia ſi adeſt, eſt problema, tamèn non requiri tenet ipſe Diana cum Propoſito, & ante illos docuit Navar. *cap.* 25. *n.* 25. apud Sà *ubi ſuprà*: Vide iterum Dianam *par.* 11. *tract.* 7. *reſol.* 21. At ego conſulo, petendam licentiam quando adeſt Epiſcopus, & commodè peti poteſt. Vide *Reſpon. ad Inter.* 40. *hujus tituli*.

256 Inter. 12. Poteſtne quis ſtatim poſt Miſſam mediæ noctis Nativitatis Domini licitè communicare?

Reſp. Affirmat Diana *par.* 9. *tr.* 7. *reſ.* 43. ſed negat Bordonus *tom.* 2. *reſol.* 56. *num.* 61. & rectè quidem; Nam pro parte negativa adeſt decretum Sac. Congreg. *ſub die* 7. *Decembris* 1641. quale per extenſum ego adducam *in reſp. ad Inter. ſequentem.* Ergò dicendum eſt neminem poſſe Sacram Synaxim ſumere in illa Miſſa, quæ celebratur in nocte Nativitatis Domini, ut aſſerebat Diana, quia nō vidit dictū Decretū, quod etiam prohibet, ne aliæ Miſſæ in ea nocte celebrentur.

257 Inter. 21. Poteſtne licitè, & ſine peccato in nocte Nativitatis Domini quivis Sacerdos celebrare tres Miſſas ante auroram?

Reſp. Olim plurimi DD. relati à Diana *par.* 2. *tra.* 14. *reſ.* 35. *& par.* 10. *tract.* 12. *reſ.* 57. docuerunt partem affirmativam. Sed id non licere, omninò dicendum eſt, nam Sac. Congreg. ità decrevit.

Cum Superioribus diebus conſultata hac Sac. Rituum Congregatione; An eſſet permittendum celebrari in media Nocte Nativitatis Domini poſt Miſſam decantatam ſucceſſivè alias duas Miſſas, & in eis S. Communionem exhibere fidelibus illam depoſcentibus, & reſpondiſſe non eſſe permittendum, ſed omnibus utrumque prohibendum. Nihilominus nonnulli Regulares aſſerentes hoc licere, ſupplicarunt audiri, & Sac. Congr. ipſis auditis eti procuratoribus, & Advocatis, ad relationem Em. Pallotti ſtetit in Decretis, & reſpondit iterum prohibendum, tàm Sacerdotibus celebrare volentibus, quàm confluentibus in media nocte ad Eccleſiam, & communionem depoſcentibus. Die 7. *Decem.* 1641. *quorum*

rum Decretorum duplicata, expedita fuerunt die 9. Auguſti 1653.

C. Epiſcopus Oſtien. Card. Medices.
Loco ✠ Sigilli.

B. Roccius S. R. C. Secr.

In Regiſ. fol. 44.

Et Emin. D. Card. Carpineus Vic. SS. D.N.Clementis XI. feliciter regnantis promulgavit Edictum die 31 Martii 1699. juſſu Suæ Sanctitatis, in quo inter alia habentur.

Per remediare ancora all'abuſo di celebrarſi le Meſſe in hore intempeſtive, commandiamo, che non poſſino queſte incominciarſi, prima di un'hora avanti l'Aurora, e che un'hora doppo mezzo giorno debbano del tutto eſſer terminati li Sacrificii ſotto le ſopradette pene da incorrerſi irremiſſibilmente, tanto dalli Sacerdoti celebranti, quanto dalli Sacriſtani, che lo permetteranno, non oſtante qualſivoglia preteſa conſuetudine in contrario, ò privilegio, che non ſia ſtato eſſibito nella noſtra Secreteria, e riconoſciuto, & approvato da Noi.

Hoc tamen ſecundum Decretum afficit tantùm Romanam Urbem, & dummodò non exhibeatur, & approbetur Privilegium aliquod.

258 Inter. 22. In qua hora poteſt Sacerdos incipere Miſſam; Et poteſtne Miſſa celebrari poſt meridiē, & quid dicendum eſt de Regularibus propter eorum privilegia?

Reſp. Hîc Romæ adeſt prohibitio generaliter prò omnibus Sacerdotibus tàm ſæcularibus, quàm Regularibus (niſi oſtenderint aliquod privilegium approbandum ab Eminentiſſimo Card. Vicario) ut nullus poſſit Miſſam celebrare, niſi per unam horam ante Auroram, & infrà horam poſt meridiem, poſt quam eſt omninò abſtinendum à celebratione; quia Miſſæ omnes finem habere debent in illa hora poſt meridiem. Hæc prohibitio patet ex tenore Edicti Eminentiſs. Vicarii Sanctiſſimi Domini Noſtri, quod retuli *in reſpon. ad Inter. antecedentem* ad quam te remitto. Cœterum extrà Romam attendendæ ſunt Conſtit. Synod. Diœceſum, quę ſi de hoc nihil diſponant, videndæ ſunt opiniones Doctorum, quos refert Diana *par. 2. tract.* 14. *reſ.* 33. & 34. & ex illis tutiorem conſulo amplectendam, licèt Miſſa de Jure communi, ſit celebranda ab Aurora uſque ad Meridiem, & eſt hæc regula generalis. Vide Navar. *cap.* 25. *num.* 85. Leza. ſtatim citandum. Em. Sà *verb. Miſſa num.* 27. & Bonac. *de. Sacr. diſp.* 4. *quæſt. ult. pun.* 9. *num.* 1. & *ſeq.* Verùm reſtat modò quid dicendum ſit de Regularibus extrà Urbem degentibus? Dico igitur varias eſſe opiniones Doctorum, ut videre licèt apud ipſum Dian. *loc. cit.* & *par.* 9. *tract.* 7. *reſ.* 43. & *par.* 10. *tract.* 12. *reſ.* 25. & 26. & *tract.* 15. *reſ.* 27. ipſe tamen intrepidè affirmat, poſſe Regulares celebrare Miſſas tribus horis ante ortum Solis, & tribus horis poſt meridiem juſta interveniente cauſa; ſed video Leza. *tom.* 1. *pa.* 1. *cap.* 21. *ſub num.* 2. qui aſſerit; Sac. Congreg. ſic declaraſſe; nempè ante diem, & horis indebitis celebrare non licèt, etiam vigore privilegiorum ante Conc. Trident. conceſſorum. Imò Naldus *in Sum. verb. Miſſa n.* 30. refert quamdam Conſtit. B. Pii V. qua revocat omnia privilegia ad id Regularibus conceſſa. Vide Dicaſtillum *de Sac. tract.* 5. *diſp.* 4. *dub.* 4. *num.* 65. 70. & 71. qui explicat Bullam B. Pii V. Tandem an Miſſa celebrari poſſit ante Auroram, & poſt Meridiem à Cappellanis Cardinalium in eorum Cappellis docet Diana *par. 6. tr. 8. reſ. verſ.* 40. *His præmiſſis.* Ubi plura haberi poſſunt circa ea, quæ ſupra diximus de hac materia.

259 In.

Digitized by Google

259 Inter. 23. Qualis eſſe debet modus celebrandi Miſſam?

Reſp. Miſſa debet celebrari cum *A. B. C. D.* ideſt altè, brevitèr, clarè, devotè. Ità docet Emm. Sà *verb. Miſſa num.* 50. & alii, quibus adſtipulatur Lezana *tom.* 2. *verb. Miſſa ſub num.* 58. Sed cum hoc particulari, quod Sacerdos cohærere faciat illud *brevitèr* cũ illo *devotè*, præſertim ſi cum Gavanto addatur altera littera, ſcilicet *E*, ideſt exactè, aut exquiſitè. Et notat etiam ipſe Lezana, *quod illud brevitèr*, denotat non ultrà mediam horam; Sed addo Ego, minùs quàm quadrantem cum dimidio non eſſe licitum inſumere, ut præcipitur in Edicto Eminentiſs. Card. Vicarii juſſu Sanctiſſimi edito *die* 31. *Martij* 1699.

260 Inter. 24. Peccaretne mortalitér Sacerdos Regularis, ſi in Canone Miſſæ pro nomine Epiſcopi, poneret nomen Generalis ſuæ Religionis?

Reſp. Sac. Congregatio reſpondit eum mortalitèr peccare in dicto caſu, quià ad unguem Miſſale obſervandum eſt, nec in collectis Miſſæ poteſt aliquid addi ſub eadem pœna peccati mortalis, præter orationem ſolitam, &c. Vide Portellum *in dubiis Regul. verb. Miſſa num.* 14. Rodriguez, & Villalobos apud Dianam *par.* 2. *tract.* 14. *reſ.* 40. Emm. Sà *verb. Miſſa numer.* 41. & Lezanam *par.* 1. *tom.* 1. *cap.* 21. *num.* 30.

261 Inter. 25. Præceptum conſecrandi in utraque ſpecie, eſtne Eccleſiaſticum, vel divinum? & eſtne de Eſſẽtia Sacrificii conſecratio utriuſque ſpeciei?

Reſp. Dico primo. Eſſe præceptum Divinum, ut aſſerunt Vaſquez. *in* 3. *par. diſp.* 223. *cap.* 3. Suarez *to.* 3. *in* 3. *par. ſect.* 4. Nugnus *in* 3. *par. q.* 74. *art.* 1. Coninch. *de Sac. quæſt.* 83. *art.* 1. *dub.* 5. *conclu.* 3. Sotus *in* 4. *diſtin.* 9. *quæſt.* 2. *art.* 1. *in fin.* Cajet. *in* 3. *par. quæſt.* 8. *art.* 12. Marſilius *in* 4. *q.* 6. *art.* 1. *par.* 1. *dub.* 3. & 4. cum aliis, deducitur etiam ex Conc. Trid. *Seſſ.* 22. *cap.* 1. Dico ſecundo. Conſecrationem utriuſque ſpeciei eſſe de eſſentia Sacrificii. Ita S. Thom. *in* 3. *par. quæſt.* 76. *art.* 2. *ad* 1. & *quæſt.* 80. *art.* 12. *ad* 3. Vaſquez, & alii, quos dat, & ſequitur Leander *de Sac. tom.* 2. *tract.* 8. *diſp.* 1. *quæſt.* 27. & alii plures, quos refert, & ſequitur Diana *par.* 10. *tract.* 16. *reſ.* 63. qui etiam probabilem putat ſententiam aſſerentem, præceptum conſecrandi in utraque ſpecie eſſe Eccleſiaſticum, & non eſſe de Eſſentia Sacrificii; Tamen fatetur ſe adhærere noſtræ ſententiæ tamquam probabiliori, cui adhæret etiam Dicaſtil. *de Sac. tom.* 1. *tract.* 5. *diſp.* 1. *dub.* 3. *num.* 238. & Recentiores communiter. Rationes hujus noſtræ opinionis videri poſſunt apud præfatos Authores; Ego verò more meo brevitatem amplector. Vide tamen quæ *Dicam in tit.* 197. *ad Inter.* 1. & Bonac. *de Sac. diſp.* 4. *q.* 2. *punct.* 3. *num.* 13. & 14.

262 Inter. 26. Si Sacerdos in Miſſa unam tantum conſecraret ſpeciem, poſſetne pro tali Miſſa accipere conſuetum ſtipendium?

Reſp. Licèt una ſpecies validè conſecrari poſſit, altera non conſecrata, ut dicunt communiter DD. cum D. Thoma 3. *par. q.* 78. *art.* 6. Tamen dicendum eſt in caſu noſtro cum Dian. *ubi ſupra reſ.* 63. *in fin.* Sacerdotem in dicto caſu non poſſe licitè accipere ſtipendium pro illa Miſſa, quia ſi dantes ſtipendium, hoc ſcirent, utique illud non præberent; ergo Sacerdos non poteſt licitè accipere ſtipendium certum pro fructu incerto. Vide Paſqualig. *de Sacrificio Miſſæ*.

263 Inter. 27. Si hoſtia Calici hæreat, aut palato Sacerdotis celebrantis, quid facere debet?

Reſp. Toties debet adhibere ablutionem, donec hoſtia deglu-

tiatur

tiatur ab eo, non autem licet adhibere digitum. Navar. *cap.* 25. *n.* 90. & ex ea Em. Sà *verb. Miſſa num.* 15. Idem dicendum eſt de illo, qui ſe communicavit ob eamdem rationem. Tambur. tamèn *Opuſc. de exped. communione cap.* 2. §. 8. *num.* 42. dicit, Sacerdotem, qui advertit particulam hoſtiæ infuſam in Calice ipſi Calici hæſiſſe, poſſe digito ad labrum Calicis adducere. Sed melius eſt proptèr majorem reverentiam infundere vinum, ut dixi.

264 Inter. 29. Si hoſtia conſecrata, vel aliquod illius fragmentum cadat ſuper barbam alicujus, aut Sanguis cadat ſuper barbam Sacerdotis, quid eſt faciendum in tali caſu?

Reſp. Diana *par.* 10. *tr.* 12. *reſ.* 10. putat ex aliis ab eo citatis, lotione barbam eſſe purgandam, & aquam reponendam in piſcinam, poſtquam Sacerdos modeſtè, acceperit hoſtiam, vel fragmentum; quod ſuper alterius barbam ceciderat: Si autem Sanguis, aut ejus aliqua gutta cadat ſuper barbam ipſius Sacerdotis, dum illas ſpecies ſumpſit, dicit Barthol. ab Angelis *dial.* 5. §. 713. barbam Sacerdotis poſt trinam lotionem, abradendam, & Comburendam eſſe; ſed hoc nimis durum videtur aliquibus, ideò dicendum eſt ſufficere, ſi repetita lotione Sacerdos barbam purget juxtà receptam conſuetudinem. Ità docet Bonac. *de Sac. diſp.* 4. *quæſt. ult. pun.* 10. *num.* 10. Trullench. *de Sac. lib.* 3. *cap.* 8. *dub.* 23. *n.* 16. & Dicaſtill. *item de Sac. tom.* 1. *tract.* 5. *diſp.* 4. *dub.* 15. *n.* 301. quos refert, & ſequitur Diana *loco ſuprà cit.* Vide item Dianam ibid. *tract.* 13. *reſ.* 49.

265 Inter. 29. Sacerdos pauper poteſtne Miſſam celebrare; & illam applicare pro offerente ſtipendium, quem Deus ſcit futurum primum?

Reſp. Nullo modo ſunt audiendi Doctores docentes hoc licitè fieri poſſe, nàm hæc ſententia tanquam pluribus nominibus periculoſa, Fidelium ſcandalis, & offenſionibus obnoxia, atque à vetuſto Eccleſiæ more nimium abhortens, improbata, & condemnata fuit à Sac. Congreg. de mandato Clem. VIII. die 15. Novembris anno 1505. prout ex Ceneda, & Riccio, teſtatur Diana *par.* 2. *tract.* 14. *reſ.* 15: Vide Barboſ. *de poteſt. Epiſcopi par.* 2. *allegat.* 14. *num.* 12.

166 Inter. 30. Peccantne mortalitèr Sacerdotes accipientes nova onera Miſſarum celebrandarum cum ſtipendio, oneribus jam ſuſceptis non ſatisfactis?

Reſp. Omnes DD. conveniunt dicentes peccare mortaliter differendo celebrationes Miſſarum ad longum tempus. Vide Bonac. *de Sac. diſp.* 4. *quæſt. ult. pun.* 7. §. 5. *num.* 2. Si verò *infrà modicum tempus* poſſint omnibus ſatisfacere, non peccant, niſi Miſſa ſit dicenda pro aliqua neceſſitate, quæ moram non admittit, ut potè pro præſenti infirmitate, tribulatione, expeditione alicujus litis, vel magni negotii, ut benè obſervat idem Bonac. & præſertim Lezan. infrà adducendus. Dixi *infrà modicum tempus*, quià Sac. Congreg. Concil. in Decretis Urbani VIII. reſpondens ad undecimum ità dixit: Quid autem intelligat Sac. Congreg. pro ly *infrà modicum tempus* explicant Doctores. Peyrin. apud Dian. nimis laxè quidem loquitur, dum dicit, quod modicum tempus in hoc caſu intelligitur ſpatium trium annorum: Nàm Theſaurus *in praxi par.* 2. *verb. Miſſarum onera cap.* 1. *in fin.* exiſtimat ſpatium octo, vel decem dierum, non ultrà. intelligi per modicum tempus, Dian. verò *par.* 2. *tract.* 14. *reſ.* 25. *& par.* 9. *tract.* 6. *reſ.* 55. cum Ledeſma, Villalobos, & Card. de Lugo putat ſpatium 50. aut 60. dierum ad plurimum eſſe modicum tempus. Tandem Lazan. *tom.* 2. *verb. Miſſa num.* 39.

cum

Digitized by Google

cum Theſauro, hoc relinquunt arbitrio viri prudentis penſatis circumſtantiis loci, temporis, Miſſarum dicendarum, & Sacerdotum, qui illas dicere debent. Mihi tamen magis placet opinio Paſqualig. *de Sacrific. Miſſæ quæſt.* 965. ſcilicet quod non poſſit differri celebratio Miſſarum intrà tempus determinatum. Si verò tempus non ſit determinatum, ſed ſolum præſcribâtur Miſſæ celebrandę, tunc modicum tempus intrà quod ſunt celebrandæ, complectitur duos menſes: Si autem Miſſæ committentur abſque ulla celeritate in celebrãdo, & veluti ad commoditatem celebrantis, tunc ſpatium trium menſium habendum ſit pro modico tempore. Addit etiam Paſqualigus, quod quandò committuntur Miſſæ pro aliquo recenter Defuncto, debent quam primum, & ſine aliqua dilatione celebrari. Poſſent tamen quando eſſet magnus numerus Miſſarum, celebrari cum aliqua dilatione, ita tamen, ut quotidie nonnullæ celebrentur. Tandem dico quod graviter peccant illi Sacerdotes, qui magnum Miſſarum numerum anticipato ſtipendio promittunt, earumque celebrationem notabiliter differunt, aut ſe periculo exponunt non perſolvendi Miſſas ſimpliciter, vel opportuno tẽpore. Vide Bonac. *loco cit. num.* 1. *&* 2.

267 Inter. 31. Poteſtne Sacerdos licitè pro una Miſſa duplex ſtipendium accipere, applicando Uni partem ſolitam, & alteri ſuam partem?

Reſp. Quamvis multi graves Auctores docuerint affirmativam ſententiam eſſe probabilem, ut videre licèt apud Dianam *par.* 2. *tract.* 14. *reſ.* 14. & Lezanam *loc. mox cit. num.* 17. Tamen oppoſitam ſuſtinent Suarez *in* 3. *par. tom.* 2. *diſp.* 79. *ſect.* 9. *in fin.* Bonac. *de Sacr. diſ.* 4. *quæſt. ult. punct.* 8. *num.* 16. Gavant. *in commen ad Rubr. Miſſal. tom.* 1. *par.* 3. *tit.* 12. *num.* 29. Et Lezana *tom.* 2. *verb. Miſſa num.* 10. qui teſtatur de communi, & ex aliis affirmativam ſententiam iniquam, impiam, & erroneam appellat. Jure meritò igitur, ut talem reprobavit Sac. Congreg. in Decr. Urbani VIII. *de celeb. Miſſ.* edit is 21. *Junii* 1625. & poſtremò Alex. VII. in ſuo decr. edito *anno* 1665. *die* 24. *Septembris.* Vide Dian. *par.* 5. *tract.* 14. *reſ.* 45. pro hac noſtra ſententia, & Rotarium *in Appar. pro Exam. Cler. cap.* 7. *ſect.* 2. *num.* 27.

268 Inter. 32. Poteſtne Sacerdos, ſaltem pauper, plura ſtipendia pro una Miſſa ſuſcipere propter ejus paupertatem extremam?

Reſp. Dico, quod Non; quia Miſſa non eſt inſtituta, & ordinata ad ſuſtentationem Sacerdotis pauperis, ut rectè docet Tolet. *lib.* 2. *cap.* 8. *ſub num.* 3. & alii communiter. Ideò Eccleſia ordinauit, quod nullus promoveri valeat ad Ordinem Sacerdotalem, niſi conſtet habere bona, ſeù titulum ſufficientem ad vitæ ſuſtentationem. Uide Conc. Trid. *Seſſ.* 21. *cap.* 2. *& cap. non licet, & cap. Epiſcopus de præbendis.* Vndè ſi Sacerdos in paupertatem incidat, aliqua arte, ſeù agricultura ſibi victum quærat, ut dicitur *in cap. Clericus vict. diſt.* 91. nam defraudare non debet contra Juſtitiam illos, qui ei ſtipendium præbent pro Miſſa. Ideò tot Miſſæ celebrare tenetur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerunt, nulla in hoc illi ſuffragante paupertatis neceſſitate; Et hanc eſſe mentem Sac. Cong. teſtatur Leza. *vbi ſupra num.* 13. *& n.* 21. *verſ. Quartus Caſus.* Vide Bonac. *de Sacr. diſp.* 4. *quæſt. vlt. punct.* 7. §. 2. *ſub num.* 1. *& punct.* 8. *num.* 14. & Diana *par.* 2. *tract.* 14. *reſ.* 8. à quibus plura circa tale dubium habentur in confirmationem noſtræ ſententiæ. Vide etiam *in tit.* 149. *ad Inter* 1.

269. Inter. 33. Sacerdos, qui tenetur in aliqua

qua Eccleſia ſine Sacrificii applicatione, ut vulgò *con la ſola ſperanza*, poteſtne aliud ſtipendium pro illâ Miſſa accipere, & alteri applicare?

Reſp. Multi dicunt non poſſe aliud ſtipendium accipere pro applicatione Miſſæ, quia unica Miſſa, non meretur, niſi unicum ſtipendium ex Decr. Urbani VIII. Ità inter alios tenet Barth. à S. Fauſto *in tract. de Eucha. lib.* 2. *quæſt.* 156. & Gavant *in Commen. ad Rubr. Miſſal. tom.* 1. *par.* 3. *tit.* 2. *n.* 5. & huic ſententiæ adheret Diana *par.* 2. *tr.* 14. *reſ.* 80. Alii verò dicunt, Mentem Sac. Congreg. eſſe, ne Sacerdos plura ſtipendia accipiat pro applicatione Miſſæ, non tamen prohibere, ne poſſit accipere unum pro obligatione celebrandi tali tempore, loco &c. cum hæc ſint pretio æſtimabilia, & aliud in ſui ſuſtentationem pro applicatione Miſſæ. Hos Doctores refert Diana *loco cit.* & Lezana *tom.* 2. *verb. Miſſa ſub num.* 21. Verùm tamen eſt, quòd in hac opinionum diverſitate, ſtandum mihi videtur ad circumſtantias perſonarum, & præſertim ad verba, quibus utitur Teſtator, vel Cappellaniæ inſtitutor; In dubio autem non præſumitur datum, vel relictum prò cultu Eccleſiæ, commoditate Populi &c. ſed pro applicatione Sacrificii, ut benè notat Alphonſ. de Leone *in tr. de Jubilæo par.* 3. *quæſt.* 20. *num.* 27. Et ad hanc ſententiam comprobandam refert idem Lezana ex Barboſ. *in collect. Bull. verb. Miſſarum eleemoſyna num* 3. quandam Sac. Congreg. declarationem, quæ ſic inquit: *Miſſa unica non poteſt ſatisfacere Sacerdos duabus obligationibus, duplicē eleemoſynam recipiens, niſi in fundatione expreſſè cautum ſit, quòd non teneatur Sacrificium applicare*: Sequitur ergo ſolùm poſſe aliud ſtipendium accipere, quando Inſtitutor Beneficii, ſeù Cappellaniæ expreſsè dixerit non teneri Sacrificium applicare, & pro dante illud ſtipendium, Miſſam celebrare, & non aliter fieri debet.

170 Inter. 34. Sacerdos, qui ab amico intrinſeco accipit pro dicenda Miſſa duplicatum ſtipendium, poteſtne per alium Sacerdotem ſatisfacere dato ei juſto ſtipendio?

Reſp. Ad hoc dubium reſpondet Diana *par.* 2. *tract.* 14. *reſ.* 12. Et dicit quod ſi illud ſtipendium datum fuit præciſè, & ſimpliciter pro Miſſa, per alium ſatisfacere non poſſit, dato ei tantum juſto ſtipendio. Si verò datum fuerit non ſolùm pro Miſſa dicenda, ſed etiam intuitu perſonæ, quæ Miſſam celebrare debeat, utpotè, quià Amicus, vel Conjunctus, poſſit. Limitat tamen Diana *par.* 10. *tract.* 16. *reſ.* 63. *verſ. Verum, propè finem*, dummodò *V. G.* qui petit Miſſam, vel Miſſas à Regularibus, non offerat ſtipendium auctius, & poſitivè intendat eas ab ipſis Regularibus, & non ab aliis eſſe celebrandas, idque ad effectum acquirendi majus illud meritum, quòd in Miſſæ Sacrificio pendet ex opere Operantis (& poteſt ſperari auctius ex Miſſis per Sacerdotes Religioſos celebratis, quàm ex Miſſis per Laicos Sacerdotes dictis) tunc enim Diana ſentit, Regulares non poſſe modo dicto retinere illum exceſſum ſtipendii, cum talis retentio rationabiliter præſumi poſſit fieri inviro Domino Offerente, qui ſtipendium ità pingue non dediſſet, ſi crediſſet Miſſas celebrandas eſſe ab aliis, quàm à Regularibus. Verùm Sac. Congreg. ſuper Decr. Urbani VIII. *de celeb. Miſſar. ad* 10. abſolutè præcipit, debere eandem integram eleemoſynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem ſibi retinere poſſe, & ità omninò obſervari debet. Vide propoſitionem 9. reprobatam ab Alex. VII. *anno* 1665.

171 Inter. 35. Peccatne mortaliter Sacerdos, qui præbet aliis minus ſtidendium, quàm accepit pro Miſſis dicendis?

Reſp. Scio nonnullos docere illud Decretum Urbani VIII. quod incipit: *Cum ſæpè contingat*, emanatum die 12. Junii 1625. non obligare ad peccatum mortale, quia non continet præceptum, ſed ſolum ſimplicem prohibitionem, ita docet Bordon. *in conſ. Regul. reſ.* 15. *num.* 28. cui ſubſcribit Tambur. *de Sac. Miſſæ lib.* 3. *cap.* 1. §. 5. *num.* 6. nèc omninò diſſentit Pellizzar. *in Man. tom.* 2. *tr.* 6. *cap.* 3. *num.* 23. relati à Dian. *par.* 10. *tract.* 16. *reſ.* 69. qui tamen hanc opinionem refellit, & meritò, nam Urbanus VIII. *ibid.* §. 4. omne damnabile lucrum ab Eccleſia removere voluit, necnon tàm ſordidæ negotiationis indecentiam; Unde quià videtur materia gravis, & ſufficiens ad conſtituendum peccatum mortale, idcircò ſub pœna peccati mortalis obligare nõ dubitat Dian. *ubi ſuprà*, & alii ab ipſo relati, quibus aſtipulatur Lezana *in Sum. to.* 3. *verb. Miſſa n.* 35. Imò Sac. Congreg. Conc. ad decimum dubium reſpondet, debere Sacerdotem abſolutè integram eleemoſynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem ſibi retinere poſſe. Vide Dian. *par.* 2. *tract.* 14. *reſ.* 10. *verſ. Sed modo*; Nec relevat ſi dicatur, quod ſicut Sacerdos poteſt gratis celebrare pro alio, condonando illi totum ſtipendium, ità paritér poſſit condonare partem, cum præfata Decreta non tollant exercitium miſericordiæ, vel liberalitatis; Non relevat inquam, quia ut plurimum timeri debet, quod Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, collato minori ſtipendio, non liberè, ſed ex metu aliquo cedat Juri ſuo, vel quia aliàs non darentur ſibi tales Miſſę, vel in futurũ alię nõ dabũtur; Et hoc eo magis timeri poteſt quando Sacerdos eſt pauper, & egens, ſiquidem non præſumitur liberalitèr acceptare onus dicendi Miſſas pro parte ſtipendii; Ideò ut verùm fatear, neſcio qua conſcientia aliqui id non obſervent, maximè cum nullo modo poſt Decret. Urbani VIII. poſſit Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta, nec aliter affirmari poteſt, cum ſit reprobatum in Decreto Alex. VII. die 24. Septemb. 1665. & eſt 9. propoſitio ibidem reprobata: Imò Decretum Urbani VIII. innovatum, & confirmatum fuit à Sac. Congreg. Conc. prævia authoritate fel. record. Innoc. XII. anno 1698. Non nego tamen id quod dicit Lezan. *loco cit.* & Alloza *verb. Miſſa ſect.* 2. *num.* 8. quod ſi Sacerdotes aliqui omninò ſpontè, & liberè, nec vi aliqua, alioque metu, aut alio modo coacti contenti ſint parte ſtipendii, poſſint Sacerdotes alii, qui majus ſtipendium receperunt, eas Miſſas ipſis committere, retenta ſibi parte ſtipendii, quia hoc non eſt contra Decreta Summorũ Pontificum, qui ſolùm deteſtabile, ac turpe lucrum, atque indecentiſſimã negotiationẽ, vel avaritiã ab Eccleſiaſticis eradicare juſtè prætendunt. Vide Dian. *loc. prox. cit. reſ.* 11. 12. & 13.

272 Inter. 36. Titius dedit Cajo Sacerdoti Julios quindecim pro Miſſis 25. teneturne Sacerdos ſub mortali, tot Miſſas celebrare, & totum Miſſæ fructum eidem applicare?

Reſp. Licèt dictus Sacerdos non recipiat juſtum ſtipendium taxatum ſecundùm conſuetudinem ſuæ Civitatis, vel Provinciæ, adhuc ſub mortali tenetur 25. Miſſas celebrare pro Titio, & Miſſæ fructum ei applicare, & ni faciat ad reſtitutionem tenetur ſtipendii, vel reficere Miſſas. Vide Bonac. *de Sac. diſp.* 4. *quæſt. ult. pun.* 7. *num.* 8. §. 2. & Dianam *par.* 2. *tr.* 14. *reſ.* 7. Imò Sac. Congreg. *de celebr. Miſſ. in Decret. emanat. ſub Urbano VIII.* ita ſub obteſtatione Divini Judicii mandat, & præcipit, videlicèt, ut abſolutè tot Miſſæ celebrentur,

quot

Digitized by Google

quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint, ità ut alioquin ii, ad quos ſpectat, ſuæ obligationi non ſatisfaciant, quinimmò graviter peccent, & ad reſtitutionem teneantur: Unde ſtantibus apertis verbis hujus decreti, & declarationis ejuſdem ad 2. & 3. dubium, non eſt audiendus Tambur. *Opuſ. de Sac. Miſſæ lib.* 3. *num.* 53. quem aliis allegatis refellit Diana *par.* 10. *tract.* 16. *reſ.* 71. eo quia aſſerit, Sacerdotem in dicto caſu non teneri. Vide Trullench. *de Sac. lib.* 3. *cap.* 8. *dub.* 11. *num.* 8. Baſſæum *verb. Miſſa* 3. *n.* 10. & alios apud Dian. *loco cit.* & propoſitionem 8. reprobatam ab Alex.VII. anno 1665. Vide etiam Bonac. *de Sac. diſp.* 4. *quæſt. ult. pun.* 8. *num.* 15. Lezanam *tom.* 2. *verb. Miſſa num.* 11. *&* 14. & Rotarium *in Appar. pro exam. Cler. cap.* 7. *ſect.* 2. *num.* 24. *&* 25.

273 Inter. 37. Sacerdos rogatus à Socrate, ut dicat decem Miſſas, cui Socrates præbuit pecuniam charta involutam, & diſceſsit; Sacerdos, qui aperit chartam, & in ea reperit ſex Julios; quot Miſſas igitur celebrare tenetur?

Reſp. Quia Sacerdos putabat eſſe juſtum ſtipendium, juxtà conſuetudinem loci, & poſtea reperit eſſe dimidiatum, licitè poteſt ad ratam minuere numerum Miſſarum, & tantùm Miſſas ſex celebrare; ſi in loco, ubi reperitur, adeſt conſuetudo, ut pro qualibet Miſſa unus Julius detur, debet tamen prius monere Socratem, ſi cōmodè illum invenire poteſt, vel etiā illo non monito, quoties ex juſta cauſa non poſſit. Ità docet Franc. Lugo *de Sacr. lib.* 5. *cap.* 12. *quæſt.* 5. *n.* 51. apud Dian. *loco prox. cit.* cui ipſe adhæret, cum Decreta Sac. Congreg. non loquantur in his caſibus in quibus Sacerdos videtur eſſe deceptus.

274 Inter. 28. Peccatne mortaliter ille Sacerdos, qui accipit ſtipendium à Benefactore pro dicenda Miſſa Sancti Spiritus, B. Virginis, aut de Requiem, poſteà verò dicit Miſſam in illa die currentem?

Reſp. Multi dicunt quod non peccet, quia omnes Miſſæ ſunt æqualis valoris, & quamvis cœteris paribus, Miſſa de Requiem magis prodeſſet Defunctis, cum eius preces ad animarum liberationem directè fundantur, ſupplere tamen poteſt major Sacerdotis devotio, vel Sancti illius interceſsio, cujus ſuffragium imploratur, Ita Diana *par.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 31. & magis ad intentum hoc probat *par.* 3. *tract.* 6. *reſol.* 62. ex aliis allegatis per ipſum. Oppoſitum verò ſuſtinet Sylv. *in Sum. verb. Miſſa, quæſt.* 8. *dict.* 5. Fraxinellus, & Rodriquez, quos citat ipſe Diana *loc. prox. citat.* Ego vero puto, quod ſolùm venialiter peccet ex vi promiſsionis, & veracitatis, ſed non mortaliter, quia non damnificat Proximum notabiliter, nec decipit quoad eſſentiam Sacrificii, cum omnes ſint ejuſdem valoris, ut docet S.Thom. in 4. *diſt.* 45. *q.* 2. *ar.* 3. *q.* 1. *ad* 5.

275 Inter. 39. Sacerdos qui ſuſcipit onus celebrandi Miſſas D. Gregorii, teneturnè illas dicere ſine interruptione, & omnes de requiem?

Reſp. Interruptio non tollit Miſſarum effectum, ergo ſi cum interruptione dicantur non amittunt ſuam vim, etiam ut eas quas inſtituit D. Gregorius, nec opus eſt, ut ſingulæ dicantur de requiem, quià eſt prohibita à Sac. Rituum Congreg. in feſtis duplicibus celebratio pro Defunctis, excepta una ſolemni præſente corpore Defuncti; Ultrà quod ut dixi ad Inter. antecedentem, omnes Miſſæ ſunt æqualis valoris ex opere operato, ergo &c. Ita probabiliter tenent Bonac. *de Sac. diſp.* 4. *q. ult. pun.* 7. §. 3. *numer.* 6. *&* 7. & Dian. *par.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 32. qui alios concordantes referunt.

Digitized by Google

276 Inter. 40. Poteſtne licitè Sacerdos eadem die in aliquo caſu plures Miſſas celebrare?

Reſp. Caſus, in quibus id liceat, dummodò Sacerdos ſit jejunus, ſunt ſeptem, ut videre licèt apud Dianam *par.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 56. Sed hi caſus modò ob multiplicitatem Sacerdotum abierunt in diſuetudinem, & ſolus primus, & ultimus in his noſtris Regionibus obſervatur. Primus eſt in die Nativitatis Domini Noſtri; Ultimus eſt, quando unus Sacerdos præficitur duabus Eccleſiis Parochalibus ob illarum paupertatem. Vide Dianam *par.* 10. *tract.* 16. *reſol.* 22. *propè finem*. Ubi addit licitum eſſe Sacerdoti ad communicandum Infirmum morti proximum, ſecundam Miſſam celebrare, & etiam ubi viget conſuetudo, ut defunctus ſine Sacrificio non ſepeliatur. Vide etiam Bonac. *de Sac. diſp.* 4. *quæſt. ult. pun.* 7. §. 5. *num.* 9. & 10. & Tolet. *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 3. & 4. ubi notat nullum poſſe habere duas Parochias poſt Tridentinum, ergò ex hoc capite non poteſt quis bis celebrare. Vide Armillam *verb. Miſſa num.* 25.

277 Inter. 41. Peccatne mortaliter Sacerdos ſimplex, qui rarò infrà annum Miſſam celebret?

Reſp. Quidam Canoniſtæ dicunt quòd mortaliter peccet, quia *in cap. Si quotieſcumque de Conſe. diſt.* 2. S. Ambroſ. dicit: *Ego, qui quotidie pecco, quotidie debeo accipere medicinam*. Et Major. & Duran. dicunt quod ſine gravi peccato Sacerdos non poteſt abſtinere à Celebratione; Unde *in cap. Dolentes de celebr. Miſſ.* reprehenduntur qui ſolum quater in anno celebrant. Verum Cajet. 3. *par.* q. 82. *art.* 10. tenet, Sacerdotem in dicto caſu non peccare mortaliter, & ita videtur ſentire S. Thom. cum non exprimat hoc eſſe mortale; tamen licèt hoc fit verum ſecluſo ſcandalo, & contemptu, peccat venialiter, quia defraudat Eccleſiam ſuo Sacrificio, ad quod offerendum eſt conſtitutus miniſter. Denique Sacerdos nullo impedimento detentus, qui ſolum contentus Communione Paſchali nunquam celebrat, DD. communiter dicunt, quod peccat mortaliter. Vide Dian. *par.* 2. *tract.* 14. *reſ.* 19. Si verò celebrat ter, vel quater in anno; præcipuè in die Nativitatis Domini, Reſurrectionis, & Pentecoſtes, à peccato mortali illum excuſant; cum de Jure communi aliis vicibus celebrare non teneatur, ſed tantùm de conſilio. Vide Bonac. *de Sac. diſp.* 4. *quæſt. ult. pun.* 6. *num.* 1. & 2. Rotarium *in Appar. pro exam. Cler. cap.* 7. *ſect.* 2. *num.* 1.

278 Inter. 42. Licetne Sacerdotibus paſſim celebrare Miſsã feria quinta in Cœna Domini, atque in Sabbato Sãcto?

Reſp. Vaſquez *tom.* 3. *diſp.* 232. *cap.* 2. *num.* 15. docet neque jure ſcripto, neque conſuetudine vetitum eſſe feria quinta in Cœna Domini miſſam celebrare, neque Prælati licentiam eſſe neceſſariam, & teſtatus ſe plures Romæ vidiſſe eo die celebrare; idem docet Marchinus *de Sac. Ordinis tract.* 3. *par.* 3. *cap.* 8. *num.* 1. apud Dianam *par.* 4. *tract.* 6. *reſ.* 19. *verſ. Non deſinam*, ubi ex aliis notat Sac. Rituum Congregationem decreviſſe feria quinta in Cœna Domini celebrandam eſſe unam tantum Miſſam. Sed poſteà ſequitur, hoc Decretum multis in locis non eſſe uſu receptum, nam paſſim in illa die Sacerdotes celebrant, & id fieri poſſe etiam publicè ſecluſo ſcandalo, teſtatur idem Diana, aſſerere plures Doctores. Ego verò puto licere Sacerdotibus in illa die celebrare privatìm, ut docet Navar. *in Man. cap.* 25. *num.* 88. & concordant Sotus, & Suarez apud Victorellum *in Addit. ad* Emm. Sà *verb. Miſſa n.* 23. & ità video practicari. Vide Dian. *pun.* 11. *tract.* 5. *reſ.* 32. *verſ. Sed ut verum fatear*,

tear, ubi pro hac ſententia plures Doctores refert. Verùm Vaſquez fatetur congruentius eſſe, ut eo die reliqui omnes Sacerdotes præter Superiorem, vel alium ſolemnitèr celebrantem, à celebratione abſtinent, & ad imitationem Apoſtolorum de manu illius, tanquam de manu Chriſti Euchariſtiam accipiant. Cæterum in Sabbato Sancto, licèt quidam, ut Sotus, Suarez, & Azorius arbitrantur, poſſe Sacerdotes ob juſtam cauſam, privatim celebrare, amoto ſcandalo, & cum licentia Superioris, ut videre eſt in Emm. Sà *loco cit.* Tamèn Sac. Rituum Congregatio die 12. Februarii Anno 1690. & die 11. Martii ejuſdem anni, cenſuit celebrationem Miſſarum die Sabbati Sancti omninò prohibendam in quibuſcumque Eccleſiis, & Oratoriis privatis, atquè unica Miſſam Conventualem, unà cum Officio ejuſdem Sabbati Sancti celebrandam fore præcepit.

279 Inter. 43. Teneturne ſub peccato mortali Sacerdos perficere Sacrificium alterius Sacerdotis, qui dum Miſſam celebrat poſt Conſecrationem morbo corripitur, nec ullo modo poteſt Sacrum inceptum explere?

Reſp. Communis ſententia docet teneri, licet non ſit jejunus, aut excummunicatus, vel Irregularis exiſtat; & ratio eſt quià integritas Sacrificii eſt de jure Divino; ideòque tale præceptū anteponendum eſt omni juri Eccleſiaſtico poſitivo. Unde ſi non poteſt Sacerdos Miſſam inchoatam perficere, debet ab altero hoc fieri, quamquam præferendus ſit Sacerdos jejunus, & nulla cenſura irretitus, ſi adſit; & hanc eſſe communem, & probabiliorem ſententiam teſtatur Diana *par. 9. num. 6. reſ.* 18. Vide quę dixi *in hac met. tit. ad Int.* 18. Quidam vero apud eundem Dian. dicunt eſſe probabile poſſe Sacerdotem in dicto caſu, ſi velit, explere, ſed non teneri. Vide Tolet. *lib. 2. cap. 9. num.* 1. & Bonac. *tom. 1. de Sac. diſ.* 4. *quæſt. ult. pun.* 10. *num.* 20. ſed non eſt recedendum à communiori, & probabiliori ſententia affirmativa, quia Sacrificium, ut dixi, de Jure Divino integritatem expoſtulat. Vide *in tit.* 130. *de Laicis, ad Inter.* 4.

280 Inter. 44. Si Sacerdos dum celebrat moriatur, vel nullo modo poſſit Sacrificium inceptum explere, quid facere debet alius Sacerdos, qui Miſſam tenetur perficere; præſertim ſi non conſtat, in qua parte Miſſæ dictus Sacerdos mortuus fuerit?

Reſp. Si poſt Conſecrationem utriuſque materiæ Sacerdos moriatur, & nullo modo Sacrificium poſſit explere; ſecundus Sacerdos tunc debet ſpecies Sacrementales remanentes ſumere, & Sacrificium inceptum perficere nihil addendo. Si verò Sacerdos, qui moritur unam tantum conſecraverat ſpeciem, quidam dicunt, quod ſecundus Sacerdos, non ſolum debeat conſecrare Sanguinem, ſed etiam alteram Hoſtiam, & poſtea ſuo tempore ſumere utramque Hoſtiam, & Sanguinem; & eſt probabilis hæc opinio; Tamen conſultius eſt alteram Hoſtiam non conſecrare, ut docet S. Tho. *in* 4. *diſt.* 83. *quæſt.* 2. *art.* 4. Vide Nugnum *in* 3. *par. tom.* 1. *quæſt.* 83. *art.* 6. apud Dian. *par.* 9. *tract.* 6. *reſ.* 18. nam quando conſecrata Hoſtia, deficit Sacerdos, definitum eſt in Conc. Tolet. VII. & XI. ut alius Sacerdos ſuccedat ad Calicem tantum conſecrandum, ſed dato, quod Sacerdos moriatur poſt ſumptionem Hoſtiæ à ſe conſecratæ, & non potuit item vinum conſecratum ſumere, dicunt quidam non teneri alterum Sacerdotem perficere Sacrificium, quia ſubſtantia Sacrificii videtur perfecta reſpectū Sacerdotis celebrantis, cum ſumpta Hoſtia recipiat gratiam Euchariſticam, & ideò volunt, quod Sanguis, qui non fuit ſumptus à Sacerdo-

cerdote mortuo,ſumatur à Sacerdote aliud Sacrificium faciente. Mihi verò magis probatur id, quod Diana docet *par.* 10. *tract.* 13. *reſ.* 15. Nempè ſecundumSacerdotem poſſe ſolum Sanguinem ſumere, quià abſolvere debet continuando à parte relicta ab alio, ultrà alias rationes, quas pro ſua tuenda ſententia affert idem Diana. Imò cum Chaves *in Sum. Victoriæ de Euchariſt. quæſt.* 18. mihi probabiliter videtur dicendum ex præcepto Divino teneri Sacerdotem in Miſſa ſe communicare ſub utraque ſpecie, quia utriuſque ſpeciei ſumptio ad Sacrificii integritatem pertinet, aliàs non eſſet nec Sacrificium, nec Sacramentum perfectum; Nam Sacramentum Euchariſtiæ eſt quædam refectio, quæ perfecta dici non poteſt, ſi ſub una ſpecie tantùm ſumatur à Sacerdotibus Sacrificantibus tam pro ſe, quam pro Populo; ſed vide Bonac. *tom.* 1. *de Sac. diſp.* 4. *quæſt. ult. punct.* 10. *num.* 22. qui in hac opinionum diverſitate ait; tutius eſſe ſe accommodare conſuetudini. Cœterum quando non conſtat in qua parte Miſſæ mortuus fuerit Sacerdos, & ideò dubitatur, an conſecraverit, vel non; nonnulli apud Bonac. *loco cit. num.* 24. tenent debere ſecundum Sacerdotem ponere aliam Hoſtiam, & aliud Vinum in alio calice, & utramque Hoſtiam, ac utrumque calicem conſecrare, alterū ſimpliciter, alterum ſub conditione, vel poſſe novam Hoſtiam, vel novum vinum conſecrare ſimpliciter, & poſt ſumptionem utriuſque ſpeciei illam materiam, de qua dubitatur, an ſit conſecrata ante purificationem ſumere, & hanc opinionem inter recenſiores fatetur eſſe communem. Tamen, ut verum fatear mihi magis placet ſententia, quā docet Serra *in cit. quæſt.* 83. *ar.* 6. *D. Thom.* ubi ait ſibi probabilius videri, ſatis eſſe in dicto caſu Hoſtiam, & calicem, quæ invenit ſecundus Sacerdos in Altari ſub conditione conſecrare, & non debere aliam Hoſtiam, & vinum apponere; Et ſi certum eſſet primum Sacerdotem conſecraſſe Hoſtiam, & neſciretur conſecraſſe vinum, ſufficere hoc, quod in Altari invenit, conſecrare, & rectè dicit, nam perficitur Sacrificium, & integratur, & nulla fit injuria Sacramento, ſi adhibeatur conditio in tali dubio; & ſic opus non erit aliam Hoſtiam, & vinum conſecrare, ut dicunt DD. primæ ſententiæ, cum non ſint multiplicanda entia ſine neceſſitate, ſed vide Dianam *par.* 10. *tract.* 12. *reſ.* 12. pro hac noſtra ſententia, & nota quod Miſſa hodie incepta, & poſt conſecrationem Corporis Chriſti non perfecta propter impedimentum celebrantis, non poteſt ab alio perfici cras, ut contrà Tamb. probat Dian. *par.* 10. *tr.* 11. *reſ.* 4.

281 Inter. 45. Quid debet facere Sacerdos, qui eſt in peccato mortali, quando tenetur alterius Sacerdotis Sacrificiū inceptum perficere? Et quid ſi ſit Excommunicatus, aut Irregularis?

Reſp. Tenetur confiteri; ſed ſi non habeat copiam Confeſſarii, debet, elicito actu contritionis, Sacrificium perficere; Et ratio eſt, quia major eſt obligatio perficiendi Sacrificium, quàm præmittendi Confeſſionem, licèt utrumque ſit de Jure Divino. Bonac. *de Sacr. diſp.* 4. *quæſt. ult. pun.* 10. *numer.* 20. Et hoc eo magis eſt verum, quia ſequeretur ſcandalum grave ex omiſsione Sacri imperfecti. Verùm ſi adeſt alius Sacerdos, non exiſtens in peccato mortali, aut nulla cenſura præpeditus, tenetur ipſe ſupplere, & Sacrificiū in dicto caſu perficere, ut dixi ſuprà *in hoc tit. ad Inter.* 43. Quod autem teneatur Sacerdos Excommunicatus, vel Irregularis, ſi nullus alius adſit Sacerdos illud Sacrificium explere, mihi videtur ſatis probabile, quià non eſt major ratio, cur teneatur Sacerdos non jejunus, ſi alius jejunus non adſit, & non qui eſt aliqua cenſura innodatus,

vandi

Digitized by Google

cum ſemper minus ſit præceptum ſervandi jejunium, & non celebrandi in Excommunicatione, aut irregularitate, quam de Sacro perficiendo, nam illud eſt Eccleſiaſticum, hoc que Divinum, ergo &c. Vide quæ dixi ſuprà in hoc titulo *ad Inter.* 43. Sed quoad Excommunicatum, aut Irregularem, ſolum admittit Victorellus *in add. ad* Em. Sà *verbo Miſſa numer.* 38. quandò ex Sacri omiſſione ſecuturum ſit grave ſcandalum aliorum, & pro ſe citat Azorium, & Sotum.

282 Inter. 46. Quidam credens Cōjugem eſſe mortuam, fecit ſe promoveri ad Ordines Sacros, poteſtne mortua Uxore abſque diſpenſatione Miſſam celebrare?

Reſp. Qui præſumit vivente Uxore ſine ejus licentia, vel extra caſus à iure conceſſos, Sacros ordines ſuſcipere, etiam ſoluto matrimonio, nō poteſt in illis miniſtrare ſine Summi Pontificis diſpenſatione, niſi profiteatur in aliqua approbata Religione (nam in tali caſu, etiam Epiſcopus diſpenſare valet, ut habetur *ex Extravagante Antiquæ Joan. XXII. de voto*) Verùm, qui ignoranter, & multo magis, qui bona fide fecit ſe ordinare, nullam ſuſpenſionem incurrit, neque irregularitatem, ac proindè poſt mortem uxoris, licitè poteſt in ordinibus ſuſceptis miniſtrare, ut rectè docet Præpoſitus *in 3. par. quæſt. 3. de ſuſpenſ. dub. 5. numer.* 4. ergo in caſu noſtro nulla indiget diſpenſatione, ut Miſſam celebrare queat, qui bona fide ſuſcepit Sacros ordines, credens mortuam eſſe Uxorem, licèt durante matrimonio non poſſit, ſed ſolum poſt mortem Conjugis, ut dixi. Vide Dianam *par. 5. tr. 10. reſol.* 59.

Quær. 1. An Miſſa mali Sacerdotis proſit tantum ſicut Miſſa boni? & quot peccata committat Sacerdos, qui celebrat in peccato mortali?

Reſp. Ex doctrina Angelici Præceptoris *3. par. quæſt.* 82. *art.* 6. habetur quod in Miſſa duo conſideranda ſunt, ſcilicet ipſum Sacramentum, & orationes, quæ in ea dicuntur, ac oblatio Sacrificii. Quantum autem ad primum, quod eſt principale, non minus valet Sacerdotis mali Miſſa, quàm Miſſa boni ex opere operato: Orationes verò poſſunt dupliciter conſiderari, uno modo in quantum procedunt ab hac privata perſona, & ex hac parte majoris efficaciæ ſunt orationes boni Sacerdotis, quàm orationes mali, quià licet aliquando Deus audiat malos, tamen certum eſt, quod potius audit bonos. Alio modo poſſunt conſiderari prædictæ orationes, tanquā procedentes à celebrāte in perſona Eccleſ. & quantū ad hoc tantam efficaciā habet oratio mali ſicut oratio boni Sacerdotis, & è contra. Et ratio eſt quia is, cui mittitur aliquid, non reſpicit per quem mittatur, ſed quis, & quid mittat. Si enim quis mitteret ſervum ad dandam eleemoſynam, licèt ſervus doleret, & repugnaret, nihilominus profectò eleemoſyna valeret omnibus illis, prò quibus affertur; Sic Sacerdos cum ſit miniſter Eccleſiæ Miſſam celebrans, licèt peccet ipſe, ſi non ſit in gratia, prodeſt tamen aliis ejus Sacrificium. Ex parte autem orationum, & ipſius oblationis, quo melior fuerit Miniſter, eo magis accepta erit oblatio; Facilius enim, & ſæpius, & amplius impetrat bonus, quam malus: Unde S. Thom. ubi ſuprà aſſerit magis fructuoſam eſſe Miſſa dictam à meliore Sacerdote, cum majore devotione, quam ſit Miſſam dicta ab alio. Armilla *uerb. Miſſa num.* 34. *& verb. Euch. num.* 18. Vide Navar. *in man. cap.* 25. *num.* 79. Tolet. *lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 1. Bonac. *de Sac. diſp.* 4. *quæſt. unica pun.* 6. *n.* 3. *&* 4. Lezanam *to.* 3. *verb. Miſſa num.* 7. & alios penes ipſos. Tandem probabiliter dicunt quidam, ut Nugnius *in 3. par. to.* 1. *q.* 82. *art.* 4.

art. 5. P. Campionus *in ſua Inſtruc. Ordinand. cap.* 29. *num.* 50. Author Cautel. Confeſ. *lib.* 1. *cap.* 28. *n.* 8. & alii, Sacerdotem celebrantem in mortali peccare duplici peccato ſacrilegii, & quià conficit, & quià ſumit Sacramentum. Oppoſitum tamen docent Dicaſtillus *de Sacram. tom.* 1. *tract.* 1. *diſp.* 3. *dub.* 10. *n.*235. Bonac. *de Sac. diſp.*4. *quæſt.* 5. *pun.* 2. *num.* 4. Diana *par.* 2. *tr.* 14. *reſ.* 24. *& par.* 10. *tract.* 16. *reſ.* 27. *verſ. & tandem nota*, & alii plures apud ipſos, & aſſerunt unum tantum peccatum committere, & hoc mihi magis placet, quià ſicut unum eſt Sacrificium, & una actio moralis, quâ conſecrando ſimul Sac. Euchariſtiam, ſumit, & ſibi miniſtrat, ità unum eſt peccatum ex multiplici cauſâ, & titulo graviſſimum.

Quær. 2. An Sacerdos Miſſam celebrans cùm ſtipendio, poſsit eamdem Miſſam alteri applicare, ex gratitudine, aut benevolentia?

Reſp. Prò indubitato haberi debet non poſſe Sacerdotem partem ſibi debitam ex opere operato in Sacrificio Miſſæ alteri applicare, vt duplicatum prò eadem Miſſa ſtipendium accipiat; Ità namque habetur ex Decretis Sac. Congregationis, *de celebr. Miſſar.* ſub Urbano VIII. emanatis, & docent communiter Doctores, qui poſt ſupradicta Decreta ſcripſerunt, & ità inter alios teſtantur Dian. *par.*5. *tr.* 14. *reſ.*45. *& par.*6. *tract.*6.*reſ.*8.*& par.*10. *tr.*12. *reſ.*21. *verſ. & ideò*. Lezan. *tom.* 3. *verb. Miſſa num.* 10. & alii apud ipſos. Si vero applicatio fiat ex Charitate, & benevolentia, aut gratitudine prò aliquo Benefactore, Conſanguineo, vel Amico, à quo nullum ſtipendium accipitur, nonnulli dicunt poſſe Sacerdotem alteri quoque ejuſdem Miſſæ valorem pro ſtipendio applicare, quia in tali caſu ſemper ſalvatur non accipi duplex ſtipendium prò eadem Miſſa, quòd dumtaxat eſt prohibitum in præfatis Decretis *de celebrat. Miſſar.* nec ſit contrà Propoſitionem *octavam* damnatam ab Alexandro VII. *die* 24. *Septembris* 1665. cum reverà Sacerdos duplex ſtipendium non accipiat. Ità tradunt Mendo *Epit opin. moral. verb. Miſſa num.* 32. Lezana *ubi ſuprà num.* 22. Diana *par.* 6. *tr.* 6. *reſ.*9.*& par.*10. *tr.*15.*reſ.*43.*verſ. nota verò*. Quamquàm non deſint alii, qui oppoſitum doceant, ut videre licet apud eundem Dianam *ultimo loco cit. circà fin.* Sed ipſe Diana *par.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 196. ubi loquitur an Sacerdos poſſit unica Miſſa ſatisfacere pluribus petentibus unam Miſſam ſine ſtipendio, affirmativæ ſententiæ minimè ſe ſubſcribit, dicens, hujuſmodi opinionem multis recentioribus non placere, quamvis Lezana *loco ſuprà cit. n.*8. rectè probet Sacrificium Miſſæ pluribus applicatum, æque prodeſſe omnibus, prout in eo, in quo ratio Sacrificii conſiſtit, nàm iſto modo valor Miſſæ eſt infinitus, & indeterminatus: Ergò ſecundum hanc ſententiam poteſt Sacerdos unica Miſſa pluribus petentibus ſatisfacere, ſi nullum, aut ſaltèm unum recipiat ſtipendium; Et licèt Sacerdos teneatur applicare, non ſolùm impetrationem, ſed etiam totam ſatisfactionem prò eo, qui ſtipendium dedit; impetrationem tamen poſſe etiam prò aliis applicare docet Alloza *verb. Miſſa ſect.* 1. *num.* 50. ſequitur ergò poſſe Sacerdotem eamdem Miſſam cum ſtipendio acceptam, alteri ex gratitudine, charitate, aùt benevolentia applicare. Verum eſt tamèn, quod eſſet peccatum contra fidelitatem, ſi Sacerdos promitteret danti ſtipendium, quod prò nullo alio Miſſam offerret, quià contraria opinio eſt damnata ab Alexan. VII. *loco cit.* & eſt propoſitio decima ab eodem Pontifice reprobata. Et licèt Diana *loco proximè cit.* dicat Sacrificium Miſſæ ſit

infi-

infiniti valoris, æqualiterque proſit omnibus ſecundum cujuſlibet devotionem, nec unus ex participatione alterius in re minima lædatur; Hinc eſt quòd qui dedit ſtipendium, ut pro illo offeratur, non debet eſſe irrarionabiliter invitus, ut prò aliis idem Sacrificium ex charitate offeratur. Tamen quidquid ſit de hac opinione, in noſtra Congregatione, prout per ſpatium 49. annorum vidi, Miſſæ, quæ applicantur prò Religioſis noſtris defunctis, ſunt omninò diverſæ ab illis, quæ celebrantur pro Benefactoribus ſtipendium præbentibus, & hoc mihi magis probatur, Primò, quia in Sacerdote offerente, ferè ſemper adeſt alius titulus propriæ obligationis, aut in eum refuſæ à patente, & debitum alterius virtutis v. g. Religionis, Voti, Pœnitentiæ, Gratitudinis debitæ, aut ſimilis Fidelitatis, aut Charitatis, aut Officii Paſtoralis, aut Obedientiæ ex Lege &c. Hæ enim virtutes etiam, ſaltem aliquando, cadunt ſub debito. Secundò, quià qui imponit, vel ſuſcipit obligationem Miſſæ, ex quocumque capite imponat, vel ſuſcipiat, niſi alia forſan expreſſe detur explicatio, petit, & promittit maximum cultum Religionis, ſeù Dei, qui in Sacrificio attenditur, conſequenter à quacumque alia obligatione independenter; Nam petit Miſſam abſque diminutione Divini cultus, ſed ut augeatur, undè fit quod etiam independenter à decreto Urbani VIII. nequit ſatisfieri pluribus obligationibus in hac parte, quià etiamſi actio ſit infiniti valoris, promittens eam pluries reddere, non ſatisfacit una vice reddendo. Undè Sacerdos debet eſſe cautus, ut nulli promittat ſpecialirèr, niſi illi, cui de jure debetur, aliis verò dicat, rogabo prò eo, vel prò te, quià ex natura rei, ſeù conventionis, ſeù, ut melius dicam, impoſitionis oneris cujuſcunque, etiàmſi nil fructus alicui minueretur, Miſſæ Sacrificium obligatum, eſt inapplicabile pluribus petentibus.

Quær. 3. An Miſſa, quæ dicitur pro uno, pluribus prodeſſe queat, & ſi illius anima non exiſtat in Purgatorio, cui illa Miſſa ſuffragatur?

Reſp. Ad primam quæſtionem dico, quod illa Miſſa ſi per modum congratulationis intelligatur, omnibus in Purgatorio exiſtentibus equidem prodeſt, non autem ſi per modum expiationis; Siquidem in tali caſu, illi tantum prodeſt, prò quo Miſſa applicatur, quià expiatur, ſcilicet purgatur, ejuſque anima per illud Miſſæ ſacrificium liberatur, aut ſaltèm magnum levamen recipit, ideò, ut rectè docet Lavorius *de Indulg. par.* 2. *cap.* 30. *num.* 120. Miſſa relicta prò aliquo particulari non eſt pluribus applicanda, quià hoc eſſet dividere aurum pluribus, quòd tantùm uni debetur, quæ autem ratio Lavorii mihi non probatur ſicut aſſertum, nàm illa ratio, & proportio ex auro deducta, ſupponit Sacrificium eſſe finiti valoris, quod eſt contrà communiorem ſententiam; ſed nil fructuum deperditur ex aliorum conſortio, licèt, *ut dixi ſuprà Quæſ.* 2. non poſſit pluribus obligationibus ſatisfieri, ſed pluries repetenda eſt actio infiniti valoris, ſi pluries ſuſcipiatur. Ad ſecundam verò quæſtionem, dico, quod vel illi ſuffragatur, cui intendit Sacerdos in genere, ſive in ſpecie, tacitè, vel expreſsè, aut ſi nemini applicat, diſpenſabitur aliis indigentibus per Divinam miſericordiam, vel quod ſi Sacerdos non habeat intentionem ſuffragandi alicui ſibi conjuncto, aut amico, per Divinam miſericordiam adhuc diſpenſatur aliis indigentibus, ut ait idem Lavorius *ubi ſuprà num.* 140. Expedit tamen, ut Sacerdos ſuam intentionem determinet in particulari ante conſecrationem, prout ſibi magis placuerit. Vide Dianam *par.* 9. *tract.* 2. *reſ.* 5. & 7. nam ibi alia plura ſcitu digna circa hanc materiam invenies.

Quær. 4. An expediat, ut quis ſe vivente faciat ſibi applicari ſacrificia potius, quàm poſt mortem? & an de requiem Miſſæ licitæ eſſe poſſint?

Reſp. Eſt quidem magna contraverſia inter Doctores, an vivens Miſſas, &

officia defunctorum prò ſe dici licitè facere poſſit, ut videre licet apud Lezanam *tom* 3. *verb. Miſſa num.* 54. & Dianam *par.* 5. *tract.* 13. *reſ.* 2. *& par.* 9. *tract.* 2. *reſ.* 18. *verſ. ſed hic obiter.* Affirmat Lezana, & aliis relatis intrepidè ſuſtinet id eſſe licitum. Tamen oppoſita ſententia mihi magis probatur, quam tuetur Diana *locis cit.* prò qua refert Layman *lib.* 5. *tr.* 5. *cap.* 2. *num.* 15. Hieronymum Garciam, Caſtropolaũ, & alios, & fundamenta ſententiæ affirmativæ ſatis doctè elidit: Ratio autèm hujus noſtræ ſententiæ eſt, quià licèt fructum reſpondentem Miſſæ de Requiem, & officia Defunctorum poſſint in rigore applicari vivis, æquè ac defunctis, cum ſit fructus ſatisfactorius ex opere operato, & operantis, cujus vivi, ac defuncti ſunt capaces, attamen apertè videtur id eſſe contrà ordinationem Eccleſiæ, quæ diverſas Miſſas, & officia prò vivis, & defunctis inſtituit; Ideòque Miſſæ vivorum in caſu noſtro, omninò eſſe debent de Sanctis, aut pro remiſſione peccatorum &c. non autem de requiem, quia iſtæ ex inſtitutione Eccleſiæ, & ex ipſa ſignificatione ad ſolos mortuos referuntur. Hoc itaque prænotato, Reſpondeo directè ad quæſitum, eſſe quidem valdè laudabile, ut Fideles curent prò ſe Miſſas, non de requiem, ſed prò vivis, ante mortem celebrari; Immò eſt optimum conſilium ſic facere, ne poſteà hæredes pigri ſint, & negligenter ſe gerant in hujuſmodi ſuffragiis faciendis, cum diſpendio, & detrimento notabili ſuorum defunctorum: Unde qui jubet in vita prò ſe Miſſas celebrari, habet majorem certitudinem quòd actu dicantur, & recipiat fructum, ultra quod Miſſa applicata vivis, non ſolùm eſt ſatisfactoria, ſed eſt propitiatoria pro peccatis, conferendo varias gratias prævenientes & impetratorias variorum beneficiorũ, & ideò prodeſt magis, non ſolùm in vita, ſed etiam poſt mortem, ut per ſe patet, & inferius breviter oſtendam. Audiamus ergò modo id, quòd ait S. Gregorius Papa *lib.* 4. *Decalog. cap.* 58. *Tutior, inquit, eſt via, ut bonum, quod quiſque poſt mortem ſuam ſperat agi per alios, agat ipſe dum vivit per ſe: Beatius quippe eſt liberum exire, quàm poſt vincula libertatem quærere.*

Expedit igitur, ac maximopere juvat, ut quis ſe vivente faciat ſibi applicari Miſſas potius, quàm poſt mortem, & ità rectè fecerunt nonnulli, ac me conſulente fecit etiàm noviſſimè quædam mea Conſaguinnea. Miſſæ enim prò defunctis applicatæ ſolùm ferè ſunt ſatisfactoriæ, cum defuncti aliorum fructuum non ſint capaces; Nàm Miſſæ fructus, ut tradunt Theologi, ſunt tres, ſcilicet ſatisfactorius, propitiatorius, & impetratorius, at dumtaxat illius primi ſunt capaces defuncti; Miſſæ verò in vita prò aliquo celebratæ, non ſolùm ſatisfactoriæ ſunt, ſed etiam propitiatoriæ, meritoriæ, & impetratoriæ, conſequenter juvant in vita, & poſt mortem; Immò tanta eſſe poſſunt Sacrificia in vita alicujus oblata, ut totam pœnam, quæ in Purgatorio debebatur, expient, ac deleant, ità ut ille decedens cœlum ſtatim conſequatur, ut docet inter alios Fraxinellus, quem refert Barboſa *in Collect. ad Triden. ſeſſ.* 22. *cap.* 2. *n.* 11. Alias ſolidas rationes videndas relinquo apud præfatos Auctores, & præſertim apud Dianam *locis cit.* Non nego tamen eſſe validè laudabile, quod quiſque etiam poſt mortem ſibi Miſſas de requiem applicari curet, cum ad extremum vitæ contrahere poſſit novas obligationes ad pœnas Purgatorii, quas quidem bonum eſt per ſacrificia poſt mortem tollere. Hoc eſt igitur quòd ego ſentio circà præſentem difficultatem, de qua ſæpius interrogatus fui. Sed vide ſi jubet D. Meum Dandinum *de ſuſpect. de hæreſi cap.* 3. *sect.* 1. *ſubſect.* 5. *num.* 14. *uſque ad num.* 28. *incluſivè*, qui egregiè, more ſuo loquitur de hac quæſtione.

Quær. 5. An Miſſa applicata à Sacerdote Religioſo contrà intentionem ſui Prælati, valeat pro intentione ipſius, vel ejus Superioris?

Reſp. Applicatio Sacrificii pendet omni-

omninò ab intentione Sacerdotis, non autèm ab intentione Superioris, & ſic mihi non eſt dubium valere ei, cui per Sacerdotem Miſſa applicatur, & non alteri, cui intendit applicare ejus Prælatus, & ratio eſt quià Sacerdos in adminiſtratione Sacramentorum, & applicatione Sacrificiorum operatur, ut miniſter Chriſti, & ut habens ſolùm ab ipſo poteſtatem, ergo ſolùm illi ſubiicitur non alii Superiori, quoàd has actiones, ut rectè ex Suarez, & Ledeſma firmat Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 4. *n.* 35. & hanc ſententiam ſequitur etiàm R. P. Rotarius *in appar. Theol. Moralis par.* 3. *cap.* 6. *ſect.* 5. *num.* 10. Quod autèm Gavantus hoc intelligat de Sacerdote ſæculari libero, non autèm de Religioſo, cujus voluntas à Prælato pendet, nil officit, quià ſi Sacerdos Regularis eſt Chriſti miniſter, ut eſt Sacerdos ſæcularis, pendere non poteſt ab alio, quàm ab eo, cujus vices gerit, & à quo poteſtatem recipit; Hæc autē poteſtas non poteſt auferri à Sacerdote Regulari, ergo neque poteſt impediri quoàd ejus effectus, ſed effectus ſecundarius characteris eſt applicatio Sacrificii, ergo non poteſt impediri à Prælato, conſequenter applicatio Sacrificii non pendet à voluntate Superioris, ſed ab intentione Celebrantis, aliàs ſequeretur quod Prælatus poſſet etiàm reddere invalidam ſui ſubditi Conſecrationem, quod eſt falſum omninò: Nec valet dicere cum Poncio non eſſe veriſimile, quod Chriſtus dederit hanc poteſtatem Sacerdoti Regulari, niſi cum dependentia à voluntate ejus, qui poteſt ei præcipere, & ſolet applicare Miſſam ſubditi prò ſua intentione. Hæc enim ratio non convincit, ut patet ex dictis, & præſertim ſi hoc verùm eſſet, etiàm Conſecratio penderet à voluntate Prælati, ergò ſicut non pendet à voluntate Superioris effectus primarius hujus poteſtatis, ità neque ejus ſecundarius effectus, nàm Chriſtus Dominus liberum actum celebrationis, & conſecrationis inſtituit, & ut tota applicatio pendeat ex Sacerdotis intentione. Verum eſt tamen, & nullus negat, peccare Subditùm non conformando ſuam voluntatem, & intentionem cum illa ſui Prælati, à cujus nutu, & voluntate pendere debet propter votum obedientiæ, quòd emiſit. Cœterum nec obſtat adducere abſurda, & inconvenientia, quæ poſita hac noſtra ſententia, ſequi poſſunt, nàm hæc abſurda etiam ſequi poſſunt ſtando in opinione contraria, præſertim quià præbentes eleemoſynas Miſſarum, prudenter pariter dubitare poſſunt, an reverà Superior fecerit eis, aut aliis applicare Miſſas, & ſic eadem ratio militat prò utraque opinione quoad inconvenientia, quæ ſequi poſſunt; Unde Benefactoribus ſufficere debet, quod ſivè ex defectu Superioris, ſivè ex defectu ſubditi Miſſæ juxtà eorum intentionem celebratæ, vel applicatæ non fuerint, ſemper mortaliter peccant Superiores, vel ſubditi, & ad reſtitutionem tenentur, niſi Miſſas reficiant, & tandem quod quiſque ſuæ conſcientiæ conſulere debet in tàm gravi negotio. Itaque non recedo à ſententia, quam tanquam cōmuniorem doceo *in tit.* 180. *de Regular. ſeù Relig. ad Inter.* 7. & 74. & adducā Paſqualigum *de Sacrif. Miſſæ quæſt.* 83. qui prò hac noſtra ſententia 28. Doctores refert, licèt P. Auguſtinus Matthæuccius, nunquàm ſatis laudatus, ſequatur oppoſitam *in ſua Cautela Conſeſſarii lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 24. & 25. quæ tamèn mihi minus placet. Nàm Buſenbaum *lib.* 6. *tract.* 3. *cap.* 3. *dub.* 2. teſtatur noſtram ſententiam eſſe communem.

Digitized by Google

TITULUS XXXV.

De Cenſuris Eccleſiaſticis.

Vide tit. de Differ. Inter. 19. tit. de Dub. Inter. 9. tit. de Edict. Inter. ult. tit. de Epiſcopat. &c. Int. 19. tit. de Ignor. Int. 3. tit. de Irreg. Inter. 23. tit. de Puer. Inter. 18. tit. de Suſp. de Hær. ad Quæ. 1.

283 INter. 1. Quid eſt cenſura eccleſiaſtica?

Reſp. Eſt quædam pœna ſpiritualis ab eccleſiaſtica poteſtate inflicta, privans hominem baptizatum uſu aliquorum ſpiritualium per ordinem ad ſalutem. DD. communit. Sayrus *de Cenſur. lib. 1. c. 1.* Bonac. *loc. infrà cit.* Cabrin. de *Caſ. reſerv. par. 2. caſ. 1. annot. 1. num. 1.* & alii omnes, ut dixi.

284 Inter. 2. Quotuplex eſt cenſura, ſeù quot ſunt cenſuræ eccleſiaſticæ?

Reſp. Eſt triplex, ſeù tres tantùm ſunt cenſuræ Eccleſiæ, nempè Excommunicatio, Suſpenſio, & Interdictum. Bonac. *de Cenſ. diſp. 1. quæſt. 1. pun. 1. numer. 4.* & alii communiter contra Sotum *in 4. diſt. 12. quæſt. 3. ar. 1,* qui Irregularitatem, & ceſſationem à divinis inter cenſuras enumerat.

285 Inter. 3. Cenſuræ in Decretis viſitationis Epiſcopalis latæ, ſuntne à jure, vel ab homine? & extinguunturne mortuo, vel amoto Epiſcopo?

Reſp. Quia Cenſuræ in decretis Viſitationis Epiſcopalis infliguntur per modum præcepti, & decreti, & in factis particularibus Vrbis, vel Diœceſis, ideò reputari debent Cenſuræ ab homine, quæ vim ſuam amittunt mortuo, vel ab officio amoto Epiſcopo, niſi à Succeſſore renoventur, & confirmentur, ut nemo deinceps eas incurrat, quamvis ſi antea incurrerat, iis innodatus maneat, donec abſolvatur; Ita ex Svarez, Sylveſtro, Coninch, Sayro, & Layman firmat Cabrinus *Elucid. caſ. reſer. par. 2. caſ. 1. annot. 5, num. 12. & 13.* Nam Cenſuræ per conſtitutiones Synodales perpetuò durant, ſicut & ipſe Conſtitutiones, niſi vel à Succeſſore revocentur, vel contraria conſuetudine legitimè præſcripta abrogen. Cenſuræ verò per edictum latæ cum non ſint à jure, ſed ab homine per temporale, & locale præceptum, non obligant, mortuo, vel amoto Epiſcopo, niſi à ſucceſſore confirmentur, ut jam dixi, & aliis citatis docet idem Cabrinus *ubi ſupra. pag. 21. numer. 13.* Vide Reſponſionem ad Inter. ultimam tituli 79. & Dianam *par 6. tract. 6. reſ. 41. in fine.*

286 Inter. 4. Epiſcopus, vel alius Prælatus poteſtnè ſuſpendere effectus cenſurarum? & quid dicendum eſt de Summo Pontifice?

Reſp. Dico quod non, niſi privilegium habeant, aut conſuetudo aliqua immemorabilis hoc eis permittat; nam ipſi diſpenſare nequeunt, per ſe loquendo, in jure communi. Papa verò, quià habet poteſtatem ſupra jus humanum, utique ſuſpendere poteſt effectus cenſurarum, cum jure humano ſit inſtituta cenſura, & de facto Martinus V. in *Extravag. ad evitanda,* declaravit eſſe licitum communicare cum Excommunicato occulto, hoc eſt non denunciato, cum antè ejus extravagantem licitum non eſſet, ex quo elicitur Summum Pontificem poſſe ſuſpendere cenſurarum effectus, & conſequenter poſſe validè conferre beneficium Excommunicato, quamquam unus ex effectibus excommunicationis ſit, collationem beneficii irritam reddere. Hoc autem facere non valet Epiſcopus, vel alius Prælatus, quia de Jure communi invalida eſt collatio beneficij facta excommunicato ante abſolutionem, & ipſi non poſſunt diſpenſare in jure communi, ut dixi, ac per conſequens nec impedire effectus cenſurarum.Ità aliis relatis docet Bonac, *De Cenſu. diſp. 1. quæſt. 1. punct. vlt. num. 4. & ſeqq.*

TITULUS XXXVI.

De Circumſtantiis Peccatorum.

Vide tit. de Confeſ. ſacr. Int. 18. *tit. de Inceſt. Int. ult. tit. de Lux. Int. ult. tit. de Sacril. Int.* 7. *tit. de Scand. Int. ult. tit. de Soc. crim. Inter.* 1. 2. *tit. de Sod. Inter.* 3. *tit. de Superſt. Inter.* 18. *tit. de Val. Sacr. Inter. ult. tit. de Virgin. Inter.* 3.

287 INter. 1. Quæ, & quot ſunt circumſtantiæ peccatorum?

Reſp. Generaliter continentur in iſto verſu?

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Sed vide Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *q.* 5. *ſect.* 2. *pun* 2. §. 3. *diffic.* 3. *nu.* 3. Alii tamen addunt *Quoties*, at verò non eſt circumſtantia, ſed peccatorum multiplicatio.

288 Inter. 2. Illæ circumſtantiæ peccatorum, quæ mutant ſpeciem, ſuntne neceſſario in confeſſione explicandæ?

Reſp. Sine dubio id fieri debet, quia addunt novam malitiam mortalem.

289 Inter. 3. Illæ circumſtantiæ, quæ ſolum aggravant peccatum, ſed non in infinitum, debentne explicari in confeſſione?

Repſ. D. Thom. D. Bonav. & alii plures apud Dianam *par.* 1. *tr.* 7. *reſ.* 1. dicunt quod non, quia non habemus præceptum de his circumſtantiis explicandis, cum de Jure Divino, & humano teneamur dũtaxat confiteri omnia peccata mortàlia, quæ omnia confiteri quidem poſſunt abſque iis circumſtantjis, & hæc eſt probabiliſſima ſententia.

290 Inter. 4. Quomodo poteſt cognoſci, quando circumſtãtia mutat ſpeciem, & quando ſolùm aggravat peccatum?

Reſp. Quando transfert peccatum ex materia oppoſita uni virtuti in materiam alteri virtuti oppoſitam, tunc mutat ſpeciem, quando verò relinquit actum intra materiam ejuſdem virtutis, non mutat ſpeciem, licèt peccatum in ea ſpecie aggravet. Eſt communis ſententia. Quæ communis doctrina ſic eſt intelligenda: Quod illa peccata ſpecie diverſa ſunt, quæ vel diverſis virtutibus adverſantur, ut furtum, & blaſphemia, vel quæ eidem virtuti, ſed diverſa ratione difformitatis repugnant, ut perjurium, & prævaricatio voti, quæ opponuntur eidem virtuti Religionis; primum, invocando nomen Divinum in confirmationem falſitatis: Secundum non ſervando promiſſum Deo. Similiter Prodigalitas, & Avaritia, quæ opponuntur eidem virtuti Liberalitatis, prima ſecundum exceſſum; ſecunda, per defectum. Item odium Dei, & proximi, quæ opponuntur eidem virtuti Charitatis; primum, quoad objectum ejus primarium; ſecundùm, quoad ſecundarium.

291 Inter. 5. Fœmina habens copulam cum Clerico in minoribus, vel cum aliquo Novitio, teneturne hanc circumſtantiam in Confeſſione explicare?

Reſp. Nequaquam, quia talis circumſtantia non variat ſpeciem, nec aggravat notabiliter peccatum fornicationis. DD. apud Dianam *p.* 1. *tr.* 7. *reſ.* 7.

292 Inter. 6. Mulier peccans cum Sacerdote Religioſo, teneturne utrumque explicare, ſcilicet circumſtantiam Sacerdotii, & Religionis?

Reſp. Minimè, ſed ſufficit, quod explicet alterutrum, nempé peccavi cum Religioſo, vel Sacerdote; Nam vota ſolemnia caſtitatis, quæ emittuntur in profeſſione Religioſa, & in ſuſceptione Sacrorum Ordinum, ſunt ejuſdem ſpeciei. Diana *par.* 1. *tract.* 7. *reſ.* 3. *& par.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 67. & alii ab ipſo relati.

293 Inter. 7. Mulier peccans carnaliter cum aliquo Excommunicato non tolerato, teneturne hanc circumſtantiam in Confeſſione aperire?

Reſp. Certum eſt, quòd potiori ratione prohibetur etiam illicita converſatio cum Excommunicato; Undè quia Mulier in dicto caſu, non ſolùm committit ſimplicem fornicationem, vel adulterium. Secundum qualitatem propriam

priam, & perſonæ, cum qua carnaliter commiſcetur; ſed etiam peccat contra prohibitionem Eccleſiæ, communicando cum Excommunicato; ideò tenetur hanc circumſtantiam in Confeſſione aperire; nam communicans cum Excommunicato in humanis, non ſolum venialiter peccat, ſed præterea incurrit minorem excommunicationem, quarè fit, quòd ea non ablata, non ſit capax Sacramentorum, cum excommunicatio minor privet receptione, ſeù paſſiva participatione Sacramentorum, ut alibi dicam, & patet ex *cap. 2. de excep. & cap. ult. de Cler. Excom. & ex cap. penult. de Senten. Excom.* & docet Bonac. *de Cenſ. diſp. 2. quæſt. 3. num. 1.* cœterique Doctores. Vide Chaves *in Sum. Victoriæ de excommunicatione*, *conclu.* 14. Et nora, quòd communicare cum excommunicato, ferè eſt veniale peccatum, niſi in Divinis communicetur illicitè, ut docet Sà *verb. Excom. num.* 51. & alii communiter.

294 Inter. 8. Qui habet rem carnalem cum Judæa, Turca vel Hæretica, teneturne hujuſmodi circumſtantiam in Confeſſione aperire?

Reſp. Maximè, quia talis concubitus reducitur ad Sacrilegium, ſiquidem eſt ab Eccleſia prohibitus in honorem Chriſtianiſmi, & ità tenendum eſt, qnidquid in contrarium dicant aliqui; vide Diana *par. 3. tract. 4. reſ.* 138. qui tandem ità concludit. *Vide etiam in tit. 97. de Fornicatione ad Inter. 1.*

295 Inter. 9. Qui habet copulam ſodomiticam cum infideli, teneturne hanc circumſtantiam in Confeſſione aperire?

Reſp. Dicunt quidam, quod ſecluſo ſcandalo, & periculo ſubverſionis, & contemptus legis, & Religionis Chriſtianæ, vel non ſit caſus reſervatus ab Ordinario, neceſſarium non eſſe hanc circumſtantiam in Confeſſione aperire; putant enim non eſſe circumſtantiam mutantem ſpeciem; ſed ſolùm aggravantem. Tamen alii probabilius docent oppoſitum, ſcilicet, quod ſit circumſtantia mutans ſpeciem, & conſequenter neceſſariò in confeſſione aperienda; & ità tenendum eſt omninò, ut docui *in hoc tit. ad Inter. antecedentem*, *& docebo in tit. 97. de Fornicatione. ad Inter. 1.* loquens de habente copulam cum muliere Infideli, Turca, Judæa aut Hærerica, quia talis copula eſt etiam, contra Religionis Chriſtianæ decus ac proinde ſacrilegium, ut rectè docent Candidus *tom. 2. diſquiſ. 24. art. 23. dub. 35.* Card. de Lugo *de pœnit. diſp. 16. ſect. 6. num. 333.* Leander *de Sac. tom. 1. tract. 10. diſp. 8. §. 3. quæſt. 7.* Naldus *in ſum. verb. Fornicatio num. 2.* & alii apud Dianam *par. 3. tract. 4. reſ. 138. & par. 9. tract. 11. reſ. 3.* qui Diana huic ſententiæ adhæret, & probabiliorem eſſe fatetur. Immo pœnæ peculiares graviſſimæ ſtatutæ ſunt contra tam graviſſimum ſcelus perpetrantes. Vide Sanchez *de Matrim. lib. 7. tom. 1. diſp. 5. num. 12.*

296 Inter. 10. Qui cognoſceret Virginem in vaſe prepoſtero, teneturne in Confeſſione aperire circumſtantiam Virginitatis, vel ſufficit ſi dicat habuiſſe copulam ſodomiticam cum fœmina?

Reſp. Non eſt neceſſe, quod explicet circumſtantiam Virginitatis, ſed ſatis eſt ſi dicat habuiſſe copulam ſodomiticam cum fœmina, quia talis copula non habet ſpecialem malitiam ſtupri. Bonac. *de Matrim. quæſt. 4. pun. 11. n. 9.* Diana *par. 1. tract. 7. reſ. 11. & par. 7. tract. 12. reſ. 16.* & eſt communis ſententia. *Sed vide Inter. 3. tit. ult. 208. de Sodomia.*

297 Inter. 11. Deflorans Virginem ſponté conſentientem, teneturne explicare circumſtantiam Virginitatis, vel ſufficit ſi dicat ſe eſſe fornicatum?

Reſp. Nonnulli dicunt, quod conſentiente Virgine non ſit ſtuprum, quia volenti, & conſentienti nulla fit injuria, & hanc ſententiam, præter alios, docent Suarez, & Navar. quibus ſubſcribit Diana *par. 3. tr. 4. reſol. 67. & par. 2. tract. 7. reſ. 11.* Tamen oppoſita videtur probabilior cum Corrado *in Reſp. tom. 2. quæſito 17.* & eo magis ſi ſit ſub cura paren-

Digitized by Google

Parentum, ut docet D. Th. 2.2. *qu.* 64. *art.* 5. & alii multi. Verùm prima ſententia ſua probabilitate non caret.

298 Inter. 12. Si Eunuchus carnaliter cognoſcit fœminam, teneturne in Confeſſione dicere ſe eſſe Eunuchum?

Reſp. Certò tenetur, quia talis copula reducitur ad peccatum contra naturam, ex eo quod non habeat finem à natura intentum, qui eſt generatio, & filiorum procreatio; Henriquez, Leſſius, & Sanchez: quos dat, & ſequitur Diana *par.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 139.

299 Inter. 13. Qui invitat fœminam ad copulam, & peccat cum ea, teneturne in Confeſſione aperire circumſtantiam inductionis? & quid dicendum eſt ſi cũ ea non fornicetur?

Reſp. Negativè reſpondet Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *quæſt.* 5. *ſect.* 2. *pun.* 2. §. 3. *Diffic.* 3. *nu.* 20. ſed ſufficit dicere ſe peccaſſe cum fœmina conjugata, ſoluta, aut conſanguinea &c., quia explicato actu principali, ſufficienter explicata videtur circumſtantia inductionis. Nam inductio eſt medium ordinatum ad talem finem, & regulariter vir inducit fœminam, & non è contra. Vide Dianã. *par.* 5. *tr.* 13. *reſol.* 5., ſed hoc intelligendum eſt dummodò inducens illam ad peccatum non intendat directè formaliter ruinam ſpiritualem ipſius. Qui verò invitat fœminam, licét paratam ad peccatum fornicationis, ſed cum ea non fornicatur, utique circumſtantiam inductionis aperire debet in confeſſione, quia circumſtantia inductionis non exprimitur, expreſſo ſolo deſiderio peccandi cum tali fœmina &c.Ità Bonac. *ubi ſup.* cum Sanchez, & aliis.

300 Inter. 14. Qui fornicatur cũ muliere jam parata, teneturne in Cõfeſsione aperire circũſtantiã inductionis ad peccatũ?

Reſp. Affirmat Bonac. *de Sacr. diſp.* 5 *quæſt.* 5. *ſect.* 2. *pun.* 2. §. 3. *diffic.* 3. *ſub n.* 19. & pro ſe citat Sanchez, & ratio ipſius eſt, quia etiam in iſto caſu cooperatur peccato alterius: ſed ſibi videtur contradicere, ut ipſum legendi patebit; Ideò oppoſitum tradunt Suar. *in* 3. *p. diſ.* 22. *ſect.* 4. *n.* 18. Azorius *par.* 1. *lib.* 10. *c.* 16. *q.* 5. Coninchus *de Sac. diſp.* 7. *dub.* 4. *nu.* 13. Ledeſma, & alii, quos citat, ſed non ſequitur Bon. ſed illos ſequitur Dian. *p.* 1. *tr.* 7. *reſ.* 34. & ratio eſt, quia reverà in tali caſu, non datur ſcandalum, nec propria, & moralis inductio, cũ illa ſit jam parata, & expoſita ad peccandum; Si verò incitavit talẽ fœminam ad fornicationem, & cũ ea non fornicetur, tunc tenetur circũſtantiam inductionis in Confeſsione aperire, quia circũſtantia inductionis nõ exprimitur expreſſo ſolo deſiderio peccandi cum illa, ut dixi in præcedenti Reſp.

301 Inter. 15. Qui habet votum Caſtitatis, ſi peccat cum fœmina eodem voto adſtricta, teneturne utramque circumſtantiam in confeſsione aperire, vel ſufficit ſi dicat peccavi contra caſtitatem?

Reſp. Utiq; tenetur eodem modo, quo ſupra *in tit.* 9 *de Adult. ad Int.* 1. de conjugato carnaliter cognoſcente conjugatã, quia novã malitiã actui ſuperaddet; ut docet idẽ Bon. *de Sacr. diſp.* 5. *qu.* 5. *ſect.* 2. *pun.* 3. *q.* 3. *diffic.* 3. *n.* 13. & alii cõmuniter.

302 Inter. 16. Qui habet votum ſimplex, & ſolemne caſtitatis, putà, quia in Sęculo, vel in novitiatu emiſit votum ſimplex, poſtea in Religione profeſſus eſt, vel quia poſt votum ſimplex, Sacris Ordinibus initiatur, teneturne in confeſsione explicare circumſtantiam Sacrorum Ordinum, vel profeſsionis in Religione, ſi aliquod Luxuriæ peccatum commiſerit?

Reſp. Affirmat Bonac. *De Matr. q.* 4. *pun. ult. nu.* 3. & citat alios, nàm putat duplex ſacrilegium committere, quia votum ſolemne differt ſpęcie à voto ſimplici: Ego tamen puto probabile, & in praxi tutum oppoſitum cum Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *diſp.* 27. *num.* 18. & 35. ſcilicet votum ſimplex, & ſolemne non differre ſpecie; ſed ſolum accidentaliter, ſicque ſatisfacere dicendo in confeſsione, ſe habere votum caſtitatis; & ita tenet Diana *par.* 1. *tr.* 7. *reſ.* 4. §. *notandum*, & alii ibi relati. Vide quoque Dianam ibidem *reſ.* 9. cum Filliucio *tom.* 2. *tract.* 3. *cap.* 7. *num.* 26.

303 In-

Digitized by Google

303 Inter. 17. Si aliquis Sæcularis polluatur tactibus alicujus Religioſi profeſſi, aut in Sacris conſtituti, teneturne hanc circumſtantiam in Confeſsione aperire? vel ſufficit dicere, tactibus alienis ſum pollutus?

Reſp. Nonnulli docent ſufficere ſi dicat in Confeſsione, Paſſus ſum voluntarié pollui tactibus alienis; Hos Doctores refert, ſed impugnat Diana *part.* 1. *tract.* 7. *reſ.* 53. *& par.* 9. *tract.* 9. *reſ.* 65. ideò nullo modo ſunt audiendi; ſed dicendum eſt cum ipſo Diana, Trullench in Decalogum *tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 1. *dub.* 8. §. 1. *num.* 2. & aliis, quod quando ſæcularis committat pollutionem tactibus Profeſsi, aut in Sacris conſtituti teneatur in Confeſsione explicare hanc circumſtantiam; nempè paſſus ſum pollui tactibus perſonæ Sacræ, & ità tenendũ eſt omninò; nam Sacrilegium committitur in dicto caſu.

304 Inter. 18. Teneturne in dicto caſu Religioſus, aut in Sacris conſtitutus aperire in Confeſsione. *Ego ſum in Sacris, vel Profeſſus, & alium Pollui?*

Reſp. Dicunt quidam, quod ſi ei non accidat voluntaria pollutio conſummata, ſufficiat ſi in confeſsione dicat, cauſavi tangens impudicè alium pollui; ſed ut dixi in præcedenti Reſp. tales Auctores non ſunt audiendi, quia Religioſus, vel Monialis, aut alius in Sacris Ordinibus conſtitutus, alium tangens impudicè, Sacrilegium committit, ac proindè tenetur talem circumſtantiam in confeſsione explicare. Immò ſi polluat Uxoratum, aut perſonam Sacram, tenetur etiam id explicare, quia cooperatur ad Adulterium, vel Sacrilegium illius. Vide Dianam *locis ſupra cit.* & præſertim *par.* 9. *tract.* 9. *reſ.* 65. qui addit in fine ſic. Cautè legendi ſunt Tamburinus *in Method. exped. Confeſs. lib.* 2. *cap.* 5. §. 10. *num.* 66. Graffius *de Caſ. reſer. lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 39. Geſualdus *in Theol. Morali tom.* 1. *tr.* 27. *cap.* 10. *n.* 16. Llamas *in Sum. par.* 3. *cap.* 8. §. 16. & alii duo, quos ibidem refert, atque meritò quidem refellit.

305 Inter. 19. In delectatione moroſa, quæ attingit ad mortale, eſtne opus fateri circumſtantiam Perſonæ circa quã tendit ipſa delectatio, ſcilicet an fuerit nupta, an monialis?

Reſp. Teneri, ſicut, ſi talis conſenſus fuerit efficax circa actum, de quo delectatur, nam ſumit ſpeciem ab illo. D. Thom. 1. 2. *qu.* 74. *art.* 8. Sylveſter *verbo Delectatio qu.* 1. Navar. *cap.* 16. *num.* 9. & per conſequens eſt opus fateri circũſtantiam Perſonæ, ſic etiam ſi conſiſtat in ſola complacentia, quæ propriè eſt delectatio moroſa. Bonac. *de Matrim. qu.* 4. *pun.* 8. *num.* 19. *& ſeqq.* licèt Diana oppoſitum probabile putet *par.* 1. *tr.* 7 *reſol.* 48. *& par.* 3. *tr.* 4. *reſol.* 67.

306 Inter. 20. Si Coniuges in actu Conjugali delectentur de alterius fœmina, aut viro, peccantne mortaliter, & teneнturne hanc circumſtantiam in Confeſsione aperire?

Reſp. Coniux, qui in dicto actu cogitat, & delectatur de alterius perſona, graviter peccat pro qualitate perſonæ, quam mente revolvit, & tenetur hanc circumſtantiam in Confeſsione aperire: Nam committit, vel Adulterium mentale, vel Inceſtum, vel Sacrilegium, vel Stuprum. Ità docet Bonac. *de Matrim. quæſt.* 4. *pun.* 6. *ſub n.* 7. Alphonſus de Leone *de Offic. Confeſſ. par.* 1. *recollect.* 13. *n.* 54. Vaſquez *in* 2. *par. tom.* 1. *diſput.* 121. *cap.* 2. *num.* 10. & alii communiter teſte Diana *par.* 3. *tr.* 5. *reſ.* 73. Unde non ſunt audiendi Doctores, quos ipſe Diana pro contraria ſententia citat ibid., *& par.* 5. *tr.* 13. *reſ.* 99. Vide iterum Bonac. *vbi ſupra quæſt.* 4. *punct.* 8. *ſub num.* 20. & Candidum *to.* 1. *diſquiſ.* 24. *dub.* 14. *nu.* 16 apud Dianam *par.* 10. *tr.* 11. *reſol.* 61. qui etiam hanc noſtram ſententiam tenet, licèt addat, quod ſi delectatio in nulla re turpi eſſet, ſed in ſola pulchritudine viri, aut fœminæ, ac poſſet eſſe in cogitatione alicujus picturæ pulcherrimæ, & de illa delectari, ut ad actum conjugalem magis excitetur, nullam involvere lethalem culpam, quia tunc delectatio in nullum turpe obiectum fertur,

& ad

Digitized by Google

& ad honeſtum finem dirigitur, & pro ſe citat Sanchez *de Matrim. lib. 9. diſp. 17 num. 16.* & alios. Vide Dianam *ea reſolut. 61.* Verum ad hoc additum practicandum, neminem Conjugatum hortarer; nam iſtæ præciſiones minus juvant in circumſtantiis adeò lubricis, & magnum eſt periculum labendi in aliquam turpem cogitationem.

307 Inter. 21. Sponſus, vel Sponſa de futuro, & cum eis carnaliter ſe commiſcentes, tenenturne hanc circumſtantiam in confeſsione explicare?

Reſp. Multi multa dicunt, tamen probabile puto, talem circumſtantiam non eſſe neceſſariò aperiendam in confeſsione, neque à ſponſa, cum adulterium non ſit, ut docet Henriq. *lib. 11. de Matrim. cap. 23. num. 4.* nec mutat ſpeciem, ut tenet Megala, & alii, quibus ſubſcribit. Dian. *par. 2. tr. 7. reſol. 5. & par. 3. tr. 4. reſ. 57.* ergo &c. & hanc ſententiam probabiliorem vocat Layman. *lib. 5. tr. 10. par. 1. cap. 1. nu. 6.* imò probabiliorem putat Azorius apud Filluc. *tom. 2. tr. 30. cap. 2. num. 53.* Sed hoc intelligendum eſt, niſi dicta copula ſit caſus reſervatus in Diœceſi, nam tunc neceſſariò explicari deberet.

306 Inter. 22. Verba turpia, inſpectiones inhoneſtæ, & tactus impudici facti in Eccleſia, habentne ſpecialem malitiam ſacrilegii, neceſſariò in confeſsione explicandam?

Reſp. De Turpi aſpectu, aut levi verbo, maximè ſi per tranſitum, & ſine notabili mora, & ſcandalo fiant, non habere ſpecialem malitiam ſacrilegii mortalis, eſt probabiliſsima ſententia, licèt ſint mortalia peccata, quia non videtur materia ita gravis, ut pluribus citatis, docet Suarez *de Relig. to. 1. lib. 3 cap. 7. num. 11.* Tamen de tactibus impudicis, & turpibus, eſt magna difficultas, nam pro utraque parte adſunt validæ rationes, & Doctorum dicta, Quidam enim dicunt, quod tales tactus non ſint ſacrilegium, & conſequenter non contineant circumſtantiā in confeſſione aperiendam, dummodò periculum pollutionis abſit. Ità docet Sanchez *de Matrim. to. 3. lib. 9. diſp. 15. nu. 21. Valent. 22. diſp. 6. q. 15. pun. 1. §. præterea,* cum Henriquez, & Vaſquez, & ita quoque tenet Diana *par. 1. tr. 7. reſ. 25.* cum aliis ab eo allegatis, nec diſſentire videtur Bonac. *de Matrim. diſput. 4. pun. ult. num. 8.* Suarez verò, & alii oppoſitū docent. Vide Suarez, *loc. cit.* & alios plures, quos citat Diana, ubi ſupra in principio Reſ. Utraque ſententia eſt probabilis, tamen mihi magis placet ſecunda, cum dicti tactus impudici diſponant ad naturalem pollutionem, & conſequenter ordinantur ad violationem, & pollutionem Eccleſiæ, & tanquam indecentiſsimi ejus Sanctitati, puto habere ſpecialem malitiam in confeſsione aperiendam, quia plus cœleſtis iræ merentur, ſi in ædibus Deo ſacratis aguntur, ut ait Ven. Beda *hom. 7. tom. 7.*

309 Inter. 23. Eſtne peccatum ſacrilegii habere copulam in Sacriſtia Eccleſiæ, vel in Cameris Eccleſiæ adhærentibus, itaut neceſſariò ſit explicanda talis circumſtantia in Confeſsione?

Reſp. Nullum ſacrilegium committitur, ideòque opus non eſt, talem circumſtantiam in confeſsione aperire. Bonac. *de Matrim. diſp. 4. pun. ult. num. 15.* Diana *par. 1. tr. 7. reſol. 20.* & alii apud ipſos; nam illud ſpatium ſolum dicitur locus Sacer, quod ſpectat ad interius corpus Eccleſiæ à tecto interiori, uſque ad pavimentum, ſecus dicendum eſt de Choro, & Cappellis in caſu propoſito, quia Chorus, & Cappellæ ſpectant ad interius Eccleſiæ corpus, non autem Sacriſtiæ, vel Cameræ Eccleſiæ adhærentes, ut notat Bonac. *loc. cit.* & alii apud ipſum, ergo &c. Vide Dian. *part. 3. tr. 4. reſol. 166.*

310 Inter. 24. Qui furaretur rem ſacram de loco ſacro, ſatisfaceretne, ſi in confeſsione diceret alterutrum, nempè, furatus ſum rem ſacram, vel furatus ſum de loco ſacro?

Reſp. Satis eſt alterutrū explicare, nam utraque circumſtantia eſt ejuſdem ſpeciei contra virtutē Religionis, ità Dian.

par. 1. *tr.* 7. *reſ.* 22. §. *Vndè ex his, & alii.*

311 Inter. 25. Qui furatus eſt ad mœchandum, ſatisfacitne dicendo in Confeſsione ſe rem alienam ſurripuiſſe?

Reſp. Non ſatisfacit, ſed tenetur exprimere circumſtantiam finis, quæ ſuperadditur furto, nam medium participat rationem finis, & eadem eſt ratio finis, & mediorum. Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *qu.* 5. *ſect.* 2. *pun.* 2. *diffic.* 3. *num.* 25. Diana *par.* 1. *tr.* 7. *reſ.* 23. & alii plures apud eos.

312 Inter. 26. Quotupliciter poteſt cōmitti Sacrilegium ratione loci? Et hæc circumſtantia eſtne in Confeſſione aperienda?

Reſp. Tripliciter; Per furtum in Eccleſia commiſſum: Per injurioſam ſanguinis humani effuſionem: Et per effuſionem ſeminis. Aliqui tamen putant probabiliter, quod non ſufficiat furari in Eccleſia, ad hoc, ut ſit Sacrilegium; Sed oporteat rem eſſe Eccleſiæ; Attamen vide, quæ dicam *in tit.* 199. *de Sacrileg. ad Inter.* 3. In his tribus peccatis igitur eſt confitenda circumſtantia loci, ſcilicet in furto, in effuſione ſanguinis, & ſeminis voluntaria. Verum eſt tamen, quod ſi aliquis haberet volitionem perpetrandi prædicta tria, vel aliquod eorum extra Eccleſiam, non eſſet Sacrilegus; ſi verò extra Eccleſiam conſentiat in aliquod eorum faciendum intra Eccleſiam, teneretur confiteri de hac circumſtantia, quia jam fit injuria loco. Imò puto, quod etiam tactus impudici facti in Eccleſia habeant ſpecialè malitiam ſacrilegii, neceſſariò in confeſſione aperiendam, ut docui *in hoc tit. ad Inter.* 22. quia dicti tactus impudici ordinantur ad naturalem pollutionem, ac proinde tendunt ad violationem, & pollutionem Eccleſiæ. Vide Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 11. Et Bonacinam *de peccatis tom.* 2. *diſp.* 2. *quæſt.* 4. *punct.* 3. *num.* 9.

313 Inter. 27. Si aliquis Religioſus, aut alius, quod abſit, in actu venereo geſtaret Reliquias, vel illas Amaſiæ daret, teneturne hanc circumſtantiam in Confeſſione aperire?

Reſp. Dicunt probabiliter quidam, quod non eſſat circumſtantia in Confeſſione aperienda, quia non eſt ſpeciale ſacrilegium, concomitanter enim ſe habet ad illum actum venereum: Ità etiam putant, quod ſi Agnus benedicti, vel calculi cum Indulgentia, aut ipſæ Reliquiæ darentur Amaſiæ ex gratitudine, & benevolentia, & non tamquam pretium actus venerei, non eſſet circumſtantia neceſſariò explicanda in Confeſſione, cum eſſet potiùs quædam irreverentia, quàm ſacrilegium. Ità docet Filliucius *to.* 2. *tr.* 30. *c.* 7. *nu.* 229. & ex eo Diana *par.* 1. *tract.* 7. *reſ.* 18. idem tenent Sachez *in Sum. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 28. Facundez *præcept.* 1. *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 13. & Sylvius *in* 2. 2. *D. Thomæ quæſt.* 154. *art.* 10. apud eumdem Dianam *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 67. licèt oppoſitum doceat Philiarchus *de Offic. Sacerd. tom.* 1. *par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 9. *propè finem*, & noviſſimè Rotarius *in Appar. pro examine Cler. cap.* 9. *ſect.* 14. *n.* 5. ſed non invenio in quo loco ſe retractat Diana, ut aſſerit ipſe Rotarius.

314 Inter. 28. Qui ſe exponit periculo peccandi, & poſt periculum committit illud peccatum, teneturne hanc circumſtantiam in Confeſſione aperire?

Reſp. Non plura, ſed unum peccatum committit, qui facit illud peccatum, cujus periculo ſe antea expoſuit, ac proindè non tenetur hanc circumſtantiam in Confeſſione aperire, dummodò tamen inter periculum, & actum non interceſſerit notabilis mora, quia tunc novum numero diſtinctum peccatum eſſet, ut docent Sanchez *in Sum. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 4. Suarez *in* 3. *par. tom.* 5. *diſp.* 18. *ſect.* 3. *num.* 16. & alii, quibus ſubſcribit Dian. *par.* 1. *tract.* 7. *reſ.* 44. Vide etiam Bonac. *de Sacr. diſ.* 5. *quæſt.* 5. *ſect.* 2. *pun.* 2. & 3.

315 Inter. 29. Peccatne mortaliter, qui falsò putat hodie eſſe vigiliam, & carnes comedit; & teneturne hanc circumſtantiam in coſeſſione aperire?

Reſp. Certò mortaliter peccat; quia jam habet animum peccandi mortaliter,

nem-

nempè frangendi Jejunium; etiamſi verè illa die non eſſet jejunandum. Tolet. *lib. 3. cap. 2. num. 3.* & alii communiter; Sed in Confeſſione ſufficit, quod dicat comediſſe carnes in die prohibito, inquit Dian. *par. 3. tr. 4. reſ.* 162. quia peccatum ejuſdem ſpeciei committitur, ac ſi verè fuiſſet Vigilia. Sed Valentia *tom. 4. diſp. 7. quæſt. 11. pun. 4.* & Navar. *in man. cap. 6. num.* 14. aſſerunt eſſe neceſſarium explicare, quod peccaverit contra conſcientiam, idem docet. Em. Sà *verb. Confeſſio num.* 26. At ego puto opinionem Dianę eſſe tutam in praxi.

316 Inter. 30. Qui unico voluntatis actu vult plures homines interficere, vel pluries ad mulierem accedere, & peccare, teneturne hanc circumſtantiam in confeſſione aperire.

Reſp. Quidam putant hujuſmodi objecta numero diverſa materialiter, & phyſicè, facere ſolùm actú peccati graviorem, ſed eſſe unum objectum formalitèr, & moralitèr, & conſequenter non eſſe talem circumſtantiam in confeſſione aperiendam: Ità Suar. *3. par. to. 4. diſp. 2. ſect. 5. num. 35. & alii*: Verùm contraria Sententia magis mihi placet; atque in praxi omninò ſequenda eſt; Siquidem in eo actu dantur plures malitiæ numero diſtinctæ: Unde non tàtùm aggravant peccatum, ſed diverſificant, ſicut qui unico ictu occideret plures homines, licèt faceret unum peccatum phyſicè ratione unius actionis, tamen in eo eſſent diverſæ malitiæ homicidii neceſſariò in confeſſione aperiendæ, ut rectè docet Vaſq. & alii plures penes Dian. *par. 1. tract. 7. reſol.* 17. quibus & ipſe ſubſcribit.

Quær. An qui commiſit aliquod luxuriæ peccatum in Oratorio privato teneatur hanc circumſtantiam in confeſſione aperire?

Reſp. Si Oratorium non ſit conſecratum, aut benedictú, non eſt opus, ut talis circumſtantia in confeſſione aperiatur, quià ſpeciale ſacrilegium non committitur, nec ulla res ſacra læditur, aut violatur. Ità docent Sanchez *de Matrim. lib. 9. diſp. 15. nu.* 39. Bordonus *in Conſil. Regul. tom. 2. reſ. 93. num.* 7. Leander *de ſac. tom. 1. tract. 5. diſp. 8. §. 4. quæſt.* 25. & alii, quos citat, & ſequitur Diana *par. 9. tract. 1. reſ.* 20. Vide ergò quæ egomet dixi in *hoc tit. de Circumſt. peccat. ad Inter. 26. & dicam in tit. 199. de Sacrilegio, ad Inter.* 1. Secus autem dicendum eſt ſi Oratorium ſaltem fuerit benedictum, quià Sacer dicitur locus, dum eſt benedictione deputatus ad officia divina, aut ſepulturam, ut ait Em. Sà *verb. Sacra num.* 6. Vide Azorium *lib. 9. cap. 27. quæſito* 5. Verum eſt tamen, quod non committitur ſacrilegium, ubi non eſt propriè locus Sacer quamvis fortè ibi Altare ſit, ut docet Em. Sà *verb. luxuria num.* 4.

TITULUS XXXVII.

De Clericis, & Perſonis Eccleſiaſticis.

Vide tit. de Accuſ. &c. Int. 1. 7. tit. de Alien. &c. Inter. 4. 5. tit. de Circumſ. pec. Inter 5. tit. de Concubinar. &c. Inter. 2. 3. 4. tit. de Conſil. Inter. 4. tit. de Correct. Inter. 3. & ad quæſ. 1. & 2. tit. de Defenſ. bon. temp. Inter. 3. tit. de Defenſ. bon. Inter. 1. tit. de Diſpenſ. ad quæſ. tit. de Eccl. Immun. Inter. 14. 15. 34. 54. tit. de Excomm. ob Cler. percuſ. tit. de Cabel. Inter. 4. 5. tit. de Ignor. Inter. 14. tit. de Laic. Inter. 2. tit. de Lud. Inter. 1. 2. 3. tit. de Negotiat. Cler. &c. Inter. 1. 2. 3. 5. 6. 7. 8. tit. de Peccat. Inter. ult. tit. de Peccat. mort. Inter. 3. tit. de Prac. Inter. 3. tit. de Privil. Can. & Fo. tit. de Regul. &c. Inter. 77. tit. de Sac. Bapt. Inter. 6. tit. de Sacr. Or. tit. de Sacril. Inter. 7. tit. de Vol. Sacr. Matr. Inter. 19.

317 INter. 1. Beneficium Parochiale, & Canonicatus Sacerdotalis, poſſuntne conferri Clerico non Sacerdoti?

Reſp. De hoc minimè eſt dubitandum, quia quando Beneficium Parochiale, vel Canonicatus Sacerdotalis

alicui confertur, non eſt neceſſe, ut actu Sacerdos ſit, ſed ſufficit, ut aptitudinem habeat ordinem Sacerdotalem recipiendi intra annum à die adeptæ poſſeſſionis. Uide Concil. Trid. *ſeſſ.* 22. *de reform. cap.*4. Sylveſt. *verb. Beneficium* 3. *num.* 7. Toletum *lib.* 5. *cap.* 5. *ſub numer.* 1. *verſ. Tertia* Em. Sà *verb. Beneficium num.* 39. & eſt communis ſententia: Immò ſi infra annum non ſit Sacerdos, iuſto aliquo impedimento detentus, excuſatur; ideo vide Barboſam *in Collect. Trident. ſeſſ.* 22. *cap.* 4. *de reform. numer.* 20. qui plura congerit ad hoc propoſitum.

318 Inter. 2. Peccantnè mortaliter Clerici, qui comedijs aſſiſtunt?

Reſp. Eſt prohibitum Clericis, & Eccleſiaſticis perſonis comediis intereſſe *in cap. non oportet* 2. *diſt.* 5. *& in cap. Clerici* 2. *de Vita, & honeſt. Clericorum*, licèt Bonac. *de Matrim. diſp.* 4. *pun.* 9. *numer.* 22. Diana *par.* 2. *tract.* 17. *reſ.* 35. & alii apud ipſos dicant, talem prohibitionem non obligare ſub mortali ceſſante ſcandalo, & contemptu. Tamen ſi comediæ turpia repræſentent, eſt peccatum mortale illis intereſſe, ratione periculi delectationis, vel alterius gravis peccati; ſi verò tantùm delectatio ſiſteret in repræſentatione ipſa, & non procedat ad rem repræſentatam, & abſit periculum conſenſus in actus turpes, non eſſe peccatum mortale dicunt Bonac. *ubi ſupra*, & alii, quos ſequitur Diana *loc. cit.* Uerùm melius eſt, quòd Eccleſiaſtici ab iſtis nugis ſe abſtineant, & præſertim quandò in illis turpes res repræſentantur; nam non poteſt niſi ſcandalum ſæcularibus afferri, & eſt quidem res valdè periculoſa, ideòque Paulus Comitolus *in Reſp. Moral. lib.* 5. *quæſt.* 21. exiſtiſmavit, peccatum eſſe mortale ſæcularibus huiuſmodi Comediis intereſſentibus; ergo multo magis Eccleſiaſticis addo ego. *Vide Reſp. ad Inter.* 10. *tituli* 180.

319 Inter. 3. Ubi requiritur major ſcientia, in Confeſſario, qui eſt deputatus ad excipiendas confeſſiones ſæcularium, vel in eo, qui ſolùm Clericorum confeſſiones audire debet?

Reſp. Uidetur mihi, quod major ſcientia requiratur in eo, cui munus incumbit audiendi confeſſiones Clericorum, cum ſcire teneatur etiam caſus irregularitatem continentes, vel ſaltem de illis dubitare, ut poſſit admonere Clericos quinam actus ipſis prohibeantur. Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *quæſt.* 7. *pun.* 4. §. 2. *num.* 9. & alii ab ipſo relati.

320 Inter. 4. Clericus, qui ad duellum provocat, aut illud acceptat, quam pœnam incurrit?

Reſp. Multæ quidem ſunt pœnæ impoſitæ contra Duellantes, ut patet ex Bullis Summorū Pontificum. At Clerici non ſolum excommunicationem incurrunt, ſed etiam ipſo Jure ſunt privati omnibus dignitatibus, Beneficiis, & Officiis Eccleſiaſticis, & fiunt inhabiles ad illa, & ad alia impoſterum obtinenda; & à ſolo Papa poſſunt diſpenſari, & abſolvi. Ita habetur ex Bulla Pii IV. Et Clem. VIII. Et quamvis nullum occidant, aut mutilent, tamen propter infamiam, quæ ob duellum contrahitur, fiunt etiam irregulares poſt ſententiam Iudicis probato delicto; Imò de Jure communi antiquo incidunt in ſuſpenſionem, ut tenent plures Doctores apud Bonac. & Stephanum à S. Gregorio licèt quidam dicant dictam ſuſpenſionem non eſſe latæ ſententiæ, ſed ferendæ. Uide Bonac. *tom.* 3. *diſp.* 2. *q.* 3. *punct.* 48. *n.* 21. & Stephanum à S. Greg. *n.* 4. *de Contr. lib.* 1. *cap.* 18. Cœterū pręter excommunicationem, & ſuſpenſionem, poſito, quod ſit ipſo Jurę lata, alias pœnas non incurrunt, niſi poſt ſententiam declaratoriam Judicis, ut docet ipſe Bonac. & cœteri Doctores. Uide Armillam *verb. Duellum num.* 4.

321 Inter. 5. Clericus ob crimen perduellionis, & læſæ Majeſtatis, poteſtnè puniri à Judice Laico?

Reſp. Clericum pro quocumque grauiſſimo, & enormiſſimo delicto, etiam læſę Majeſtatis, non poſſe puniri à Laica juriſdictione probat Dian. *p.* 7. *tr.* 1.

Digitized by Google

tr. 1. *reſ.* 9. *&* 10.& pluribus relatis luculenter, oſtendit Judices, vel Principes violare immunitatem Eccleſiaſticam, ſi, Clericos propter crimen perduellionis, ſeù læſæ Maieſtatis puniant. Itaque pro indubitato haberi debet Clericum non poſſe puniri à Judice Laico pro quocumque graviſſimo, enormiſſimo, & acerbiſſimo crimine, abſque immunitatis Eccleſiaſticæ violatione. Vide iterum Dian. *par.* 1. *tract.* 2. *reſol.* 52. Nam tam majora, quam minora crimina Clericorum ad Eccleſiaſticum Judicem pertinent, ut patet apertè *ex cap. Cum non ab homine de Judic. & cap. At ſi Clerici, & cap. Clerici eodem tit.* Uide Dian. *qui in locis cit.* de hac tractat materia, & rectè quidem.

322 Inter. 6. Clericus Teſtimonium falſum dicens coram Judice Sæculari, poteſtne ab eo puniri?

Reſp. Quidam dicunt, quod Judex Sæcularis poſſit illum punire circa ejus bona; non autem circa perſonam; ſed abſolutè dicendum eſt quod nullo modo poſſit Clericus à Judice Laico puniri neque circa bona, neque in perſona; nam Clericus gaudet privilegio fori quoad utrumque; conſequenter JudexLaicus nullã habet inClericũ juriſdictionem, cũ non ſit ejus Judex,ut deducitur *ex c. ſi diligenti de foro compet. c.* 1. *de, Cler. conjug. & ex Authen. ſtatuimus Cod. de Epiſc. & Clericis* & pluribus relatis firmat Diana *par.* 1. *tract.* 2. *reſol.* 110. Immò aſſerit, quod neque per viam exceptionis poſſit Judex Sæcularis cognoſcere Clericum de tali delicto, ad effectum eum repellendi à tali teſtimonio.

323 Inter. 7. Titius Clericus commiſit grave quoddam delictum, nec geſtabat habitum, aut tonſuram, à quo Judice debet proceſſari, & puniri?

Reſp. Bonac. *de legibus diſp.* 10. *q.* 2. *pun.* 1. §. 4. *num.* 14. aſſerit fuiſſe à Sac. Congreg. declaratum, Clericum, qui dimiſſo Clericali habitu homicidium commiſerat, & ſine Clericali habitu à Laica poteſtate captus fuerat, remittendum eſſe ad forum Eccleſiaſticum, quia non præſumitur dimiſiſſe habitum animo illum deſerendi, ſed, ut commodiùs delictum perpetraret. Diana *ubi ſuprà reſ.* 24. Ergo dicendum eſt Titium in caſu noſtro puniri debere ab Epiſcopo ſuo, ſi delictum perpetravit in ejus Diœceſi, & non à Judice Laico.

324 Inter. 8. Clericus exercens aliquod officium ſæculare, & in eo delinquens, poteſtne à Judice ſæculari puniri?

Reſp. Aliqui dicunt, quod poſſit puniri in bonis, & non in perſona, ſed hoc non ſubſiſtit, quia non ſolùm perſona Clerici, ſed ejus bona ſunt exempta à Juriſdictione laicali; patet *ex cap. unic. de Clerico Conjugato in* 6. nam bona Clericorum ſequuntur privilegium perſonæ, ut rectè docent quamplurimi Doctores, quos refert, & ſequitur Diana *par.* 1. *tract.* 2. *reſ.* 19. & ideò dicendum eſt cum communi Doctorum ſententia, Clericum nullo modo poſſe puniri à Judice Laico, ſi ratione officii ſæcularis, aut cujuſque artificii deliquerit, quia per aſſumptionem talis officii, aut artificii, fori privilegio non privatur,& ſic nec in perſona, nec in rebus per Judicem laicum puniri poteſt; Certum eſt enim, quod ſi perſona exempta eſt, ità etiam res, ut aſſerit Abbas *in cap. qualiter de Judiciis num.* 8. Vide pro hac noſtra ſententia Sanchez *in Opuſ. tom.* 2. *lib.* 3. *cap. unic. dub.* 20. Bonacinam *de legib. diſp.* 10. *quæſt.* 2. *pun.* 1. §. 1. *n.* 23. Duardum *in Bulla Cœnæ lib.* 2. *can.* 15. *quæſt.* 21. *num.* 273. Genuenſem *in praxi cap.* 8. *n.* 5. Lezanam *tom.* 2. *verb. Clericus nu.* 30.& plures alios apud Dianam *ubi ſupra*, qui teſtatur de communi. Vide iterum Dianam *par.* 4. *tract.* 1. *reſ.* 39.

325 Inter. 9. Poteſtne Judex Laicus punire Clericum in defectu Juſtitiæ Eccleſiaſticæ?

Reſp. Numquam hoc eſt ei permiſſum, quia Judex laicus inferiorem habet juriſdictionem, ac proindè non poteſt umquam ſupplere negligentiam Judicis Eccleſiaſtici, qui eſt omnino ſuperior; & hoc clarè patet *ex cap. qualiter, & quan-*

& quando de Judiciis,ubi prohibetur, ne ob defectum Juſtitiæ Clerici trahantur ad Tirbunal ſæculare. Ità docent Bonac. *tom. 3. diſp.* 1. *quæſt.* 15. *pun.* 4. §.4 *num.* 10. Diana *par.* 3. *tract.* 1. *reſ.* 25. *& par.* 4. *tract.* 1. *reſ.* 80. qui plures concordantes adducit, & teſtatur de communi. Vide etiam Lezanam *verb. Clericus num.* 26.

326 Inter.10. Tempore cariſtiæ poteſtne Iudex Laicus compellere Clericos, ut vendant frumenta, vel ad aliquid faciendum tempore peſtis?

Reſp. In nullo caſu poſſunt cogi perſonæ Eccleſiaſticæ ad aliquid faciendum vel non faciendum tempore peſtis, vel cariſtiæ per Judices Laicos, ſed per eorum Judices Eccleſiaſticos, nec poſſunt puniri pœna comminata à Judice Laico, ſed alia arbitraria, ut rectè docet Guazzinus *de defenſ.reor. tom.*2. *defenſ.*20. *c.*9. *num.*10. Vide plura apud Dianam *par.*1. *tract.*2. *reſ.*8. *& par.*4. *tract.*1. *reſol.* 37. qui quidem hanc ſententiam pluribus relatis tuetur, & oppoſitam tamquam contra libertatem Eccleſiaſticam reprobat, & damnat.

327 Inter.11.Miniſtri curiæ Laicalis poſſunt licitè ſpoliare Clericum armis prohibitis?

Reſp. Negativè reſpondet Diana *par.* 1. *tract.*2. *reſol.*10. *& par.*3. *tract.*1. *reſ.* 28. & pro ſe plures Doctores allegat, qui rectè afferunt, quod Clerici ad obſervanda ſtatuta Laicorum ſunt cogendi per Judicem Eccleſiaſticum; unde non poterunt per miniſtros curiæ Laicalis, armis ſpoliari, niſi ad obviandum delicto, & conſignandum dictum Clericum Judici Eccleſiaſtico; & licèt Bonacina *De legibus, diſp.*10.*quæſt.*2.*pun.*1. §.1. *ſub num.*22. & alii putent, neceſſariam eſſe ad capiendum talem Clericum licentiam expreſſam Epiſcopi; tamen puto probabilè, & tutum in praxi poſſe capi cum armis prohibitis, ut ſtatim ità ducatur ſine injuria ad ſuum Eccleſiaſticum Superiorem. Vide Dianam *ubi ſupra reſ.*11. *&* 12.*& par.*4.*tr.*1.*reſ.*19. *& par.*5. *tract.*1. *reſ.* 4. Lezanam *tom.* 2. *verb. Clericus nu.* 31. *& verb. Arma n.*5.

328 Inter.12. Si Miniſtri curiæ ſæcularis inveniant Clericum aſportantem frumentum, Equos,vel quid ſimile contra legem, poſſuntne talia ab illo auferre?

Reſp. Dico, quod non poſſunt licitè abſque fractione libertatis Eccleſiaſticæ, & timore Excommunicationis præfati Miniſtri auferre à Clerico dictas res, quia Clerici non comprehenduntur ſub ſtatuto, aut lege Principis ſæcularis, ut docent Alterius *de cenſu. tom.*1. *diſp.* 16. *lib.*5.*in fin.* Bartholomæus à S.Fauſto *in Speculo Confeſs. diſp.*33. *quæſt.*20. Valerus *in differ. utriuſque fori verb. Clericus differ.* 3. *num.*4.Azorius *par.*3. *lib.*5. *cap.* 19. *quæſt.* 13. & alii, quos dat, & ſequitur Diana *par.* 4. *tract.* 1. *reſol.* 16. & ratio eſt evidens, prout ex Vaſquez, & Salas notat idem Diana, quia non habent Laici poteſtatem ſaltem coercitivam, & punitivam, in ordine ad Clericos;nam licèt Clerici teneātur vi directiua ſub pœna peccati mortalis, ut ego teneo, obedire Legibus, vel Statutis Principum juſtis, & in bonum commune ordinatis, tamen non ſequitur poſſe puniri ex tranſgreſſione à Judice Laico. cum nullam poteſtatem habeat in illos. Vide *ad Inter. ſequentem, & infrà in tit.* 149. *ad Int.* 7.

329 Inter. 13. Statutum Laicorum imponens pœnam adverſus eos, quorum pecora, & animalia reperta ſunt in alienis Paſcuis, obligatne Clericos?

Reſp. Hinc indè ſunt auctoritates Doctorum, prout videre licet apud Dian. *par.*1. *tract.*2. *reſol.*81. Nam licèt Judex laicus non poſſit procedere contra perſonam Clericorum, aut Religioſorum pro executione pœnæ ſtatuti, & ordinationis, ut omnes fatentur; tamen nonnulli putant, poſſe procedere contra ipſa pecora, aut animalia, quæ fuerunt reperta in paſcuis alienis, & prohibitis, quia hoc non eſt exercere Juriſdictionem in perſonam Clerici, cum contra illum nulla dirigatur executio, ſed ſolùm onus reale rei impoſitum exigitur à Clerico; ſed Barboſa *in Collect. tom.* 1. *lib.*1.

lib. 1. *tit.* 2. *cap.* 10. *num.* 6. oppoſitum ſuſtinet, & ratio ipſius eſt, quia animalia minimè ſunt capacia, quod conveniantur, vel condemnentur; ergò oportet omninò ſententiam ferri, & condemnationem pœnarum fieri in perſonam Clerici, quod nullo modo fieri poteſt, cum ſit contra Eccleſiaſticam libertatem; Vnde in facti contingentia, puto ſtandum eſſe ſtylo Curiæ Epiſcopalis, quia Judex ſæcularis non poteſt procedere, neque contra perſonam Clerici, neque contra res Clerici, ut benè probat Sanchez *in Opuſc. tom.* 2. *lib.* 3. *cap. unic. dub.* 31. *num.* 2. apud Dianam *par.* 4. *tract.* 1. *reſol.* 72. qui etiam alios pro hac ſententia refert.

330 Inter. 14. Tenenturne Clerici, & aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ obſervare leges Laicorum; & peccantne mortaliter illas tranſgrediendo?

Reſp. Quando dictæ leges non ſunt contra Sacros Canones, & ſunt favorabiles, & privilegiativæ ipſi naturali rationi, & Juſtitiæ inniruntur, ſervandæ ſunt ab eis ex ratione naturali dictante ſervandas eſſe leges ſæculares propter conformitatem cum perſonis ſæcularibus ejuſdem Reipublicæ. Ità Em. Sà *verb. Lex. num.* 11. Layman *tract.* 4. *c.* 13 *num.* 6. Azorius *par.* 1. *lib.* 5. *cap.* 12. *qu.* 3. *& par.* 2. *lib.* 9. *cap.* 7. *quæſt.* 8. *& ſ.* Navar. *in man cap.* 25. *num.* 88. *& cap.* 27. *num.* 115. Bonac. *tom.* 2. *de Legib. diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 6. *num.* 29. *& ſeq.* Diana *par.* 1. *tract.* 10. *reſ.* 12. & alii apud ipſos. Vndè cum non teneantur Clerici, & perſonæ Eccleſiaſticæ obſervare leges Laicorum, niſi ex vi directiva, non ſemper peccant mortaliter illas tranſgrediendo, ſed ſolùm quando eſſet ſcandalum, vel agerent contra Juſtitiam, violando leges, quæ ſunt juri naturali conformes. Vide Bonac. *loc. cit.* & præſertim Leza. *tom.* 2. *verb. leges num.* 28. & infra *in tit.* 180. *de Regularibus, ſeù Religioſis, ad Inter.* 57.

331 Inter. 15. Tenenturne Clerici conſuetudinem Laicorum ſervare?

Reſp. Clericos per ſe loquendo non poteſt conſuetudo Laicorum obligare; conſequenter non tenentur illam ſervare; quia non debent, nec poſſunt conſentire in aliquam ſubiectionem contra eorum exemptionem, & Eccleſiaſticam libertatem. *Dixi per ſe loquendo*: nam quando materia conſuetudinis de ſe cómunis eſt Clericis, & Laicis, quia pertinet ad politiam ciuilem, & Eccleſiaſticam, tenentur illam ſervare, cum tacitè adſit voluntas Epiſcopi, & ità velle præſumatur; Vndè Clerici non poſſunt frumenta, vel alias res venales pluris vendere, quàm habet conſuetudo, quæ adhuc viget apud Laicos; Et tandem ſi materia, ſit ſpiritualis, & ad Bonum Animæ tendat, tenentur pariter Clerici illam obſervare, ut ſunt Jejunia, Feſtivitates alicujus diei, & ſimilia ad Divinum cultum ſpectantia, in quibus non conſiderantur ſubditi, tam ut Laici, vel Clerici diſtincti Ordinis, quàm omnes, ut Chriſtiani: Ità docet Vaſquez *in* 2. *par. quæſt.* 97. *art.* 3. *num.* 32. Sylvius *in* 2. *par. D. Thom. quæſt.* 97. *art.* 2. *concl.* 10. Suarez, Salas, & Cordonus, quos refert, & ſequitur Diana *part.* 6 *tract.* 5. *reſol.* 16.

332 Inter. 16. Quam pœnam incurrunt habentes temporale dominum, ſi prohibent Laicis, ne vendant Clericis, ne molant, aut coquant panem, vel ne eis exhibeant aliqua ſervitia, & obſequia?

Reſp. Incurrunt pœnam Excommunicationis Bullæ Cœnæ, quia faciunt contra libertatem Eccleſiaſticam, ut patet expreſsè *in cap. Eos, de immun. Eccleſ. in* 6. & tradunt Suarez *de cenſ. diſp.* 21. *ſect.* 2. *num.* 93. Reginaldus *in praxi tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 24. *num.* 358. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 16. *cap.* 10. *num.* 271. & alii quibus ſubſcribit Diana *par.* 1. *tract.* 2. *reſ.* 54. qui teſtatur de communi; ergo non ſunt audiendi, qui oppoſitum docent, ut Cajetanus *in Sum. verb. Excommunicatio cap.* 31. Navarrus *in Man. cap.* 27. *num.* 119. & alii, quos impugnat idem Diana *loco cit.* aſſerens prætereà falſam apud ipſum eſſe eorum ſententiam; & ità puto tenendum.

333 In-

333 Inter. 17. Judex Eccleſiaſticus teneturne punire Clericos delinquentes pœnis Jure civili impoſitis ?

Reſp. Dico cum Bonacina *de legibus diſp.* 10. *quæſt.* 2. *pun.* 1. §. 1. *num.* 28. & aliis ab eo citatis, non teneri. Primo, quia Eccleſia mitiùs agit cum Clericis. Secundo, quia Eccleſiaſtici non ſubjacent dictis legibus, conſequenter pœnis Jure civili impoſitis non ſunt puniendi, ſed pœna arbitraria, quando in Jure canonico non ſit præſcripta aliqua pœna pro tali delicto. Vide etiam Dianam *par.* 4. *tract.* 1. *reſ.* 29. *verſ. Quæ quidem & par.* 1. *tract.* 2. *reſ.* 8. *verſ. ſed notandum eſt.*, qui aliis allegatis hanc ſuſtinet ſententiam, & meritò; Nam Clerici non incurrũt pœnas lege civili ſtatutas, ut docet Vaſquez *in* 2. *par. tom.*2. *diſp.* 164. *cap.* 4. & alii communiter.

334 Inter. 18. Perſonæ Eccleſiaſticæ ſi de redditibus Eccleſiarum debitas eleemoſynas non præbent, teneanturne ad reſtitutionem ?

Reſp. Eſt magna quidem diſſentio intèr Doctores circa tale dubium, ut videre eſt apud Dian. *par.*5. *tract.*8. *reſ.*31. Ego tamen in hoc opinionum conflictu nolo meam interponere ſententiam. Scio Cajet. *in* 2. 2. *quæſt.* 87. *ar.* 1. *& quæſt.* 185. *ar.* 7. D. Antoninum 3. *par. tit.* 15. *cap.* 1. §. 19. & alios Thomiſtas docere Eccleſiaſticos non præbentes debitas eleemoſynas de ſibi ſuperfluis ad vitam,& ſtatus decent'am,& in profanos uſus expendentes, non ſolum peccare mortaliter, ſed etiam ad reſtitutionem teneri; Sed hoc aliis non placet, & dicunt, quod licèt peccent mortalitèr, tamen ad reſtitutionem non teneantur, quia habent doiminum fructuum beneficiorum. Verũm Layman *lib.* 3. *tr.* 2. *cap.* 4. *num.* 3. docet, quod Eccleſiaſtici licèt dominium reddituum beneficiorũ habeant, ex lege tamen juſtitiæ eos in pium aliquem uſum erogare debent, alitèr ad reſtitutionem tenentur; ſed vide *in tit.* 131. *ad Inter.* 1.

335 Inter. 19. Qui deturpat portas, vel feneſtras Clerici, inciditne in excommunicationem ?

Reſp. Multi dicunt, quod non, quia nec percutitur, nec injurioſè tangitur Clericus. Diana *par.* 9, *tract.*4. *reſ.* 27. §. *Et quia*, propè finem.

336 Inter. 20. Qui detinet Clericum, vel aliam Perſonam Eccleſiaſticam Domi inventam honeſtè colloquentem cum Uxore, Matre, Sorore, vel Filia, poſt monitionem, ut ab ea re abſtineret, inciditne in excommunicationem ?

Reſp. Minimè, modò tamen nil aliud malum ei faciat, quàm detinere ſpatio 20. horarum ad tradendum eum ſuo Judici, ut puniatur. Navar. *in Man. cap.* 27. *num.* 85. Tol. *lib.* 1. *cap.* 33. *ſub num.* 3. Dian. *par.* 9. *tract.*4. *reſ.*32. qui putat etiam non improbabiliter poſſe illum verberare ſine periculo incurrendi excommunicationem.

Quær. 1. An Epiſcopus poſſit compellere Clericos etiam ſenes ad removendas famulas, & ancillas ?

Reſp. Dico poſſe Epiſcopum compellere Clericos quamvis ſenes ad removendas famulas, & ancillas: Quià licèt Doctores dum loquuntur de periculo incontinentiæ, juvenem intelligant uſquè ad annum quinquageſimum, ut teſtatur Em. Sà *verb. Juvenis*; attamen Sac.Cong. Epiſ.& Regul. *in Senogallien.* 15. *Febr.* 1629. *& in Ferrarienſi* 3. *Junii ejuſdem anni*, cenſuit poſſe Epiſcopum compellere etiàm Clericos Senes ad ipſas famulas removẽdas, & rectè quidẽ, nã Clerici omnes evitare debẽt mulierũ familiaritatem, cohabitationem,& conſuetudinem, ut habetur *ex cap. Interdixit, cum duobus ſequentibus diſt.* 32. Vide Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *de reform. c.* 14. & ibidem Barboſ. *in collect. D.D. n.* 4. *&* 5. *& cap. cum omnibus*, *cap. volumus & cap. fœminas* 81. *diſt. cap.* 1. *cum multis ſeqq. de cohabit. cleric. & mulier.* & licèt quidam dicant non peccare mortaliter Clericos habitando cum mulieribus, quià dicti canones non ſunt præceptivi; peccant tamen mortaliter, ſi adeſt ſcandalum, vel ſi ſcienter ſe exponunt periculo peccandi, aut quoties hæc contumaciter, aut contemptibiliter faciunt, qua-

quare ſi non obediant Epiſcopo, non ſolum peccant mortaliter, ſed etiam poſſunt ab eo puniri. Immò S. P.N. Auguſtinus Hipponenſis Epiſcopus, ac Catholicæ Eccleſiæ lumen, tanquam verus pudicitiæ amator, & cuſtos, Fœminarum, & in eis Sororis, & Fratris Filiæ contubernium, familiaritatemque vitavit. Quippe qui diceret; Etſi propinquę mulieres ſuſpectæ non eſſent, tamen quæ ad eas ventitarent, poſſe ſuſpicionem efficere. Noteut itaque tum Sacerdotes, tum Clerici, quod breviter dicam *in tit.* 153. *de Occaſionibus, ad Inter.* 5. *in fine*, ſcilicet, quod mus in pera, ignis in ſinu, & Serpens in gremio, malè ſuos remunerant hoſpites; Ideò lubentes obediant Epiſcopo præcipienti remotionem *Ancillarum*, *quià* qui amat periculum, peribit in illo, nam igniculus etiam in ſenibus plerumque viget, ut teſtantur hiſtoriæ. Unde S. P. Auguſtinus, nec cum ſorore habitare volebat, ut habetur *ex cap. Legitur diſt.*30. relato per Reverentiſſimum D. Abbatem Zerbi, qui doctiſſimo, ut ſolet, & pleno omnigenæ eruditionis ſcripto, huic meæ reſponſioni favet in ſua Gemma Epiſcopali *tit.* 2. *de Epiſc. obligat. quæſt.* 1. *in princ.* cujus pulcherrimum opus Typis demandatum fuit hic Romæ currenti anno 1706. dum hæc ſcribo.

Quær. 2. An in foro conſcientiæ cenſendus ſit excommunicatus, ac mortaliter peccaſſe ille Clericus, qui metu mortis ab alio ſibi comminatæ detulit arma prohibita prò ſua tuenda perſona? Et quid ſit metus cadens in virum conſtantem?

Reſp. Notandum eſt primò excommunicationem majorem ſupponere peccatum mortale; nec ligare eum, qui peccatum mortale haud committit. Colligitur *ex cap. Nullus, & cap. Nemo* 11. *q.* 3. *& ex Gloſ. in cap. ex parte de verb. ſignific.* Navar. *in man. cap.* 17. *n.* 115. & alii communiter. Itaque ubi non eſt peccatum mortale, excommunicatio major non incurritur, ex regula generali. Hoc ergò prænotato, dicendum eſt non peccaſſe mortaliter dictum Clericum, quià metus, aut periculum probabile alicujus gravis damni, ut plurimum excuſat à tranſgreſſione legis humanæ, conſequenter à peccato. Ità Sylveſter *verb Metus quæſt.* 7. Em. Sà *eodem verb. num.* 2. Bonac. *tom.* 2. *de peccatis diſp.* 2. *quæſt.* 8. *pun.* 2. *num.* 3. *&* 8. Summa Diana *verb. Metus n.* 1. & alii plures. Dixi ut plurimum, quià hæc non eſt regula generalis, nam Clerici ob defenſionem immunitatis, grave damnum pati tenentur; Judices laici non excuſantur à peccato, & à cenſuris ſi metu probabili amittendi officium, violant immunitatem, & plura alia habentur exempla, quæ brevitatis gratia relinquo, ſed videri poſſunt apud Gonet *tom.* 3. *Theol. tract.* 6. *diſp.* 5. *ar.* 4. §. 2. *ſub num.* 63. *ubi n.* 65. *& ſeqq.* pulchram tradit doctrinam. Verùm eſt tamen quod jus naturale conſervandi vitam, aut bona propria ſine quibus homo non poteſt ſuſtētari, præponi debet omni legi poſitivæ & humanæ, ut tradunt Graffis, & Barb. quos ſequitur Lezana *tom.* 2 *verb. Arma num.* 6. Tolet. *lib.* 7. *cap.* 12. *ſub num.* 1. Bonac. *de Cenſur. diſp.* 1. *quæſt.* 2. *pun.* 3. *num.* 3. Ergò dictum Clericum non peccaſſe, nec excommunicationem incurriſſe dicendum eſt, maximè, ſi ille, qui ei mortem comminatus fuerat, erat ſolitus minas exequi. Metus autèm juſtus, & probabilis, qui dicitur cadere in conſtantem virum, eſt quando quis probabiliter timet ſibi, aut ſuis aliquod grave malum eventurum, & ſic cogitur à tali metu minus malum eligere, ut majus probabiliter imminens evitari valeat. Tolet. Sà *locis cit. num.* 1. Bonac. *de matrim. quæſt.* 3. *punc.* 8. *n.* 2. Tamen talis metus non ſemper eſt metiendus ex cauſa, ex qua naſcitur, & ex natura rei, ſed ex perſona cui incutitur, non enim omnes homines æqualiter moventur, etiàm ſervata virtute conſtantæ, ut docēt Sanchez, Conich. Rebell. & alii, quos refert, & ſequitur idem Bonac. *loco proximè cit. num.* 6. *verſ. addo.* Marcus Pau-

P lus

lus Leo *ad litt. Major. Pœnit. par.* 2. *pag.* 148. Unde fœminam minor metus excuſat,quàm virum,& timidum,quàm animoſum &c. Cœtera vide apud citatos Auctores, ego enim brevitati ſtudeo.

Quær. 3. An intèr Doctores detur aliqua præcedentia, & an ratione Doctoratus ſit aliqua præeminentia intèr Canonicos, & alios ſimplices Sacerdotes, & quis præcedere debeat quandò duo eadem die ad Ordinem Presbyteratus promoti fuerint, & tandèm quæritur cujus latitudinis eſſe debeat corona Sacerdotum, & Clericorum?

Reſp. Dicò primo, quòd inter Doctores datur præcedentia, & Theologus quidèm omnibus Doctoribus præcedit, deinde Canoniſta, poſteà Legiſta, & intèr iſtos ultimum locum debet habere Medicus, proùt docet Panor *in cap. Clericis de Judic.* Sylveſter *verb. Doctor. n.* 3. Armilla *eodem verb. num.* 2. Em. Sà *num.* 8. & alii plures. Ratione verò Doctoratus nulla datur præeminentia inter Canonicos, habetur ex declar. Sac. Congreg. Rit. 19. Martii 1611. Ideò debent præcedere ratione Canonicatus, aut antiquitatis præbendæ, vel promotionis ad illam, juxtà conſuetudinem Eccleſiarum, in quibus habent Canonicatum. Verùm eſt tamèn,quod Canonici coadjutores, viventibus coadjutis, ſedere debent in ultimo loco ejuſdem Ordinis coadjuti, nam præcedentia competit Canonicis,quamvis poſteriùs proviſis, non coadjutoribus: Sed ſi Coadjutor eſſet in dignitate, abſente, vel impedito Coadiuto ſuo, tunc præcedit omnibus Canonicis. Et ſic pluriès reſolutum fuiſſe à Sac. Congreg. teſtatur Barboſ. *in collect. ad Triden. ſeſſ.* 25. *de reform. cap.* 7. *num.* 17. *uſque ad* 20. *incluſivè*, Sed vide etiàm Dianam *par.* 4. *tract.* 4. *reſ.* 88. Dico 2. quod Presbyter priùs ordinatus præferri debet Presbytero poſteà ordinato, licèt ſit Doctor, quià Presbyteratus Ordo longè dignior eſt, quàm gradus Doctoratus, prout cenſuit Sac. Congreg. in Mediolanen. 29. *Nov.* 1603. apud Barboſ. *in Collect. verb. Presbyter num.* 6. In caſu verò, quod duo fuerint eadem die Ordine Sacerdotali inſigniti, an debeat præcedere qui ætate alterum anteibit, vel qui priùs poſt Ordinationem Miſſam celebraverit? eſt res quidèm valdè diſputabilis, quamquam audio aliquos opinari illi competere præcedentiam, qui antè primam Miſſam celebraverit, hac ducti ratione, ſcilicet, quia acquiſivit Jus ad præcedentiam. ratione poteſtatis exercitæ, dùm in tali caſu Sacerdos reducit poteſtatem ad actum, qui valdè attenditur, ut quis altero cenſeatur dignior ad effectum acquirendi pręcedentiam; Ego tamen nolo in hoc caſu Judicis officium agere, etenim in mea Congregatione oppoſitum practicatur,& ille præcedit qui prius profeſſionem in Religione emiſit. ſi autem in aliquo loco uſu, & conſuetudine ſit receptum, ut ille præcedat, qui prius Miſſam poſt Ordinationem celebraverit (ut mihi aſſeritur in facti contingentia) dico hujuſmodi conſuetudinem eſſe obſervandam, quia loci conſuetudo valdè attenditur in præcedentiis, etiamſi conſuetudo Juri repugnet, ut pluribus allegatis rectè ſuſtinet Barboſ. *loco ſuprà cit. in Triden. cap.* 13. *n.* 11. & 12. Immo optimè Juribus citatis probat etiam Lezana *tom.* 4. *poſt conſult.* 57. ubi agit de Cathedralitate Eccleſiæ S. Mariæ dePilariCœſareauguſtanæ *cap.* 15. *num.* 369. & *ſeqq.* Siquidem obſervantia præeminentiarum plurimum valet, cum præcedentiæ ſint de jure poſitivo humano, in quo maximè prævalet conſuetudo: Ipſa namque eſt alterum jus poſitivum, & æquipollet veritati, & dubia quę poſſunt eſſe,removet,ac denique eſt optima cujuslibet diſpoſitionis interpres. Vide ergo Doctores apud duos præfatos Authores, & ibi jura, quæ quidem valdè rectè conducunt ad intentum, de quo in præſentiarum ſit ſermo. Itaque in tali dubio conſuetudo conſideranda videtur, & ſecundum illam determinandum.

Tan-

Tandem pro coronide hujus reſponſionis dico, quod corona Sacerdotis debet eſſe ad menſuram majoris hoſtię, Clerici vero ad menſuram minoris hoſtiæ, Diaconi, & Subdiaconi, formæ mediæ. Sed omnino videndus eſt Reverendiſs. P. Campionus in ſua eruditiſſima Inſtructione pro Ordinandis *cap.* 7. *num.* 8. qui luculenter, ut ſempèr ſolet, firmat regulam, ſcitu quidem, & notatu dignam.

Quær. 4. Quam pœnam incurrat Clericus ſi conveniat alterum Clericum coràm Judice laico, & an poſſit convenire laicum coràm Judice laico, & ab eo judicari?

Reſp. Clericus conveniens alium Clericum coràm Judice ſæculari committit peccatum mortale ſacrilegii, & pœnam excommunicationis incurrit, quià facit contrà libertatem perſonis Eccleſiaſticis, tàm à jure divino, quàm à Sacris canonibus, conceſſam, ut alibi melius probo, idcircò non eſt immunis à peccato ſacrilegii, & ab excommunicatione, ut patet *ex cap. noverit, cap. grave, de ſent excom. & ex cap. qualiter, & quandò de judic.* Sic pluribus relatis reſolvit Bonac. *tom.* 2. *de legib. diſp.* 10. *quæſt.* 2. *pun.* 1. §. 5. *num.* 1. Si autèm coràm Judice laico cauſam ageret contrà laicum, nullum peccatum committeret, quià laicus, qui convenitur ab eo coràm Judice laico ſuſtinet perſonam rei, & eſt ſubditus laicæ poteſtati, & ſic ſervatur reo ſuum proprium forum, ut habet idem Bonac. *loco cit.* & alii communiter. Si verò Clericus conveniat laicum coràm Judice laico prò cauſa civili, tùnc laicus poteſt illum reconvenire civiliter, & à Judice laico poteſt Clericus judicari, & ejus ſententia tenet, quià Clericus per reconventionem fit ſubditus talis Judicis. At criminaliter laicus ſicuti non poteſt Clericum convenire coràm Judice laico, ſic etiàm nec illum poteſt reconvenire, ut docent Sylveſter *verb. Judex* 1. *num.* 3. & 4. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 58. *n.* 2. Em. Sà *verb. Clericus num.* 3. Armilla *in Sum. verb. Judex num.* 19. & eſt communis ſententia. Sed omninò videndus eſt Diana *par.* 4. *tract.* 1. *reſ.* 21. 23. 24. 25. & 65. ubi plura haberi poſſunt ad intentum, & tandèm in dicta *reſ.* 65. *in fine* ſic habet. Licèt Clericus poſſit à laico reconveniri, & teneatur ſtare ſententiæ, nihilominus ſecuta ſententia, non poterit à laico Judice cogi ad ſolvendum, quià coactio ſupponit juriſdictionem; Judex autèm laicus non habet juriſdictionem in Clericum præciſa occaſione reconventionis, ergo &c. Et prò ſe citat Bonac. & Duardum, & alios penès ipſos. Vide Lezanam *tom.* 3. *verb. Clericus num.* 19. & 20. ubi latè de hac tractat materia pertinente ad Privilegium fori, quo fruuntur Eccleſiaſticæ perſonæ &c.

TITULUS XXXVIII.

De Cognatione Matrimonium dirimente.

337 INter. 1. Quotuplex eſt cognatio, quæ impedit, & dirimit matrimonium?

Reſp. Triplex eſt cognatio, quæ impèdit, & dirimit matrimonium, ſcilicet naturalis, ſeù carnalis, legalis, & Spiritualis, ut docent Doctores communiter.

338 Inter. 2. Cognatio carnalis, quæ eſt eadem ac conſanguinitas, quo jure impedit matrimonium, & uſque ad quem gradum?

Reſp. Dico quod jure naturali prohibiti ſunt Parentes contrahere cum liberis; Ità etiam cum aliis in quolibet gradu aſcendentium invalidum eſſe matrimonium jure naturali docent Sylveſter *verb. matrimonium* 8. *quæſt.* 6. Navar. *in man. cap.* 22. *num.* 84. & alii, quos refert, ſed non ſequitur Bonac. *de matrim. q.* 2. *pun.* 3. §. 1. *num.* 8. qui cum aliis ibidem congeſtis tenet matrimonium in linea recta dumtaxat irritum eſſe jure naturæ in primo tantùm gradu; ſed S. Thomas *addit. ad* 3. *par. quæſt.* 54.

art. 3. *ait in primo* tantùm gradu aſcendentium, & deſcendentium naturæ jure vetitum eſſe matrimonium: ſed Vide Dianam *par.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 93. *&* *par.* 8. *tract.* 1. *reſ.* 70. qui latè ſcribit de tali dubio pro utraque parte. Item in primo gradu tranſverſali inter fratres, & ſorores probabile quidem eſt invalidum eſſe matrimonium, non ſolum Jure Eccleſiaſtico, ſed etiam jure naturæ, ut rectè probat idem Bonac. *ubi ſupra numer.* 12. & reſpondet ad argumenta contraria. Tandem invalidum eſt matrimonium, ſaltem jure Eccleſiaſtico inter perſonas conſanguineas intra quartum gradum incluſiuè, tam in linea recta, quam in linea tranſverſali. Vide *cap. Non debet de conſanguinitate,& affinitate.* Conc.Trindent.*ſeſſ.*24. *de Sac. matrim. can.* 3. Em. Sà *verb. impedim. dirim. num.* 4. Bonac. *ibidem n.* 7. Chaves *in ſum. Victoriæ tit. de cognat. carnali quæſt.* 275. *Toletum lib.* 7. *cap.*9. & Armillam *verb. diſpenſatio num.* 9. *&* 10.

339 Inter. 3. Poteſtne Papa diſpenſare quoad impedimentum cognationis carnalis?

Reſp. Em. Sà *loco proximè cit. ſub num.* 4. putat poſſe Papam diſpenſare cum omnibus exceptis parentibus, & fratribus: Itaque Papa diſpenſare poteſt ſuper impedimento cognationis carnalis in gradibus, qui non ſunt prohibiti jure naturali,juſta tamẽ ſubſiſtẽte cauſa, ut v.g. ſit pax inter familiàs, vel ob confœderationem Regnorum, vel ob aliam rationabilem cauſam, puta neceſſitatem magni ſcandali vitandi, evitationem inimicitiarum, rixarum, & homicidiorum, aut dotis incompetentiam, quia multum intereſt puellas nobiles dotem ſufficientem habere ex *l. primo ff. ſoluto matrim*; *&* *cap.* 15. *de conſang. & affinit.* ut docet Diana *par.*7. *tr.* 12. *reſ.* 34. Uerum eſt tamen Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 5. *de reform. matrim.* prohibere, ut in 2. gradu nunquam diſpenſetur, niſi inter magnos Princeps, & ob publicam cauſam, quamquam ſub nomine magnorum Principum, ſecundum aliquos includantur etiam Domini titulares, unde Zerula *in praxi Epiſc. par.* 1. *verb. diſpenſatio* §. 2. refert ſe vidiſſe diſpenſare inter Barones, & titulares Regni Neapolitani. Imò Diana *par.* 8. *tr.* 7. *reſol.* 8. pluribus citatis, aſſerit Summum Pontificem ex ſua benignitate ob cauſam urgentem, etiam privatam, interdum diſpenſare cum perſonis inferioris conditionis. Cœterum nota id,quod docet Coninchus *diſp.*33.*nu.*44. apud Barb. *in collect. ad Trident. loco ſupracit. à numer.* 27. ſcilicet hunc Tridentini locum intelligendum eſſe de gradu conſanguinitatis, vel affinitatis ortæ ex legitimo matrimonio, quia in affinitate orta ex fornicaria copula, præſertim occulta, longè facilius diſpenſatur. Sed circa hanc difficultatem vide Barb. *ubi ſupra per totum*; nam ibi docet modum pro diſpenſationibus obtinendis validè, ac licitè.

340 Inter. 4. Quid eſt, & in quo conſiſtit cognatio legalis? & inter quas perſonas contrahitur?

Reſp. Cognatio legalis eſt propinquitas quarumdam perſonarum conſurgens ex adoptione, ut docent Doctores communiter *in* 4. *diſt.*42. *& in cap.*1. *de cognat. legali* teſte Ualentia *tom.*4. *diſp.* 10. *quæſt.* 5. *pun.* 3. *verb. cognatio,col.* 3. apud Bonac. *de matrim. quæſt.* 3. *pun.* 5. §.3. *num.* 1. Adoptio verò eſt quædam legitima aſſumptio extraneæ perſonæ in filium, vel Nepotem, vel in filiam, aut Nepotem, ut docet S. Thomas *in* 4. *diſt.* 42. *quæſt.* 2. *art.* 1. & alii apud eundem Bonac. *loco cit. qui teſtatur de communi*. Vide igitur ipſum; nam plura explicat ad intelligentiam cognationis legalis, & quas conditiones habere debeat, ut aliquis poſſit adoptare. Cœterum cognatio legalis conſiſtit in hoc quod impedit, & dirimit matrimonium inter adoptantem, & adoptatum. & adoptati deſcendentes, vſque ad quartum gradum: & hæc cognatio inter has perſonas ſemper impedit, etiamſi adoptio diſſoluta fuerit: habetur *ex cap.*

ex cap. diligere 30. quæſt. 3. Item non poteſt ſubſiſtere matrimonium inter adoptatum, quamdiu non eſt emancipatus, & adoptantis filios legitimos, dum ſunt in Patris poteſtate, & inter Vxorem adoptantis, & adoptatum, & inter hujus Vxorem, & adoptantem; Sed mortuo adoptante inter hujus filios legitimos, & adoptatum, nullum eſt impedimentum. Verùm inter Vxorem adoptantis, & adoptatum, & inter Vxorem adoptati, & adoptantem perpetuò remanet impedimentum, quamvis adoptio ſublata ſit. Duo autem adoptati inter ſe contrahere minimè prohibentur. Vide Em. Sà *impedim. dirim. numer. 6.* Chaveſ. *in ſum. Victo, riæ de cognat. legal. quæſt.* 281. Toletum *lib. 7. cap. 8. num.* 4. & præſertim Bonacinam *loco ſupracit. numer. 4. & ſeqq.* eſt enim communis doctrina: Vide etiam Dianam *par. 9. tr. 6. reſ.* 54. qui docet ex adoptione imperfecta non oriri impedimentum cognationis legalis.

341 Inter. 5. Quid eſt cognatio Spiritualis, quæ impedit, & dirimit Matrimonium? & cum quibus contrahitur talis cognatio?

Reſp. Eſt attinentia duarum perſonarum, quæ ex Statuto Eccleſiæ oritur per Baptiſmi, & Confirmationis adminiſtrationem, vel ſuſceptionem Baptizati, vel Confirmati. Ita S. Thomas, & communis *in 4. diſt. 40. & gloſ. & communis in cap. 1. de cogn. ſpirit. in 6.* Sylveſt. *verb. Matrim. 8. numer. 7.* Contrahitur autem inter Baptizantem, & Baptizatum, baptizatique Patrem, & Matrem, & inter Baptizatum, & patrinum, qui locum Patris, vel Matris tenet, ſiue ſit unus, ſive plures, ſive vir, ſive fœmina, & hæc dicitur paternitas. Per compaternitatem verò contrahitur inter Patrem, & Matrem Baptizati ex una parte, & Patrinum, vel Patrinos ex altera, non autem inter ipſos Patrinos oritur aliqua ſpiritualis cognatio. Tolet. *lib. 7. cap. 8. numer.* 2. Nota tamen Trident. ſtatuiſſe ne ſint plures duobus ſuſceptoribus in baptiſmo. Vide Concil. Trid. *ſeſſ. 24. cap. 2. de reform.* & docent DD. communitèr. Bonac. *de Matrim. quæſt. 3. pun. 5. §. 2. num. 2.* Vide *in tit. 162. Inter. 6.*

342 Inter. 6. Quid eſt cognatio Spiritualis, & inter quas perſonas contrahitur?

Reſp. Cognatio Spiritualis diffinitur à S. Thoma *in 4. diſt.* 40. & aliis communiter, quod ſit propinquitas quædam orta ex hoc, quod aliquis confert Sacramentum, vel tenet aliquem ad ſuſcipiendum Sacramentum, baptiſmi ſcilicèt, vel confirmationis, & contrahitur inter baptizantem, vel confirmantem, & baptizatum, vel confirmatum, inter tenentes baptizatum, vel confirmatum, & Patrem, & Matrem naturalem baptizati, vel confirmati, & tandem inter ſuſceptores, ſeù tenentes, & Patrem, ac Matrem baptizati, vel confirmati, ut docui *in reſp. antecedenti.* Et nota quod ſicut cognatio naturalis dirimit matrimonium propter reverentiam debitam conſanguineis, ità conveniens eſt, ut matrimonium dirimatur per cognationem ſpiritualem inter præfatas perſonas ob reverentiam cognationis ſpiritualis. Vide Tolet. *lib. 7. cap. 8. num.* 2. Em. Sà *verb. matrim. imped. dirim. num.* 5. Bonac. *de matrim. quæſt. 3. pun. 5. §. 2. per totum*, & alios penes ipſos. Vide etiam Trident. *ſeſſ. 24. de reform. matrim. cap. 2.* & Barboſ. *ibidem in collect. Doctorum num.* 38. ubi ex aliis aſſerit diſpoſitionem Concilii militare in cognatione orta ex confirmatione, ſicut militat in cognatione orta ex baptiſmo, excepto tamen quod in confirmatione adhibendus ſit unus tantùm Patrinus, ut egomet firmabo *in tit. 162. ad Inter. 6.*

343 Inter. 7. Cognationem ſpiritualem contrahitne qui Procuratorem mittit ad ſuſpiciendum infantem de Sacro Fonte, vel illam potius contrahit ipſemet Procurator?

Reſp. Triplex eſt ſententia Doctorum circa præſentem caſum, quidam enim dicunt cognationem ſpiritualem non contrahi, nec ab ipſo mittente, neque

que à Procuratore: Hujus autem opinionis fundamentum videndum relinquo apud Sanchez *tom. 3. de Matrim. lib. 7. diſp. 59.* & apud Dian. *par. 3. tr. 4. reſ. 2. §. Imò ego & par. 10. tr. 16. reſ. 29. verſ. Nota etiam*, & alios. Alii verò putant contrahi à Procuratore, non autem ab ipſo mittente, & pro hac ſententia ſunt Navar. *lib. 4. tit. 11. de cognat. ſpirit. conſ. 2. num. 3.* Tolet. *lib. 7. cap. 8. ſub num. 3.* Sotus *in 4. diſt. 42. quæſt. 1. propè finem*, Barboſ. *de poteſt. Epiſc. par. 2. alleg. 49. num. 5.* Pax Jordanus *tom. 1. lib. 3. tit. 2. num. 75.* & alii plures penes ipſos. Tandem in tali caſu principalem, qui Procuratorem conſtituit cognationem contrahere, magis probabiliter tenent plurimi, ut Sylv. *verb. Matrim. 8. ſub num. 7. verſ. quartum decimum*, Em. Sà *verb. Imped. dirim. ſub num. 5.* Bonac. *de Matrim. quæſt. 3. pun. 5. num. 34.* Baſilius Pontius *de Matrim. lib. 7. cap. 39. num. 10.* Moronus *reſp. 15. num. 21.* & alii plures apud ipſos, & ità ſenſiſſe Rotam Romanam referunt Varallus, & Riccius teſte Morono ibidem. Imò cum Em. Sà aſſerit ita fuiſſe deciſum à Sac. Congregatione Concilii, & hoc etiam affirmat Bonac. *loco cit.* Licèt autem Alloza *verb. Baptiſmus num. 8.* utramque ſententiam probabilem putet, tamen recedendum non eſt à noſtra ſententia, quæ docet, quod Procurator non contrahit cognationem ſpiritualem ſibi, ſed mandanti, & ita tenet etiam Farinac. *in dec. par. 4. in declarat. ſeſſ. 24.* Concilii, ut legenti patebit; Sylvius *in addit. ad 3. par. quæſt. 56. art. 5. ad 4.* Layma. *lib. 5. tr. 10. par. 4. cap. 4. num. 5.* & alii, & ratio eſt quia Procurator non ſuo, ſed alieno nomine tenet infantem, & ſic ut plurimum non intendit cognationem contrahere, Ideò Patrinus eſſe non poteſt, quià nèc principale, nec acceſſorium vult, & ubi non eſt conſenſus non oritur obligatio; Prætera Procurator non eſt electus, nec deſignatus pro Patrino, Ergo cognationem non poteſt contrahere ipſe, ſed benè qui illum mittit, cum non ſit actio purè perſonalis, ut nequeat per procuratorem exerceri, & quamvis ad contrahendā cognationē ſpiritualem requiratur contactus, ſufficit tamē alienus, nam ſicut ſufficit per alium ſuſcipere, vel tenere, ita per alium tangere, qui enim per alium facit, per ſe ipſum facere videtur, juxta regulam juris notam. Tandem conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres, probat, illum eſſe Patrinum, qui Procuratorem conſtituit; imò conſuetudo vim legis habet, & in favorem conſuetudinis deciſiſſe Sac. Congreg. etiam ipſi Adverſarii fatentur, ergo &c. Quæ autem dicta ſunt de Patrino Baptiſmi, meritò dici poſſunt de Patrino Confirmationis, cum pari paſſu incedant, & militet eadem ratio de utroque.

344 Inter. 8. Ille qui Baptizat in neceſſitate, contrahitne cognationē ſpiritualē?

Reſp. Sanch: *de Matrim. lib. 7. tom. 2. diſp. 62. num. 11.* dicit, quod ſic & ita tenet etiam Em. Sà *verb. Baptiſm. ſub num. 15. in fin.* nam Baptizans in neceſſitate confert verum Sacramentum, & conſequenter cognationem contrahere cum ipſo baptizato, & Patre, & Matre ipſius, neceſſariò dicendum eſt. Vide Dianam *par. 5. tract. 3. reſ. 7.* & eſt comm. ſent. Bonac. *de Matrim. diſp. 3. num. 11. pun. 5. §. 2. n. 11.*

345 Inter. 9. Si aliquis in privato Baptiſmo infantem tenet ex propoſito, ut Patrini munus obeat, contrahitne cognationem ſpiritualem?

Reſp. Notandum eſt primo nullum adeſſe Eccleſiæ præceptum, ut in privato Baptiſmo Patrinus adhibeatur, ut docent Sotus *in 4. diſt. 42. quæſt. 1. ar. 1.* Henriq. *lib. 2. cap. 18. in fin.* Suar. Sanchez, Rodriq. & alii, quibus ſubſcribit Dian. *par. 3. tract. 4. reſ. 18. & par. 5. tract. 3. reſ. 7.* Verùm an contrahat cognationem ſpiritualem, qui ex propoſito infantem tenet, ut Patrini munus obeat, eſt magna difficultas. Affirmat Navar. *in Man. cap. 22. num. 40.* Coninch. *de Sac. diſp. 32. dub. 2. concluſ. 5.* Laym. *lib. 5. tract. 2. cap. 9. num. 4* & alii ab ipſo relati, & eſt ſententia valdè pro-

dè pro-

dè probabilis, tamèn non minus probabilem puto oppoſitam ſententiam, quam tuentur Sanch. *loco ſup. cit. n.* 15. Granad. *de Sac. in* 3. *par. contr.* 4. *tract.* 2. *diſp.* 7. *num.* 4. Rodriq. & alii apud ipſos, quibus aſtipulatur Diana *loco cit.* & ratio eſt quia non eſt in poteſtate ſuſceptoris, vel ut melius dicam, tenentis Infantem in Baptiſmo privato velle, aut nolle cognationem contrahere, nàm requiritur, ut petita ab Eccleſia ſerventur, ſed munus ſuſceptoris non obitur propriè, niſi quando Baptiſmus eſt ſolemnis, ergo non contrahitur Spiritualis cognatio, niſi in Baptiſmo ſolemni ritu adminiſtrato. Bonac. *loco proximè cit.* Vide Sanch. & Dian. *loco ſup. cit. & par.* 10. *tract.* 16. *reſ.* 29. §. *Notandum. eſt*, à quibus plura haberi poſſunt in confirmatione hujus poſterioris ſententiæ, cuilibéter adhęreo.

TITULUS XXXIX.

De Cohabitatione Conjugum.

Vide tit. de Divor. Inter. 2. 3. 4. 8. 13.

346 INter. 1. Tenenturne Conjunges ſimul cohabitare? Et Uxor teneturne ſequi Virum migrantem?

Reſp. Certum eſt teneri Conjuges ſimul cohabitare, quia Matrimonium fit ad prolem ſuſcipiendam, & ad vitandam inconrinentiam; ſi autem conjuges non cohabitarent; nec proles ſuſciperentur, nec incontinentia evitaretur; ergò ſimul cohabitare tenentur, & patet *ex cap. litteras de reſtit. ſpoliat.* Nec de hoc eſt aliquod dubium, niſi inter eos factum ſit divortium, ut Dicam *in tit.* 72. *de Divortio, ubi plura de Divortio agam*, & niſi unus conjugum timeat infectionem lepræ, aut alterius contagioſi morbi, ut dicam *ad Inter. ſequentem*, vel tandem dummodo ſimul cohabitando non immineat aliquod grave periculum animæ, vel corpori alterius conjugis. An verò Uxor teneatur ſequi virum migrantem: Ità in terminis reſpondet Em. Sà huic dubio *verb. Matrim. num.* 28. *Tenetur Uxor virum migrantem ſequi, niſi aliud eſſet inter eos conventum, & ipſe non cogeretur aliqua neceſſitate migrare, aut niſi inſciens vagabundum duxiſſet, aut ſi ipſe vellet inhoneſtè vagari, aut cum periculo animæ, vel corporis, vel poſt Matrimonium factus eſt Vagabundus.* Concludendum eſt igitur, Uxorem teneri ſequi Maritum quando nullum extat pactum in contrarium, ut habetur *ex cap. Unaquæque* 13. *quæſt.* 2. Immò ſi cum Uxore vir fecit conventionem, aliò non transferendi ſuam habitationem, adhuc ſuperveniente aliqua juſta cauſa trasferendi aliò domicilium, tenetur Uxor illum ſequi; puta ſi fuerit per exilium expulſus, aut Bannitus, vel ad tuendas res familiares migret, aut ob inimicitias capitales, ſeù etiam propter aeris intemperiem, & hujuſmodi; Nam Uxor tenetur ſequi Viri infortunium, non quidem per modum pœnæ, ſed tamquam onus annexum Matrimonio, ut dicitur in *l. ſi cum dotem* §. *Sint autem ff. ſoluto Matrimonio*; Ultra quod pactum, ſeù promiſſio non tràſferendi aliò domicilium cenſetur facta ſub hac conditione, niſi juſta ſuperveniat cauſa. Ità ex Sanchez, Guttierez, Reginaldo, & aliis firmat Bonac. *de Matrim. quæſt.* 4. *pun.* 6. *num.* 20. *uſque ad num.* 24. *incluſivè*, *qui num* 25. aſſerit, Virum quoque teneri, Uxorem ſequi, quando ipſa transfert ex cauſa domicilium, quia conjuges ſunt pares, quoad murua obſequia matrimonii, & rectè dicit. Vide Navarrum *in Man. cap.* 14. *num.* 20. Toletum *lib.* 5. *cap.* 2. *per totum*, Sanchez. *de Matrim. tom.* 1. *lib.* 1. *diſp.* 40. Dianam *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 202. Layman *lib.* 5. *tr.* 10. *par.* 3. *cap.* 2. *per totum*, & alios penes ipſos.

347 Inter. 2. Conjux teneturne cohabitare cum altero Coniuge, lepra, vel morbo gallico infecto?

Reſp. Si vult, poteſt cohabitare, ſed non tenetur, quia Conjux ſanus non eſt obligatus cohabitare cum tanto incommodo cum altero Conjuge infecto, dum

dum probabiliter timet, ſibi infectionem lepræ, morbi gallici, vel alterius contagioſi morbi, unde ei licebit, non ſolum thoro, ſed etiam cohabitatione ſeperari. Ità Em Sà *verb. Debitum Conjugale num.* 15. Navarrus *in Man. cap.* 16. *num.* 25. Sanchez *tom.* 3. *de Matrim. lib.* 9. *diſp.* 24. *num.* 29. & alii communiter. Non debet tamen ità longè abeſſe, ut non poſſit alteri conjugi cœtera obſequia exhibere, quia non eximitur ab aliis obſequiis præſtandis, ut docet ipſe Sanchez *loco cit.* Reginaldus, & alii quos ſequitur Bonac. *de Matrim. quæſt.* 4. *pun.* 6. *ſub n.* 21. Vide Sylveſtrum *verb. Debitum Conjugale ſub num.* 2. *&* *ſuprà ad Inter. antecedentem,* *&* *in frà in tit.* 54. *ad Inter.* 10.

TITULUS XXXX.

De Concionatoribus, & Concionibus.

Vide tit. de Epiſcopat. &c Inter. 57. *tit. de Excom. &c. Inter.* 2. *tit. de Hor. Can. Inter.* 4. *tit. de Paroch. Inter.* 25. *tit. de Regul. Inter.* 11. 12. 13. 14. 15. 44. 50. 117. *tit. de Simon. Inter.* 24.

348 INter. 1. Concionator poteſtne ſine peccato concionem habere coram excommunicato vitando?

Reſp. De hoc minimè eſt dubitandum, quia concio dirigitur, & ordinatur ad utilitatem ipſius excommunicati, & omnes cum eo poſſunt audire concionem, ut dicam *in tit.* 87. *ad Inter.* 2. *propè finem,* *&* *habetur cap. Reſponſo, de Sent. excomun.* Et hoc eſt verum, etiamſi oratio Angelica in principio concionis recitetur, nam illa oratio non cenſetur publica, ſed privata, ut docet Navar. *in Man. cap.* 27. *ſub num.* 36. *circa finem,* *&* *ex eo* Bonac. *de Cenſ. diſp.* 2. *quæſt.* 2. *pun.* 6. §. 1. *num.* 9. & alii plures, quos vidi.

349 Inter. 2. Licetne concionari tempore Interdicti?

Reſp. Licet concionari, & concionem audire, nam per divina Officia non intelligitur prædicatio, ut docet Navar. *ubi ſuprà n.* 176. Toletus *lib.* 1. *cap.* 53. *n.* 1. Zeccus, Bonac. & alii communiter, & habetur *cap. Reſponſo de Sent. Excom.* Vide quæ dixi *ad Inter. antecedentem; nec non ea, quæ dicam in tit.* 87. *ad Inter.* 2. & docet etiam Lezana *verb. Interdictum ſub num.* 20.

350 Inter. 3. Prædicandi licentiam poteſtne dare Parochus in ſua Parochia approbatis ab Ordinario?

Reſp. Diana *par.* 3. *tract.* 2. *reſ.* 111. *verſ. Nota etiam,* docet ex Rodriquez, & Barboſa poſſe Parochum, ſeù Curatum dare dictam licentiam viro docto, & noto, etiam Regulari, ut bis, vel ter concionetur in ſua Eccleſia ſine Epiſcopi approbatione. Vide Dianam *par.* 4. *tract.* 4. *reſ.* 22. *verſ. Notandum eſt etiam.* Immò addit, quod Concionatores Regulàres ſemel approbati in una Diœceſi itinerantes, poſſunt prædicare ubi voluerint, non contradicente Parocho, & non obſtante proprio Epiſcopo loci, ex conceſſione Gregorii XIII. facta Societati Jesù, qua per communicationem frui poſſunt alii communicantes in privilegiis, & pro ſe citat Villalobos, Joan. della Crux, Portellum, Barboſam, & Mirandam; Sed Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 20. *num.* 4. id admittit, dummodò præſumi poſſit licentia tacita, vel interpretativa Epiſcopi, & ſit in loco, ubi non eſt Epiſcopus, & legitima conſuetudine ſit receptum, aliàs non, nam cautè procedendum eſt, maximè poſt Conſt. Gregor. XV. & Clemen. X. *infrà referendam in tit.* 180. *ad Inter.* 44.

351 Inter. 4. Prælati Regulares poſſuntne dare licentiam ſæculari, ut concionetur in ſuis Oratoriis, aut Eccleſiis? & Epiſcopus poteſtne hoc illis prohibere?

Reſp. Affirmativè reſpondet Baldellus *tom.* 2. *lib.* 1. *diſp.* 21. *num.* 13. cui adſtipulatur Diana *par.* 9. *tr.* 7. *reſ.* 68. dummodò ſit ſufficiens, nam etiam laicis de jure communi permittitur diſſerere de rebus Divinis, & prædicare, *cap. Mulier diſt.* 23. ergo ſicut non debet

Epi-

Digitized by Google

Epiſcopus contradicere Regulari nè prædicet in ſua Eccleſia, ſic nec laico docto, qui licentiam habet à Prælato Regulari, juriſdictionem Spiritualem habente in loco, in quo prædicatio eſt facienda. Verùm talis ſæcularis tenetur petere benedictionem ab Epiſcopo, & emittere profeſſionem fidei coram eodem; nam Epiſcopus poteſt id exigere à Religioſis, ita etiam à fortiori ab ipſo laico. Vide Dianam *loco cit.* ſed ſi Epiſcopus contradixerit, melius eſt, ut ei obediatur.

352 Inter. 5. Concionatores quotidiani tempore Quadrageſimæ, tenenturne jejunare?

Reſp. Generalitèr loquendo putant quidam non teneri, etiamſi concionentur propter ſtipendium, & licèt ter in hebdomada ad Populum concionem habeant. Bonac. *de leg. diſp. ult. quæſt.* 1. *pun. ult. num.* 13. Trullench. *tom.* 1. *in Decal. lib.* 3. *c.*3. *dub.* 7. *num.* 15. Navar. *in man. c.* 21. *num.* 16. Sylvius *in* 2. 2. D. Tho. *q.* 147. *ar.* 4. & alii, quos refert, & ſequitur Dian. *par.* 1. *tr.* 9. *reſ.* 10. & 11. & *par.* 10. *tract.* 11. *reſ.* 32. ubi præterea excuſat Concionatorem à jejunio præcedentis diei, ſi intrà annum prædicet, ſed hoc intelligit, quando concionator non poſſet *commodè jejunare*, alioquin tenetur; hæc omnia docet etiam Sanch. *in Opuſcul. tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 1. *dub.* 13. Mihi tamen videtur diſtinguendum, Aut concionator voluntariè ſe ingerit petendo prædicandi licentiam, & locum ſibi ad prædicandum procurat, vel à ſuo Prælato prædicare jubetur, aut tenetur ex voto, aut ejus Conciones admodùm utiles eſſent Populo: Si voluntariè, & ſpontè ſe ingerit, agnoſcens ſuam impotentiam ad prædicandum ſine fractione jejunii, peccat quidem, nec excuſatur, quia tenetur ex debito jejunare, non autem prædicare; Undè quia ejus miniſterium eſt voluntarium, non excuſatur, & ideò ſi non jejunat, peccat, cum in fraudem jejunii ſe exponat ad concionandum, reddens ſe impotentem ad præceptum Eccleſiæ ſervandum, nec fraus debet ei prodeſſe, ſi verò noſcit ſuam impotentiam, & juſſus à Superiore prædicare, eam illi manifeſtat, eaque cognita Superior, adhuc in ſua juſſione perſiſtit, aliqua juſta, & rationabili cauſa ductus, tunc Concionator non peccat, ſi præceptum jejunii non ſervat. Vide Sylv. *verb. Jejunium* §. 26. Tolet. *lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 4. & præſertim Peyrin. *tom.* 1. *de ſubdito quæſt.* 4. *cap.* 6. *quæſito* 11. Et id quod dictum eſt de jejunio, dicendum eſt etiam de eſu carnium, & hæc opinio videtur mihi in praxi ſequenda, cum ſit tutior, magis pia, & conſentanea rationi.

353 Inter. 6. Poſſuntne licitè Concionatores tempore Quadrageſimæ, dum concionâtur quotidie, non jejunare, ſi non poſſunt ſimul jejunare, & prædicare?

Reſp. Huic petitioni jam ſatisfeci *in Reſp. ad Inter. antecedentem*, & dixi, quod illi excuſantur Concionatores à jejunio, qui concionâtur ex obedientia, vel ex voto, vel ſi eorum conciones eſſent multùm utiles Populo, & non illi qui ſciunt non poſſe prædicando jejunare, & tamen ſibi locum, & licentiam procurant in fraudem jejunii; nam Eccleſia præcipit jejunium, non autem, ut quis ſpontè ſe ingerat, & voluntariè ſuſcipiat illud onus incompatibile cum jejunio, inhærendo illi doctrinæ quæ habet, excuſari eos, qui ob opera pietatis majora, non valent jejunare, ut prædicando, docendo &c. quia hæc doctrina militat pro iis, qui ex officio, nempè ex obedientia, vel ex voto, aut ex aliqua neceſſitate concionari, & docere tenentur; non autem pro iis, qui ſua ſe ſponté ingerunt (*quomodò enim prædicabunt, niſi mittantur*), & præter Doctores quos ibi citavi, ita etiam docent Binsfeldius *in Enchiridion Theol. par.* 3. *cap.* 33. *concluſ.* 9. Philiarchus *de offic. Sacerd. tom.* 1. *par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 25.

cap. 25. Fernandez *in exam. Theol. par.* 2. *cap.* 8. §. 2. 12. Facundez *præcep.* 4. *lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 19. & alii. Verùm eſt tamen, quod ſi aliquis procurat ſibi locum, & licentiam concionandi, & habet ſimul intentionem jejunandi, ſi poſteà ratione debilitatis, aut pravæ complexionis jejunare non valet, tunc videtur excuſandus, cum ſit melius opus inceptum perficere, quàm jejunare, præſertim quia abeſt tunc fraus, & dolus, & intentio violandi præceptum jejunii. Tandem pro coronide puto probabile, quod qui non concionatur principaliter propter lucrum, ſed minus principaliter ob neceſſitatem ſcilicet ſe ſuſtentandi, poſſit licitè non jejunare, quia habet juſtam cauſam. Vide Navar. *in man. cap.* 21. *num.* 17. Graffium *par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 37. *num.* 54. & Reginaldum *in praxi tam.* 1. *lib.* 4. *cap.* 17. *num.* 219. Sic iterùm reſcribendum duxi, ut ſatisfacerem nonnullis, qui pro conſcientiæ quiete à me quæſierunt aliquam majorem declarationem circa præfatum dubium.

Quær. 1. An ſit peccatum mortale prædicare ſine licentia Superiorum legitima, & à quibus licentiam habere debeant Regulares prædicare volentes? Et quid ſi prædicarent inutilia, aut detraherent Prælatis Eccleſiæ?

Reſp. Qui ſine debita Superioris licentia prædicare præſumit, equidem mortaliter peccat, nàm facit contrà illud Sacræ Scripturę dictū. *Quomodò prædicabunt, niſi mittantur? Ite, & prædicate Evangelium.* Immò prædicantes ſine licentia poſſunt excommunicari, *ex cap. excommunicamus* §. *quid verò, de hæret.* At excommunicatio ſupponit peccatum mortale, ergò qui ſine legitima Superioris licentia prædicat, peccat mortaliter. Ità tradunt Sylveſt. *verb. prædicatio ſub n.* 1. Navar. *in Man. cap.* 25. *num.* 141. Cajet. *in Sum. verb. Prædicatorum peccata.* Em. Sà *verb. Prædicare num.* 4. Bordonus *in conſil. Regul. reſ.* 7. *num.* 28. Dian. *par.* 8. *tr.* 7. *reſ.* 11. & alii contrà Baſſæum, & Machadum. Verùm eſt tamèn, ut notat ipſe Diana, quòd in tranſgreſſione hujus præcepti datur parvitas materiæ, undè qui ſemel tantùm ſine licentia prædicaret, poſſet excuſari à mortali culpa, niſi ex aliqua circumſtantia gravaretur culpa, & de veniali fiat mortalis, ratione circumſtantiarum; ſiquidèm prædicare valdè inutilià, aut ſcienter falſa in fidei doctrina, vel morum, aut vita Sanctorum, aut detrahere, ferè nominatim, Prælatis Eccleſiæ, ſemper eſt peccatum mortale, ut docent præcitati Doctores, teſte Victorello *in Addit. ad* Em. Sà *loco cit.* quibus addo Armillam *verb. Prædicare num.* 3. & 6. Dandinum *de ſuſpect. de hæreſi cap. ult. ſect.* 2. *ſubſect.* 2. *num.* 59. & *ſeqq.* & in hoc omnes Doctores conveniunt. Vide Lezanam *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 20. *per totum*, & *præſertim num.* 17. *propè finem*, & *tom.* 3. *verb. Concionator num.* 10. & Barboſ. *in Triden. ſeſſ.* 4. *num.* 7. & *ſeqq.* & *ſeſſ.* 5. *cap.* 2. *de reform. num.* 17. & *ſeqq.* & *ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 4. *à num.* 1. *uſque ad* 23. *incluſivè*, ab his enim plura haberi poſſunt ad hoc propoſitum, & à quibus licentiam habere debeant Regulares prædicare volentes. Vide etiàm eundem Barboſ. *de poteſt. Epiſc. par.* 3. *alleg.* 76. & *de offic. Parochi par.* 1. *cap.* 14. & *alios ſuprà citatos.*

Quær. 2. An Prædicatores prædicantes in peccato mortali, mortaliter peccent? Et an ſit ſimonia prò concione de pretio paciſci?

Reſp. Nonnulli certò putant eſſe peccatum mortale prædicare in peccato mortali, non ſolùm publico, ſed etiàm occulto, & ſine ſcandalo, ſi antè non eliciatur ſaltém contritionis actus. Ità Cajetanus 3. *par. quæſt.* 64. *ar.* 6. & *in* 2. 2. *quæſt.* 187. *art.* 3. Paludanus *in* 4. *diſt.* 19. *quæſt. art.* 3. Angelus *verb. Prædicare num.* 7. Navar. *in Man. cap.* 25. *num.* 141. & alii, teſte

teſte Diana *infrà referendus*, nec diſſentit Rotar. *in Appar. pro exam. Cler. cap.* 8. *ſect.* 5. *ſub num.* 20. & ratio eſt, quià munus prædicandi eſt miniſterium ordinis, & procedit à gratia Sacramenti, ut docet noviſſimè P. Campionus *par.* 2. *cap.* 37. *ſub num* 17. *Inſtruct. pro ſe præparant. ad aud. Confeſſ.* vel ut alii dicunt eſt annexum ordini, & præcipuè Conſecrationi Epiſcopi, & actio illa eſt ſatis gravis, & in ea operatur homo, ut Spiritus Sancti organum. Oppoſitum tamèn docent alii, nempè prædicantes in ſtatu peccati mortalis, non peccare mortaliter, ſi peccatum ſit occultum, & abſit ſcandalum. Ità Sotus *in* 4. *diſt.* 1. *quæſt.* 5. *art.* 6. Em. Sà *verb. Irregul. ex Ordinis abuſu, ſub num.* 6. *& verb. Prædicare num.* 2. Armilla *verb. Prædicare ſub num.* 2. Suarez *in* 3. *par. tom.* 3. *diſp.* 16. *ſect.* 3. Valentia *tom.* 4. *diſ.* 3. *quæſt.* 5. *pun.* 3. Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 20. *num.* 15. & præſertim Diana *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 197. & alii plures. Ego verò in hac opinionũ diverſitate, puto melius eſſe, quòd Concionator antè prædicationem confiteatur peccata mortalia ſi habet, aut ſaltèm actum Contritionis eliciat, nàm aliàs ad minus ſemper grave peccatum veniale committit, & de hoc ego non dubito cum Lezana *loco cit.* Cœterùm non credo eſſe peccatum mortale, quià ex regula tradita à D. Thoma 3. *par. quæſt.* 64. *art.* 6. miniſtrare opera charitatis non conſecrata in mortali, non eſt mortale: Nec prædicare propriè, & ſecundum ſe eſt actus ordinis, vel alterius Sacramenti, cum nullus ordo, aut Sacramentum ad concionandum ordinetur, ut docet Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 10. *l.* 9. *cap.* 1. *num.* 15. Paſſer. *de ſtat. quæſt.* 187. *art.* 1. *n.* 1099. Cajet. *in ſum. verb. Prædicatorum pecc.* Armilla *loco cit.* Em. Sà, & alii. Ergo &c. Nec obſtat ſi dicatur Diaconum teneri annunciare Evangelium, & Sacerdotem docere Populum neceſſaria ad ſalutem, & munus prædicandi annexum eſſe Ordini, & præcipuè Conſecrationi Epiſcopi; Nàm reſpondetur, quòd Diaconus annunciat Evangelium, illud legens ſolùm ex officio in Miſſa Solemni, & Sacerdos tenetur docere Populum, non ex vi Ordinis, ſed ex officio; Aliud eſt enim legere Evangelium, aliud docere Populum, aliud verò prædicare, ut per ſe patet, nàm prædicatio non æqualiter competit omnibus, ſed iis dumtaxat, quibus id ſpecialiter fuerit demandatum juxtà illud Apoſtoli, *Quomodò prædicabunt, niſi mittantur*, & ex Evangelio habetur. *Ite, Prædicate Evangelium omni creaturæ*. Ac denique licèt prædicandi munus ſit proprium Epiſcoporum, tamèn hoc reſultat ex eo, quòd eſt miſſus à Chriſto Domino ſalvo ordine Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, unde prædicare eſſe ſolùm *actum juriſdictionis Spiritualis* optimè probat Paſſerinus *ubi ſuprà num.* 1112. *& ſeqq.* & propterea non competere fœminis, & laicis docet, & benè; Prædicare enim nec ex natura rei, nec ex inſtitutione Eccleſiæ eſt actus ordinis, & conſequenter non eſt opus conſecratum, cùm nullus ordo ordinetur ad talem actum, nec in traditione ullius ordinis ſit mentio talis actus, nec alibi, ubi legitur Eccleſiæ hujuſmodi inſtitutio, ut rectè notat Suarez, *ubi ſuprà num.* 17. & Paſſerinus *loco cit. num.* 1099. Idem prorſus egregiè ſuſtinet etiã Diana *loco ſuprà cit.* ergo &c. Tandem pro cõcione de pretio paciſci ſimonia eſt, ſecundum Sotum apud Victorellum *in addit. ad* Em. Sà *ubi ſuprà ſub num.* 5. *in fine*; Non eſt tamèn ſimonia ſi Concionator aliquid ſpontè datum prò ſua ſuſtentatione, aut prò emendis libris recipiat, eſt enim dignus operarius mercede ſua. Vide Em. Sà *in verb. Simonia ſub num.* 1. Sanchez *in opuſ. tom.* 1. *cap.* 3. *dub.* 11. *num.* 9. & Lezanam *tom.* 3. *verb. Simonia ſub. num.* 2. *& verb. Concionari num.* 12. ubi plura refert ad intentum ex Suarez de Simo-

nia *lib.* 4. *cap.* 46. *num.* 4. Bonac. itèm *de Simonia quæſt.* 6. *pun.* 2. *obiect.* 3. & aliis, & præſertim poſſe fieri pactum de tali mercede, quià deducere in pactum rem licitam non eſt illicitum, non eſt tamèn licitum plus exigere prò ſuſtentatione, quàm ferat ratio laboris, quià exceſſus ille non eſt debitus, ac per conſequens eſt injuſtus, & ſuſpectus de Simonia. Ego tamèn dico, id, quod ſpectat ad ſuſtentationem, & prò itinere &c. poteſt deduci in pactum, & obligationem ex juſtitia, quià locat libertatem ſuam, & obligat ſe ad hoc faciendum, & aliud facere non poteſt ipſe Concionator. Prò labore verò, ſi eſt labor intrinſecus ipſi concioni, non videtur ullo modo poſſe in pactum deduci, poteſt tamèn aliquid exigi abſque pacto ex conſuetudine probata, & Judicis Eccleſiaſtici auctoritate interpoſita, ut benè notat Armilla *verb. Simonia ſub num.* 2. & ità habet conſuetudo Eccleſiæ, ut videmus.

Quær. 3. Quis teneatur ſalarium, ſeù eleemoſynam ſolitam Prædicatori præſtare? vel quibus ſumptibus ſolvenda ſit eleemoſyna Concionatori?

Reſp. Prædicatoris electio, & deputatio in Cathedralibus ſemper ſpectat ad Epiſcopos, & ſumptibus propriis illum conducere debent; Si verò adeſt conſuetudo immemorabilis, quòd Univerſitas, ſeù Communitas ſolvat, & Epiſcopus exigat, ea ſervanda erit, & Epiſcopus ad nihil tenetur. Caſù tamèn quòd Communitas, ſive Populus ab immemorabili habeat jus eligendi prędicatorem, & Epiſcopus eo uti ſinat, poteſt cogere eumdem Populum ad impenſas, & eleemoſynas Prædicatori præſtandas, quas ipſe Populus ſolitus eſt præſtare, ſecus verò dicendum eſt, ſi Epiſcopus non ſineret ut Populus nominaret, & eligeret Concionatores, & ſolitus eſſet præſtare eleemoſynam, quià in tali caſu minimè poſſet compellere Populum ad ſolitam eleemoſynam, & impenſas Prædicatori preſtandum; Nàm ſi Epſcopus prætendat Communitaté quoque teneri præſtare eleemoſynam, ad ipſum incumbet onus probandi immemorabilem. Ità ex Sellio refert deciſum Barboſ. *in collect. ad Triden. ſeſſ.* 24. *cap.* 4. *n.* 10. Cœterum conſuetudo immemorabilis nominandi, vel præſentandi Prædicatorem Epiſcopo prò Eccleſiis inferioribus, non eſt ſublata, tamèn Epiſcopus non poteſt compellere Populum, ſivè Communitatem ad preſtandam ſolitam eleemoſynam Prædicatori, ſi ipſum voluerit deputare: Ac denique conſuetudo ſervanda eſt, quà ſolent ex publico Civium ærario eleemoſynæ dari. Ità ex Decretis Sac. Congregationis, & Doctoribus reſoluit Barb. *in Collect. D. D. in Trident. ſeſſ.* 5. *de reform. cap.* 2. *num.* 6. *uſque ad num.* 13. *excluſivè, & de poteſt. Epiſc. par.* 3. *alleg.* 76. *n.* 10. 11. 12. & 13. Vide quoque Dianam *par.* 3. *tract.* 5. *reſ.* 71. & Lezanam *tom.* 3. *verb. Concionator ſub num.* 12. qui alios Doctores referunt, & concludunt, quod in hoc conſideranda ſit conſuetudo Eccleſiarum, & locorum, & ſecundum illam determinandum, qua ſecluſa Epiſcopum obligabis; nàm Paſtoris eſt prædicare, vel prædicari curare, & Verbum Dei annunciare gregi ſuo, idque expenſis ſuis, niſi aliter conſuetudo præſcripſit, quæ omnino ſervanda erit, ut dixi; quià facit, ut juſtus titulus præſumatur, præſertim ſi ſit immemorabilis, aut ſaltém quadraginta annorum.

Quær. 4. An Parochus qui per ſe ipſum vult habere conciones ad Populum in Adventu, vel Qudrageſima, poſſit prætendere conſuetam eleemoſynam, & quid dicendum eſt de Epiſcopo? Et an Parochus poſſit ab Epiſcopo impediri ne concionetur?

Reſp. Parocho per ſe ipſum concionanti, minimè licet prætextù cujuſcumque paupertatis, prætendere ſibi præſtari eleemoſynam ſolitam dari Prædicatoribus, aliàs ab Univerſitate

tate

tate electis: Et hoc quod dictum eſt de Parocho, à fortiori dicendum eſt de Epiſcopis, cum ex proprio munere ad id teneantur. Ità ex Aldano refert deciſum Barboſ. *in Collect. ad Trident. ſeſſ.* 5. *cap.* 2. *num.* 15. & *de officio Parochi par.* 1, *cap.* 14. *num.* 7. Vide Gavantum *in Man. Epiſcoporum verb. Concio ſacra nu.* 2. & Sellium *in ſelect. can. cap.* 23. *n.* 18. qui teſtantur ſic fuiſſe reſolutum in una Veſtana 20. Martii 1621. Vide iterùm Barboſ. *in Trident. ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 4. *n.* 4. Verùm eſt tamèn, quod ſi Parochus velit per ſe ipſum munus prædicationis obire, non debet impediri, nàm ità fuiſſe deciſum à Sac. Congregatione refert idem Barboſa *de offic. Parochi cap.* 14. *num.* 5. Jmmò Parochus per ſe ipſum intèr Miſſarum ſolemnia habere poteſt concionem ad Populum, & etiàm quando Epiſcopus ipſe in Cathedrali prædicat. Barboſ. *loco proximè cit. num.* 3. Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 20. *num.* 6. qui aſſerit, quod etiàm prædicante Epiſcopo, Religioſi prædicare poſſint, tamèn circà hoc videdus eſt Gavantus *in Man. Epiſcopor. verb. Concio ſacra num.* 52. nam refert quandam Sac. Congregationis declarationem ſub Urbano VIII. emanatam, ex quà oppoſitum apparet; Unde aſſertum Lezanæ intelligi debet Epiſcopo non contradicente. Parochus verò cum habeat jure communi à Papa juriſdictioné, videtur non poſſe ab Epiſcopo impediri abſque cauſa, quam legitimam putarem, ſi Epiſcopus ipſe aliquandò infrà annum prædicare vellet, aut alium magis idoneum deputare. Vide Em. Sà *verb. Parochus num.* 5. Lezanam *tom.* 3. *verb. Concionari num.* 3. & 13. & Tambur. *de jure Abbat. diſp.* 11. *quæſito* 1. *n.* 3. & nota quòd Parochi de jure divino concionem ad Populum habere tenentur, & Epiſcopi non poſſunt in jure divino diſpenſare, ergo non poſſunt impedire quin ſuis parochianis prædicent, quando Epiſcopus in ſua Cathedrali prędicat, modò tamèn non ſit eadem hora, in quà Epiſcopus vult habere Concionem in Cathedrali. Vide Bonac. *de legibus diſp.* 6. *quæſt. unica pun.* 8. *ſub num.* 4. *verſ. quartum eſt*, & Em. Sà *verb. Epiſcopus num.* 43.

TITULUS XXXXI.

De Concubinariis, & Concubinatu.

Vide tit. de Abſol. à peccat. Inter. 1. *tit. de Paroch. Inter.* 23. 32. *tit. de Præc. aud. Sac. Inter.* 1.

354 INter. 1. Quid eſt concubinatus, & quibus pœnis debent puniri concubinarii? & quomodo probatur concubinatus?

Reſp. Concubinatus eſt frequens, & conſueta fornicatio cum eadem perſona, ideòque non ſufficit unus, vel alter actus fornicarius, ſed requiritur conſuetudo, qua ſimul cohabitent, ac ſi eſſent conjugati. Unde ad hoc, ut quis verè dicatur concubinarius, requiritur quod habeat copulam cum fœmina ſoluta, vel conjugata tenendo eam in propria, vel aliena domo ad venerem, ac ſi eſſet Uxor. Ità docent Sylveſter. *verb. Concubinarius num.* 1. Toletus *lib.* 1. *cap.* 47. *num.* 1. Riccius *in antiquis verb. praxis pœnarum deciſ.* 361. quibus ſubſcribit Bonac. *de matrim. quæſt.* 4. *pun.* 14. *num.* 8. Vide etiam Barboſ. *in Triden. ſeſſ.* 25. *de reform. cap.* 14. *num.* 3. qui plures concordantes adducit. Circa autem pœnas, quibus ab Ordinario puniendi ſunt concubinarii, videri poſſunt in Conc. Trident *ſeſſ.* 24. *de reſor. cap.* 8. ubi Barboſ. *in collect.* latè de talibus pœnis agit. Sed ut breviter aliquid referam, dico, poſſe Epiſcopum damnare laicos concubinarios in pecunia, exilio, reclufione, vel aliis pœnis: Item poteſt illos excommunicare; ſed debent præcedere très monitiones, ex quibus vera contuma-

cia

Digitized by Google

cia eliciatur, quæ monitiones debent eſſe diſtinctæ, & ſeparatæ. Si verò pœnis pecuniariis, vel aliis, ut dictum eſt, eos multari velit, nullis præcedentibus monitionibus, procedere poteſt, ut declaravit Sac. Concregatio apud Doctores, quos refert Barb. *ubi ſuprà*, & Diana *par. 5. tract. 1. reſ. 10. verſ. Sed hæc prorſus, & par. 10. tract. 8. reſ. 4.* à quibus plura haberi poſſunt ad hoc propoſitum: Immo idem Barboſ. *in Collect. ad Trident. ſeſſ. 25. de reform. cap. 14. num. 2.* refert ex aliis B. Pium V. per ſpecialem conſtitutionem monuiſſe omnes locorum Ordinarios, & in virtute S. obedientiæ eis præcepiſſe, ut ſtatuta Con. Tridentini contra concubinarios tam Clericos, quam laicos edita, diſtrictè faciant obſervari, reddituri Deo, ac ſibi, ſi id omiſerint, rationem. Hoc unum vero reſtat notandum; ſcilicèt non poſſe probari concubinatum ex publica voce, & fama: quia ad eum probandum neceſſaria eſt plena, & concludens probatio, & Teſtes de publica voce, & fama non ſufficiunt; nam quando agitur de crimine, ipſa fama, nec ſemiplenam probarionem facit, ſed tantum delicti operatur indicium. Ità Gloſ. & DD. *in cap. veniens 1. de Teſt.* Antonellus *de Regim. Eccleſ. Epiſc. lib. 6. cap. 29. n. 7.* & alii communiter.

355 Inter. 2. Clerici Concubinarii, quomodo ſunt ab Ordinario puniendi?

Reſp. In Conc. Tridentino *ſeſſ. 25. de reform. cap. 14.* decernuntur pœnæ, quibus debet Ordinarius punire Clericos concubinarios, ideò vide Concilium *loco cit.* & Barboſam *in collect. ibidem*, Sylveſtrum *verb. Concubinarius*, Toletum *lib. 1. cap. 47. num. 6.* Bonac. *de cenſu. diſp. 3. quæſt. 7. pun. 5.* Concilium autem Trident. contra concubinarios, vel fornicarios Clericos graviores pœnas infligit, ultra eas, quæ habentur in jure antiquo, quas ibi confirmat, & meritò quidem; nam, ut docet Decianus *in tr. crimin. lib. 6. cap. 21. n. 6.* tria ex hoc peccato Clericorum mala oriuntur, videlicet, quia laicorum corda ſcandalum patiuntur, vituperatur officium Eccleſiaſticum, & præſtatur aliis occaſio peccandi juxtà *cap. ſi mala 2. quæſt. 5. & cap. ſignificaſti de adulter.* Et dicuntur violare templum Dei, nam qui fornicatur in corpus ſuum peccat, ut ait S. Paulus *1. ad Corinthios cap. 6.* Corpus autem Sacerdotis præcipuè, dicitur. Templũ Spiritus Sancti, ut ibi dicitur. Notent igitur hoc Clerici, & Epiſcopi, & ea, quæ mandavit B. Pius V. in ſua Conſtitutione in præcedenti reſponſione relata, & tandem meminerint illius Ambroſii: *Facilitas veniæ, magis præbere ſolet incentivum ad malum* can. eſt injuſta 32. *q.* 4. & illius Iſidori: *Citò violatur auro juſtitia, nullamque reus pertimeſcit pœnam, quam ſcit pecunia poſſe redimere, ut in can. Pauper 11. quæſt. 3.* Ideò non ſint faciles Prælati ad compoſitiones faciendas ſuper delictis; ſed caſtigent ea pœnitentiis ſaluraribus afflictivis, nè delinquentes deteriores fiant inpoſterum. Unde Hoſtienſis dicit, delicta debere puniri ſecundum ſtatuta canonica, & non ſecundum quæſtum pecuniæ: & perſonæ ſunt, quæ delinquunt, non res. *can. Prodeſt, & ſeveritas 23. q. 5.* Vide Zerulam *in praxi par. 1. verb. compoſitio §. Tertio* apud Diana *par. 10. tr. 4. reſ. 5. verſ. His ſuppoſitis*, à quibus hæc libavi, Et nota quod inter crimina depoſitione digna eſt concubinatus diu continuatus, præſertim notorius, & ſtuprum virginis, & qui notorio crimine enormi, & digno depoſitione notatur, eſt irregularis. Vide Navar. *cap. 27. num. 248.* & duas ſequentes reſponſiones immediatè poſitas.

356 Inter. 3. Clericus concubinarius notorius eſtne ipſo jure ſuſpenſus ab officio, & beneficio, vel ſuſpendendus eſt ab Epiſcopo? Et quid requiritur ad hoc, ut dicatur concubinarius notorius?

Reſp.

Reſp. Deciſum à Sac. Congreg. referunt Balletus, Garcia, & Armendarix apud Berboſam *loco proximè cit. à num.* 17. Clericum concubinarium notorium ſine aliqua monitione Superioris eſſe hodie, prout in veteri jure, ipſo facto ſuſpenſum ab officio, & beneficio, & ſi celebret irregularitatem incurrere. Verùm, ut quis dicatur notorius concubinarius requiritur quod delictum ſit notum per confeſſionem ipſius factam in judicio, aut per Judicis ſententiam, vel ſaltem per facti evidentiam, quæ tergiverſatione aliqua celari non poſſit. Ità colligitur *ex cap. quæſitum de cohabit. Cler. & mulierum* & docet Toletus *lib.* 1. *cap.* 47. *num.* 1. Notorium enim facti conſiſtit in hoc, ſcilicet, quod ità clarè, & apertè ſe offerat, & exhibeat oculis omnium, ut aliqua probabilitate negari non poſſit, nullaque tergiverſatione celari: habetur *ex cap. veſtra, & cap. tua de cohabit. Cleric. & mulier.* Maſcardus de probat. *verb. notorium concluſ.* 1107. Theſaurus *in praxi par.* 1. *cap.* 21. §. *notorium juris* apud Lezanam *tom.* 2. *verb. notorium num.* 3. & 4. & tandem colligitur ex Extravag. Martini V. quæ incipit: *Ad evitanda.* Sed vide Armillam *verb. Clericus num.* 13.

357 Inter. 4. Epiſcopus poteſtne abſolvere Clericum concubinarium à ſupradicta ſuſpenſione? Et ſi celebrat, vel actum ordinis exercet ante abſolutionem, quam pœnam incurrit?

Reſp. Certò poteſt Epiſcopus conferre abſolutionem; quia dicta ſuſpenſio non eſt reſervata, ut docet Sylveſter *verb. irregularitas* §. 15. *nota* 27. Abbas *in cap. quia circa num.* 5. *de Bigamis* quos refert, & ſequitur Toletus *ubi ſuprà n.* 5. *qui n.* 6. inquit. Clericum concubinarium, modo ſit notorius, nō ſolùm eſſe ſuſpenſum, ſed etiam irregularitatē incurrere, & indigere ad celebrandum, vel actum ordinis exercēdum non ſolùm abſolutione à ſuſpenſione, ſed etiā diſpenſatione ab irregularitate: quam diſpenſationem poteſt Epiſcopus etiam cōcedere: ſed ſi ante talem abſolutionem, & diſpenſationem celebrat, aut exercet actum Ordinis, incurrit aliam irregularitatem, circa quam ſolus Papa diſpenſat; quia celebrat, vel actum ordinis exercet cum ſuſpenſione. Vide Toletum *loco cit.* & hoc eſt certum apud omnes. Vide Em. Sà *verb. Irregularitas ex ordinis abuſu num.* 6. & 7. & Cabrinum *par.* 2. *caſ.* 1. *num.* 11. *pag.* 49. ubi ſic inquit. Si Clericus violavit cenſuram exercendo actū proprii Ordinis quod irregularitatem contraxit, à qua, ſi eſt notoria, ſolùm Summus Pontifex diſpenſare poteſt, ſi verò occulta, etiam Epiſcopus diſpenſare cum ſibi ſubditis non prohibetur.

358 Inter. 5. Qui concubinam retinet non in propria domo, ſed in aliena, & propriis expenſis illam alit, & tantùm ſemel in menſe, ad ipſam accedit, & peccat, debetne iſte talis abſolvi?

Reſp. Non debet abſolvi, quia cenſetur non habere propoſitum abſtinendi, & cōſequenter eſt indiſpoſitus.

359 Inter. 6. Confeſſarius concubinarius, poteſtne audire confeſſionem ſuę concubinæ?

Reſp. Si non ſit caſus reſervatus, poteſt, quia in rigore loquendo, id minimè eſt prohibitum in Jure; tamen ſi eſſet periculum lapſus, vel doloris defectus, vel manendi in occaſione peccandi, ut ſæpè accidit, nunquam licitum erit. Vide Dian. *par.* 5. *tract.* 14. *reſ.* 100.

360 Inter. 7. Qui copulam carnalem habet cum Concubina poſt filium ex ea ſuſceptū, & in neceſſitate à ſe baptizatum, quale peccatum committit? & poteſtne illam in Uxorem ducere?

Reſp. Committit peccatum inceſtus, quia inter eos jam eſt contracta cognatio Spiritualis, & conſequenter, nec matrimonium inter ſe contrahere poſſunt, quia regula juris habet cognationem ſpiritualem impedientem, & dirimentem, contrahi inter

bapti-

baptizantem, & Parentes Baptizati. *cap.* 1. *de cogn. ſpirit* . Navar. *in man. cap.* 22. *ſub num.* 40. Em. Sà *ver. Baptiſmus ſub num.* 15. & alii communiter. Vide *infrà, tum in tit.* 196. *de Sacr. Matrimonii ad Inter.* 19. *tum etiam in tit.* 54. *de Debito coniugali ad Inter.* 4. ubi invenies, quod eſt diſpar ratio baptizare proprium filium in neceſſitate poſt contractum matrimonium, quia per actum bonum, ut eſt baptizare filium in neceſſitate, non debet præiudicari matrimonio Sancto antea contracto, ut rectè dicit Navar. *loc. cit.* & Diana *par.* 10. *tract.* 16. *reſ.* 29. *verſ. Reſpondeo*.

TI TULUS XXXXII.

De Confeſſariis .

Vide tit. de Abſol. à Cenſ. Inter. 1. *tit. de Abſol. à pec. Inter.* 2. 3. *tit. de Abſol. à reſer. Inter* 2. 6. 8. 9. 10. 14. 18. 19. *tit. de Canon. Inter.* 1. *tit. de Cler. &c. Inter.* 3. *tit. de Concubinar. &c. Int.* 6. *tit. de Confeſſar. extr. Mon. tit. de Contrit. Int.* 2. *tit. de Correct. Int.* 1. *tit. de Denunc. Int*, 9. *tit. de Dub. Inter.* 13. *tit. de Epiſcopat. &c. Int.* 48. 49. 50. 51. *tit. de Exam. quoad ſcien. &c. Inter.* 1. *tit. de Fide Inter. ult. tit. de Hæreſ. &c, Inter.* 7. 8. 9. 10. 11. 12. *tit. de Hor. Can. Inter.* 4. *tit. de Ignor. Inter.* 7. 8. 9. 10. 11. 12. *& ad quæſ.* 1. *tit. de Impedim. dir. Ma. Int.* 3. *tit. de Inceſt. Int. ult. tit. de Iubil. Int.* 6. 9. 10. *& ad quæſ. tit. de Opin. Int.* 7. 8. 9. *tit. de Paroch. Int.* 14. 15. 18. *tit. de Peccat. Int.* 22. *tit. de Pæn. Int.* 4. *tit. de Polyg. Int.* 3. *tit. de Præc. an. conf. Int. ult. tit. de Prel. Reg. Int.* 9. 10. 15. 16. *tit. de Puer. Int.* 3. *tit. de Regul. &c. Int.* 2. 3. 4. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 31. 42. 43. 49. 67. 109. 110. 111. 112. *& ad quæſ.* 5. *tit. de Relig. aliq. part. Int.* 4. 5. 6. *tit. de Reſt. accep. Int.* 4. 5. *tit. de Reſt. accep. ac dam. Int.* 5. 6. *tit. de Sacerd. Int.* 3. *tit. de Sac. Euch. Int.* 7. *tit. de Sacril. Int. ult. tit. de Satiſf. pœn. Int.* 13. 14. 15. *tit. de Sigil. Conſ. tit. de Simul. Inter.* 3. *tit. de Soc. crim. Int.* 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. *tit. de Sod. Int. ult. tit. de Sollic. tit. de Superſt. Int.* 2. 23. *tit. de Ton. Int.* 1. *tit. de Val. Diſpenſ. Int.* 1. 2. *tit. de Vendit. &c. Int.* 2. *tit. de Vic. Cap. Int. ult. tit. de Vic. Ep. Int.* 1. 4. *tit. de Vot. Int.* 5.

361 INter. 1. Peccatnè mortaliter, vel venialiter tantum, qui certus de ſua inſufficientia ſe exponit ad audiendas Chriſtifidelium Confeſſiones?

Reſp. Doctores omnes cõveniunt dicentes, quod peccet mortaliter.

362 Inter. 2. Qui eſt approbatus ad audiendas Confeſſiones in una Diœceſi, poteſtnè audire Confeſſiones in alia?

Reſp. Non poteſt, nam debet eſſe approbatus etiam in illa. Ita docent plures Doctores, & præſertim Fagnanus mox citandus.

363 Inter. 3. Confeſſarius ſive Sæcularis, ſive Regularis, qui eſt approbatus in una Diœceſi, poteſtnè extrà eam excipere Confeſſiones ſubditorum illius Epiſc. in cujus Diœceſi fuit approbatus?

Reſp. Minimè, nec contrarium affirmari poteſt ob Conſtit. Clem. X. quæ incipit: *Superna*: data 11. Kal. Julii 1670. & ita quoque decidiſſe Sac. Congregat. refert Fagnan. *in cap. Ne pro dilatione de pænit. & remiſſ. num.* 65. *& ſeq.* ubi ſic inquit: *Sacerdos in una Diœceſi approbatus ex ſententia Sac. Congreg. non poteſt in alia Diœceſi audire Confeſſiones, etiam perſonarum illius Diœceſis, in qua eſt approbatus. Parochus verò, quia habet juriſdictionem ordinariam, poteſt audire confeſſiones ſuorum Parochianorum in quacunque Diœceſi*. Ita Fagnanus, & alii communiter.

364 Inter. 4. Facultas delegata audiendi Confeſſiones, expiratne mortuo

tuo Epiſcopo concedente, aut eius amotione ab officio, ſeu Epiſcopatu?

Reſp. Eſt ſententia communis in ordine ad Confeſſarios Regulares, licentiam audiendi Confeſſiones durare, etiam poſt mortem Epiſcopi, quia in Conſt. Clem. V. quæ incipit. *Exigentibus*, & Extravag. *Inter cunctas de privileg.* §. *ut autem* ſic habetur: *Datam verò licentiam per Diœceſanorum mortem, nolumus terminari*. Vide Bordonum *in conſ. Regul. reſol.* 36. *quæſt.* 9. *numer.* 38. Boſſium *de Iubilæo ſect.* 3. *caſ.* 2. *num.* 10. Paſqualigum *tom.* 1. *deciſ.* 499. *per totam*; Averſam *de Sac. pœnit. quæſt.* 16. *ſect.* 4. & alios apud ipſos, & præſertim Dianam *par.* 8. *tract.* 7. *reſ.* 74. qui etiam *ibidem tract.* 3. *reſ.* 99. *verſ. Notandum*; abſolutè probat pro omnibus Confeſſariis, quòd Confeſſiones audiendi delegata facultas, non expiret mortuo Epiſcopo concedente, aut ejus amotione ab officio, ſeu Epiſcopatu, quia hæc facultas audiendi Confeſſiones, computatur inter gratias factas, quæ non expirant morte concedentis etiam re integra. Lege ipſum *locis cit.* Verùm hanc *Dianæ* opinionem non approbarem pro omnibus Confeſſariis; Et quidem hanc licentiam expirare morte concedentis tradunt Palud. S. Antoninus, Navar. Philiàrcus relati à Paſqualigo ubi ſupra: pro qua opinione etiam referri poſſunt Abbas, Iacobinus, Rolandus, Angelus, Sylveſter, & Corduba apud Sanchez *de matrim. lib.* 8. *diſp.* 28. *num.* 74. afferentes, licentiam eligendi Confeſſorem ab Epiſcopo conceſſam, expirare morte concedentis, quia eadem videtur ratio.

365 Inter. 5. Licentia audiendi Confeſſiones obtenta mediante pecunia eſtne valida?

Reſp. Concil. Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. mandat, ut talis licentia gratis detur, ut *dicam in tit.* 205. *de Simonia, ad Inter.* 24. tamen, quia hæc verba Concilii non important conditionem, quæ ſi expleta non fuerit, approbatio non valeat (nam id non fuit neceſſarium, nec forte expediens) unde cum tantùm contineant præceptum datum Epiſcopis, ut gratis talem approbationem concedant, ſequitur peccare illos dantes, & recipientes hujuſmodi licentiam non gratis; attamen eſſe validam, ex Suarez docet Reginaldus *in praxi lib.* 1. *cap.* 16. *quæſt.* 6. *numer.* 198. quibus aſtipulatur Diana *par.* 5. *tr.* 14. *reſ.* 41. *verſ. ſed non deſinam*, & *tr.* 13. *reſ.* 70. *propè finem*.

366 Inter. 6. Poteſtne quilibet adire Confeſſarium excommunicatum, vel ſuſpenſum, & inducere ad ſibi miniſtrandum Sacramenta ſine peccato?

Reſp. Dico quod ſic, dummodò tamen non ſit nominatim denunciatus excommunicatus, aut publicus Clerici percuſſor, nam ita colligitur ex Concil. Conſtan. quia ut inquit Concilium, hæc Indulgentia non in talium Excommunicatorum levamen, ſed cauſa ſedandi ſcrupulos conſcientiarum cum eis communicantium conceſſa eſt. Sanch. *de Matrim. lib.* 7. *diſp.* 9. *num.* 8. Laym. *lib.* 2. *tract.* 5. *par.* 2 *cap.* 5. *num.* 5. Verùm, quia contraria ſententia (ſcilicet non licere) eſt probabiliſſima, & communis, ut fatetur etiam ipſe Sanch. *ubi ſupra num.* 7. Ideò noſtra reſponſio ſic intelligenda eſt ex mente S. Th. *in* 4. *diſt.* 5. *quæſt.* 2. *art.* 2. *quæſtiunc.* 5. *ad* 5. & 3. *part. quæſt.* 64. *art.* 6. *ad* 2. Durandi, Paludani, Jo. Driedonis, Soti, Suarez, Gregorij de Valentia, quos dat, & ſequitur Sayrus *de Sacr. in comm. lib.* 2. *propoſit.* 1. licitum eſſe ſine peccato mortali petere Sacramentum à miniſtro parato, & non præciſo ſolùm ex cauſa juſta, & rationabili. Non tamen licet, ſi non ſit paratus. Ita Jo. Driedonius, Cajet. Sotus, Navar. Scotus, Michael de Palatio, Suarez, Valentia, & alii apud Sayr. *ubi ſupra propoſ.* 2. lege ipſum & non pigebit. Et eodem modo intelligenda eſt ſequens reſponſio.

367 Inter. 7. Peccatne ipſe Confeſſarius excommunicatus, modò ſit toleratus, ſi audiat confeſsiones?

Reſp. Non peccat ſi eſt toleratus ab Eccleſia, & ſi cum præmiſſa contritione faciat rogatus; dixi rogatus, quia ſi ſponte ſe ingereret, abſque dubio peccaret mortaliter. DD. communiter ita docent.

368 Inter. 8. Suffragante opinione probabili, suppletne Eccleſia juriſdictionis defectum in Confeſſario, ſicut eumdem ſupplet concurrente errore communi, & titulo colorato?

Reſp. Eodē modo Eccleſiam ſupplere, docēt Sanch. *lib. 3. de Matr. diſp.* 22. *num.* 65. *& lib.* 1. *Moral. cap.* 9. *numer.* 35. Leſsius *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 8. *nu.* 68. Bonac. *de Matr. quæſt.* 2. *pun.* 8. *numer.* 26. Reginaldus *lib.* 1. *num.* 103. Diana *par.* 2. *tract.* 13. *reſ.* 2. Laym. *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 22. *numer.* 9. quibus aſtipulatur Cabrin. *de Caſ. reſ. par.* 1. *reſol.* 15. *propè fin.* quibus addo Paſſerinum *tom.* 2. *de Statib. pag.* 84. *numer.* 356. Caſsian. à S. Elia *in Arbor. opin. moral. verb. Abſolvo* §. 16. *num.* 135. & iterum Diana *par.* 3. *tr.* 2. *reſ.* 3. *verſ. vndē*, *& par.* 8. *tract.* 1. *reſol.* 93. Imò dicunt id eſſe verum, etiamſi opinio contraria eſſet probabilior, vel ſi ea opinio probabilis, quam habet Confeſſarius de ſua juriſdictione, falſo niteretur fundamento. His tamen non obſtantibus, hæc aſſertio, quòd exiſtente opinione probabili Eccleſia ſuppleat juriſdictionē, non videtur admittenda in praxi. Nam eam falſam demonſtrat Fagnanus *in cap. Ne innitaris de conſt. lib.* 1. *decret. num.* 380. & luculenter quidem; & tradit etiam Nicolius, *Lucubrat. part* 2. *lib.* 5. *tit.* 39. §. *veruntamen*, & §. immediate præced. aſſerit, quod hic Romę non admittitur amplius; Imò aduerto, Paſſerinum *ubi ſupra numer.* 359. & Cabrin. *loc. cit.* immeritò pro ſua opinione allegaſſe Suarez, nam iſte Auctor *tom.* 4. *in* 3. *par. diſp.* 26. *ſect.* 6. *numer.* 7. hæc habet: Eſt quidem hic modus dicendi probabilis, non tamen certus, & hoc ipſo non omninò tollit dubium, nec dat rei certitudinem quam quærimus. Licèt poſtea ſequatur alium modum dicendi, vide Nicol. *ubi ſup. pag.* 255.

369 Inter. 9. Quomodò ſe gerere debet Confeſſarius, quando ei in confeſsione accidit aliquis caſus difficilis, quem ipſe ſtatim diſſolvere nequit, cum ſit neceſſaria matura reflexio, aut ſapientum virorum conſilium, debetnè ſtatim Pœnitentem abſolvere?

Reſp. Sylv. *verb. Confeſſ.* 3. *nu.* 13. *quæſt.* 10. Navar. *in Man. cap.* 26. *n.* 3. *& alii plures*, quos dat, & ſequitur Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *quæſt.* 7. *pun.* 4. §. 2. *num.* 10. docent, poſſe Confeſſarium abſolutionem impendere, modò Pœnitens promittat ſe facturum, quod judicatum fuerit, quia iſto modo Pœnitens cenſetur ſufficienter diſpoſitus, ideòque debet abſolvi. Ita citati DD. & alii plures.

370 Inter. 10. In foro pœnitentiali debetne Confeſſarius ſtare dicto Pœnitentis tam pro ſe, quam contra ſe?

Reſp. In foro pœnitentiali creditur pœnitenti tam pro ſe, quàm contra ſe, ut colligitur ex *cap. ſignificaſti* 18. *de homicidio*, *& cap. tua* 26. *de ſponſalibus*, & Doctores communiter docent; ergo Confeſſarius ſtare debet dicto pœnitentis in utroque caſu aſsignato; quià pœnitens eſt teſtis legitimus in dicto foro, cum non præſumatur velle veritatem occultare in præjudicium animæ ſuæ.

371 Inter. 11. Quomodo ſe gerere debet Confeſſarius cum pœnitente ſurdo?

Reſp. Debet illum in aliquem remotiorem locum ducere; ibique ejus Confeſsionem excipere, ne ab aliis audiatur. Vide *Rotarium in Appar. pro exam. Cler. cap.* 9. *ſect.* 8. *numer.* 3. Non debet tamen eum interrogare, niſi de puris neceſſariis circà peccata mortalia, ut evitet fatigationē ſuam, & pœ-

& pœnitentis, qui ſurditatis vitio laborat. Verùm ſi hujuſmodi pœnitens ſcribere ſciat, bonum erit, dicunt aliqui, ut ſua peccata ſcribat in charta, illamque præſenti Sacerdoti legendam tradat, atque de iis expreſsè ſe accuſet, licèt id quidam non probent, ut Diana *par*. 5. *tract*. 6. *reſol*. 5. Ego verò puto licere, ut *firmabo in tit*. 44. *de Confeſſione ſacramentali, ad Interrogationes* 41. 42. & 43. *necnon in tit*. 22. *de Validitate Confeſſionis, ad Inter*. 3. quamvis in hoc caſu non puto neceſſarium, dum ſurdus poteſt loqui, & Confeſſarius audire.

372 Inter. 12. Confeſſarius, qui abſolverat quem non poterat, quid facere debet pro exoneratione ſuæ conſcientiæ, ac etiam pœnitentis?

Reſp. Debet adire pœnitentem, & ei dicere ſe errorem commiſiſſe in confeſsione gravem, & ſi ei placet iteratò redeat ad Confeſsionem, rogando tamen prius, ut facultatem det ei loquendi de confeſsione præterita, & ſi conceſſerit, detegat ſuum errorem, ſi autem pœnitens renuat, culpa in ipſum transfunditur. Vide Tolet. *lib*. 3. *c*. 16. *ſub nu*. 5. *Vide etiam Int*. 5. *tituli* 185. *&* *Int*. 8. *tituli* 204.

373 Inter. 13. Sed dato, quod Confeſſarius talem pœnitentem invenire nequeat, quid facere debet?

Reſp. Si eum non agnoſcit, nec invenire poterit, ad amplius non tenetur, & pœnitens apud Deum excuſatur, cum bona fide ſit confeſſus: Confeſſarius verò peccavit, etiamſi hoc ignoranter fecerit, cum ſcire teneatur ſuam poteſtatem antequam pœnitentem abſoluat. Ita DD. communiter. *Vide Int*. 5. *tit*. 185. *&* *Int*. 8. *tituli* 204.

374 Inter. 14. Si Confeſſarius in audiendis Confeſsionibus ſentiat ſe movere ſenſualiter, teneturnè in conſcientia ab hoc officio deſiſtere?

Reſp. Si talis Confeſſarius expertus ſit, non dico ſe pollui, dum audit Confeſsiones fæminarum, involuntariè, ſed ſe pollui voluntariè, vel cum conſenſu in turpem delectationem ferri, nec probabiliter putat ſe poſſe emendare, imò de facto nunquam ſe emendat, tenetur ad ipſam occaſionem deſerendam, quia alius Confeſſarius non fragilis poteſt audire hujuſmodi Confeſsiones; quid enim prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, Animæ verò ſuæ detrimenta patiatur?. Ità fortioribus terminis docet ex D. Thoma Celebris Theologus Corradus *in ſuis reſp*. *quæſito* 397. *in addit*. Vide *in tit de Parochis ad Inter*. 12.

375 Inter. 15. Quomodo ſe gerere debet Confeſſarius in examine mulierum circà peccata carnalia?

Reſp. Valdè cautè certò, nam meljus eſt, quòd Confeſſarius peccatum Pœnitentis minus perfectè intelligat, quam illi, vel ſibi aliquod ſcandalum, ſeù ruinam pariat, ideò niſi de puris neceſſariis interroganda non erit Diana *par*. 3. *tr*. 4. *reſ*. 98. & alii ab ipſo relati; & eſt comm. ſent.

376 Inter. 16. Confeſſarius ſollicitator, vel alius, qui aliquod delictum ſpectans ad S. Officium commiſit, quomodò poteſt ſibi conſulere, ut veniam impetrare poſsit?

Reſp. Debet ſpontè comparere coram Tribunali Sanctiſsimæ Inquiſitionis, & ibi fateri ſuum delictum, humilitèr veniam petendò, & ità illam conſequetur juxtà praxim, & benignitatem hujus Sac. Tribunalis, quam referunt DD. quos dat, & ſequitur Lezana *tom*. 4. *conſil*. 21. *numer*. 36. qui etiam docet ibidem numeris ſequentibus, conditiones neceſſarias, ut præfati Delinquentes gaudere poſsint beneficio ſpontè Comparentium, inter quas prima eſt, ut nullis præventi indiciis coram fidei Judicibus compareant, nam qui indiciis præventi fuerint, pro ſpontè comparentibus non habentur, niſi fortè indiciorum nullam eos habuiſſe ſcientiam conſtiterit, ut docet Farinaccius *de hæreſ*. *q*. 193. *num*. 28. apud eumdem Lezanam *ubi*

ſupra, qui teſtatur de communi. Secunda conditio eſt, ut integre fateantur, atque perfecte delictum ſuum; Siquidem hæc confeſsio ſpontanea, quæ fit in S.Officio comparatur, quantum ad hoc, confeſsioni Sacramentali, per quam non obtinetur venia, niſi fuerit plena, & completa. Vide Lezanam *loco cit. à n. 30. uſque ad 52. excluſivè*, & ea, quę ego ipſe breviter dica in Reſponſione ad Int. ſequentem.

377 Inter. 17. Quid facere poteſt Cõfeſſarius qui excipit confeſsionem Confeſſarii Sollicitantis, nè temerè deſperet propter ignaviam, ſeù timorem, quem habet de pœna temporali?

Reſp. Conſulere poteſt, quod corde puro ſe deferat Fidei Cenſoribus, quia ſi nullis ſit præventus indiciis, gaudebit beneficio ſpontè Comparentium, & ſi fuerit preventus indiciis, gaudebit beneficio Comparentium non citatorum, nec vocatorum; Ità rectè docet Carena *de offi. SS. Inquiſ. tit.6.* §.20. *num.*109. Vide etiam Peyrin. *To.2. privil. minim. in Conſt.* 4. *Greg. XV.* §.9. *nu.*33.

378 Inter. 18. Poteſtnè quilibet confeſſarius commutare, ſeù diſpenſare in votis Sæcularium?

Reſp. Non quilibet Confeſſarius id facere poteſt, niſi privilegium habeat, nam hoc eſt proprium munus Epiſcoporum, & Prælatorum circa ſubditos. Verum eſt tamen, quod Confeſſarii Ordinum Mendicantium, & qui cum eis participant in privilegiis, poſſunt commutare, aut etiam diſpenſare in omnibus votis, exceptis illis quinque, quæ ſunt Papæ reſervata, ſed non ſine juſta cauſa, & oppoſitum facere peccatum eſt, nec vovens coram Deo liber manet. Prætereà dicti Confeſſarii non ſolum debent eſſe ab Ordinario approbati, ſed etiam ad id à ſuis Superioribus deputati ſecundum probabiliorem ſententiam. Vide Navar. *in Man. cap.*12. *num.* 79. Layman *tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 8. *ſub numer.* 17. Bonac. *de præcept. decal. diſp.* 4. *pun.* 7. §. 4. *numer.* 26. Lezan. *to.*1. *par.* 1. *cap.* 19. *numer.* 23. Dian. *par.* 3. *tract.*5. *reſol.* 25. Summa Dian. *verb. Confeſſ. Regul. numer.*3. Buſenb. *lib.*3. *tract.*2. *de* 2. *præcept. decal. cap.*3. *dub.*8. *de voto, propè fin.* Alloz *verb. Votum ſect.*4. *nu.* 20. & alios mox adducendos. Nota tamen Lezan. *loc. ſup. cit. nu.*23. & 24. Paſſerin. *de Stat. quæſt.* 187. *nu.* 604. docere, & rectè quidem, Confeſſarium Regularẽ poſſe ſolùm commutare, non autem diſpenſare vota Sæcularium, quia rariſſimè datur cauſa adæquata diſpenſandi ſimpliciter, diſpenſare enim eſt relaxare voti obligationem, ideòque tutius eſt non diſpenſare in votis ſine commutatione. Vide Paſſerin. *loc. cit. num.* 759. Placet tamen id quod docet Dian. *ubi ſup.* nempè poſſe Regulares vota commutare in opus etiam minus bonum, & docet etiam Bonac. *ubi ſup. pun.* 7. §. 3. *nu.* 11. & alii plures, ac etiam extra Confeſsionem, & reſpectu omnium fidelium, ex quacunque diœceſi ad ſe accedentium. Ità tenet etiam Peyrin. *de Relig. Subdito q.* 1. *cap.* 21. §. 1. *verſ. Dico quinto* & alii ab ipſo relati. Alloz. *ubi ſupra nu.* 7. & 28. ſed Nicolius *in Floſ. verb. Regulares nu.*39. & alii, dicunt, quod hujuſmodi commutationes, & diſpenſationes ſolùm in actu Sacramentalis Confeſsionis concedi debeant. Verùm puto cum Paſſerin. Diana, & aliis, poſſe Confeſſarios Regulares vota commutare etiam extrà Confeſsionem. Vide Paſſerin. *loc. cit. num.* 77. & ea quæ infrà dicam *in tit.*126. *ad Inter.* 11. & Dian. *par.* 3. *tr.* 2. *reſ.* 9.

379 Inter. 19. Confeſſarius qui obligat pœnitentem ad confitendum delictum dignum morte ſi juridicè interrogetur a Iudice, ſitnè irregularis ſequuta morte pœnitentis?

Reſp. Dico quòd non incurrit irregularitatem, quia hortatur, & obligat pœnitentem ad id, ad quod tenetur, & præſtat munus ſuum, cum intendat conſulere animæ pœnitentis, qui

qui ſub peccato mortali tenetur fateri veritatem Iudici legitim. interroganti, vt *dicam in tit.* 181. *de Reis mortis, ad Inter.* . Dicendum eſt igitur, quod Confeſſarius in dicto caſu fungitur officio ſuo, & mors per accidens ſequitur ex dicto pœnitentis, conſequenter non fit irregularis ſecuta morte, nam ut dixi, Confeſſarius non intendit mortem rei, ſed animæ ſalutem: Salus autem Animæ præferri debet ſanitati, & vitæ corporis, atque omnibus rebus, ut habetur ex *can. Si habes* 24. *quæſt.* 3. Ità docent Sayrus Avila, Henriquez, & alii, quos refert, & ſequitur Bonac. *de cenſu diſ.* 7. *q.* 4. *pun.* 1. *n.* 33. quibus addo Dianam *par.* 4. *tr.* 2. *reſ.* 99. qui pro ſe citat Cornejum *in* 3. *par. D Thomæ tr.* 5. *de irregul. diſ.* 11. *dub.* 1. *q.* 4. Qui etiam addunt, hoc eſſe verum, etiamſi cofeſſarius illi conſuleret, ut conſentiat ſententiæ mortis juſtæ, quam differre non poteſt, niſi per injuſtam appellationem Secùs ſi confeſſarius conſuleret pœnitenti, ut omitteret appellationem jure conceſſam, vel aperiat veritatem coram Judice incompetente, aut in caſu, quo delictum nondum ſit ſemiplenè probatum, certò irregularitatem incurreret, ſecuta morte, vel mutilatione, quia eſt cauſa accelerationis ipſius immo dat operam rei illicitæ, atque periculoſæ homicidii; ergo fit irregularis ſecuta morte, ut dictum fuit.

380 Inter. 20. Quid debet facere Confeſſarius, qui videt aliquos occidentes hominem, qui iteratis vicibus confeſſionem petit, ſed non poteſt ad audiendam illius confeſſionem accedere, quia Interfectores minantur ei mortem, ſi accedat?

Reſp. Dico quòd Sacerdos, qui audit vocem pœnitentis confeſſionem petentis, in eò loco, in quo reperitur, debet illum abſolvere ab omnibus peccatis, & cenſuris antequam ab hac vita diſcedat, nam dicitur eſſe moraliter præſens, & pœnitens, qui petit iteratis vicibus confeſſionem, videtur attritus, ergo debet illum abſolvere, ut mediante abſolutione Sacramentali ex attrito fiat contritus, & ſalvetur. Mancin. *pract.* 4. *dub.* 34. Imò ſi periculum eſſet in Mora, poteſt Sacerdos in dicto caſu dicere *abſolvo te à peccatis tuis* (ſubintelligendo prius à cenſuris, & deindè à peccatis, quandò eſt ita morti propinquus, ut non vacet tempus ad impendendam utramque abſolutionem. Sed quia certior modus abſolvendi eſt ſi Confeſſarius dicat: *Ego te abſolvo ab omnibus cenſuris, & peccatis tuis*; ita eſt abſolvendus, ſi tempus hoc permittat, ut docent Suarez *tom.* 5. *diſp.* 10. *ſect.* 2. *in fin. nu.* 7. & Bonac. *diſp.* 1. *de Cenſuris quæſt.* 3. *pun.* 5. *n.* 3.

381 Inter. 21. Poteſtne licitè Confeſſarius, & ſine fractione ſigilli, revelare hæredibus reſtitutionem faciendam, quam debebat mortuus pœnitens?

Reſp. Si Pœnitens pro ſuæ conſcientiæ exoneratione rogavit Confeſſarium, ut poſt ſuum obitum admoneret hæredes de re aliqua reſtituenda, certò licitè, & abſque fractione ſigilli poterit Confeſſarius id facere, quia nititur ſcientia Confeſſionis de licentia pœnitentis. Ità Navar. *in man. c.* 12. *n.* 13. Favet etiã Diana *par.* 5. *tr.* 11. *reſ.* 28. qui alios concordantes refert, & colligitur *ex cap. Preterea de Offic. deleg.*

382 Inter. 22. Quando non ſatis conſtat de voluntate pœnitentis jam mortui; & hæredes dubitant, & præſumunt Confeſſarium in dicto caſu, Confeſſionem Pœnitentis revelaſſe, quid eſt agendum?

Reſp. Credendum eſt Confeſſario. Vide Dianam *ubi ſuprà reſ.* 41. atque præſumendum eſt id dictum fuiſſe ab eo de licentia pœnitentis; agit enim in bonum pœnitentis animæ jàm mortui, & præſumitur habuiſſe licentiam; Quod ſi hæredes nollet ex avaritia dictis Confeſſarii acquieſcere, tenentur probare contra Confeſſarium id non fuiſſe ex mente, & licentia pœnitentis; quià præſumptio trãsfert onus probandi in agentem, qui debet probare con-

Digitized by Google

contra quem facit præſumptio,ut rectè docet idem Diana *loco prox. cit. reſ.* 78. Verùm ad tollenda hujuſmodi incommoda, & diſſenſiones,conſultius eſt, ſi tempus ſuppetat, ſuadere Moribundo, ut ſecreto ſuo codicillo talia inſerat, hæredibus injungenda; Ideò notet Confeſſarius hanc doctrinam quando caſus occurrerit.

383 Interr. 23. Confeſſores, qui in domibus laicorum confeſsiones audiunt, quid facere debent& ad quid tenetur?

Reſp. Hic Romæ extat Decretum Sacræ Congregationis Apoſtolicæ viſitationis de mandato Urbani VIII. editum, quo præcipitur omnibus confeſſariis indiſcriminatim,ne hujuſmodi Sacramentum adminiſtrent chriſtifidelibus utriuſque ſexus in eorum domibus, aut alienis ædibus, niſi de licentia Eminentiſsimi Cardanalis Vicarii, vel ejus Viceſgerentis, vel niſi gravi infirmitate detenti ad Eccleſiam accedere nequeant: Excipiuntur tamen Cardinales, Principes, Oratores Regum, & magnorum Principum, nec non Duces,& Nepotes ſum. Pontificis. Additur præthereà, ut iidem Confeſſarii in excipiendis confeſsionibus mulierum cauſa infirmitatis, cubiculi januam apertam ac velum levatum ſemper habeant, ita ut conſpici, non autem audiri poſsint. Cæterum qui in domibus laicorum confeſſiones ex cauſa infirmitatis audierint, ſtatim Parochum admonere tenentur, & ſaltem relinquendo ſchedulam, & fidem auditæ confeſsionis pro medico adveniente, ut alibi me dixiſſe memini ex Sacra Conregatione die 2. Junii 1587. & ex conſtitutione Clementis X. quæ incipit *Superna*. Vide Lezanam *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 19. *num.* 31. & 32. & ita obſervari debet omnino.

Quær. 1. An qui commiſit aliquod grave crimen quod ſit caſus reſervatus, aut annexam habeat excommunicationem, ſi effectus nondum ſit ſecutus,poſſit à quolibet ſimplici Confeſſario abſolvi, & poſt effectu ſequuto iterum confiteri teneatur cum habente facultatem abſolvendi à reſervatis,aut ab excommunicatione?

Reſp. Quià verba legis accipienda ſunt cum effectu ſecuto, ideò in caſu noſtro poteſt abſolvi à quocumque ſimplici Confeſſario, nec tenetur poſteà effectu ſecuto iterum confiteri illud peccatum Superiori; Si verò illud peccatũ habeat annexam excommunicationem, utique comparere tenetur coram Superiore, aut alio habente facultatem effectu ſecuto, ut ab excommunicatione abſolvatur, non enim militat eadem ratio de cenſura, & de caſu reſervato. Verùm prò majori intelligentia hujus quæſtionis ponam hic duos ſequentes caſus. Titius v. g. procuravit abortum fœtus animati, & talis caſus non ſolum ubique eſt reſervatus, ſed prætereà habet annexam excommunicationem ſi effectus ſit ſecutus, ut breviter dixi *in tit. de Abor. ad Int.* 18. Sed ipſe Titius ante abortum ſecutũ facit quantũ poteſt,ut abortũ impediat,& confitetur cum ſimplici Confeſſario ipſam procurationem abortus. Hic eſt primus caſus, ſecundus eſt, v.g. Cajus dedit cauſam homicidio vulnus lethale infligendo, ſed antequam ſequatur mors vulnerati reſipiſcit per Confeſſionem Sacramentalem. Unde ſi quæratur modò, an Titius, & Cajus potuerint à ſimplici confeſſario abſolvi, & an ſecuta morte vulnerati, & reſpectivè abortionis effectù, iterum confiteri teneantur Superiori? Reſpondendum eſt nequaquam teneri prò caſu reſervato, ſed ſolùm tenetur Titius pro excommunicatione contracta ob abortum ſecutum: Ratio eſt quià jam rectè ſupponimus tàm Titium, quàm Cajum fuiſſe ritè confeſſos, & validè à ſimplici Confeſſario abſolutos, quià non habebant caſum reſervatum, ante ſecutum homicidium, & abortum, nàm ſi effectus poſteà ſit ſecutus, naturaliter quidèm cenſetur ſecutus, ex cauſa ſcilicet data, non autem liberè, & voluntariè, ex eo quòd voluntas

fuit

ſuit reciſa per Confeſſionem jàm fa-ctam, & peccatum fuit remiſſum per Sacramentalem abſolutionem; Nullus antèm tenetur ſua peccata ſemel rité confeſſa iterum confiteri, ut docent Henriquez *lib.* 5. *num.* 5. *in gloſ. littera Z.* Facund *in præcept.* 2. *diſp.* 8. *cap.* 7. *num.* 17. Rotarius *in Appar. pro exam. Cler. cap.* 9. *ſect.* 9. §. 3. *verſ. ultimo ſub num.* 5. & alii. Quoad excommunicationem verò ſecùs dicendum eſt, quià cenſuræ, & irregularitas incurruntur, eo ipſo, quando ſunt impoſitæ ſuper aliquem actû, & effectum completum; Siquidem irregularitas, & cenſuræ poſſunt incurri, & de facto incurruntur ob culpam præteritam, & remiſſam, ſub tali tamèn conditione actus, & effectus ſecuti, ideoque ratione excommunicationis dumtaxat in caſu noſtro omninò oportet deferre factum ad Superiorem, vel alium habentem facultatem, ut ab eo abſolvatur, & relaxetur ab excommunicatione ob abortum fœtus animati contracta, & ità tradunt Mazzuchellus *de caſ. reſer. diſput.* 2. *cap.* 7. *quæſt.* 3. *diffic.* 3. *per totam*, & Averſa *de Sac. Pœnit. q.* 10. *ſect.* 2. qui citat Homobonum, & Bordonum. Alia plura circà talem quæſtionem videnda relinquo apud Dianam *par.* 8. *tract.* 7. *reſ.* 85. nam ibi pro utraque parte Doctores, & rationes refert, & eam probabiliter reſolvit, ut hic ego breviter dixi, ſed, ut verum fatear, mihi magis placet ſententia Paſſerini *tom.* 2. *de ſtat. q.* 187. *ar.* 1. *n.* 468. nam docet, quòd quando certò mortaliter, vel probabiliùs omnibus penſatis eſt ſecuturus effectus, homicida ſit coram Deo, & in foro pœnitentiali, qui cauſavit certò moraliter, vel æquivalenter alterius mortem ex vi vulneris ſecuturam, & delictum in ratione homicidii ſic cenſeatur conſummatum etiàm extrinſecus, & ideò remaneat reſervatum ex vi conditionis, actionis, & effectus ſecuturi, & ſic non debeat abſolvi, ſicut de cenſuris dictum fuit, & hęc opinio mihi magis probatur.

Quær. 2. An Regulares prò Confeſſionibus audiendis in Diœceſibus, approbari debeant à ſingulis Ordinariis, aut habeant aliquod Privilegium? Et quid de aliis Confeſſariis dicendũ?

Reſp. Licèt antiquitùs multis privilegiis fruerentur Regulares circà audiendas Sæcularium Confeſſiones, de quibus loquitur Diana *par.* 3. 3. *tr.* 2. *reſ.* 123. & *tract.* 4. *reſ.* 110. & *par.* 8. *tract.* 7. *reſ.* 94. Lezana *loco mox citaudo*, Lantuſca *in Theat. Regul. verb. Confeſſarius num.* 12. & alii. Tamèn omnia ſublata fuerunt per diverſos Summos Pontifices, præcipuè ea, quæ ſunt contrà Concilium Triden. ideòque minimè audiendi ſunt oppoſitum docentes, ſed omninò dicendum eſt cum Card. de Lugo *de Pœnit. diſp.* 21. *ſect.* 2. *n.* 29. & aliis mox adducendis, non poſſe Regulares ſæcularium confeſſiones audire, niſi à ſingulis Ordinariis approbentur, in quorum Diœceſibus confeſſiones audire cupiunt, juxtà diſpoſitionem Triden. *ſeſſ.* 23. *de reform. c.* 15. ut habetur ex conſt. Greg. XV. quæ incipit *Inſcrutabili emanata die* 5. *Febr.* 1622. ex Decreto Urbani VIII. edito *die* 17. *Septem.* 1628. quod incipit *Sicut accepimus*, ex Brevi Innoc. X. edito 14. *Maii* 1648. & poſteà confirmato *die* 27. *ejuſdem Menſis* 1653. ſuper controverſiis vertentibus inter Epiſc. Anginopolitanum, & P.P. Societatis Jeſu, & tandèm *ex conſt. Clem. X.* quæ incipit *Superna*, *data* 11. *Junii* 1670. Vide ergò Dianam *par.* 11. *tract.* 2. *reſ.* 11. Barb. *in Triden. loco cit. n.* 6. & 8. Lezanam *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 19. *num.* 2. & 5. Fagnan. *in cap. Ne prò dilat. de pœnit. & remiſſ. n.* 65. & *ſeqq.* Auguſtinum Lucenſem *in Cautela Confeſſ. lib.* 1. *cap.* 26. *num.* 11. *præſertim in fine*; Et tandèm dico Confeſſarios tàm ſæculares, quàm Regulares, exceptis Parochis, nullo modo poſſe audire Confeſſiones perſonarum illius Diœceſis, in quà ſunt approbati, ſine approbatione Ordina-

rii il-

rii illius Diœceſis, in quà illas invenerint, quamvis ibidem per modum tranſitus exiſterét, aut ſimul iterfacerent, quidquid in contrarium dicant Lezana, Diana, & alii, qui non viderunt Conſtitutionem Clem. X. *ſuprà cit.* & Decretum Sac. Congreg. ideò vide ea, quæ docui *in hoc tit. ad Inter.* 2. *&* 3. Dian. *par.* 10. *tr.* 14. *reſ.* 23. *& ibidem tract.* 16. *reſ.* 75. *verſ. Verùm contrà* Leandrum, ac denique Paſſer. *de Stat. tom.* 2. *pag.* 53. *n.* 243. *& ſeqq. uſque ad num.* 247. *incluſivè, & pag.* 59. *num.* 336. qui more ſuo perdoctè tale dubium reſolvit.

Quær. 3. An Confeſſarius Sæcularis, ſeù Regularis, approbatus tantùm pro uno Oppido, vel ad certum genus perſonarum, ſit eligibilis per Jubilæum? Et an Confeſſarius in caſu quo pœnitens ei licentiam concedat loquendi de auditis in Confeſſione, debeat talem licentiam exigere in ſcriptis?

Reſp. Ad primam difficultatem abſolutè dicendum eſt non poſſe dictum Confeſſarium eligi vigore Jubilæi, niſi ab illis perſonis dumtaxat, prò quibus data eſt illi talis àpprobatio, & ratio eſt evidens, nàm nequit quis virtute Jubilæi in Confeſſarium eligi, niſi ab Ordinario ſit ſimpliciter approbatus, ſed qui ad unum genus perſonarum, ſcilicet ruſticorum, maſculorum, ſeù ad unum Oppidum, in quò nec contractus, nec caſus difficiles evenire ſolent, eſt tantùm approbatus ex defectu ſcientiæ, & non eſt ſimpliciter approbatus prò omnibus, imò potiùs reprobatus ad omnem alium locum, & ad omnes alias perſonas, ergò ab illis tantùm eſt eligibilis virtute Bullæ, aut Jubilæi. Prætereà approbatio non plus valet, quàm prò illo, prò quò data eſt, ergò approbatus dumtaxat prò uno loco, vel ad unum tantùm genus perſonarum, maximè ex defectu ſcientiæ, vel ob juvenilem ætatem, non poteſt in Confeſſarium eligi, niſi ab illis, prò quibus fuit approbatus. Ità aliis relatis rectè reſolvit Diana *par.* 5. *tract.* 12. *reſ.* 48. & hæc eſt probabilior ſententia, juxtà id quod dicam *in tit. de Jubil. ad Inter.* 8. Ad ſecundam verò difficultatem dico, neceſſarium non eſſe, ut dicta licentia exigatur in ſcriptis, quià ſufficit licentia oretenùs data, cùm aliàs eſſet valdè periculoſum, & oneroſum pœnitentibus, ut per ſe patet. Et dato etiàm, quod oriatur dubium, an Confeſſarius de auditis in Confeſſione loquatur de licentia pœnitentis, nec ne, tamèn in tali dubio, potiùs credendum eſt dicto, & teſtimonio Sacerdotis, quàm Pœnitentis, ut firmavi *in tit. de Accuſ. &c. ad Inter.* 9. & præter Doctores ibi citatos, docent etiàm alii, quos dat, & ſequitur Diana *eadem par.* 5. *tract.* 11. *reſ.* 41. ad quam Lectorem remitto, ut ſolitam brevitarem amplectar.

T I T U L U S XLIII.

De Confeſſariis extraordinariis Monialium.

Vide tit. de Jubil. Inter. 7. *tit. de Prael. Reg. Inter.* 9.

384 INter. 1. Epiſcopus teneturne bis, vel ter in Anno, aut ſæpiùs Confeſſarium extraordinarium Monialibus concedere?

Reſp. Vigorè Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *de Regular. cap.* 10. non ſolum poteſt, ſed etiam tenetur Epiſcopus concedere Monialibus ſibi ſubjectis duabus, aut tribus vicibus in anno Confeſſarium extraordinarium, & hoc quidem ſub pœna peccati mortalis, cum verbum offeratur, quo ibi utitur Concil. gravem obligationem pariat, & conſequentèr ſub mortali obligare videtur. Sanchz *lib.* 6. *moral. cap.* 4. *n.* 31. Si verò Epiſcopus vult ſæpiùs Confeſ-

ſarium

ſarium extraordinarium Monialibus concedere, non eſt ei prohibitum, prout in terminis tradit Bordonus *in Conſiliis Regul. reſ. 5. quæſt. 11. n. 11.* ex Galetto aſſerente ità fuiſſe deciſum. Vide Dianam *par. 6. tract. 8. reſ. 28. & in Sum. verb. Prælati Regular. num. 43.* & Paſſerin. *de ſtat. to. 2. quæſt. 187. art. 1. ſub num. 907.* ubi probat, quod Superior nedum bis, aut ter; ſed pluries poſſit concedere Confeſſarium extraordinarium Monialibus, ſicut ipſæ etiam pluries eum petere queunt. Vide infrà *ad Inter. ſequentem, & ad Inter. 4. in hoc titulo.*

385 Inter. 2. Epiſcopus debetne Confeſſarium extraordinarium concedere Monialibus benè valentibus dumtaxàt, vel etiam infirmis lecto decumbentibus?

Reſp. Debet, & tenetur illum concedere omnibus Monialibus tàm benè valentibus, quàm infirmis, quæ commodè, ubi audiuntur Confeſſiones, accedere non poſſunt, nam non debent eſſe pejoris conditionis, tum maximè quià Concil. Triden. generalitèr loquitur pro omnibus Monialibus, & verba generalia, generalitèr intelligenda ſunt, tum etiam quià ſicut Confeſſarius Ordinarius licitè poteſt ingredi Monaſterium ad excipiendas Confeſſiones ægrotantium, quando aliæ Moniales tenentur confiteri de præcepto, aut Regula, vel conſuetudine, imò, & quotiès Monialis infirma aſſerit ſe indigere Confeſſione, ut docent Bonac. *de Clauſ. quæſt. 4. pun. 4. n. 4.* Barboſà *in Trid. ſeſſ. 25. de Regul. cap. 5. num. 82.* Portellus *in verb. Clauſ. Monialium num. 9.* Summa Diana *verb. ingredi Monaſt. num. 9.* ac etiam quotidiè ex peculiari ipſius devotione, ut docet Mendo *Epit. Opin. Moral. verb. Monialis n. 11.* Si monialis ſolebat ſana quotidiè confiteri, ità pari ratione Confeſſarius extraordinarius tempore ſuæ deputationis, æquum erit, ut Monaſterium ingrediatur ad excipiendas Confeſſiones Monialis infirmæ, quæ ad ſedem Confeſſionalem accedere non poteſt, dum aliàs inanis eſſet pro Monialibus infirmis deputatio Confeſſarii extraordinarii, cum tali privilegio minimè fruerentur; Vide infrà *ad Inter. 4. hujus tituli.*

386 Inter. 3. Poteſtne Epiſcopus concedere Moniali morti proximæ aliquem Confeſſarium Regularem, quem ipſa petit, ut loco Confeſſarii Ordinarii ei omnia Sacramenta adminiſtret, & aſſiſtat tempore agoniæ?

Reſp. Videtur mihi poſſe Epiſcopum auctoritate propria ad præciſam iſtius Monialis ſpiritualem conſolationem, concedere talem Confeſſarium, dummodò ſit gravis, pius, & prudens, nam in articulo, ſeù in probabili mortis periculo ea omnia concedi debent, ad hoc ut meliùs, & faciliùs ad piè, ſancteque moriendum ſe diſponat, & ità ſentiunt quamplurimi Theologi, inter quos eſt Baldellus, quibus, & ipſe meum ſuffragium fero, cum in dicto caſu ſolum lex Clauſuræ obſtare poſſit, quæ tamèn ratione neceſſitatis, & utilitatis ſpiritualis ipſius Monialis moriturae ab Epiſcopo diſpenſari poterit, & non diſpenſando irrationabiliter ſe haberet, quià ſicut Epiſcopus licitè poteſt concedere Confeſſarium extraordinarium alicui Moniali particulari, non obſtante Decreto Sac. Congregationis, quod adducit Gavantus *verb. Monialium cura ſpiritualis*, cum illud Decretum procedat de una deſignatione pro pluribus vicibus, ut rectè obſervat Bordonus *tom. 2. reſ. 5. quæſt. 11. num. 11.* & Diana *in Sum. verb. Prælati Regulares num. 43.* potiori ratione diſpenſare debet in caſu noſtro, cum plus indigeat Monialis morti proxima, quàm ſana, conſequenter nullo modo eo ſpirituali ſolatio erit privanda, ut in terminis firmat Paſſerinus *tom. 2. de ſtat. quæſt. 187. art. 1. ſub num. 921.* Ultrà quod aſſeritur à Baldella, teſte

Pellizario *in tract. de Monialibus c.* 10. *ſect.* 3. *ſubſect.* 2. *ſub num.* 249. ità practicatum fuiſſe hic Romæ à Card. Bellarmino, dum erat protector Monaſterii S. Marthæ, & poſt illum ab aliis Cardinalibus ejuſdem Monaſterii protectoribus; Immo addit, quod Card. Vic. acritèr reprehenderit quemdam Miniſtrum ad curam Monialium deputatum, quia denegaverat Moniali moriturae dictam conſolationem; Et benè quidèm, nàm debemus Animarum lucra querere, quæ eſt regula valdé generalis, multumquè notabilis, rationabilis, pia, & fructuoſa. Et eſt omnium DD. conſilium, rectè hac de re ſentientium, quod potiùs ſit declinandum ad æquitatem, quam Epicheyam vocant, quam ad rigorem, rigor enim eſt juris exceſſus, æquitas vero eſt juſtitia dulcore miſericordiæ temperata, quam ſempèr Judices, atquè Prælati habere debent præ oculis, cum meliùs ſit de miſericordia, quàm de ſæveritate reddere rationem. Hæc dicta ſint, utpotè uſu frequentiſsima, & à me ſæpiſſimè poſtulata. Salvo ſemper &c.

387 Inter. 4. Facultas, quæ ab Epiſcopo conceditur Confeſſario extraordinario Monialium, debetne concedi ad determinatum tempus, vel melius eſt, ut nulla fiat temporis determinatio?

Reſp. Supponendum eſt tanquàm certum, quod qui vult finem, vult etiam media neceſſaria ad finem, & cui finis eſt permiſſus, media quoque neceſſaria permiſſa cenſentur, ut habetur *ex cap. Prætereà de offic. deleg. & l.* 2. *ff. de Juriſdic. omnium Judic.* Finis àutem cur concedatur à Prælatis Confeſſarius extraordinarius Monialibus, eſt utilitas ſpiritualis ipſarum Monialium, ut patet; Ideòque earum Prælati omni ſtudio, àc diligentia ipſam procurare tenentur; At quià magis expedit pro bono ſpirituali Monialium, quod eis concedatur Confeſſarius ſine ulla temporis limitatione, ideò conſultum eſſet, ſi non fiat temporis determinatio, nam reverà octo, vel decem dies minimè ſufficiunt ad extricandas Monialium conſcientias, maximè ſi Confeſſarius, ut decet, minori cum ſollicitudine ſuum munus obire debeat, & majori cum utilitate, & ſpirituali profectu ipſarum Monialium conſcientias expurgare; Non nego tamèn poſſe Epiſcopum determinare tempus ſibi benè viſum, cum ſit omninò in ejus arbitrio, ſed dico cum Pellizario *in tract. de Monial. cap.* 10. *ſect.* 3. *ſubſect.* 2. *num.* 261. longè meliùs, & conſultius eſſe deputare Confeſſarium extraordinarium, ipſi non limitando tempus, adeſt enim juſta cauſa ſic faciendi, ut ipſamet experientia docet, & ità pluries de hac re interrogatus conſului, & multis in locis me conſulente practicatum fuit. Cœterum tempus hujuſmodi deputationis videtur eſſe, ut infrà quindecim dies totum negotium perficiatur, niſi alitèr Epiſcopus judicaverit.

388 Inter. 5. Quomodo ſe gerere debet Epiſcopus pro conſolatione Monialium aſſignando eis Confeſſarium gratum, maxime tempore Jubilæi?

Reſp. Poteſt dicere Abbatiſſæ, vel Prioriſſæ, quod congreget moniales, & ab eis habeat votum quoſnam Confeſſarios gratos habeant, & ſic nominèt tres, vel quatuor, aut plures, quorum nomina mittat ad illũ, ut omnes, vel prout is melius in Domino judicaverit, aliquos approbare valeat, licentiamque concedere excipiendi earum confeſsiones. Ità nonnullis citatis docet Diana *par.* 3. *tract.* 2. *reſ.* 29. *& tract.* 4. *reſ.* 154. vide etiam, quæ dixi *in tit.* 2. *ad Inter.* 2.

389 Inter. 6. Tempore Jubilæi poteſtne quivis Confeſſarius ab Ordanario approbatus excipere confeſſiones Monialium ſine expreſſa Epiſcopi licentia?

Reſp. Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *queſt.* 7. *pun.* 4. §. 1. *n.* 22. *in fine*, putat, quod

ſic,

ſic, tamen abſolutè dicendum eſt, non poſſe, quia etiam confeſſariis prohibitum eſt accedere ad monaſteria Sanctimonialium, ac proinde Pontifex dum publicat Jubilæum non intendit juriſdictionem conferre illis Sacerdotibus, qui habent aliquod impedimentum, conſequenter dicendum eſt, omninò neceſſariam eſſe Ordinarii licentiam pro audiendis confeſſionibus Monialium, etiam tempore Jubilæi, ut rectè docent à S. Fauſto *de Jubilæis extraord. lib. 4. quæſt.* 78. Alphonſus de Leone *de Jubilæo par. 2. quæſt. 9. num.* 25. & alii apud Dianam *par. 3. tract. 4. reſ.* 154.

TITULUS XLIV.

De Confeſſione Sacramentali.

Vide tit. de Abſol. à pec. Inter. 11. *tit. de Circumſt. pec. tit. de Conſuet. Inter.* 6. *tit. de Dub. Inter.* 4. 5. 6. 7. 8. 10. *tit. de Duel. Inter. ultim. tit. de Exam. conſc. tit. de Inceſt. Inter. ult, tit. de Jubil. Inter.* 2. 16. *tit. de Laic. Int.* 5. *tit. de Mand. Inter. ult. tit. de Moribun. &c. Inter.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 11. 12. 13. *tit. de Opin. Inter. ult. tit. de Papa &c. Inter.* 6. *tit. de Paroch. Inter.* 6. 9. 10. 12. 16. 17. 18. *tit. de Peccat. Int.* 21. 22. *tit. de Pec. ven. Int.* 3. 4. *tit. de Pœnis Inter.* 4. 5. *tit. de Præc. an. com. Inter.* 2. *tit. de Præc. an. Confeſ. tit. de Puer. Inter.* 2. *tit. de Regul. &c. Inter.* 27. 66. 67. 108. 109. 110. *tit. de Relig. aliq. par. Inter.* 4. 5. 6. *tit. de Sacram. ad Quæſ. tit. de Sacr. Euch. Inter.* 5. 6. 7. *tit. de Satiſf. pæn. Inter.* 6. 12. *tit. de Sigil. Confeſ. tit. de Simon. Inter.* 24. *tit. de Soc. Crim. Int.* 4. 5. *tit. de Sollic. tit. de Val. Confeſ.*

390 INter. 1. Quid eſt Confeſſio Sacramentalis?

Reſp. Eſt ſecreta accuſatio peccatorum coram proprio Sacerdote, ut ab illis Sacramentaliter abſolvatur. Ita DD. communiter.

391 Inter. 2. Quot ſunt partes integrales Confeſſionis Sacramentalis?

Reſp. Sunt tres, contritio, confeſſio, & ſatisfactio; Verùm contritio, & confeſſio, ſunt etiam partes eſſentiales. Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *quæſt.* 3. *pun.* 2. *num.* 2.

392 Inter. 3. Quænam eſt materia Confeſſionis, prout eſt Sacramentum?

Reſp. Materia hujus Sacramenti eſt duplex, ſcilicet proxima, & remota; Remota ſunt ipſa peccata in ſe, Proxima verò ſunt actus pœnitentis, nempè oris confeſſio, cordis contritio, & operis ſatisfactio: Sic habetur ex Conc. Florentino, & Trident. ubi aſſeritur materiam hujus Sacramenti eſſe actus pœnitentis, & docet etiam Tolet. *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 1. cœterique Doctores. Vide Bonac. *de ſac. diſp.* 5. *quæſt.* 3. *pun.* 2. *num.* 1.

393 Inter. 4. Teneturne Pœnitens confiteri ea peccata, quæ jam ſunt nota Confeſſario extra Confeſſionem, vel ſufficit ſi dicat, Pater me accuſo de illis peccatis, quæ noſti me commiſiſſe?

Reſp. Doctores utique in hoc non conveniunt, tamen eſt ſententia certò probabilis, quod ſufficiat ſe accuſare ſic, Pater me accuſo de omnibus illis peccatis meis, quæ tu ſcis me perpetraſſe; Nam iſto modo ipſe Pœnitens ſufficienter aperit ſtatum ſuum Confeſſario, qui certior factus de ſtatu Pœnitentis poteſt illi congruam ſatiſfactionem imponere, & ita eum abſolvere: Em. Sà *verb. Confeſſio n.* 37. Verùm mihi contraria ſententia magis probatur, ad hoc, ut in Confeſſione non deſit verecundia, quæ licet non ſit neceſſaria ſimpliciter, tamen eſt valdè neceſſaria, cum erubeſcentia, & verecundia proſit ad pœnæ remiſſionem.

394 Inter. 5. Qui facit Confeſsionem generalem peccatorum aliàs ritè confeſſorum, teneturne ſingula peccata mortalia jam ritè confeſſa iterum in ea Confeſsione aperire?

Reſp. Minimè, quia hujuſmodi

S 2 pec-

peccata non ſunt materia neceſſaria hujus Confeſsionis; Imò qui paulatim Confeſsionem generalem faciunt de hujuſmodi peccatis, poſſunt abſolvi quotidie ab illis peccatis, quæ paulatim, & quotidie fatentur. Toletus *lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 5. Em. Sà *verb. Abſolutio n.* 25. Diana, & alii communiter.

395 Inter. 6. Eſtne peccatum mortale, ſi aliquis priùs confiteatur uni Confeſſario peccata mortalia, deindè alteri ſolum venialia?

Reſp. Generaliter loquendo, non ſemper eſt peccatum mortale, quia hoc poteſt facere, ne bonam exiſtimationem amittat apud Confeſſarium ordinarium. Diana *par.* 3. *tract.* 5. *reſ.* 132. & alii ab ipſo relati. Poteſt tamen eſſe peccatum per accidens, ſcilicet quando ex hoc pœnitens maneret in occaſione peccandi. Dicendũ eſt igitur, quod qui ſemel, vel iterum incidit in mortale peccatum, aliàs non ſolitus peccare, ſi confiteatur alteri, ne perdat opinionem, quam habet ergà primum Confeſſarium ſuum, ſit excuſandus, aliàs non. Victoria *in Sum. de Confeſ. num.* 179. Sà *verb. Confeſſor num.* 16. & ratio eſt, quià irrideret Confeſſarium, faciens credere, quod ipſe ſit probus, quod eſt magna fictio. Ita *Victoria loco cit.*

396 Inter. 7. In quo caſu Confeſsio dicitur integra materialiter, vel formaliter? & ſufficitne Confeſsio integra formaliter pro obtinenda ſalute?

Reſp. Dico quod Confeſsio dupliciter integra appellari poteſt, ut docent Doctores communiter. Primò materialiter. Secundò formaliter. Confeſsio tunc dicitur integra materialiter, quando explicantur omnia mortalia, quæ ſunt materia neceſſaria Confeſsionis. Integra verò formaliter dicitur, quandò explicantur omnia peccata mortalia, quæ moralitèr explicari poſſunt, ità ut nulla reticeantur abſque juſta, & ſufficienti cauſa, undè ſi quis omittat aliquod peccatũ ex oblivione, aut ex alia juſta cauſa (quæ tamẽ non eſt verecũdia) dicitur integrè formaliter confiteri, & ſatisfacit divino præcepto, quamvis non confiteatur integrè materialiter; Siquidem Chriſtus Dominus præcepit abſolutè Confeſsionem integram formaliter, non materialiter. Vide Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *quæſt.* 5. *ſect.* 2. *pun.* 2. §. 3. *diffic.* 4. *ſub num.* 1. & eſt communis Doctrina. Verum eſt tamen, quod qui confitetur tantùm integrè formaliter, tenetur ceſſante cauſa aperire in alia Confeſſione omnia peccata mortalia, quæ ex oblivione, vel alia de cauſa explicare non potuit, ut patebit infrà in aliis titulis. Vide igitur quæ dicam *in tit* 140. *de Memoria Peccatorum ad Inter.* 2. *& in tit.* 146. *de Moribundis, & morti proximis ad Inter.* 10. *&* 11. *& præſertim in tit.* 224. *de Validitate Confeſſionis, ad Inter.* 2. propè finem; nãConfeſſio debet eſſe integra, nõ ſolũ formaliter, ſed etiam materialiter, niſi legitimũ impedimentum, aut legitima cauſa excuſet. Integritas enim Confeſſionis eſt de Jure divino, ac proindè ſervanda, niſi aliter permittat juſta, & rationabilis cauſa, ut dixi.

397 Inter. 8. Pœnitens poteſtnè tacere aliquod peccatũ, quãdò ſibi, vel Cõfeſſario notabile damnum animæ, vel corpori, vel famæ, affert, ſi detegatur?

Reſp. Non peccat Pœnitens, tacendo illud peccatum, vel circumſtantiam, ex qua ſequitur, vel ſibi, vel Confeſſario, vel etiam tertiæ Perſonæ grave damnum in vita, vel in fama (puta, ſi prudenter dubitet Confeſſarium reuelaturum peccatum pœnitẽtis) ſicut in pecunia, vel multò magis in Anima, imò debet confiteri alia peccata, tali peccato, vel circumſtantia diſſimulata, donec poſſit còmmodè confiteri cum alio Confeſſario. Ità communiter DD. teſte Tolet. *lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 4. *in princ. Vide Int. ſeq.*

398 Inter. 9. Mulier, quę probabiliter cognoſcit Confeſſarium ex Confeſſione ſuarum turpitudinum fore eam ſollicitaturum, excuſaturnè à Confeſſione

ſione illarum coram illo, ſi non ſit alius Confeſſarius, qui eam hic, & nunc poſſit ſuam Confeſſionem excipere?

Reſp. Proculdubiò excuſatur, nam non debet ſe, & Confeſſarium periculis ſpiritùalibus animæ exponere. Sylveſt. *in Sum. verbo* Confeſſ. 1. §. 19. Tol. *lib.* 3. *cap.* 5. *numer.* 4. *circa medium, &* *alii omnes*.

399 Inter. 10. Qui habet copulam cum ſoluta, ſufficitnè, quod dicat in confeſſione ſe commiſiſſe grave peccatum cum ſoluta, non explicando copulam?

Reſp. Non ſufficit, ſed omninò tenetur copulam explicare, & opinio contraria fuit damnata ab Alex. VII. Die 24. Septemb. 1665. & eſt 25. propoſitio reprobata.

400 Inter. 11. Qui rem habuit cum tribus fœminis ſolutis, ſufficitnè, ſi in confeſſione dicat, Pater, ter fornicationem commiſi, vel debet dicere, fornicatus ſum cũ tribus mulieribus?

Reſp. Sufficit, quod dicat, ter fornicatus ſum, quià quandò ſunt plura peccata ejuſdem ſpeciei non oportet individua nominare ſigillatim nempè hanc, & hanc fornicationem, ſcilicet quot fuerunt Perſonæ. Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *quæſt.* 5. *ſect.* 2. *pun.* 2. §. 3. *diffic.* 3. *prop.* 3. *n.* 14. Diana *par.* 1. *tract.* 7. *reſ.* 13. *& alii*.

401 Inter. 12. Qui habet copulam cum Muliere conjugata, conſentiente Màrito, ſufficitne ſi in confeſſione dicat, ſe eſſe fornicatum, non explicando adulterium, cum non fiat injuria Marito, quia volenti, & conſentienti nulla fit injuria?

Reſp. Non ſufficit, quia etiam conſentiente Marito, committitur Adulterium, & contraria ſententia meritò reprobata fuit ab Innoc. Papa XI. die 2. Martii 1679. & eſt propoſitio 50. inter reprobatas.

402 Inter. 13. Eſtne neceſſarium, quod in confeſſione exprimatur gradus Inceſtus, videlicet in quo gradu fuerit commiſſus?

Reſp. Non conveniunt Doctores, quidam, ut Navar. *in Man. cap.* 16. *num.* 3. Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *quæſt.* 5. *pun.* 2. §. 3. *diffic.* 3. *num.* 10. & alii plures dicunt, quòd omnes Inceſtus ſpecie differant, & per conſequens neceſſarium, opus eſſe in confeſſione aperiendum in quo gradu fuerit commiſſus: Alii verò docent, & probabiliter, Inceſtus inter conſanguineos, & affines, non differe ſpecie in genere moris, ac proinde Pœnitentem, per ſe loquendo, non teneri explicare circumſtantiam conſaguinitatis, vel affinitatis, vel, neque diverſitatem graduum; ità Diana *par.* 1. *tract.* 7. *reſ.* 31. cum D. Th. 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 9. Cajetano ibidem, & aliis ibidem congeſtis, *& par.* 5. *tract.* 14. *reſ.* 56. §. *quæro ſexto*: Quorum ratio eſt, quia talis circumſtantia non mutat ſpeciem Inceſtus, ſed ſolum aggravat intrà eamdem ſpeciem, ſicut major, vel minor quantitas rei ablatæ in furto, ut dicam in hoc titulo *ad Int.* 21. Tamen nunc dico, & iterum dicam, & affirmabo *ad Inter. ſequentem*, Primam ſententiam eſſe probabiliorem, & magis tutam in praxi: Undè gradus Inceſtus exprimendos eſſe in confeſſione, non dubito, & licèt ipſe teneam circumſtantias aggravantes intrà eamdem ſpeciem non eſſe in confeſſione neceſſariò aperiendas, ut aſſervi *in tit.* 36. *de Circum. peccat. ad Inter.* 3. Nihilominus puto certò, quòd qualitas perſonæ, cùm qua committitur Inceſtus, non ſit circumſtantia actus, ſeù peccati, ſed potius quid pertinens ad ſubſtantiam actus, ſeù ad integritatem malitiæ ſubſtantialis actus in individuo conſiderati, & conſequenter non ſufficere, ſe accuſare commiſiſſe Inceſtum, ſed teneri explicare gradus Inceſtus: Nec D. Th. eſt nobis contrarius, ſolùm enim *loco ſuprà cit. ad* 2. docet, Inceſtus inter conſanguineos, & affines, non differre ſpecie: Vide Layman *lib.* 1. *tract.* 2. *q.* 10. *n.* 3. Coninch. Rodriquez, quos refert, & ſequi-

Digitized by Google

quitur Cabrin. *de caſ. reſer. par.* 2. *caſ.* 5. *annot.* 4. *num.* 17. quibus addo Bonac. *loco ſuprà cit.* qui alios concordantes adducit, & ità eſt in praxi tenendum, etiam ubi peccatum inceſtus non eſt caſus ab Ordinario reſervatus.

403 Inter. 14. Qui peccavit cum Sorore in primo gradu, ſufficitne ſi dicat in Confeſsione, Pater commiſi peccatum inceſtus bis, aut ſemel &c. non explicando gradum?

Reſp. Aliqui dicunt non ſufficere, & quod de neceſsitate ſit confitendum, in quo gradu fuerit commiſſum; Sed oppoſitum ſentiunt alii, docentes, quod dummodò non ſit caſus reſervatus ſufficiat: quià non differunt ſpecie, licèt in genere moris gravius ſit ſe miſcuiſſe cum Sorore in primo gradu, quàm in 2. 3. & 4. Diana *par.* 1. *tr.* 7. *reſ.* 31. *& par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 67. *& alii apud ipſum.* Tamē prima ſententia eſt probabilior, & magis tuta in praxi. Vide *ad Inter. antecedentem.*

404 Inter. 15. Qui copulam Sodomiticam habet cum conſanguineo, vel affine teneturne gradus conſanguinitatis in confeſſione explicare?

Reſp. Doctores in hoc non conveniunt, ſed mihi videtur, ſi talis concubitus habeatur cum affinibus, vel conſanguineis in linea tranſverſali, explicandum eſſe gradum Perſonæuſque ad ſecundum gradum; ſi verò cum conſanguineis in linea recta, aperiendum eſſe in quocumque gradu, quia talis actus continet ſpecialem malitiam contrà pietatem, & reverentiam conſanguineis debitam. Bonacin. *de Matrim. quæſt.* 4. *pun.* 11. *num.* 8. *& ſeqq.* Verùm qui tenet circumſtantias aggravantes intrà eandem ſpeciem non eſſe in Confeſsione aperiendas, docet poſſe aliquem probabiliter in tali caſu ſe accuſare de actu ſodomitico tantum cum Conſanguineo, vel Affine, ſine explicatione gradus primi, & ſecundi, cum quibus habita fuit dicta copula. Diana *par.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 101. *& reſ.* 159. *verſ. ad ſecundum, & par.* 7. *tr.* 12. *reſ.* 18. ubi quoque utrumque probabile putat. Mea denique ſententia eſt eadem cum Bonac. circà primum, vel ſecundum gradum; circà tertium verò, aut quartum, teneri pœnitentem in Confeſsione dicere, ſe commiſiſſe ſodomiam cum conſanguineo, aut affine, non tamen teneri ad explicationem gradus.

405 Inter. 16. Si quis in Confeſſione dicere nollet, an fuerit agens, vel patiens, ſed tantùm diceret, exercui toties actū ſodomiticū, debetne abſolvi?

Reſp. Non debet abſolvi, (& ferè ubique eſt caſus reſervatus) propter pollutionem, quæ contingit in agente, & hæc ſententia eſt probabilior. Lugo *de Sac. diſp.* 16. *num.* 423. Oppoſitum tanquam probabile docet Diana *par.* 3. *tract. reſ.* 159. *& par.* 5. *tract.* 14. *reſ.* 56. alios allegans. Mazucchel. *de caſ. reſer. diſ.* 2. *cap.* 22. *q.* 2. *n.* 21.

406 Inter. 17. Qui concupivit, aut defloravit virginem, teneturne circumſtantiam virginitatis fateri? & quid ſi illa ſpontè conſentiat?

Reſp. Dico quod teneatur, quamvis illa conſentiente defloraverit; nam communis DD. ſententia docet, ſtuprum habere ſpecialem malitiam, ſivè Puella conſenſerit, ſivè diſſenſerit, & ità tenent plures Doctores, quos refert, & ſequitur Bonac. *in tract. de peccatis diſp.* 5. *quæſt.* 5. *ſect.* 2. *pun.* 2. §. 3. *diffic.* 3. *num.* 8. *& de matrim. quæſt.* 4. *pun.* 17. *num.* 2. & hanc ſententiam probabiliorem, atque tutiorem vocat. Vide igitur quæ dixi *in tit.* 36. *ad Inter.* 11. & dic quod licèt, qui concupiſcit virginem, non habeat voluntatem inferendi ei violentiam adhuc teneatur hanc circumſtantiam in confeſſione aperire, cum ſit probabilius, & tutius.

407 Inter. 18. Epiſcopus, ſi peccat mortaliter, teneturne explicare in Confeſsione circumſtantiam, quod eſt Epiſcopus?

Reſp. Mihi ſatis probabile videtur quod non teneatur, niſi peccatum publicum ſit, quod ſcandalum pareret, quià

quià in tali caſu eſſet circumſtantia in Confeſsione aperienda, cum teneatur Epiſcopus, non ſolum verbo, ſed etiam exemplo paſcere ſubditos, ac proindè eſſet ſpecialis malitia ultrà peccatum commiſſum, ideòque manifeſtanda in Confeſsione. Sanchez *de Matrim. tom. 2. lib. 7. diſp. 27. n. 33.* Filliucius *tom. 2. tract. 30. cap. 7. num.* 125. & alii, quos allegat, & ſequitur Diana *par. 1. tract. 7. reſ. 6.* Et id, quod dictum eſt de Epiſcopo, intelligendum eſt etiam de Generali alicujus Raligionis, ut docent præcitati Doctores. Sed vide Toletum *lib. 5. cap. 4. num. 8.*

408 Inter. 19. Si quis dormiret cum Amaſia, vel Concubina, tenereturne explicare in Confeſsione numerum Copularum, vel ſufficeret ſi tantùm diceret, dormivi cum quadam fœmina, & feci, quod potui?

Reſp. Dicendum eſt, quod teneatur aperire numerum peccatorum, ſcilicet ſemel, vel bis fornicatus ſum; quià ſunt peccata diſtincta, nec unum reſpicit, & ordinatur ad alterum; ergò neceſſe eſt in caſu noſtro aperire in confeſsione per tot vices eam cognoviſſe, quamvis non habuerit interruptionem mentis, vel operis, & ità tenendum eſt omninò contra Zanardum, quem impugnat Diana *par. 3. tract. 4. reſ. 67.* Vide Zerulam *in praxi pœnit. cap. 12. quæſt.* 15. apud ipſum Dianam *par. 1. tract. 7. reſ. 39. propè finem.*

409 Inter. 20. Sufficitne in Confeſſione dicere, commiſi mortale furtum toties, nõ explicando quantitatẽ furti?

Reſp. Multi multa dicunt, tamen probabiliter puto cum Diana *par. 1. tract. 7. reſ.* 14. & aliis, quos ipſe ſequitur, neceſſarium non eſſe aperire furti quantitatem, quià quantitas non mutat ſpeciem, ſed ſolum aggravat; Contrarium placet Victoriæ *de Confeſ. ſub num.* 163. Sà *verb. Conf. num.* 18. Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *quæſt.* 5. *pun.* 2. §. 3. *difficul.* 1. *num.* 6. utraque ſententia eſt probabilis.

410 Inter. 21. Qui omiſit aliquo die totum Officium, vel notabilem partem illius, teneturne in confeſsione explicare id quod omiſit, vel ſufficit, ſi dicat, peccatum mortale commiſiſſe in non perſolvendo Horas Canonicas?

Reſp. Diſſenſio eſt inter Doctores circà tale dubium, Bonac. enim *de Horis Canon. diſp.* 1. *quæſt.* 5. *pun.* 1. *num.* 9. ait, non ſufficere, ſed explicandam eſſe quantitatem Officii omiſſam, ſi ſit magna, & etiàm numerum Horarum; & ità quoque docent nonnulli apud ipſum, & apud Dian. *par. 2. tract. 12. reſ. 23.* Sed ego non minùs probabile puto cum ipſo Diana, & aliis ab eo allegatis, non eſſe circumſtantiam neceſſariò aperiendam in confeſſione, ſed ſatis eſſe, ſi ſe accuſet aſſerendo commiſiſſe culpam mortalem in omiſſione Horarum. Squillante *de oblig. Cler. par. 1. dub. 33. num.* 70. & alii plures; & ratio eſt, quià Officium unius diei eſt unum totum integrale cadens ſub uno pręcepto, quamvis tamen peccatum tantò ſit gravius, quantò plures partes omittuntur, non tamen, ſi totum omittatur, plura ſunt peccata, ſed unum, modò voluntas interciſa non fuerit. Sylv. *in Summ. verb. Horæ ſub num.* 15. *ver. ſextum, & num.* 16. Nav. in Man. *cap.* 25. *n.* 97. Em. Sà *ver. Hor. Canon. n.* 13. & alii ſic propabiliter docent teſte Diana *loco cit. reſol.* 5.

411 Inter. 22. Qui infamat aliquem, dicendo falſum, vel verum, occultum tamèn, tenenturne in confeſsione aperire, utrò iſtorum modorum proximum infamaverit?

Reſp. Non teneri, tuetur Diana *par. 5. tract. 14. reſ. 56.* & alii per ipſum allegati, quorum ratio eſt, quia iſtæ duæ infamationes conveniunt in ratione formali, quæ eſt intentio auferendi alteri famam. Sed contrarium mihi videtur probabilius, & in praxi tenendum; quia iſtæ duæ infamationes differunt ſpecie, qui enim verum

dicit

dicit, ſed occultum, peccat ſolùm contra Juſtitiam: qui verò falſum, peccat etiàm contra veritatem, quæ in materia gravi, gravitèr obligat; & hanc ſententiam tenent Marcantius,& Jacobus Granadus.

412 Inter. 23. Qui diverſis contumeliis Proximum affecit, vocando illum v. g. Sodomitam, Adulterum, Ebrium, Furem, Lenonem,&c. ſufficitne, quòd in confeſſione dicat, toties contumeliis affeci Proximum meum, vel tenetur explicare numerum, & diverſitatem contumeliarum?

Reſp. Juxtà ea, quæ docet Diana *pun. 3. tract. 16. reſ. 1. & loco ſuprà cit.* ſufficit quod Pœnitens dicat, Pater bis, ter, vel pluries, circumcircà, graves contumelias dixi adverſus Proximum meum, nec opus eſt, quòd ſic ſe accuſet, nempè illum vocavi Sodomitam,Adulterum, Furem, Lenonem, &c. nam ſatis eſt dicere, toties gravibus contumeliis Proximum affeci; præter Dianam,ità quoque docet Cajetan. *in 2.2. quæſt.* 72. *art.* 1. Em. Sà *verb. Contumelia num.* 1. & plures alii, quos citat, & ſequitur ipſe Diana *par. 1. tract. 7. reſol,* 28. Vide etiam Bonac. *de pœnit. diſp. 5. quæſt. 5. ſect.*2. *pun.* 2. §. 3. *diffic. 3. ſub num.* 17. *verſ. addo*, ubi tandem concludit hanc opinionem eſſe probabilem, & in praxi ſuſtineri poſſe non dubitat.

413 Inter. 24. Quandò pœnitens confitetur ſe odiſſe proximum, teneturne explicare mala volita, vel an odium fuerit circà perſonam, vel facultatem, vel honorem?

Reſp. Affirmant Suarez, & Sylv. apud Dian. *par. 1. tract. 7. reſ.* 30. nam dicunt, afficere proximum, injuria in vita, vel in fama, eſſe peccata diverſa contra juſtitiam propter diverſitatem materiæ, & conſequenter pari modo facere diverſitatem in odio, neceſſariò explicandam in confeſſione. Sed ego puto non minùs probabile oppoſitum cum Cajet. *in* 2. 2. D. Thom. *quæſt.* 34. *art.* 6. Turtiano, & Valentia, quibus ſubſcribit Bonac. *de Præc. Decal. diſp. 3. quæſt. 4. pun. ult.* §. 1. *num.* 10. *verſ. obſerva tamen*, & tenet etiam Diana *ubi ſupra, & par. 3. tr. 4. reſ.* 67. §. *in reſ.* 30. ubi cum Homobono, de Bonis ſic inquit: In coſeſſioue non ſunt explicanda mala volita v. g. ſi fuerunt circà facultates, vel circà perſonam, ſeù circà honorem, ſed ſufficit dicere, Toties odio habui proximum meum; Et ratio eſt, quià licèt illa mala volita differant ſpecie, tamèn in caſu noſtro optantur ſub una eademque ratione formali, quæ eſt odium proximi: neque currit paritas de damnis illatis,quorum diverſitas in omnium ſententia affert peccata ſpecie diſtincta.

414 Inter. 25. Teneturne Pœnitens in confeſſione exprimere, quod peccaverit in confidentiam Jubilæi, & ſpe veniæ, & abſolutionis impetrandæ?

Reſp. Diana *par. 1. tract. 7. reſ.* 33. cum Pitigiano, Facundez, & aliis docet, quod non teneatur hanc circumſtantiam in confeſſione aperire, & hoc ego puto verum.

415 Inter. 26. Teneturne repetere confeſſionem, qui confitetur confeſſario aliquandò dormienti, aut non advertenti ob ſurditatem, vel animi diſtractionem?

Reſp. Dicunt quidam confeſſionem iterandam eſſe, quia confeſſio eſt accuſatio ſui ipſius, ac proindè erit nulla, ſi à Judice nou intelligatur. Vide Dianam *par. 3. tract.* 4. *reſ.* 109. & ità etiam videtur innuere Bonac. *de Sac. diſp. 5. quæſt.* 5. *ſect.* 2. *pun. 3. num.* 14. *in objectione*. Tandèm Diana cum Henriquez *lib.* 5. *cap.* 14. *num.* 5. & Layman *lib. 4. tract. 6. c.9. num.* 5. oppoſitum docent, & ſuſtinent, dummodò ſine culpa pœnitentis hoc accidat, & bona fide ſua peccata aperverit, quia eſſentia, & effectus Sacramenti conſiſtere poteſt abſque integra peccatorum explicatione; undè culpa in ſolo confeſſario transfundi-

funditur. Verum eſt tamen, quòd tenetur Pœnitens, quando cognoſcit, vel dubitat confeſſarium, unum, vel plura peccata nullo modo intellexiſſe, illa peccata, vel alia poſtea, ſi ea commiſerit, in ſequenti confeſſione iterum explicare, ut ab omnibus directè, & in ſpecie abſolvatur. Vide iterum Dianam *par.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 198.

416 Inter. 27. Quid debet facere pœnitens quando advertit ſe recipiſſe Sacramentum pœnitentiæ in excommunicatione, teneturne reiterare confeſsionem?

Reſp. Pœnitens poſt quam cognoverit ſe irretitum eſſe cenſura, ſatisfacit petendo abſolutionem cenſuræ, & confitendo peccatum, cui eſt annexa cenſura, quam per ignorantiam, vel oblivionem prætermiſerat confiteri, nam ejus confeſsio non fuit nulla, ideòque non eſt neceſſe, ut iteretur. Vide Bonac. *de Cenſ. diſp.* 2. *quæſt.* 2. *pun.* 2. §. 2. *num.* 2. & eſt communis ſententia.

417 Inter. 28. Qui ſcienter, & malitiosè fecit unam confeſsionem invalidam, ſed continuavit alias bona fide cum ingnorantia invincibili, vel inadvertentia ad primam; teneturne quando advertit ad eam malitiosè factam reiterare omnes confeſsiones, vel ſufficit, quod ſolùm ſe accuſet de nullitate illius confeſsionis, & de peccatis in illa confeſsis.

Reſp. Non eſt opus præteritas confeſsiones reiterare, ſed ſatis eſt hanc ſolam cum peccato, vel defectu in ea commiſſo aperire, nam confeſſiones intermediæ validæ fuerunt, & ſemper validæ remanent. Sancius, Vaſquez, & alii, quos citat, & ſequitur Diana *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 108. §. *Notandum*, Card. de Lugo *de Pœnit. diſp.* 16. *ſect.* 15. *num.* 599. Anton. Cotonius *lib.* 2. *de Sacram. pœnit. contr.* 6. *num.* 78. plures alios allegans, & Antonius à Spiritu Sancto *de Sac. pœnit. tract.* 5. *diſp.* 9. *ſect.* 3. *num.* 686. teſtatur de communi.

418 Inter. 29. Qui reperit feciſſe invalidè confeſsionem, eo quia prætermiſit aliquod peccatum mortale confiteri ſine juſta cauſa, teneturne in alia confeſsione omnia peccata ſingillatim repetere, vel ſufficit, quod ſe accuſet ſolùm de illo peccato voluntariè prætermiſſo?

Reſp. Dico, quod ſi Pœnitens confiteatur apud alium confeſſarium, certè tenetur omnia peccata ſigillatim repetere, eademque denuò recenſere: Si verò confeſsionem reiterat apud eumdem confeſſarium, qui priùs ejus confeſsionem audierat, ſufficit ſi dicat, Pater confiteor tibi omnia peccata, quæ antea dixeram, vel dico meam culpam de iis, quæ priùs tibi dixi in alia mea confeſsione, ſubjuncto tamèn in particulari illo peccato in prima confeſsione prætermiſſo, addendo ſe illud malitiosè omiſiſſe, & aliis quoque poſt illam confeſsionem, ſi quæ fuerint ab eo commiſſa: Hoc tamèn intelligendum eſt, dummodò confeſſarius ſaltem in genere, vel confuſo recordetur ſtatus Pœnitentis, vel ſaltem pœnitentiæ ei injunctæ. Ità firmant Sylv. *in Sum. ver. Confeſ.* 1. *ſub num.* 4. Navar. *in Man. cap.* 9. *n.* 16. Tolet. *lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 6. Em. Sà *verb. Confeſſio num.* 8. Bonac. *de pœnit. diſp.* 5. *quæſt.* 5. *pun.* 3. *ſub n.* 15. *& alii omnes*: Quod planè intelligi debet etiam quoad reſponſionem ad interrogationem 33. ubi agitur de illo, qui ob verecundiam omiſit aliquod peccatum confiteri: Etenim cùm ibi dico, *Verùm eſt tamen, quod ſi confitetur cum eodem Confeſſario, ſufficit ſolùm illud peccatum confiteri*, intelligo ſufficere ſolùm illud peccatum confiteri in particulari, ſeù ſpecialiter, cum aliàs compertum ſit apud omnes ſcribentes, debere pœnitentem de aliis peccatis ſe accuſare in genere, & in communi, ut dictum eſt ſupra, & ità omninò fieri debet ex conſeſu omnium Doctorum; Vide etiam Dianam *par.* 4. *tract.* 4.

reſ. 203. & Jac. Mancinum *pract.* 4. *dub.* 36.

419 Inter. 30. Teneturne pœnitens iterùm confiteri peccata reſervata, à quibus fuit à Superiore abſolutus, omittendo alia non reſervata inferiori confeſſario?

Reſp. P. Simeon à S. Cruce *in Memor. Theol. tom.* 2. *de Pœnit. quæſito* 53. dicit, quod non teneatur; Idem docet Bonac. *de Sac. diſp.* 7. *quæſt.* 7. *pun.* 5. §. 3. *num.* 4. cum Suar. Cõnincho, Nugno, Vaſq; & aliis, ſed mihi magis placet oppoſitum, quod teneatur Sylv. *verb. Confeſſio* 1. *num.* 19. Navar. *in cap. conſideret, de pœnit. diſt.* 5. §. *cautus num.* 12. Victoria *in Sum. de Confeſſione quæſito* 162. Tolet. *lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 3. Victorellus *in Addit.* ad Em. Sa *verb. Abſolutio ſub num.* 24. Diana *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 74. & alii plures: Uni igitur confeſſario pandenda eſſe omnia peccata probabilius puto cum præfatis Authoribus, ad hoc, ut integra ſit confeſsio, cum Chriſtus Dominus præcipiat omnia peccata manifeſtari uni Sacerdoti propter confeſsionis integritatem, quæ non ità facilè eſt frangenda, ut docent etiam Doctores primæ ſententiæ, ergo &c. & hæc eſt ſententia D. Th. *in* 4. *diſt.* 12. *quæſt.* 3. *ar.* 3. *quæſtiuncula* 4. *ad* 6. *& Opuſcul.* 19. qui adducit probabilem rationem ex ſimilitudine corporali infirmitatis, quæ uni medico tota detegenda eſt, ac tandem deducitur *ex cap. omnis, de pœnit. & remiſ.* ubi præcipitur, quod omnia peccata proprio Sacerdoti, ideſt uni, & non pluribus dicantur. Vide Sylv. *loco ſuprà cit.* ex quo hæc, & alia plura habentur, & tene id, quod dicam *in tit.* 222. *de Validitate Abſolutionis ad Inter.* 9.

420 Inter. 31. Si quis dum puer erat, commiſit multas pollutiones neſciens eſſe peccatum mortale, ſi poſtea advertat; teneturne omnes confeſsiones repetere, vel ſufficit dumtaxat illas pollutiones manifeſtare?

Reſp. Non tenetur repetere confeſsiones jam bona fide factas, ſed ſufficit, quod numerum pollutionum ſcilicet plus, vel minùs, in confeſsione aperiat. Diana *par.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 108. & alii plures apud ipſum.

421 Inter. 32. Cajus dum Puer erat confeſſus eſt Sacerdoti juriſdictionem non habenti, quid facere debet, ſi vir factus cognoſcat hunc errorem?

Reſp. Tenetur illam, ſeù illas confeſsiones, quas illi fecerat dumtaxat iterare. Ità Navar. *in cap. placuit de pœnit. diſt.* 6. *n.* 182. & ex eo Em. Sà *verb. Confeſ. num.* 33. & rectè quidem; Nam ſi aliæ factæ fuerunt cum vero dolore, & propoſito cavendi in futurum, validæ cenſentur, & ſemper validæ manent; & ſic opus non erit iterare illas confeſsiones, quæ legitimè factæ fuerunt confeſſariis juriſdictionem habentibus. Favet Dian. *par.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 108.

422 Inter. 33. Qui ob verecundiam omiſit aliquod peccatum in confeſsione, teneturne totam confeſsionem repetere, vel ſufficit ſi ſe accuſet de illo peccato omiſſo.

Reſp. Tenetur totam confeſsionẽ repetere, quia nulla certè fuit, & invalida; Verum eſt tamen, quod ſi confitetur cum eodem confeſſario, ſufficit ſolùm illud peccatum confiteri in particulari, & alia eidem confeſſa in genere, & addere, quod pro verecundia omiſit, dummodò confeſſarius, ſaltem inconfusò, ſtatus pœnitentis memoriam habeat, Navar. *in Man. c.* 9. *n.* 16. *in fin.* Tolet. *lib.* 3. *c.* 10. *n.* 6. *propè fin.* & alii plures. Vide igitur quæ dixi *in hoc tit. ad Inter.* 29.

423 Inter. 34. Peccatne mortaliter, qui confitetur propter vanam gloriam, vel ne notetur in Populo, vel alium finem; ſed minus principaliter, ut abſolvatur à peccatis?

Reſp. Licèt talis confeſsio ſit cum peccato veniali, tamen quia veniale

non

Digitized by Google

non eſt obex gratiæ,fieri poteſt,ut non ſolùm illa confeſsio ſit valida, verùm, & abſolutio ſit fructuoſa, nam nil obſtat, quominus quis poſsit ſpe veniæ obtinendæ, & gratiæ habendæ confiteri, & tamen ſimul faciat id ob vanam gloriam, ſiquidem in tali caſu adeſt intentio ſuſcipiendi Sacramentum, & omnia requiſita ad illius valorem. Diana *par.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 212. & pro ſe citat Vaſq. Sotum,& alios. Verùm ſi finis mortalis adeſſet, certè nil valeret talis confeſsio, imò peccatum mortale fieret. Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 3. *art.* 3. *contra Sylveſtrum*: Et ita quoque dicendum eſt ſi quis in Vanagloria conſtitueret ultimum finem, ut optimè docet S. Thom. 2. 2. *q.* 132. *art.* 3.

424 Inter. 35. Qui ratione ſcandali, vel præcepti tenetur celebrare, vel communicare, & non adeſt niſi confeſſarius approbatus in aliena Diœceſi, teneturne in tali caſu dicto confeſſario antè celebrationem, vel communionem, confiteri?

Reſp. Affirmat Cornejo *in* 2. 2. *D.Thomæ tr.* 8, *diſp.* 4. *dub.* 2. *in fine*, quem citat, ſed non ſequitur Diana *par.* 5. *tract.* 14. *reſol.* 111. Sed mihi magis probatur ſententia Sancii,quem ſequitur ipſe Diana *ibidem*, qui ſic aſſerit: Obiter advertendum maximè erit,Sacerdotem habentem lethale crimen, & volentem celebrare, neque, invenientem confeſſarium, qui ſit ab Ordinario proprio approbatus, non fore conſtrictum ſua crimina aperire approbato in aliena Diœceſi, quia tunc meritò arbitratur copiam confeſſarii deficere, nec tenetur quis aliorum opinionem ſequi, propria deſerta,multò minùs in materia Sacramentorum, ubi Sacrilegii periculum evenire poterit. Ita Sancius *in Select. in edit.* Lugdum *diſp.* 44. *num.* 13. Putat igitur Sancius (inquit Diana) in tali caſu,deficiente confeſſario certo, non eſſe præmittendam confeſsionem cum confeſſario dubio, ultrà quod addo ego,ſicuti quis non poteſt cōfiteri Sacerdoti non approbato,niſi in periculo mortis, ita neque approbato in aliena Diœceſi,cum cenſeatur tanquam ſimplex Sacerdos in loco, ubi non eſt ad confeſſiones audiendas approbatus, ut omnes Doctores fatentur; ergo qui ratione ſcandali vitandi, vel ratione præcepti tenetur celebrare, vel communionem ſumere, eliciat actum contritionis cum propoſito confitendi, & ſic celebret,vel communionem ſumat; ſiquidem idem eſt, ac ſi copiam confeſſarii non haberet.

Sed adverto, multos graves D.D. (apud Leandrum *par.* 2. *tract.* 7. *diſ.* 7. *reſol.* 25. & 27.) docere, nec ſimplicem Sacerdotem poſſe in die feſto celebrare abſque confeſſione cum ſola contritione, ſi non habeat aliam Miſſam, quam audiat, nec ſimiliter Laycus cùm ſola contritione communicare,ut præcepto Paſcalis communionis ſatisfaciat. Ipſe tamen Leander cum aliis multis oppoſitum docet, quibus libenter adhæreo.

425 Inter. 36. Sacerdos conſcius peccati mortalis, qui ob neceſſitatem urgentem, non præmiſſa Confeſſione celebrat, teneturne ſub peccato mortali, quàm primùm poſtea confiteri?

Reſp. Dico primo. Eſſe præceptum, & non conſilium in dicto caſu confiteri quàm primùm,& habetur ex Conc. Trid. *ſeſſ.* 13. *cap.* 7. Et oppoſitum affirmari non poteſt, cum ſit reproba ab Alex. VII. propoſitio, quæ ſic ajebat. *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti Sacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali,confitendi quàm primùm, eſt conſilium,non præceptum*. Quod autem hoc præceptum obliget ſub mortali,negat Thom. Tambur. *in meth. exped. comm. cap.* 1. §. 6. *num.* 49. & *ſeq.* Et pro ſe citat Villalobos, & Ledeſma; ſed eſt contra omnes Theologos Societ. Jeſu teſte Diana *par.* 9. *tr.* 3. *reſ.* 22. Itaque dicendum eſt cum communi DD. ſententia,verba Conc.

T 2 con-

continere præceptum ſub onere peccati mortalis, ut optimè ex Card. de Lugo, Nugno, Candido, Præpoſito, & Hurtado; firmat Diana *loco citat.* Unde ſi Sacerdos in dicto caſu mortaliter peccare nolit, quamprimum confiteri procurare debet.

426 Inter. 37. Sacerdos, qui ex malitia, vel oblivione, aut quia copia Confeſſarii caret, cum peccato mortali celebravit, teneturne quamprimum confiteri?

Reſp. Sacerdos, qui habet copiam confeſſari, ſed ex malitia celebravit cum peccato mortali, aut ex oblivione illud non confitetur, ſatis probabiliter dicunt quidam, quod non teneatur poſtea, quamprimum confiteri, quia nullibi adeſt hoc præceptum, niſi in Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 7. *in fin.* ubi ſic habet: *Quòd ſi neceſſitate urgente Sacerdos abſque prævia Confeſſione celebravit, quamprimum confiteatur.* Ergo cum Conc. non exprimat, Sacerdotem ex malitia celebrantem, non videtur obſtrictus poſt celebrationem, quam primum confiteri; Conc. enim facilè ſibi potuit perſuadere, Sacerdotem ex malitia celebrantem, non ſtatim expiaturum ſua peccata per confeſſionem, cum temerè auſus ſit grave Sacrilegium ex malitia perpetrare, in Euchariſtiæ Sacramento ſuſcipiendo. Et hoc multò magis dicendum videtur de Sacerdote, qui ſui peccati invincibiliter oblit, non præmiſſa confeſſione celebravit. Ita firmat Diana *ea par.* 9. *tract.* 3. *reſ.* 26. qui pro hac ſententia citat Suarez. *in* 3. *par. to.* 3. *diſp.* 66. *ſect.* 7. Leandr. *de Sac. tom.* 2. *tract.* 7. *diſp.* 7. *quæſt.* 5. Stephanum à S. Gregorio *de Sac. lib.* 3. *cap.* 26. *n.* 12. Mercerum, Granado, Fill. Bonac. *de Sac. diſp.* 2. *quæſt.* 6. *punct.* 1. *num.* 38. & 39. Verùm Sacerdos, qui non habet copiam confeſſarii, & urgente neceſſitate celebravit, tenetur quàmprimùm poterit confiteri; deducitur ex Conc. Trid. *loco cit.* & ex Rubr. *de defectibus diſpoſitionis Animæ in Miſſali Romano.* Vide Caſpenſem *in curſ. Theol. tom.* 2. *tract.* 22. *diſp.* 9. *ſect.* 2. *num.* 26. & præcipuè Dianam *ubi ſuprà reſ.* 24. 25. 26. & *ſeq.* & *par.* 10. *tract.* 16. *reſ.* 78. & *par.* 2. *tract.* 14. *reſ.* 61. qui eleganter more ſuo diverſos caſus circa tale dubium reſolvit, & concordantes adducit.

427 Inter. 38. In die Paraſceves Sacerdos, qui urgente neceſſitate, aut quia non habet copiam confeſſarii, abſque prævia confeſſione officium facit, teneturne quamprimum confiteri? Et quid dicendum quando Sacerdos teneatur perficere Sacrificium ab alio inchoatum?

Reſp. Certum eſt quòd Sacerdos in tali die propriè Sacrificium non facit, tamen quia ſufficit, ut exerceat actionem, quæ dicatur celebratio, ſub cujus nomine Conc. ſuum decretum expreſſit; idcircò proculdubio ſi erat in peccato mortali, quamprimum confiteri tenebitur; Nam Rubrica Feriæ 6. Paraſceves ſic ait. *Celebrans facta reverentia uſque ad Terram &c.* Ex quibus verbis ſatis deducitur id, quod intendit Conc. dictam obligationem imponens. Ita pluribus relatis reſolvit Dian. *ubi ſupra reſ.* 29. & *par.* 10. *tract.* 12. *reſ.* 26. Vide etiam Averſam *de Sac. Euch. quæſt.* 8. *ſect.* 7. Caſpenſem *loco ſuprà cit. tract.* 22. *diſp.* 9. *ſect.* 3. *num.* 27. Et noſtrum Stephanum à S. Gregorio *de Sac. lib.* 3. *cap.* 26. *num.* 12. Deniquè eodem modo tenetur confiteri quamprimum Sacerdos, qui complet Sacrificium ab alio inceptum, etiam poſt conſecrationem, quia talis actio eſt propria Sacerdotis, & ſub nomine celebrationis merito comprehenditur, juxtà communem uſum, & ſenſum hujus vocis. Ità ex Amico, Caſpen. Pellizario docet ipſe Diana *par.* 9. *tract.* 3. *reſ.* 30. Vide Em. Sà *verb. Confeſſio ſub num.* 43. *in addit.*

428 Inter. 39. Teneturne Sacerdos finita Miſſa ad ſatisfaciendum illi præcepto

cepto illicò confeſſionem inſtruere?

Reſp. Dicunt quidam; præſertim Sancius *in ſelect. diſp*. 32. *num*. 14. Sacerdotem adſtrictum eſſe illicò finita Miſſa confiteri. Alii verò cum quibus tenet Granadus *in* 3. *par. contr*. 6. *tract*. 10. *num*. 16. docent non peccare mortaliter, ſi ad craſtinum diem confeſſionem differat, quam ſententiam approbat Diana *loco prox. cit. reſ*. 23. Imò putat abſque ullo peccato poſſe Sacerdotem in dicto caſu intrà triduum confiteri, quia id, quod intrà triduum fit, dicitur fieri quàm primùm, aut ex incontinenti, *juxta l. fin. C. de errore advocat. l. fin. C. de Judiciis*; Et ibidem Baldus, & Filinus *in cap. Veniens*, & *cap*. 2. *de Teſtib. num*. 15. Mandoſius *de Monitoriis quæſt*. 31. *num*. 8. qui omnes docent, dici incontinenter probari quod intra triduum probatur. Ex qua doctrina probat ſuam ſententiam Diana, & refert Candidum *tom*. 3. *diſp*. 2. *art*. 22. *dub*. 2. & 3. Trullech., Averſam, Pellizarium, Baſſæum *verb. Comm. Sac. n*. 39. Leandr. *de Sac. tom*. 2. *tract*. 7. *q*. 53. & alios. Notat tamen ibidem, quod ſi Sacerdos prima die haberet commoditatem confitendi, non habiturus ſequentibus diebus, teneretur non differre confeſſionem, ne longiori mora retardaretur; Et hoc mihi valdè placet. Vide Campionum *Inſtr. pro Ordin. cap*. 39. *num*. 53. Cœterum non ſunt audiẽdi qui docent illud verbũ Conc. *Quam primum* intelligendum eſſe uſque ad aliam ſequentem communionem, vel cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur; nam eſt propoſitio 11. ab Alex. VII. reprobata *anno* 1666. *die* 18. *Martii*, & meritò, quia talis Sacerdos, antè aliam celebrationem, neceſſariò Jure Divino tenetur confiteri propter ſcientiã peccati mortalis, ut rectè docet Averſa *de Sac. Euch. quæſt*. 8. *ſect*. 7. & alii. Vide iterum Dian. *par*. 2. *tract*. 14. *reſ*. 60. & *par*. 10. *tract*. 12. *reſ*. 16.

429 Inter. 40. Præceptũ de præmittenda confeſſione ante Euchariſtiæ ſumptionem eſtne de Jure Eccleſiaſtico, vel Divino?

Reſp. Quòd præceptum de confeſſione Sacramentali peccati mortalis præmittenda ante ſumptionem Euchariſtiæ ſit de Jure Eccleſiaſtico, nemo dubitat; nam ità fuit definitum in Conc. Trident. *ſeſſ*. 13. *cap*. 7. & *Canon*. 11. Quod autem ſit etiam de Jure Divino, dubitant aliqui apud Dianam *par*. 9. *tract*. 3. *reſ*. 1. ipſe tamen, & meritò abſque ulla dubitatione aſſerit, & probat, non eſſe purè Eccleſiaſticum, ſed etiam Divinum poſitivum; & hanc ſententiam communiorem, & probabiliorem vocat Amicus *in Curſ. Theol. tom*. 7. *diſp*. 26. *ſect*. 1. *num*. 8. qui Author *ibidem num*. 11. putat, quod etiamſi aliquis certa revelatione ſciat, ſe per contritionem eſſe à peccato juſtificatum, adhuc teneatur ad Sacramentalem confeſſionem præmittendam, ante ſumptionem Euchariſtiæ, & huic ſenteutiæ adhæret ipſe Diana *ubi ſuprà reſ*. 2. & 3. apud quem plura videri poſſunt. Vide etiam ipſum Dianam *par*. 8. *tract*. 1. *de Poteſt. Summi Pontificis ad Sac. reſ*. 51. ubi reſolvit, non poſſe Papam diſpenſare, ut abſolutè aliquis in particulari ſumat Euchariſtiam cum ſolo actu contritionis, ſine prævia confeſsione mortalium?

430 Inter. 41. Diciturne habere juſtam cauſam ſcribendi peccata, & per ſcriptum confiteri, qui pro ſuæ conſcientiæ quiete cupit confiteri cum aliquo Confeſſario Surdaſtro, ſed docto?

Reſp. Mihi quidem videtur juſtam habere cauſam, ſiquidem aliquando pœnitens juſtiſsimè facere videtur, adeundo confeſſariũ illum, ut meliùs ſibi conſulat, præſertim ſi illum doctiorem, & pro ſuæ conſcientiæ quiete aptiorẽ, & melioreẽ invenerit, & hoc magis verũ eſt in locis quibuſdã, ubi non adſunt cõfeſſarii ad ſufficientiã, aut ſaltèm minùs periti experiuntur, nàm juxtà

cap.

cap. Quem pœnitet de pœnit. diſt. 1. Pœnitens diſcretum debet eligere Sacerdotem, cui confiteatur, qui ſciat *ligare, & ſolvere*, & omnino Sacerdoti meliori, quàm poteſt, confiteri debet, cum ex confeſſariorum ignorantia multarum perditio animarum quotidiè conſpiciatur, ut aſſerit Corradus *in ſuis Reſpon. quæſt.* 3. *in Addit.* Dicendum eſt igitur, quod ſicut Puella, vel alius proptèr nimiam verecundiam validè, licitèque poteſt confiteri per ſcriptum, ità potiori ratione poſſit quivis alius eodem modò confiteri cum aliquo confeſſario docto, licèt Surdaſtro, nam confiteri cũ docto longè meliùs eſt, quàm cum alio minùs perito, ut compertum eſt apud omnes, nec conſuetudo Eccleſiæ proprio ore confitendi obligat cum tanto rigore in caſu noſtro. Undè ad tollendum ſcandalum puſillorum puto licere id quod dixi, dumtaxàt ſi confeſsio in caſu præſenti excipiatur in cubiculo ipſius confeſſarii, vel in aliquo alio ſecreto, & honeſto loco, & pœnitens ſit maſculus, non autem fœmina. Nec obſtat *cap. Quem pœnitet ſuprà cit.* ubi dicitur, quod quilibet confiteri debet non per nuntium, vel per Epiſtolam, aut per ſcriptum, ut majori afficiatur verecundia, quæ partem pœnitentiæ relevat, non obſtat inquàm, quià intelligitur de confeſsione, quæ fit non præſente Sacerdote, quod ultrà concedo: Sed confeſsio in caſu, de quo loquimur fit Sacerdoti præſenti facie ad faciem, conſequentèr non abeſt verecundia, ut per ſe patet, & docet Sylveſter *verb. confeſſio* 1. *ſub num.* 16. *propè finem*. Ultrà quod verecundia non eſt conditio neceſſaria ſimplicitèr ad validitatem confeſsionis. Tandèm ſi *cap. Quem pœnitet* nolit confeſsionem eſſe faciendam per ſcriptum, adhuc intelligi debet, quando commodè verbo fieri poteſt, & non aliàs, ne contradicat *cap. Qualis* 30. *q.* 5. ubi conceditur poſſe quemlibet cõfiteri per ſcriptũ, & ad hoc propoſitũ citatur à Sylveſtro, Nav. & Sà *locis ſuprà cit.* ergo cũ jura Juribus debeant concordari, & jurium correctio ſit evitanda juxtà *cap. Cum expediat, de elect. in* 6. intelligendum erit ut dixi, ſalvo &c. Vide ſequentem Reſp. & Dianam *par.* 11. *tr.* 7. *reſ.* 1. *verſ. Nota hic*.

431 Inter. 42. Pœnitens, qui confitetur per ſcriptum Confeſſario præſenti, quando Sacerdos legit ſchedulam, in qua ſcripta ſunt peccata, eſtnè opus, ut ipſe pœnitens voce confirmet, vel nutu, ſi ſit mutus, id, quod ſcripſit in ſchedula?

Reſp. Affirmat Corradus *in Reſp. q.* 14. *&* 68. & ſi pœnitens nihil ampliùs dicat nec voce, nec nutu confirmet, putat nullam eſſe Confeſſionem, & ità eſt in praxi tenendum, licèt Suarez *tom.* 4. *de pœnit. diſp.* 21. *ſect.* 3. *num.* 7. doceat moralitèr neceſſarium non eſſe aliud ſpeciale ſignum, ſed ſufficere, ut peccator, qui ſcripturam illam offert Sacerdoti, eam offerat loco accuſationis ſuæ, ſigna contritionis exhibendo, & petendo ab eo pœnitentiam, & abſolutionem, eamque expectando humilitèr, dum Sacerdos legit peccata, & denique ſatisfactionem acceptando, quam Sacerdos imponit. Verùm Chaves *in Summa Victoriæ ubi de Confeſſione num.* 160. inquit. Credo quod tunc licité fiat Confeſſio per ſcriptum ſi pœnitens ſignis annuat, quod confitetur illa. Quod confirmat ſententiam Corradi, & noſtram.

432 Inter. 43. Teneturne quis aliquãdo confiteri per ſcriptum?

Reſp. Qui alio modo confiteri non poteſt, & urget præceptum confitendi, ut in Paſchate, & in periculo, vel mortis articulo, tenetur confiteri per ſcriptum, vel quià eſt mutus, vel quià non habet niſi Confeſſarium Surdum, non enim videtur deobligandus homo à lege tanti momenti, dum ſcribere peccata, & ſcripto confiteri non eſt medium magnæ difficultatis, ergò qui alitèr non poteſt, tenetur ſcripto confite-

fite-

fiteri, ut docet Granadus *de Sac. in 3. par. D. Thomæ contr. 7. tract. 1. diſp. 9. ſect. .. num. 4.* Nugnus, Turrianus, Becanus, Vaſquez, & alii plures cumulati à Diana *par. 3. tr. 4. reſol. 128. & par. 5. tract. 6. reſ. 4.* qui pro oppoſita ſententia nonnullos alios adducit, aſſerens utramquè opinionem probabilem eſſe. Vide Auſonium *in Summa Dianæ verb. Confeſſionis modus numer. 59.* Bonac. *de Sac. diſp. 5. quæſt. 5. ſect. 2. pun. ult. num. 6.* ubi docet ex aliis eſſe verum quod dixi, quoties per ſcriptum poſſit pœnitens confiteri ſine ſuo gravi incommodo, & abſque periculo, & damno propriæ famæ. Sed Suarez *loco proximè cit. ſub num. 2.* aſſerit, quod non ſolùm pœnitens poſſit ità confiteri, ſed etiam teneatur in articulo neceſſitatis, quia illa eſt materia indubitata, & facilè, & ſine incovenienti exhiberi poteſt, & ſic ego puto tenendum in praxi, quià ut inquit Vaſquez *in 3. par. to. 4. q. 91. art. 4. dub. 5. num. 2.* non obſtat ſcriptum perdi poſſe, nàm abſoluta Confeſſione poteſt ſtatim rumpi, & paulo ante Confeſſionem ità ſcribi, & cuſtodiri, ut non perdatur &c. Itaque huic periculo publicationis facilè poteſt occurri, adhibendo remedium, quod eſt, ut docet idem Vaſquez, & alii, poſt lecturam Confeſſarii, ut lanietur, aut comburatur ſcriptum. Vide Dianam *par. 11. tra. 7. reſ. 1. verſ. Sed ſi aliquis.*

433 Inter. 44. In articulo mortis teneturne quis confiteri per Interpretem ſi alio modo non poteſt?

Reſp. Dico primò neminem teneri, per ſe loquendo, Confeſſionem facere per Interpretem, quià Confeſſio fieri debet ſecretò, quamquàm non ſit de eſſentia Confeſſionis, ut ſecretò fiat cum ſolo Sacerdote, ut pluribus relatis oſtendit Bonac. *de Sac. diſp. 5. quæſt. 5. ſect. 2. §. 2. pun. 2. num. 21. & 23.* ex quo infertur validam eſſe Confeſſionem, quæ fit per Interpretem coram Sacerdote præſente pœnitente annuente, ſeù confirmante nutibus id, quod per interpretem exprimitur, ut rectè probat idem Bonac. *loco cit.* Victoria *in Sum. ubi de Confeſſione num. 173.* & alii. Dico ſecundo teneri pœnitenté per interpretem confiteri quando in articulo mortis exiſtit, præſertim ſi advertit ſe non poſſe contritionis actum elicere de gravibus peccatis, quorum alias non obtinuit abſolutionem directè, vel indirectè, nàm periculum Animæ præponderat jacturæ famæ, & aliorum bonorum externorum; Immò ſi probabilitèr dubitat non habere contritionem, ex charitate utique tenetur confiteri per interpretem, nè ſe exponat periculo damnationis æternæ; quià cum abſolutè teneatur Deo ſatisfacere, meritò in caſu dubio obligatur, ut docent Turrianus *de pœnit. quæſt. 9. art. 2. diſp. 32. dub. 1.* Suarez. *tom. 4. diſp. 36. ſect. 6.* & alii quos refert, & ſequitur Diana *par. 3. tract. 4. reſ. 129. verſ. Dico ſecundo.* An autèm teneatur in tali caſu confiteri omnia peccata mortalia in ſpecie, vel ſufficiat, ut ſe accuſet de venialibus, & in genere de mortalibus, dicendo ſe confiteri alia omnia peccata, quibus Deum offenderit? non conveniunt Doctores, ut videre licet apud Dianam *loco cit.* qui tamèn concludit conſulendum eſſe, ut in tali caſu moribundus omnia peccata confiteatur, quià interpres tenetur ſervare ſigillum, ſicut Confeſſarius. Cœterum ſi quis ſolum vellet confiteri aliqua peccata, & tacere peccata majoris infamiæ, confeſſio eſſet valida, quia in tali caſu non tenetur facere Confeſſionem materialitèr integram, ſed formalitèr, ut bené notant Suarez *loco cit. ſect. 6. num. 5.* Layman *lib. 4. tract. 6. cap. 6. num. 5.* Nugnus *in addit. ad 3. par. quæſt. 9. art. 3. diffic. 2. ad argum. 1.* Facundez, Henriquez, & alii cumulati à Diana *ubi ſuprà*, quibus libentèr aſſentior. Vide iterum Dianam *par. 5. tr. 3. reſ. 72. & par. 11. tract. 7. reſ. 1. per totam.*

TITU-

TITULUS XLV.

De Conſcientia.

Vide ti.de Carc.Int.1.tit.de Infir.Int.6.ti. de Sacril. Int.7.tit.de Val.Conf.Int.22.

434 INter. 1. Quid eſt Conſcientia?

Reſp. Conſcientia, non eſt potentia, nec propriè habitus animæ, ſed ejus actus, dirigens dictando aliquid faciendum, vel non faciendum; Ità S. Thom. 1. *par. quæſt.* 79. *art.* 13. Navar. *in Man. cap.* 27. *num.* 280. Nicol. *in Floſc. verb. Conſcientia*, P. Simeon à S. Cruce *in ſuo Memoriali Theologico tom.* 1. *de actibus human. quæſito* 16. Unde eſt quædam regula proxima actionum, quæ dictat hic, & nunc tale malum eſſe fugiendum, & tale bonum amplectendum: Conſcientia autem prohibente, ſi fiat aliquid, peccatum eſt, ut tradunt DD. communiter: Vide Bonac. *de Peccatis diſp.* 2. *quæſt.* 4. *pun.* 6. *per. tot.*

435 Inter. 2. Quid eſt ſynderefis?

Reſp. Synderefis eſt habitus quidam naturalis, qui ex principiis Operabilium naturaliter inditis, inſtigat hominem ad bonum, ac malo remurmurat, Ita colligitur ex D. Th. 1. *par. quæſt.* 79. *ar.* 12. *in Reſ.* Nicol. *in Floſ. verbo Conſcientia num.* 1. Undè ſynderefis eſt conſcientiæ principalis radix, & regula, quia ei proponit in communi omne malum eſſe fugiendum, & bonum amandum, & amplectendum; Et quamvis P. Simeon à S. Cruce *loc. ſuprà cit. quæſt.* 17. afferat Synderefim eſſe actum, pro clara diſtinctione ipſius à conſcientia, non per hoc negat eſſe habitum, nam ipſe non tradit ibi definitionem Synderefis, ſed ſolum, an conſcientia diſtinguatur à Synderefi; Actus quippè eſt habitus in exercitio poſitus, prout à me ſuper hoc conſultus rectè reſpondit.

436 Inter. 3. Quotuplex eſt cõſcientia?

Reſp. Alia dicitur recta, alia erronea, item alia certa, alia dubia, alia ſcrupuloſa. Illa dicitur recta, quæ vere judicat aliquid eſſe faciendum. Erronea verò, quæ falsò judicat eſſe faciendum, vel non. Certa, quæ pro certo judicat: Dubia, quæ nullatenus judicat, ſed manet ſuſpenſa; & ſcrupuloſa, ſeù ſcrupulus, eſt inanis appræhenſio, & hinc oritur timor, & anxietas alicubi eſſe peccatũ ubi nõ eſt. Ita cõmuniter Navar. & alii. Vide etiam P. Simeonem à S. Cruce *ubi ſupra quæſt.* 18. qui breviter, ſed luculenter, more ſuo, rem perdoctè tractat, & Bonac. *ubi ſuprà num.* 2. idem docet.

437 Inter. 4. Peccatne, qui non facit id, quod faciendum per modum præcepti dictat recta conſcientia?

Reſp. Certò peccat, quia facit contra obligationem, nam conſcientia recta eſt ragula proxima voluntatis derivata à prima, & principali regula omnium actionum humanarum, ſcilicet lege divina, & æterna, ut docet S. Th. 1. 2. *quæſt.* 19. *ar.* 3. ergò qui non facit, quod dictat conſcientia recta, cenſetur facere contra voluntatis regulam, & conſequenter peccat.

438 Inter. 5. Peccatne, qui facit aliquid, quod non eſt peccatum, putans ex conſcientia erronea eſſe peccatum?

Reſp. Sine dubio peccat, niſi deponat conſcientiam erroneam, & credat illud, hic, & nunc, dum illud facit, non eſſe peccatum; eſt communis Sententia, teſte Bonac. *ubi ſuprà num.* 13. Vide etiam Layman *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 4. & me ipſum *in tit.* 164. *ad Inter.* 1. *& in tit.* 199. *ad Inter.* 7. & Cajet. *loco proximè citando*.

439 Inter. 6. Qui expuit in terram, dum eſt in Eccleſia, credens committi peccatum irreverentiæ, & ſacrilegii, committitne de facto peccatum ſacrilegii?

Reſp. Si re ipſa expuit in terram, ante-

antequam rationabiliter deponat cõſcientiam erroneam, utique peccatum Sacrilegii committit. Bonac *ubi ſuprà num.* 19. & alii communiter: Vide Cajet. *in Summ. verb. Conſcientia.*

440 Inter. 7. Quid eſt ſcrupulus? & quomodò mitigari poteſt, & tolli?

Reſp. Scrupulus eſt, ut dictum eſt ſupra ad Inter. 3. Scrupulos mitigat ſibi parum, & multùm Chriſto Fidere; Vide Navar. *in Man. cap.* 27. *n.* 290. Scrupulus eſt deponendus conſilio docti Viri, aut bona ratione, ut docent plures DD. claſsici.

TITULUS XLVI.

De Conſilio.

Vide tit. de Abor. Inter. 2. 3. *& ad quæſ. tit. de Confeſſar. Inter.* 9. *tit. de Differ. Inter.* 6. *tit. de Dub. Inter.* 13. *tit. de Ebriet. Inter.* 5. *tit. de Elect. &c. Inter.* 13. *tit. de Excom. ob Cler. percuſ. Inter.* 13. 15. 16. *tit. de Fur. Int.* 10. *tit. de Irreg. Int.* 20. *tit. de Rapt. Mul. Inter. ult. tit. de Regul. &c. Inter.* 37. *tit. de Soc. crim. Inter.* 11. *tit. de Superſt. Inter.* 7.

441 Inter. 1. Peccatne mortaliter, qui omninò Parato facere majus malum, ſuadet minus malum, ut majus vitetur?

Reſp. Dicunt aliqui, quód mortaliter peccet, quia inducere aliquem juſſu, vel ſuaſione ad peccatum, per ſe malum eſt, & nullo caſu licitum; Ità Cajetan. 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 4. *notab.* 3. Em. Sà *verb. Peccatum num.* 8. & alii, ſed mihi probabilius videtur oppoſitum cum Navar. *in Man. c.* 17. *num.* 263. Sanch. *de Matrim. lib.* 7. *diſp.* 11. *num.* 15. Laym. *lib.* 2. *tr.* 3. *cap.* 13. *verſ. Verum poſteriori ſententiæ, & lib.* 3. *ſect.* 4. *num.* 6. Bonac. *de reſti. diſp.* 1. *quæſt.* 3. *pun.* 7. *n.* 5. *& de irregul. diſp.* 7. *quæſt.* 4. *pun.* 8. *ſub num.* 19. *propè fin.* Cabrin. *de caſ. reſerv. par.* 2. *caſ.* 7. *in Corollario*, & alii penes ipſos; Et ratio eſt, quia Suaſor abſolutè non ſuadet malum, ſive peccatum, ſed ſolùm ſuadet minus malum, ut vitetur majus; Imò, quia non inducit illum ad malum, ſed abducit à parte mali (dum jam eſt paratus facere majus malum) rectè agit, ſi Delinquẽtem retrahit à majori malo patrando, ut patet ex reſponſionibus, quas dedi *ad Int.* 2. *&* 3. *& ad quæ. tit.* 3. *de Abortu & quam dabo ad Inter.* 3. *hujus tituli, & præcipuè ad Int. ſeqq. in hoc eodem titulo, & ad Inter. ultimam tituli* 98. *de Furto.* Vide Layman. *loc. ſuprà cit.* Cabrin. *ubi ſupr.* & Dian. *par.* 5. *tr.* 7. *reſ.* 19. *circà finem, & par.* 3. *tract.* 5. *reſ.* 37. ubi plures Concordantes refert.

442 Inter. 2. Sempronius habet firmũ propoſitum committendi adulterium cum Berta, poſſumne ei ſuadere, ut potius cum fœmina ſoluta fornicetur?

Reſp. Dico quòd ſic, quia malitia fornicationis continetur in adulterio; tamen nullam ei debes deſignare Perſonam in particulari, cum qua poſsit fornicari, quia hoc eſſet inducere ipſum ad peccatum, quod numquam eſt licitum, cum repugnet naturali præcepto negativo, non induces alterum in peccatum. Cabrinus *de caſ. reſerv. par.* 2. *caſ.* 7. *pag.* 142. *in Corollario* Vide Dianam *par.* 3. *tr.* 5. *reſ.* 37. *& par.* 5. *tract.* 7. *reſ.* 18.

443 Inter. 3. Titius firmiter in corde ſuo propoſuit occidere Cajum, & jam occaſionem, & opportunitatem quærit ipſum occidendi, poſſumne ego ei conſulere, ut potiùs fuſte cædat, vel vulnus inferat, quàm vitam auferat?

Reſp. Si non poteris animum Titii avertere ab occiſione perpretanda, tutè quidem poteris ei conſulere, ut fuſte cædat, vel tantùm vulnus inferat ad vitandum majus malum, quod eſt homicidium. Eſt communis ſententia. Vide *ad Inter.* 1.

444 Inter. 4. Qui dedit conſilium interficiendi Clericum, ſufficitne ad vitan-

tandam excommunicationem, & irregularitatem, ſi poſtea ſeriò tale conſilium revocet, vel tenetur quoque in onere occidendum, ut caveat?

Reſp. Quia plus requiritur ad removendum effectum conſilii, qui concernit ipſum Operantem, quàm effectum mandari, qui agitur in gratiam mandantis, ideò conſulens ſi firmiter non credat, quod locum habeat revocatio, tenetur indicare occidendo, ut ſibi caveat, ſaltem in generalì, & ita docent Sylv. *in ſum. verb. Homicid.* 1. *ſub num.* 11. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 34. *num.* 3. Avila *de Cenſur. par.* 7. *diſ.* 6. *ſect.* 2. *dub.* 4. *concluſ.* 3. Henriquez, & Villalobos, apud Dianam *par.* 4. *tract.* 2. *reſol.* 14. & alii plures: Quare ſi poſtea ſequatur homicidium, non Suaſoris conſilio, ſed Executoris malitiæ imputari debet, & conſequenter, dicendum eſt, quod qui dedit conſilium interficiendi Clericum, non incurrat excommunicationem, nec irregularitatem, ſi conſilium ſeriò retractaverit, & nihil omninò intermiſit, quo homicidium impedire poſſet, ut optimè firmat Diana *par.* 3. *tr.* 5. *reſ.* 83. Cabrinus *par.* 2. *caſ.* 2. *annot.* 7. & alii multi penes ipſos contra Bonac. *de irregul. diſp.* 7. *quæſt.* 4. *pun.* 8. *num.* 20. & alios Vide Laym. *lib.* 2. *tract.* 5. *par.* 2. *cap.* 5. *num.* 7. ubi pulchra invenies in confirmationem hujus Reſponſionis.

445 Inter. 5. Si Confeſſarius in aliquo caſu difficili, dicat pœnitenti, velle conſulere viros doctos, & Pœnitens nolit, nec in genere quidem, conſilium peti, debetne Confeſſarius illum abſolvere?

Reſp. Quamvis teneatur, dum Viros doctos conſulit, nomen pœnitentis celare, tamen ſi hoc non obſtante, pœnitens renuet in re dubia, & difficili, ut conſilium Confeſſarius petat, eſt irrationabiliter invitus, ideòque non debet illum abſolvere, ut docet Sotus *diſt.* 18. *quæſt.* 4. *ar.* 6. quem citat, & ſequitur Victorellus *in addit.* *ad* Em. Sà *verb. Confeſſor ſub num.* 32. *verſ. Tacendum*; ſed ne deſeras videre Sylveſ. *verb. Confeſ.* 3. *num.* 13. qui nonnullas regulas tradit circa tale dubium. Vide etiam Rotarium *in Appar. pro exam. Cler. cap.* 9. *ſect.* 8. *n.* 10

TITULUS XLVII.

De Conſuetudine.

Vide tit. de Blaſphemat. Int. 9. 10. *tit. de Caſ. reſer. Int.* 6. *tit. de Cler. &c. Int.* 15. *tit. de Paroch. Int.* 11.

446 INnter. 1. Qui habet peccata longa conſuetudine inveterata, & nunquam ſe emendat, debetne ſtatim abſolvi, vel debet ei Confeſſarius abſolutionem differre?

Reſp. Dicunt aliqui, inter quos eſt Sancius apud Dianam *par.* 1. *tract.* 7. *reſ.* 55. *propè finem*, Peccatorem conſuetudinarium in quocumque peccato, ſi dolorem habet de peccatis, firmumque propoſitum non peccandi de cætero, eſſe abſolvendum, nec poſſe Confeſſarium ei beneficium abſolutionis denegare, aut differre; Tamen hæc opinio diſplicet aliis, & meritò, cum perſuaſio communis DD. ſit in contrarium, & à doctis, piiſque Confeſſariis communi uſu recepta, ſiquidem in dicto caſu fictitium præſumitur pænitentis propoſitum. Itaque dicendum eſt, ſi nulla de anteacta vita emendatio, nulluſque profectus appareat, debere Confeſſarium medicinam adhibere ad præcavanda peccata futura, quæ ſanè eſt dilatio abſolutionis per aliquod tempus, plus, vel minùs, ut ejus prudentia dictabit; nam ità peccata graviora corriguntur, cum ex difficultate veniæ ſceleſti homines reddantur minus proclives ad perpetranda peccata; Facilitas enim veniæ incentivum tribuit delinquendi, ut deſumitur *ex c. eſt injuſta*, 23. *q.* 4. Ultra quod eſt compertum apud omnes, quod conſuetudo

pec-

peccandi arguit infirmum emendationis propoſitum, ex quo ſequitur conſultum eſſe, Peccatori recidivo, atque conſuetudinario, non eſſe impertiendam toties quoties confitetur, abſolutionem, ſed expectandum per aliquot dies, donec reſipiſcat, & emendatio aliqua appareat. Favet Tolet. *lib.* 3. *c.*18. *n.*3. Em. Sà. *verb. Abſolutio n.*12. Laym. *lib.* 5. *tr.* 6. *c.*4. *n.* 10. Card. de Lugo *diſp.* 14. *de pœnit. ſect.* 8. *n.* 160. Tambur. *in meth. exped. confeſſ. lib.* 3. *c.* 3. §.6. *per totum*. Caſſianus à S.Elia *in Arbor. opin. mor. verb. Abſolutio* §. 17. & alii plures, quos citat Diana *par.*1. *tr.*7. *reſ.* 55. *in princ.* & tandem Bonac. *de matrim. q.* 4. *pun.* 14. *n.* 14. (ubi loquitur præcipuè de eo, qui eſt ſolitus ſe polluere) ſic habet, ſcilicet, Confeſſarium debere aliquando differre abſolutionem, ut pœnitens cum majori propoſito proponat evitare huiuſmodi turpia peccata; Vide etiam Cabrinum *de caſ.reſ par.*2.*caſ.*5. *p.*117. *& ſeq.* Immò aſſerere abſolutionem non eſſe differendam pœnitenti habẽti conſuetudinem peccandi, etſi emendationis ſpes nulla appareat, eſt falſum omninò, cum talis propoſitio ſit reprobata ab Innoc. XI. anno 1679. quæ eſt 60. inter reprobatas ab ipſo. Vide igitur ea, quæ dicam, tùm ad duas proximè ſequentes Interrogationes, tùm *ad Inter.* 4. *tit.* 153.

447 Inter. 2. Qui ex conſuetudine ſe polluit, & poſt plures confeſſiones non ſe emendat, debetnè toties, quoties confitetur, ſtatim abſolvi?

Reſp. Dico quòd non, ſed debet per aliquot dies abſolutione privari, ut reſipiſcat, maximè, ſi emendationis ſpes nulla appareat, & contraria ſententia fuit damnata ab Innoc. XI. die 2. Martii 1679., & eſt propoſitio 60., quæ ſic ajebat, Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra Legem Dei, Naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio, dummodò ore proferat ſe dolere, & proponere emendationem; Si autem pœnitens magnę cõtritionis tunc ſigna oſtendat, poteſt abſolvi, adhibita prius debita monitione, ut abſtineat, & traditis aliquibus remediis ad abſtinendum, nam eſt graviſſimum peccatum, & difficillimæ emendationis. Efficax, & potiſſimum remedium eſt frequentiſſima confeſſio cum uno, eodemque Cõnfeſſario, & ut fiat ter in hebdomada, ſi fieri poteſt, Eſt enim hoc Sacramentum maximum frænum. Toletus *lib.* 5. *cap.* 13. *à n.* 6. *circa fin. & lib.* 3. *cap.* 18. *n.* 3.

448 Inter. 3. Si talis pœnitens, qui eſt ſolitus ſe polluere, ſit Sacerdos; vel eſt alius, qui non poteſt omittere communionem ſine gravi infamia, debetnè ſtatim abſolvi?

Reſp. Si talis Sacerdos neceſſitatem habeat celebrandi, nec poteſt omittere ſacrum ſine gravi infamia (quod idem dicendum eſt de illo, qui non poteſt omittere communionem) debet abſolvi, dummodò ſit diſpoſitus, & magnæ contritionis ſigna oſtendat; aliàs non debet, nec poteſt abſolvi ſine gravi peccato, ultrà quòd abſolutio ei impenſa eſſet nulla ex defectu veri doloris, cum propoſito non peccandi de cætero.

449 Inter. 4. Peccatne mortàliter, quĩ habet conſuetudinem jurandi falſum, ſed inadvertenter? & debetnè à Confeſſario abſolvi?

Reſp. Dicunt nonnulli, quos dat, & ſequitur Diana *par.* 3. *tr.* 5. *reſ.* 62. *& par.*10. *tr.*14.*reſ.* 23. juramenta indeliberata orta ex prava conſuetudine jurandi, nec in ſe ipſis eſſe peccata, nec in ſua cauſa, & hanc doctrinam procedere etiam quoad blaſphemias putant; ſed aliis & mihi non placet ut dixi *in tit.* 33. *de Caſibus reſer. ad Inter.* 6. loquens de blaſphemia, nam talia juramenta, ſeù blaſphemiæ ſunt voluntariæ in cauſa propter pravam conſuetudinem ex gravi negligentia non correctam: Et ità docent Azorius *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 3. *quæſt.* 3. Sayrus

in Clavi Regia lib. 5. *cap.* 1. *numer.* 10. Texeda, & alii plures, quos citat ipſe Dian. *ubi ſup.* Dico igitur, ut citò me expediam ab hac reſponſione cum Bonac. *de præcept. decal. diſp.* 4. *q.* 1. *pun.* 13. *n.* 6. & aliis, quòd qui conſuetudinem habet jurandi, & mentiendi, peccat mortaliter, ſi talem conſuetudinem evellere non conatur, quia ſemper eſt in occaſione proxima peccandi. Jo: à S. Th. *in Doctr. Chriſt. in* 2. *præceptum Decalog. prop. fin.*; Unde ſi ter, aut quater à Confeſſario admonitus, nullo uſus ſit ſtudio ad hanc labem tollendam, differatur abſolutio, niſi aliqua cauſa aliud velit. Ita ex Azorio docet Em. Sà *verb. Juramentum ſub num.* 37. Verùm dic, ſi ſemel, aut bis à Confeſſario admonitus ſit. Vide quæ dicam *ad Int. ſeq.*

450 Inter. 5. Qui habet conſuetudinem jurandi, ſed inadvertenter, peccatne mortaliter toties, quoties jurat?

Reſp. Si jurat, nulla habita ratione illius, quod jurat, an verum, vel falſum ſit, ſemper mortaliter peccat. Em. Sà *in Aphor. verbo Jurament. ſub n.* 37. ex Azorio: alii apud Dian. *p.* 3. *tr.* 5. *reſ.* 62. & ratio eſt, quia talia juramenta ſunt voluntaria in cauſa propter pravam conſuetudinem jurandi ex gravi negligentia non correcta: Oppoſitum tamen ſuſtinet Diana ibidem cum aliis, præſertim Sancio *in Select. diſp.* 20. *n.* 5. Layman. *lib.* 1. *tr.* 2. *c.* 3. *n.* 6. *in fine*; & dicunt, quòd juramenta indeliberata orta ex prava conſuetudine, nec in ſeipſis eſſe peccata, nec in ſua cauſa; Unde concludit Diana quod Confeſſarii faciant accuſare pœnitentes de negligentia in extirpanda prava conſuetudine jurandi, & de reliquo aliquo non curent. Prima tamen placet ſententia mihi. *Vide Inter. antecedentem.*

451 Inter. 6. Qui habet conſuetudinem Blaſphemandi, Jurandi, Adulterandi, Fornicandi, aut ſe Polluendi &c. ſi à Confeſſario interrogetur, an ſit ſolitus, talia peccata committere, teneturne pœnitens ei fateri conſuetudinem, & veritatem aperire?

Reſp. Non teneri aſſerunt nonnulli, & præſertim Sancius, quem refert Diana *par.* 1. *tr.* 7. *reſ.* 55. nec diſſentit Nicolius *in floſ. verb. Occaſio n.* 2. ſed hæc opinio eſt contra torrentem Doctorum, ut patet ex Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *q.* 9. *ſect.* 2. *pun.* 2. §. 3. *diffic.* 3. *n.* 22. & ex ipſo Diana *ubi ſup. reſ.* 15. & 55. ac meritò fuit reprobata ab Innoc. XI. die 2. Martii 1679. & eſt propoſitio 58. inter alias ab eodem Pontifice reprobatas.

452 Inter. 7. Eſtne idem habere conſuetudinem, & occaſionem proximam peccandi?

Reſp. Non eſt idem; Occaſio enim proxima eſt extrinſeca, conſuetudo autem intrinſeca, & à propria fragilitate nata, quam dicitur habere ille, qui eſt ſolitus ſe polluere, ſeù mollitiem committere, blaſphemare, jurare &c.

453 Inter. 8. Qui vult ſe fundare in præſcriptione conſuetudinis immemorabilis, quomodo debet illam probare?

Reſp. Debet illam ſervatis ſervandis concludenter probare per teſtes, qui debent deponere de quatuor requiſitis, ut habet Gloſ. *in cap.* 1. *verb. Memoria, de præſcript.* Primò igitur debent deponere de viſu per quadraginta annos. Secundò de auditu à ſuis Majoribus, qui ab aliis audierunt. Tertiò quod nunquam viderunt, nec audierunt ſervari contrarium. Quarto de publica voce, & fama per verbum fuit, & eſt, memoriam non extare, nec extitiſſe in contrarium. Ità Sperellus *deciſ.* 69. *num.* 21. & *num.* 26. addit, ſingulos teſtes de his requiſitis debere deponere, & inter ſe eſſe conteſtes, nec poſſe conjungi, ſi unus de uno, & alius de altero requiſito deponant. Vide eundem Sperellum, qui alia plura ibi ſcitu digna tradit.

454 Inter. 9. Quænam dicitur conſuetudo legitimè præſcripta?

Reſp. Conſuetudo decem annorum con-

Digitized by Google

contra legem civilem cenſetur eſſe legitime præſcripta, ſed contra legem Canonicam requiritur ſpatium quadraginta annorum, ad hoc ut dicatur præſcripta: Contra Eccleſiam Romanam non datur præſcriptio, niſi centum annorum ſpatio. Ita Em. Sà *verb. Præſcriptio num.* 4. & eſt communis. Vide Dianam *par. 6. tract. 7. reſol.* 8. *& par. 6. tract.* 5. *reſol.* 2. qui *par.* 10. *tract.* 15. *reſol.* 6. probat conſuetudinem 40. annorum derogare Regulæ Religioſorum citra vota. Verùm hoc non obſtante fatetur poſſe poſtea Superiores illam reducere in priſtinum ſtatum, & citat Tambur. *de Jure Abbat. tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 6.

455 Inter. 10. Eſtne tam inter præſentes, quam inter abſentes eodem modo intelligenda conſuetudo præſcripta?

Reſp. Non eodem modo, quia contra Laicos præſentes in eadem Provincia præſcribitur regulariter decem annis; contra abſentes viginti: Ita docet Sylveſter *verb. Conſuetudo num.* 4. Em. Sà *verb. Præſcriptio num.* 4. qui addit idemque eſſe, quando agitur de præſcriptione contra bona patrimonialia Clericorum, ſed ſi agatur de re Eccleſiaſtica, aut Religioſa inter præſentes triginta anni requiruntur ad præſcribendum, ſed inter abſentes quadraginta, contra verò Eccleſiam Romanam requiruntur centum. ut ſupradictum fuit in proxima præcedente reſponſione, ſed circa tale dubium, vide Dianam *part. 6. tract.* 5. *reſol.* 3. qui congerit Doctores diversè ſentientes, ſed utrumque dictum probabile putat.

TITULUS XLVIII.

De Contractibus, & Pactis.

Vide tit. de Beneficiar. &c. Int. 2. tit. de Deb. ex contr. tit. de Famul. Int. 2. tit. de Feſt. dieb. Int. 8. tit. de Mutu; tit. de Negot. Cler. & Rel. Int. 2. 3. tit. de Negot. ſoc. tit. de Reſt. accep. Int. 3. tit. de Reſt. Da. Int. 7. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. tit. de Sim. Int. 2. 6. 19. 20. tit. de ſoc. crim. Int. 11. tit. de Vendit. &c. Int. 6. tit. de uſur. &c. Int. 4. 5. 7. 21. 22.

456 INter. 1. Quid eſt contractus propriè acceptus?

Reſp. Contractus ſtrictè acceptus, eſt actus externus inter duos, vel plures ex conſenſu ipſorum ultrò, citròque obligationem pariens. Bonac. *de Contrac. diſp. 3. q. 1. punct. 1. n.* 1. Vel eſt obligatio quædam hincindè conſurgens ex voluntate contrahentium; & in hac definitione omnes DD. conveniunt. Vide Sylv. *verb. Contractus num.* 1.

457 Inter. 2. Quotuplex eſt Contractus?

Reſp. Multiplex eſt, ut docet idem Bonac. *ubi ſup. num.* 21. nam alius eſt oneroſus, alius lucrativus, & gratuitus, alius fit in gratiam recipientis tantùm, alius in gratiam tradentis tantum, alius in gratiam, & bonum utriuſque; alius eſt ſimplex, & abſolutus, alius conditionalis; alius eſt licitus, alius illicitus; alius perpetuus; alius temporalis, alius dicitur nominatus, alius innominatus; alius dicitur bonæ fidei, alius ſtricti juris; Alii ſunt contractus, qui perficiuntur re ipſa, alii perficiuntur ſolo conſenſu. Denique alius dicitur pactum nudum, & alius veſtitum. Ita communiter DD. ſed vide Bònac. *loco ſupracit.*

458 Inter. 3. Quinam ſunt contractus nominati, & innominati?

Reſp. Contractus nominati ſunt, qui proprium nomen habent, ut ſunt emptio, venditio, locatio, pignus, depoſitum, commodatum, & ſocietas. Contractus verò innominati quatuor ſunt ſpecies. Prima, do, ut des: 2. do, ut facias. 3. facio, ut des: 4. facio, ut facias: Sylv. *ubi ſupra num.* 5. Bonac. *loc. citat. & alii communiter.*

459 In-

459 Inter. 4. Quid eſt Contractus Mohatra, ſeù ſtocco, reprobatus ab Innoc.XI. & eſt propoſito 40.in ſuo Decreto reprobata?

Reſp. Contractus Moharra,eſt ficta venditio, cum quis indigenti nummis, alter dat Merces cum pacto ad ſibi retrovendendas pretio medio, vel infimo, & ipſe vendiderat ſummo pretio Indigenti. Unde eſt illicitus contractus, vel, quia eſt mutuum tacitum, & uſura palliata, vel quia additur onus injuſtum, vel, quia minoris juſto pretio retrovenditur. Vide D. Antoninum *par.* 3. *tit.* 8. *c.* 4. §. 4. Parpera *in Indice copioſ. par.* 4. *c.* 31. *n.* 40. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 31. *num.* 3. Cajet. *in Summ. verb. Vſura caſu* 10.

460 Inter. 5. Quid eſt Quota? Et poteſtne Cliens cum Advocato, vel Procuratore de quota paciſci?.

Reſp. Quota Eccleſiaſtica eſt certa bonorum pars debita Eccleſiæ miniſtris in ipſorum ſubſidium, ut docet Bonacina *de legibus diſp. ult. quæſt.* 5. *punct.* 1. An verò licitè, & ſine peccato poſſit Cliens de quota litis paciſci cum Advocato, vel Procuratore, promittens tertiam, aut quartam lucri partem, negativè reſpondent communiter Doctores, ne via, & aditus Advocatis, & Procuratoribus aperiatur vincendi lites per fraudes, ut parte promiſſa fruantur. Ità Bonacina *loco cit. diſp.* 10. *quæſt.* 3. *punct.* 4. *prop.* 4. *num.* 10. & alii ab ipſo relati. Em. Sà *verb. Judiciales actus*, & ibi de Advocato *num.* 10. Diana *par.* 2. *tract.* 16. *reſ.* 47. qui teſtatur de communi.

Quær. An licitè fieri poſſit pactum de quota litis, vel certa quantitate danda Procuratori, vel Advocato in caſu quo vincat litem, ſeu in caſu victoriæ?

Reſp. Hujuſmodi pactum nequaquam licitè fieri poteſt, & abſque peccato mortali, quia omninò eſt à lege prohibitum, ut patet *ex l. ſi quis C. de peſtul. & cap. arceantur* 3. *q.* 7. & ſicut reprobatur à jure pactum de quota litis danda Advocato, vel Procuratori caſu quo vincat, ità pariter reprobatur pactum dandi certam quantitatem *juxta gloſ. communiter receptam in l. ſumptus ff. de pactis*, quia eadem eſt ratio, & quod dicitur de Advocaro, dicendum eſt etiam de Procuratore, cum ſecundum omnes ſit pariter eadem ratio, & habetur *in l. idem C. de Procuratoribus*. Unde ſicuti non licèt paciſci de quota litis cum Advocato, vel Procuratore, ne via, & aditus eis aperiatur vincendi lites per fas, & nefas, ut dixi in Reſponſione *ad Int. ult. antecedentem*, ità neque licet eis promittere aliquid pro palmario litis, niſi ſit moderatæ quantitatis, juxtà perſonarum qualitatem; nàm Advocatus, vel Procurator debet eſſe contentus ſumptibus, & ſalario moderato, cũ aliquo palmario prò perſonarum qualitate temperato, ſecundum aliquorum ſentẽtiam, aliàs mortaliter peccat ipſe, & qui ei occaſionem peccandi præbet; Siquidem promittere magnum palmarium in caſu victoriæ, eſt dare magnam occaſionem tractandi cauſam illicitè, ergò eſt peccatum mortale, cum ſit dare occaſionem peccandi alteri, quam jus dare ſpecialiter prohibet, ut optimè firmat Navar. *tom.* 1. *conſ.* 4. *lib.* 1. *de pactis*. Vide Sylv. *verb. Advocatus n.* 12. ubi rem perdoctè tractat, & tandem concludit, quòd ſi nomine palmarii ultrà mercedem aliquid promittitur Procuratori, vel Advocato in caſu victoriæ, talis promiſſio ſit licita, dummodò non ſit de re magna, ſed modica, juxtà viri prudentis, & timorati æſtimationem, addo ego, nàm dato, quod Procurator perdat cauſam, non perdit laborem, cum mercedem habere debeat promiſſam. Quoad Palmarium verò moderatum in caſu victoriæ non videtur prohibitum, quia ceſſat ratio dubitandi velle Advocatum contra conſcientiam, per fas, & nefas ad victoriam pervenire, ut tali palmario fruatur. Bonac. *tom.* 2. *q.* 3. *punct.* 4. *n.* 10. & alii apud ipſum.

Sed

Digitized by Google

Sed Toletus *lib.* 5. *cap.* 60. *ſub n.* 6. *propè finem*, *&* *cap.* 62. *n.* 4. hoc palmarium tanquam illicitum non admittit, & ego hanc ejus opinionem tutiorem eſſe arbitror, & in praxi ſequendam conſulo, cum magis faveat legi, & à peccatis removeat, non enim poſſunt Advòcati, & Procuratores tuta conſcientia exigere à Clientulis pluſquàm debent, ut docent Doctores communiter, ergo &c. Vide etiam Buſemb. *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 3. §. 8. ubi agit de tali dubio; non nego tamèn poſſe dari, & recipi aliquid licitè ratione gratitudinis, & benevolentiæ, ſed non tanquam ex juſtitia debitum, & ſecluſo omni pacto. Tandem vide Navar. *in Man. cap.* 28. *n.* 30. & Armillam *verb. Advocatus n.* 14. *&* 16. Cæterum attendenda ſunt ſtatuta, & conſuetudines locorum à Principibus, & Tribunalibus approbatæ. Alicubi enim exigere licet etiàm coràm Judice palmarium in caſu victoriæ; Alicubi non licet aliquid exigere ultra ſtatutas taxas prò labore, ut hic Romæ. Quarè reſpiciendum eſt in hoc caſu ad conſuetudines, & ſtatuta diverſorum locorum, multum enim faciunt conſuetudines locorum, & ſtatuta, quando non ſunt contrà legem naturalem, & divinam.

TITULUS XLIX.

De Contritione.

Vide tit. de Celebr. Miſ. Inter. 8. *tit. de Differ. Inter.* 1. 2. *tit. de Mem. Pec. Inter. ult. tit. de Moribun. &c. Inter.* 5. 13. 14.

461 Inter. 1. Quid eſt Contritio?

Reſp. Eſt animi dolor, & deteſtatio de peccato commiſſo, ut eſt offenſa Dei ſummè dilecti, cum propoſito non peccandi de cætero.

462 Inter. 2. Peccatne mortaliter Sacerdos, qui incipit audire Confeſſionem in peccato mortali, ſed ante abſolutionem conteritur? Et ſi non conteratur quot peccata committit?

Reſp. Non peccare mortaliter in primo caſu, aſſerit Dicaſtill. *de Sac. tract.* 1. *diſp.* 3. *dub.* 10. *num.* 243. ratio eſt, quia tunc Sacerdos non adminiſtrat Sacrametum, ſed quando abſolvit; nam tunc fit Sacramentum. Vide Dianam *par.* 1. *tract.* 7. *reſ.* 47. *& par.* 10. *tract.* 16. *reſ.* 27. *ſub verſ. Sed Ego*: Si verò non conteratur, non duo, ſed unum peccatum committit, quia dignè non tractat Srcramentum, non autem peccat peccato Omiſſionis, dum non conteritur, quia talis omiſſio, non habet per ſe ſuam malitiam, ſed eſt tantùm circumſtantia actus mali. Ità Mercerus *de Sac. quæſt.* 64. *art.* 6. & alii, quibus ſubſcribit Dian. *par.* 9. *tract.* 7. *reſ.* 58. *verſ. Et tandem.* Cœterù ſi plures ſucceſſivè abſolvat, toties quoties mortaliter peccat, ut dicam *in tit.* 163. *de Peccatis, ad Inter.* 22. cōtra Dianam ibidem citatum; licèt nunc idem Auctor *in princip. reſ. cit.* 58. fateatur ſe adhærere noſtræ ſententiæ, quæ revera eſt probabilior, & tutior, quia ſunt plures actiones determinatæ, & completæ, etiam ſi fiant ſucceſſivè, nam ſunt plures Sacramenti adminiſtrationes, Ergo toties quoties dicendum eſt peccare.

463 Inter. 3. Tenemunne contritionem habere de peccatis jàm confeſſis, & remiſſis, & quoties illorum recordamur?

Reſp. Dico quod non, ſed ſolùm tenemur de illis non complacere, vel mentem aliò divertere. Tolet. *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 3. nam qui ſemel ab illis juſtificatus eſt, manet exemptus ab obligatione illius; nimis enim durum eſſet obligare peccatorem ad habendam contritionem de peccatis quoties illorum recordatur. Suarez *de pænit. diſp.* 18. *ſect.* 8. Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *quæſt.* 5. *ſect.* 1. *pun.* 2. *num.* 9. qui citat D. Th. & alios, Diana *par.* 5. *tr.* 25. *reſ.* 33.

reſ. 33. *verſ. Vnde ex his*, & alii ab ipſo relati. Tamen ſi quis de mortalibus de novo conteratur, benè facit. Verùm Sylv. *verb. contritio num.* 4. putat quod teneamur conteri de peccato quotiès practicè recordamur.

464 Inter. 4. Poteſtne unquam dari caſus, in quo quis poſſit licitè communicare cum conſcientia peccati mortalis ſcienter, non elicito prius Contritionis actu?

Reſp. Nulli dubium eſt, quemlibet Jure Divino teneri ad confeſſionem mortalium ante Euchariſtiæ ſumptionem, ut docet ex Covar. Victorel. *in add. ad* Em. Sà *verb. Confeſſio, ſub num.* 5. Bonac. *de Sac. diſp.* 2. *q.* 6. *punct.* 1. *num.* 35. & multi alii apud ipſum; & plùries Ego dico in aliis Reſponſionibus. Vide igitur *in tit.* 34. *ad Inter.* 8. & *in tit.* 159. *ad Inter.* 6. ſed dato quòd quis juſta aliqua de cauſa, nō poſſit confiteri ſine nota Infamiæ, aut hujuſmodi, poſſe communionem ſumere non elicito Contritionis actu docet Cutill. *in add. ad Jacob. Mancinum prac.* 8. *dub.* 24. qui alios pro ſe citat, ſed hanc opinionem ego non admittam *in tit.* 140. *de Memoria peccatorum, ad Inter.* 2. neque nunc admitto, Imò illam refellit Diana *par.* 9. *tract.* 3. *reſ.* 19. *verſ. Et tandem*, ubi cum Ochogavia, & Antonio de Eſcobar, dicit, quòd tàm Laicus, quàm Sacerdos, in quovis caſu poteſt elicere actum Contritionis, cum Deus ſemper ſit paratus, auxilium nobis prębere; & ità tenendum eſt omninò. Vide quæ dicam infrà *in cit. tit.* 140. *ad Inter.* 2. ubi ſatis me explico.

465 Inter. 5. Teneturne peccator poſt peccatum mortale commiſſum, ſtatim actum contritionis elicere?

Reſp. Quidam docent teneri ad contritionem habendam de peccatis commiſſis ſtatim, ac mortalitèr peccavit; ſed oppoſitum probabilius cenſet Bonac. cum Vaſquez, Conincho, Medina, Suarez, Reginaldo, Valentia, & aliis, & hoc mihi ſatis probatur, ex communi uſu Chriſtifidelium, nullus enim putat ſe reum novæ culpæ, ſi pœnitentiam ſtatim non agat, nec ſolet in confeſſione ſe accuſare non elicuiſſe actum contritionis ſtatim poſt peccatum commiſſum, qui uſus admittitur à viris doctis, nec ullum ſcrupulum faciunt. Vide Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *quæſt.* 5. *ſect.* 1. *pun.* 2. *n.* 8. qui ad objectiones ſatis, & perdoctè reſpondet. Vide etiam Tolet *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 3.

466 Inter. 6. Quando obligat contritionis præceptum?

Reſp. Non conveniunt Doctores, nàm quilibet ſuam profert ſententiam, ut videre licet apud Dianam *par.* 5. *tract.* 13. *reſ.* 33. Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *q.* 5. *ſect.* 1. *pun.* 2. *num.* 5. & *ſeq.* ſed prætermiſſis hùjuſmodi opinionibus, dico cum communi, obligare contritionis præceptum per ſe, & vi propria in articulo mortis, aut in periculo, maximè ſi quis tunc non habeat Confeſſarii commoditatem; Imò Bonac. *loc. cit. n.* 5. docet, præceptum contritionis obligare etiam in periculo amentiæ perpetuæ, & ideò tùnc tenetur præſtare ea, quæ facere deberet ſi eſſet in periculo mortis. Præterea per accidens ratione præcepti alterius virtutis à charitate diſtinctæ, tenetur actum contritionis elicere, quando quis ſuſcepturus eſt, vel adminiſtraturus aliquod Sacramentum, poſito quòd ſit in peccato mortali, & copiam Confeſſarii non habeat; nemo enim Sacramentum dignè ſuſcipere, aut adminiſtrare quit, niſi peccatum deleat per confeſſionem, vel ſaltem per contritionem, excepta ſuſceptione Sacram. Baptiſmi, & Pœnitentiæ, ad quam ſufficit attritio, quia hæc duo ſunt Sacramenta mortuorum, ut dicam *in tit.* 191. *de Sacr. ad Int.* 2. 3. 4. & 5. & inſtituta ad conferendam primam gratiam, & ſic non ſupponunt gratiam in ſubjecto, ſed eam conferunt ſubjecto attrito. Ita Bonac. *ubi ſupra*. Tandem quando quis eſt in

pro-

probabili periculo incidendi in aliquod peccatum mortale, vel aliqua grandis tentatio paratur, cui exiſtenti in peccato mortali periculum eſt ſuccumbendi, ſi contritionis actum non eliciat, tenetur conteri, alioquin mortalitèr peccat, juxtà id, quod docent Tolet. & Bonac ibidem, & alii plures. Sed vide Tolet. *lib.* 4. *c.* 9. *per totum*. Bonac. *de legib. diſp.* 3. *q.* 4. *pun.* 2. ubi plura habentur, & Emm. Sà *verb. contritio n.* 2.

Quær. An contritio ſit ſufficiens ad remiſſionem peccatorum ſine actu dilectionis Dei ſuper omnia, & an ſit neceſſaria ad ſalutem, & quando obliget contritionis præceptum? Et an attritio ob timorem gehennæ, vel amiſſionis gloriæ, aut ob turpitudinem peccati, unà cum Sacramento, ſufficiat ad juſtificationem?

Reſp. Cenſeo, quòd pœnitentia, ejuſque actus præcipuus, qui eſt contritio, naſcatur ex charitate, & procedat ex amore Dei; Nam peccator verè pœnitens, & contritus, non movetur ad pœnitendum, neque odio habet peccata, niſi propter Dei amorem, ergò deteſtatio, aut odium peccatorum naſcitur ex dilectione Dei. Confirmatur aſſertum, nam ad veram contritionem requiritur nolle offendiſſe Deum, quatenùs eſt ſummum Bonum, & nolle ampliùs ei diſplicere; ſed hæc eſt vera dilectio Dei; Conſequenter dicendum eſt, actum contritionis continere dilectionem Dei; Qui enim vult Deo in omnibus placere, & in nullo diſplicere, verè illum diligit, ergò patet, quòd actus contritionis non poteſt eſſe ſine actu dilectionis Dei; Verùm quia dilectionis actus eſt perfectior actu contritionis, & ſunt inter ſe duo actus diſtincti, videtur ſequi, quòd remiſſio peccatorum tribueretur actui dilectionis, & non pœnitentiæ, & contritionis, & in hoc conſiſtit difficultas. Dico igitur, quòd contritio procedit ex actu dilectionis, ſi eſt vera contritio, cùm ſit actus imperatus à charitate procedens; Sed cum præcipiatur etiam actus pænitentiæ, ſeù deteſtationis formalis, quo affectu reintegretur dominium Dei in noſtras actiones, ideò remiſſio peccatorum magis tribuitur pœnitentiæ, ſeù contritioni claudenti charitatem, quà redditur Deo ratiò ſummi boni, & ultimi finis, & ita videtur illi actui remiſſionem peccatorum promitti ex pluribus locis, tùm veteris, tùm novi Teſtamenti, dicitur enim. *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Non vult Dominus mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat. Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpiciet. Erat Joannes in deſerto prædicans Baptiſmum pænitentiæ in remiſſionem peccatorum. Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis, & patet ex pluribus aliis locis Sacræ Scripturæ*: nec obſtat ſi dicatur Chriſtum Dominum de Maria Magdalena dixiſſe, quòd ei remiſſa ſunt peccata multa, quoniam dilexit multum, quia dicimus quòd dilectio non juſtificavit illam formaliter, cùm charitas non ſit forma juſtificans, niſi præſuppoſitivè, ſeù diſpoſitivè; Juſtificatio enim formalis ſolùm à gratia ſanctificante habetur, ut docent communiter Thomiſtæ, teſte Jo: Baptiſta Gonet *tom.* 6. *Man. tr.* 7. *cap.* 16. §. 1. *de gratia*, ſed quidquid ſit de hoc, relinquamus ut in ſcholis decidatur talis difficultas, ſed dico, quòd dolor peccatorum in caſu noſtro debet eſſe propter Deum, & non propter ſolùm timorem pœnarum, aut propter quodvis aliud, ut juſtificet extrà Sacramentum, ſed quià ſunt offenſa Dei, ut ſummi Boni: Prætereà dico cum Cajet. *in ſumm. verb. Contritio*, pœnitentiam neceſſariam eſſe peccatori ad ſalutem, & pœnitentiam principaliter conſiſtere in Contritione, quæ neceſſaria fuit ante legem, ſub lege, & tempore gratiæ; nimirum neceſſitate medii extra Sa-

cramentum, poſt Baptiſmum iis, qui mortaliter peccarunt, vide Conc. Triden. *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. Quando verò obliget contritionis præceptum, videri poteſt apud Cajet. *loco cit.* Em. Sà *eodem verbo n.* 2. Bonac. *de Sacr. tom.* 1. *diſp.* 5. *q.* 5. *ſect.* 1. *per totam*, & me ipſum, *ubi ſuprà*. Denique dico quòd Recentiores ferè omnes ad ultimum quæſitum affirmativè reſpondent, & ità quoque me pluries docuiſſe memini, attritionem ſcilicet procedentem ex motivis ſuprà relatis, & includentem amorem Dei initialem, unà cum Sacramento, ſufficere ad ſuſcipiendum Sacramentum pœnitentiæ cum fructu, quia peccator virtute clavium ex attrito fit contritus, & gratiam habitualem, & remiſſionem peccatorum recipit, & conſequenter juſtificatur. Nihilominus conſulendi ſunt pœnitentes, & præſertim in periculo mortis, ad eliciendum actum perfectę contritionis, nempè ad dolendum de peccatis dumtaxat ex motivo charitatis, & amore Dei ſuper omnia dilecti, nàm per contritionem juſtificari hominem extra Sacramentum, & multo magis cum Sacramento, & ſaltèm præſuppoſitivè, cum ſit ſufficiens diſpoſitio ad gratiam, à nullo negari equidem rectè poteſt. Tria tandem exigit vera Contritio, diſplicentiam ſcilicet de peccatis commiſſis ſuprà omne odibile, propter Deum ſuper omnia dilectum, propoſitum vitandi peccata ſupra omne vitabile, & propoſitum confitendi, ſeu ſatisfaciendi; Sed hoc tertium requiritur ſi homo non eſt confeſſus: Duo autem prima ſimpliciter, & abſolutè exiguntur. Unde ſi aliquis per Dei revelationem certò ſciret ſe eſſe perfectè contritum, adhuc teneretur confiteri, quia ſic Chriſtus ordinavit, ut optimè docet P. Campionus *in ſua Inſtruct. pro ordinand. cap.* 11. *n.* 31. cæterique Doctores. Vide Gonet ubi ſuprà *de Pœnit. tr.* 5. *cap.* 4. *per totum*.

ACTUS CONTRITIONIS.

Ex P. Vuilhelmo Nokanteno Soc. Jeſu in Theſauro Sacræ Supellectilis.

Amo te Deus ſuper omnia, & ex ſolo amore tui doleo ex intimo corde, quod te ſummum bonum meum, ſummo malo, ideſt peccato offenderim, ignoſce precor per merita acerbiſſimæ paſſionis tuæ, cupio per tuam gratiam emendare, & implere legem tuam.

Brevior.

Deus meus, & omnia propter te, quem ſummè diligo, intimè doleo quod unquam peccavi. Quia te offendi, emendationemque propono in futurum.

Oportet itaque, ut peccatorem pœniteat offendiſſe Deum non tam ob ſupplicium, aut damnum quod incurrit quando mortaliter peccat, quia eſſet tantum attritio, quæ non poteſt niſi Confeſſioni conjuncta peccata mortalia delere ut dixi in tit. 17. *de Attritione, ad Inter.* 3. *& dicam in tit.* 70. *de differentiis, ad Int.* 2. *Vide ſuprà in hoc titulo ad Int.* 6. *& ad quæſ. Sed neceſſe eſt, ut potiſſimum doleat de peccatis, quia per ea offenditur Deus Summum Bonum, & in hoc conſiſtit vera, & perfecta contritio.*

Pœnitemini, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra. *Act.* 3.
Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies. *Pſ.* 50.

TITULUS L.

De Contumelia.

Vide tit. de Confeſſ. Sacr. Int. 23. *tit. de Differ. Int.* 9. 10. *tit. de Revel. Secr. Inter.* 1.

467 INter. 1. Quid eſt contumelia? *Reſp.* Eſt injuria, qua obiicitur alteri crimen, vel alius defectus in ip-

in ipſius præſentia. Ita docent communiter DD. teſte Bonac. *de Reſt. diſ.* 2. *q.* 5. *punct.* 1. *num.* 3. Vide dicenda *in tit.* 70. *de Differ. ad Int.* 9.

468 Inter. 2. Eſtne peccatum mortale dicere contumelias Proximo?

Reſp. Contumelia quidem eſt peccatum gravius detractione, & conſequenter ex genere ſuo eſt mortale. S. Th. 2. 2. *qu.* 73. *ar.* 2. *ad* 2. & alii communiter. Unde quando dicuntur contumeliæ cum intentione graviter lædendi proximum, vel qui eas profert, ſcit læſionem fore gravem, mortaliter peccat, ſecùs dicendum eſt, quando quis per jocum, vel per correctionem proiicit convicium, ſicut etiam, quando invincibiliter ignorat læſionem aliquam ſecuturam. Vide Bonac. *loc. prox. cit. n.* 3. & *ſeq.* ubi concordantes refert.

469 Inter. 3. Contumeliæ omnes, ſuntne ejuſdem, vel diverſæ ſpeciei?

Reſp. Omnes Contumeliæ conveniunt in eadem ratione formali auferendi honorem, quamvis differant ſecundum magis, vel minùs, ſed magis, & minùs non variant ſpeciem, ergò omnes contumeliæ ſunt ejuſdem ſpeciei. Cajet. 2. 2. *q.* 72. *ar.* 1. Em. Sà *verb. Contumelia n.*1. Bonac. *ubi ſupra n.* 5. Diana *part.* 1. *tr.* 7. *reſ.* 28. *verſ. ego verò*, & *part.* 3. *tr.*4. *reſ.* 67. *verſ. in Reſol.* 28. Vide dicta *in tit.* 44. *de Conf. Sacr. ad Int.* 22. & 23.

TITULUS LI.

De Copula carnali.

Vide tit. de Conf. Sacr. Int. 10. 19. *tit. de Opin. Int.* 3. *tit. de Peccat. Inter.* 8. 9. *tit. de Sacril. Int.* 4. *tit. de Simul. Inter.* 7. *tit. de Soc. crim. Inter.* 8. *tit. de Sponſal. Int.* 5. *tit. de Sponſ. Inter.* 14. *tit. de Vot. Inter.* 14. *tit. de Uſura &c. Inter.* 13.

470 Inter. 1. Habens copulam cum fœmina dormiente, quodnam peccatum committeret?

Reſp. Certùm eſt, quòd ſecundum qualitatem perſonæ talis copula reducitur vel ad ſimplicem fornicationem, ſi mulier eſſet ſoluta, vel ad Adulterium, ſi eſſet conjugata, vel ad Inceſtum, ſi eſſet conſanguinea, aut affinis, vel ad Stuprum ſi eſſet Virgo, vel ad Sacrilegium, ſi eſſet Monialis &c. Nam committeret peccatum ejuſdem ſpeciei, ac ſi haberetur copula cum illa vigilante, ac ſpontè conſentiente, & de hoc nulla eſt difficultas. Si verò Fœmina quę dormiens, ante ſomnum in copulam non conſenſit, dicunt nonnulli, quos refert Diana *part.* 9. *tr.* 9. *reſ.* 2. quod habens copulam cum ea committeret etiam Raptum formàlem, quia copula illa cenſetur cum muliere invita, conſequenter violentata; nam ſi vigilaret, non conſentiret, ergò raptus committitur, quia ſola violentia eſt ſufficiens ad conſtituendum raptum, ut docet S. Thomas 2. 2. *queſt.* 154. *art.* 7. Sanchez, & alii apud Dianam *loc. cit.* Tamen non deſunt alii, qui ſubſtinent oppoſitum, afferentes, non ſufficere violentiam ad conſtituendum raptum, ſed requiri, quòd mulier violentata adducatur de loco ad locum; probant etiam, quod raptus ſit violenta extractio de domo Patris, ut dicitur in *lege unica de Raptu*. Ideo vide Doctores, quos pro utraque parte refert ipſe Diana. qui tamen in hac difficultate ſuum interponere judicium recuſat.

471 Inter. 2. Qui habet copulam cum fœmina mortua, quodnam peccatum committit?

Reſp. Dicit Diana, quod ſit peccatum mollitiei, & ſatis ſit dicere in Confeſſione ſe polluiſſe, abſque eo quod fateatur illam circumſtantiam fœminæ mortuæ, & rectè dicit. Tamen notandum eſt, quod ſi in illo actu intendat peccare cum conjugata, conſanguinea, Moniali, &c. certum

X 2 eſt

eſt teneri hanc circumſtantiam explicare, quia addit novam malitiam neceſſariò in Confeſsione aperiendam. Vide Tolet. *lib.* 5. *cap.* 13. *ſub num.* 6. & docent Doctores communiter. Vide *Inter.* 7. *tituli* 163.

472. Inter. 3. Copula habita cum fœmina mortua ad quam ſpeciem peccati reducitur?

Reſp. Quidam dicunt, quod reducatur ad ſimplicem fornicationem; Alii verò putant reducendam eſſe ad beſtialitatem, ut videre eſt apud Dianam *par.* 9. *tr.* 9. *reſ.* 1. ſed Sanchez *de Matrim. tom.* 3. *lib.* 10. *diſp.* 4. *n.* 14. docet non eſſe fornicationem, & multo minus beſtialitatem, ſed tantùm continere malitiam pollutionis factæ adjutorio illius corporis mortui, quod cum ſit inſtrumentum inanimatum, ac ſi eſſet ſtatua ipſius mulieris, non poteſt conſtituere diverſam ſpeciem malitiæ ab ipſa pollutione, & in hanc ſententiam inclinat Tamburr. *opuſ.* 1. *lib.* 2. *cap.* 7. §. 10. *num.* 78. & Diana *ubi ſuprà* qui pluribus rationibus id probat egregiè; ſed hoc intelligit dummodo peccans cum tali fœmina mortua, non habeat affectum fornicarium diverſum à pollutione; nam ſi in illo actu intenderet peccare cum conſaguinea, moniali, conjugata, vel virgine, ultra peccatum pollutionis, committeret Inceſtum, Sacrilegium, Adulterium, vel Stuprum, ut de ſe patet, & ego jam berviter dixi *in Reſponſione ad Inter. antecedentem*.

473 Inter. 4. Qui habet copulam cum duabus ſororibus in primo, vel ſecundo gradu, quale peccatum committit?

Reſp. Peccatum inceſtus, quia contraxit affinitatem cum ſecunda, peccando cum prima.

TITULUS LII.

De Correctione.

Vide tit. de Relig. aliq. par. Inter. 3. *tit. de Soc. crim. Inter.* 6. 7. *tit. Superſt. Inter.* 3. 9.

474 INter. 1. Poteſtne licitè Confeſſarius ex notitia in confeſsione habita corrigere complicem pœnitentis? aut ſaltem ex ejus licentia hoc facere?

Reſp. Dico primò, Nullo modo poſſe Confeſſarium ex notitia in Confeſſione habita corrigere complicem pœnitentis, aùt ejus delicta extra Confeſſionem impedire, aùt alloquì complicem de peccato &c. Dico ſecundò contra Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *quæſt.* 6. *ſect.* 5. *pun.* 4. *num.* 25. & alios, quos refert Dian. *par.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 113. non licere Confeſſario interrogare pœnitentem de complice in ordine ad ipſius correctionem faciendam, & illam de licentia pœnitentis facere; Nàm finis intrinſecus Sacramenti Pœnitentiæ eſt tantùm Juſtificatio pœnitentis, non autem emendatio complicis, & hanc eſſe communem opinionem in ſchola D. Thom teſtatur Diana *ubi ſupra* plures allegans Doctores; Vide igitur, quæ dicam *in tit.* 207. *de Sociis criminis ad Inter.* 7. & 17. & iterum Dian. *par.* 3. *tract.* 2. *reſ.* 42. *in fin. verſ. Non poteſt igitur; Et par.* 5. *tract.* 11. *reſ.* 49.

475 Inter. 2. Peccatne mortaliter Conjux verberando Uxorem?

Reſp. Non eſt dubium, quod Maritus, tenetur Uxorem amorem, honorem, & obedientiam præſtare, & è contra Uxor tenetur, amorem, reverentiam, & obedientiam viro exhibere, ſunt enim duo in carne una, tamen in multis eſt ſubjecta viro, licèt ejus ſerva non ſit; ideoque ſi opus fuerit, non peccat maritus, ſi cauſa correctio-

·ctionis leviter Uxorem verberet ex gravi aliqua cauſa, ut ipſam corrigat, & ad meliorem frugem trahat: Peccaret tamen mortaliter Maritus, ſi illam graviter percuteret, aut aliqua injuria afficeret, qua notam infamiæ incurreret. Ità tradunt Toletus *lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 1. Em. Sà *verb. Matrim. num.* 30. Navàrrus *in Man. cap.* 14. *num.* 19. Sylveſter *verb. Vxor quæſt.* 3. Bonac. *tom.* 2. *de legib. diſp.* 6. *quæſt. unic. pun.* 7. *num.* 1. 2. *&* 11. qui plura congerit ad hoc propoſitum, & plures Doctores refert; Vide etiam Layman *lib.* 5. *tr.* 10. *par.* 3. *cap.* 2. *n.* 6. & Armillam *verb. Vxor. num.* 2.

476 Inter. 3. Pater percutiens Filium Clericū cauſā correctionis, incurritnè Excōmunicationē contra percutientes Clericos latam *in cap. Si quis ſuadente Diabolō* 17. *quæſt.* 4.

Reſp. Quòd Pater correctionis gratia poſſit moderatè corrigere, & abſque metu excommunicationis percutere Filium Clericum in inferioribus gradibus, & Ordinibus conſtitutum, eſt inconfeſſo apud omnes ſcribentes. Verùm difficultas conſiſtit, an licitè, & ſine metu excommunicationis poſſit id facere in Filium in Sacris conſtitutum, & præſertim ſi ſit Sacerdos; in hoc enim DD. non conveniunt. Quidam putant, quòd Pater animadvertens in Sacerdotem filium, non reus ſit violatæ legis Eccleſiaſticæ de non verberando Clerico, & pro hac ſententia ſunt S. Antoninus 3. *par. tit.* 24. *cap.* 1. §. 2. *caſu* 12. Sylveſ. *verb. Excom.* 6. *num.* 6. *caſu* 8. Navar. *cap.* 27. *num.* 82. Avila *par.* 2. *cap.* 5. *diſp.* 3. *dub.* 13. *caſu* 1. Suarez *de Cenſ. diſp.* 22. *ſec.* 1. *num.* 49. Facundez, Graffius, Filliuc. Coninch. Bannes, Valent. & Bannius, quos dat ſed non ſequitur Diana *par.* 9. *tract.* 4. *reſ.* 1. Et ratio eſt ipſorum præcipua, quia per Ordinem Sacrum non tollitur patria poteſtas, ſed ſolùm per Epiſcopatum, & Cardinalatum, quòd affirmat etiam Em. Sà *verb. Filius n.* 23. Alii verò, quos ſequitur Diana, oppoſitum docent, quorum ratio eſt, quia Jus commune prohibens Clerici percuſſionem, non excludit Patrem; Immò *in cap. cum voluntate de Sent. Excom.* hoc ei potius dicunt eſſe prohibitum. Alias rationes, & auctoritates, libens prætereo, cum facilè videri poſſint ſaltem apud Dian *loc. cit.* Tamen ſi Sacerdos Filius in vita, moribusque, ſacra indignum perſona, quam ſuſtinet, peccaverit, à Patre emendari, & moderatè caſtigari licitè poſſe non dubito cum Bonac *de Cenſ. diſp.* 2. *quæſt.* 4. *pun.* 4. & aliis ſupra citat. Vide etiam Bonac. *de Legibus diſp.* 6. *quæſt. ult. pun.* 8. *ſub num.* 9. *verſ.* 3. & Armillam *verb. de verberatione num.* 1.

477 Inter. 4. Prælati Regulares tenenturne inquirere occulta peccata Subditorū, ut illa fraternè corrigere valeant?

Reſp. S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 33. *ar.* 2. *ad* 4. & ferè omnes Doctores, docet, Superiores teneri nō ſolùm corrigere peccata, quæ caſu vident à Subditis fieri, & ab iis facta cognoſcunt; ſed etiam inquirere in vitam ſubditorum, ut videant, ſi quæ in eis fortè corrigenda ſint, quia de manibus Prælatorum ſanguis Subditorum requiretur, ut dicitur *in cap. Irrefragabili de offic. ordin.* nam quod à bovibus non aratur, negligentiæ Paſtoris adſcribitur, ait S. Joannes Chriſoſtomus. Sed vide, quæ dicam *in tit.* 214. *de Subditis, ad Inter.* 1. *&* 2. Tamen nota, quod debent Superiores uti magna prudentia in quærendo, quid reprehendant, quia nimia ſollicitudo, & intempeſtiva inquiſitio facit, ut Superior tamquam inquietus, & ſuſpicioſus odio habeatur; Unde ut docet Lorca *in* 2. 2. *D. Thomæ loco ſupr. cit. art.* 6. *diſp.* 45. *ſect.* 3. *num.* 11. S. Benedictus in ſua Regula *cap.* 64. de Abbate prudenti inquit: *Non ſit turbolentus, & anxius, non ſit nimius, non ſit zelotypus, & nimis ſuſpicioſus &c.* Et S. Bernardus dicit: quod Superior, omnia videat; mul-

multa diſſimulet, & pauca corrigat cum charitate. Vide Dianam *par.* 3. *tract.*2.*reſ.*42. & Armillam *verb. Epiſcopus n.* 7. *& verb. correctio ſub n.*3.

478 Inter. 5. Poſſuntne ſubditi licitè ſuos Prælatos corrigere, & quomodo ſe gerere debent in corrigendo ſuos Prælatos?

Reſp. Non ſolum poſſunt, ſed etiam aliquando id facere debent, quià præceptum divinum, *ſi peccaverit in te Fratrer tuus, corripe illum*, compræhendit omnes tàm ſubditos, quàm Prælatos. Verum eſt tamen, quod quando Prælatus eſt corrigendus propter aliquos defectus, neceſſariò corrigi debet à perſonis gravibus, & auctoritatis, & leniter, humiliter, & reverenter; nàm S. Paulus 1. ad Timoth. *cap.* 5. inquit *Seniorem ne increpaveris, ſed obſecrà, ut patrem*. Et hoc intelligit S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 33. *art.* 4. quoad corrigendos Prælatos ità ſe habere debeant ſubditi, ut docet Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 4. *num.* 36. qui citat Valentiam, & Rodriquez. Vide Dianam *par.* 7. *tract.* 3. *reſ.* 25. & Armillam *verb. correctio num.* 3.

479 Inter. 6. Antequam Blaſphemator hæreticalis denuncietur, eſtne præmittenda correctio fraterna?

Reſp. Quidam affirmant, & dicunt, ſemper præmittendam eſſe correctionem fraternam antè denunciationem, præſertim quandò blaſphemia eſt occulta, & Blaſphemator de levi ſuſpectus. Ità tradunt Sylveſter *verb. correctio quæſt.* 5. Toletus *lib.* 5. *cap.* 54. *n.* 3. Portellus *de dub. Regul. verb. correctio fraterna num.* 1. & alii plures. Sed rectiùs dicunt Azorius *lib.* 9. *cap.*28. *quæſt.*8. Henriquez *lib.*11. *cap.* 24. *num.* 11. Sancius *in ſelect. diſp.* 11. *num.* 56. & Diana *par.* 1. *tr.* 4. *reſol.* 2. & alii penes ipſum, aſſerendo Blaſphemos hæreticales, attentis DD. Inquiſitorum Edictis denunciandos eſſe abſque ulla alia prævia monitione, & ratio eſt, ut ſæpè dico, quià in delictis, quæ tendunt contra bonum commune, non eſt præmittenda correctio, ultra quod denunciatio, quæ fit in Tribunali Sanctiſſimæ Inquiſitionis, eſt denunciatio Judicialis, quæ punitionem intendit ad exemplum aliorum, & ne delicta impunita remaneant ob bonum commune, conſequenter non eſt neceſsè, ut correctio præmittatur, & ità tenendum eſt omninò; nam Blaſphemi hæreticales, Hæreticis æquiparantur, vel ſaltem ſunt ſuſpecti de hæreſi, ut dixi ſupra *in tit.* 24. *de Blaſphematoribus, & Blaſphemiis, ad Inter.* 11. & tradunt plurimi allegati per Raynaldum eo *tom.* 1. *Obſerv. cap.*1.§. *ad* 7. *num.* 65. *& ſeqq.*, ac proindè nulla præmiſſa correctione denunciandi ſunt Inquiſitoribus, vel locorum Ordinarii, ubi non ſunt Inquiſitores, maximè hodie poſt decretum Alexand.VII. quod incipit *Licèt alias*, ex quo remanet omninò profligata oppoſita ſententia. Vide Sanchez *in opuſc. lib.* 6. *cap.* 2. *dub.* 5. *num.* 6. *Vide ad Inter. ſeq.*

480 Inter. 7. Antequam ſuſpecti de hæreſi denuncientur, ſuntne priùs Fraternè corrigendi?

Reſp. Dicam in ſequenti Reſponſione, in delictis ad Sanctum Officium ſpectantibus nullam eſſe præmittendam correctionem fraternam, nunc etiam idem dico cum Suarez *de fide diſp.* 3. *num.* 12. Diana *par.* 4. *tract.* 5. *reſ.* 24. quibus ſubſcribit Lezana *to.* 2. *verb. Denunciatio num.* 7. Vide iterum Diana *par.* 5. *tract.* 2. *reſ.* 89. *verſ. Sed difficultas, in fine, par.*9. *tract.*8. *reſ.*46. *& in Sum. verb. Denuntiatio num.* 8. qui abſolutè docet correctionem in hac materia nullo modo eſſe faciendam, ſed ſtatim ſunt denuntiandi, etiamſi ſperetur per correctionem emendatio, nam talis denuntiatio præcipitur in eorum pœnas, & ob publicum bonum Chriſtianæ Religionis, & ità tenendum eſt omninò; nec audiendi ſunt, qui oppoſitum docent apud eumdem Dianam *par.* 1. *tract.*4. *reſ.*2. Maximè nunc poſt Decretum Alexan.

xan.

xan. VII. incipit. *Licit aliàs, referendum in tit. 66. de Denunciationibus, ad In er.* 10.

481 Inter. 8. In delictis ſpectantibus ad Sanctum Officium, debetne fieri denunciatio ſine prævia correctione fraterna, vel ante ipſam eſt neceſſe, ut correctio præmittatur?

Reſp. Multi dicunt, quòd Chriſtus Dominus dixit, delictum proximi manifeſtandum eſſe Eccleſiæ, quando proximus correctionem ſecretam non audit, ergo præmittendam eſſe putant correctionem fraternam, tum etiam quia Charitas obligat, quod minori, qua fieri poteſt jactura, medicina delinquenti adhibeatur. Doctores pro utraque parte refert Diana *par.* 1. *tr.* 4. *reſ.* 2. His tamen non obſtantibus dicendum eſt, quod tàm hæretici, quàm quomodolibet etiam leviter de hæreſi ſuſpecti, prætermiſſa omni correctione fraterna, denunciandi ſunt Inquiſitoribus, vel locorum Ordinariis, nam Inquiſitorum Edicta non adverſantur præcepto Chriſti Domini, cum non loquatur Chriſtus de denunciatione judiciali, ſed Evangelica; tum quia Chriſti Domini præceptum eſt de peccatis, quæ contra bonum publicum non vergunt; Tum quia ipſe Dominus loquitur de correctione, quæ fit ſolum, ut frater, ſeù proximus emendetur, ſed nos loquimur hic de denunciatione judiciali, quæ fit, ut delinquens ad aliorum exemplum publicè puniatur, & bono communi conſulatur, & ita eſt omninò tenendum, cum oppoſita ſententia profligata remaneat ex Decreto Alex. VII. quod incipit. *Licèt aliàs*, edito Anno 1660. & per extenſum refert Cabrin. *de Caſ. Reſerv. par.* 1. *reſ.* 42. §. 16. ubi paulò ante, id, quod ſupradictum eſt, fortioribus terminis probat; Ne deferas ipſum videre. Vide etiam Dianam *loco ſup. cit. & par.* 4. *tract.* 5. *reſol.* 24. *per totam*.

482 Inter. 9. Audiens detrahentem de re gravi, & eum non corrigens, peccatne mortaliter?

Reſp. Si de detractione minimè delectatur, vel ſi delectetur ſolùm de auditione rei novæ, vel de eloquentia detractoris, dummodò tamen ad detrahendum ex nullo ſigno, nec quidem indirectè detractionem moveat, non peccat mortaliter: Si verò poteſt corrigere detrahentem, & ſperet correctionem profuturam, & non corrigit, peccat mortaliter contra charitatem; Quòd ſi ex officio detractionem impedire tenetur, ut Pater familias reſpectu Filiorum, & Servorum, Abbas, Prior, Guardianus &c. reſpectu Regularium, Parochus reſpectu Subditorum, & Dominus reſpectu Vaſſallorum, graviter peccat, non ſolùm contra Charitatem, ſed etiam contra juſtitiam, ſi non corrigit Subditos detrahentes. Cœterùm privatæ perſonæ poſſunt à peccato mortali ſæpiùs excuſari non obſtando detractioni, primò, quia ſæpè non eſt ſpes fructus; ſecundò, quia audiens non debet in dubio præſumere de loquente malum, niſi habeat ſufficientes conjecturas in contrarium, & cum ipſe neſciat, an delictum, quod ab illo narratur, ſit publicum, vel occultum, & utrum juſtè, vel injuſtè narretur, non peccat non obſiſtendo narrationi. Bonac. *diſp.* 2. *par.* 4. *pun.* 11. *n.* 6. *& ſeqq.* Diana *par.* 2. *tract.* 17. *reſ.* 24. *& par.* 3. *tr.* 5. *reſ.* 35. & alii plures apud ipſos. Verùm in his caſibus, ut rectè obſervat Bonac. *ibidem num.* 7. qui non poteſt aliter impedire detractionem, debet diſcedere ſi commodè poteſt, vel ſermonem ad res alias transferre, vel facetiam interponere, vel obſecrare, ne de ea re agatur, aut vultum hilarem non præſeferre, ſed triſtiorem; hoc enim pacto facilè retrahi poteſt detractor à detractione; quod eſt quidem notatu dignum. Vide Em. Sà *verb. Infamare num.* 6. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 67. *per totum*.

TITU-

TITULUS LIII.

De Culpa juridica.

Vide tit. de Excom. ob Cler. percuſ. Inter. 23. *tit. de Reſt. Da. Inter.* 8. 9. 10. 12. 13. 14. 15. 16. 19. 20. 21.

483 INter. 1. Quid, & quotuplex eſt culpa?

Reſp. Culpa alia dicitur Theologica, alia verò Juridica. Culpa Theologica eſt peccatum mortale, aut veniale, quia eſt deordinatus actus, id-eſt non congruens debito fini; Peccatum autem eſt in operatione naturæ artis, ſed culpa in operatione voluntatis tantùm, & in hoc ſolùm differt culpa à peccato. Culpa verò Juridica eſt deviatio ab eo, quod rectum eſt, & per hominis diligentiam provideri poterat. Ità docent Sylveſter *verb. Culpa num.* 1. Toletus *lib.* 1. *cap.* 32. *ſub num.* 8. Bonac. *tom.* 2. *de contract. diſp.* 3. *quæſt.* 1. *pun.* 6. *num.* 1. & alii omnes.

484 Inter. 2. Quotuplex eſt Culpa juridica?

Reſp. Eſt triplex, ſcilicet, Lata, Levis, & Leviſſima. Lata culpa eſt omiſſio illius diligentiæ, quam communiter homines illius conditionis, & profeſſionis adhibere ſolent. Levis culpa eſt omiſſio diligentiæ, quam non omnes communiter adhibere ſolent, ſed diligentiores. Leviſſima denique culpa eſt illa omiſsio diligentiæ, quam exquiſitiſſimi, & diligentiſſimi homines facere ſolent, quia valdè cautè procedunt in operando. Ità Toletus, Sylveſter *num.* 2. & Bonac. *locis ſuprà citatis*, qui etiam afferunt exempla. Vide etiam Em. Sà *verb. Culpa num.* 1. & Navarrum *in Manual. cap.* 17. *num.* 177. Unde Culpa eſt quædam negligentia, & omiſſio ejus, quod potuit, & debuit fieri, & quantò magis eſt negligentia, & omiſſo, tantò magis eſt gravis culpa. Ideò non immeritò aſſerunt quidam, quòd datur etiam culpa Latior, & Latiſſima; Latior idem eſt, ac dolus præſumptus; Latiſſima, hoc eſt dolus apertus. Vide Sylveſtrum *ubi ſupra*, Stephanum à S. Gregorio *de contr. lib.* 1. *cap.* 1. *ſub num.* 8. & Layman *lib.* 3. *ſect.* 5. *tract.* 4. *cap.* 7. *ſub. n.* 2.

485 Inter. 3. Quid eſt dolus?

Reſp. Datur dolus bonus, & dolus malus. Dolus bonus eſt quedam ſolertia in operando; ſed Dolus malus eſt quædam calliditas, fallacia, vel machinatio ad aliquem decipiendum: Calliditas fit tacendo, fallacia mentiendo; Machinatio autem arte verborum, ut docet Gloſ. *ff. de dolo l.* 1. Bonac. *loc. ſup. cit. num.* 3. Stephanus à S. Gregorio *ubi ſuprà*, qui teſtatur de communi. Vide Cajetanum *in Sum. verb. Dolus*, & Em. Sà *eodem verbo num.* 1. *& ſeq.*

TITULUS LIV.

De Debito conjugali.

Vide tit. de Diſp. Int. 7. 8. *tit. de Div. Int.* 13. *tit. de Epiſcop. &c. Int.* 47. *tit. de Forn. Int. ult. tit. de Ingreſ. in Relig. Inter.* 10. 11. *tit. de Val. Sac. Matr. Inter.* 11. *tit. de Vot. Inter.* 9. 11.

486 INter. 1. Debitum conjugale quotupliciter poteſt amitti?

Reſp. Quatrupliciter, nempè ratione voti, ratione inceſtus, ratione adulterii, & ratione cognationis ſpiritualis, ità DD. communiter.

487 Inter. 2. Conjux adulter occultus poteſtne petere debitum ab altero conjuge ignorante ſuum adulterium?

Reſp. Jam dixi in Reſponſione antecedente, quòd per adulterium amittitur jus petendi debitum conjugale, modo verò, ut ſatisfaciam præſenti petitioni, dico probabilem eſſe illam ſententiam, quæ docet Adulte-

rum

rum Uxori occultum poſſe ab ea debitum exigere; quia tale jus non amittitur in foro conſcientiæ, niſi poſt ſententiam Judicis, nec ipſe adulter occultus tenetur ſuum manifeſtare delictum; Conſequenter juxtà hanc ſententiam licité poteſt debitum petere; ut docent Sanchez *de Matrim. lib.* 1. *diſp.* 68. *num.* 4. Sotus *in* 4. *diſt.* 36. *quæſt. unic. art.* 4. Petrus à Soto, Lopez, & alii plures apud Em. Sà *verb. Adulterium ſub num.* 3. *in Additione*, & apud Bonac. *de Matrim. quæſt.* 4. *pun.* 5. *à num.* 20. qui hanc ſequitur ſententiam; Contraria tamen, quam tenent Navar. *in man. cap.* 23. *num.* 23. Rebell. *lib.* 2. *quæſt.* 17. *num.* 3. Rodriquez *par.* 1. *cap.* 243. *num.* 14. & alii, multis probatur, præſertim quia lex impediens dominium rei, non eſt merè pœnalis, nec talis pœna conſiſtit in actione, & paſſione; ſed ſtatim incurritur patrato adulterio, cum ſit purè privativa, ideò aut petat diſpenſationem ab Epiſcopo vel ab alio habente facultatem, aut ſe abſtineat à debiti petitione; nam probabilius eſt quod peccet mortaliter ſciens prohibitionem Eccleſiæ, & debitum petens. Vide Em Sà *verb. Debitum conjugale num.* 13.

488 Inter. 3. Uxor poteſtne debitum negare conjugi adultero?

Reſp. Certè poteſt ſine peccato, & è contra Vir Uxori, ſed melius eſt ut Uxor Viro reddat, ad evitandum majus malum, quia quantò plus ad Uxorem acceſſerit, tantò minus aliam quæret.

489 Inter. 4. Qui poſt contractum matrimonium baptizat, vel ſuſcipit filium communem, aut filium alterius conjugis, privaturne jure petendi, vel reddendi debitum conjugale?

Reſp. Qui ſcientèr ex malitia, vel extra neceſſitatem, communem filium baptizat, juxtà probabiliorem ſententiam privatur jure petendi debitum ratione cognationis, ſeù compaternitatis indè ortæ cum proprio conjuge, tenetur tamèn reddere petenti; quia par non eſt, ut alter innocens abſque ſua culpa privetur jure ſuo. Si verò baptizat in neceſſitate, ſcilicet, quando non adeſt alius, qui illum baptizet, & eſt periculum, ut filius moriatur ſine Baptiſmo, quamvis cognationem ſpiritualem contrahat cum altero conjuge, nihilominus non privatur jure petendi, vel reddendi debitum, ex eo quod ſatisfecit ſuæ obligationi, ne filius ſine Baptiſmo decederet, habetur ex *cap. ſi Vir, de cognat. ſpirit. & Can. Ad limina*, 30. *quæſt.* 1. Qui autem ſuſcipit tamquam Patrinus filium communem, vel alterius conjugis in neceſſitate, vel extra, dicunt aliqui, quod privetur jure petendi debitum, negant enim ſuſceptorem eſſe ſimplicitèr neceſſarium in Baptiſmo, conſequenter non adeſſe rationem cur ſuſcipiens excuſetur, ſicut excuſatur baptizans in neceſſitate. Verùm puto probabilitèr poſſe quemlibet filium ſuum in Baptiſmo ſuſcipere licitè, ſi deſit, qui illum ſuſcipiat. *Can. pervenit*, 30. *quæſt.* 1. *Can. Ad limina, eadem cauſa, & quæſt.* Em. Sà *verb. Baptiſmus num.* 8. Suarez 3. *par. de Baptiſmo quæſt.* 67. *art.* 8. Sanchez *de Matrim. lib.* 9. *diſp.* 26. *num.* 3. & alii, quos refert, ſed non ſequitur Bonac. *de Matrim. quæſt.* 4. *pun.* 2. *ſub num.* 3. & per conſequens non privatur jure petendi debitum, ut tenet etiam Nav. mox adducendus: Cœterùm nota, quod ignorantia invincibilis juris, vel facti conſervat jus petendi debitum baptizàti filium extra neceſſitatem, quia Jura prohibent debiti petitionem, quando contracto Matrimonio ſcientèr contrahitur affinitas, vel cognatio ſpiritualis, non verò quando contrahitur ex ingnorantia juris, vel facti, ut docent Navar. *in man. cap.* 16. *num.* 34. Em. Sà *ubi ſupra ſub n.* 15. Suarez *loc. cit.* & alii plures, quos dat, & ſequitur Bonac. *ſupra num.* 6. Tandem hoc unum non prætereo, ſcilicet eum, qui contraxit

cognationem ſcienter baptizando, aut tenendo communem filium, aut alterius conjugis in Baptiſmo, vel Confirmatione, non privari jure petendi, aut reddendi debitum, licèt graviſſimè peccet, atque puniendus eſſet juxtà ſententiam Sanch. & aliorum apud Bonac. *loco ſuprà cit. num.* 4. & illorum, quos refert, & ſequitur Diana *par.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 3. *& par.* 5. *tr.* 3. *reſ.* 25. ſed non eſt recedendũ à cõmuni ſentẽtia, quæ eſt probabilior, & tutior.

490 Inter. 5. Maritus habens rem cũ Uxoris conſaguinea ultra ſecundum gradum, amittitne jus petendi debitum conjugale?

Reſp. Docui *in tit.* 12. *de Affinitate, ad Inter.* 13. quod conjux, qui committit inceſtum cum conſanguinea alterius Conjugis in primo, vel ſecundo gradu, privatur Jure petendi debitum conjugale, & ſolum poſſit reddere conjugi petenti; modo verò id iterum doceo: unde per copulam habitam cum conſaguineis alterius Conjugis ultra ſecundum gradum non amittitur uſus matrimonii, ſcilicet jus petendi debitum conjugale; ergo maritus habens rem cum Uxoris conſanguinea ultra ſecundum gradum, licet committat inceſtum, tamen non indiget diſpenſatione, ut debitum licitè petere valeat, cum tali Jure non ſit privatus, ut ex Navarro, & Em. Sà docet Cabrinus *in Elucid. caſuum reſer. par.* 2. *caſu* 5. *fol.* 115. *num.* 1. Vide Dianam *par.* 3. *tract.* 5. *reſ.* 19. idem docentem. Tamen puto eſſe privatum jure petendi debitũ non ratione inceſtus, ſed ratione Adulterii.

491 Inter. 6. Qui ſciens, nupſit cum habente votũ ſimplex caſtitatis, privaturne Jure petendi debitum conjugale?

Reſp. Licèt peccaverit mortaliter contrahendo matrimonium, tamen poſteà non privatur Jure petendi debitum, quia acquiſivit dominium corporis ejus, qui caſtitatem vovit. Dicaſtill. *de Matrim. diſp.* 9. *dub.* 10. *num.* 1. & alii apud Dianam *par.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 296. §. *Notandum*.

492 Inter. 7. Si Uxor ſciat Maritum eſſe ligatum voto caſtitatis, poteſtne ſi ipſe petat debitum, ſine peccato reddere?

Reſp. Eſt quidem magna quæſtio inter DD. quidam dicunt eam reddendo mortaliter peccare, quia eſt ad Viri peccatum cooperatrix, Alii verò contrarium ſuſtinent, quia licèt Maritus peccet contra virtutem Religionis petendo debitum, Uxor tamen habet jus Juſtitiæ ad petendum, & ſic Vir ex Juſtitia reddere tenetur rem ſuam cui debetur ex Juſtitia, ergo Uxor quoque ſi reddit debitum ex Juſtitia, cui ſolvere tenetur ratione matrimonii, conſequenter non concurrit ad illicitam petitionem alterius, niſi per accidens; Tamen Confeſſarius debet illis conſulere, ut diſpenſationem petant propter periculum incontinentiæ ſtando in prima ſententia, quæ probabilior videtur. Sed vide Sanchez *lib.* 9. *diſp.* 37. *per totam*.

493 Inter. 8. Teneturne Conjux reddere debitum alteri conjugi, quem ſcit obſtrictum eſſe voto Caſtitatis?

Reſp. Poteſt petere, ac etiam reddere tenetur alteri conjugi petenti, quia per votum non amiſit dominium corporis alterius conjugis, ſed tantum peccat exigens, ergò conjux exactus reddere tenetur. Diana *par.* 3. *tract.* 5. *reſ.* 296. *verſ. Notandum eſt*. Bonac. *de Matrim. quæſt.* 4. *pun.* 3. *num.* 7. qui inſuper addit hoc eſſe verum etiamſi unus Conjugum conſenſerit in votum alterius, dummodò non intenderit juri ſuo renunciare, ſed ſolum permiſerit eum facere quidquid vellet: Tamen vide antecedentẽ Reſp. Nam ibi dixi melius fore impetrare diſpenſationem, quia non deſunt alii, qui tenent non poſſe in dicto caſu petenti debitum reddere, ne ejus peccato cooperaretur; quam ſententiam dixi probabiliorem, & nunc dico in praxi ſequendam. Vide Em. Sà *verb. Debitum conjugale n.* 1. Toletum *lib.* 7. *c.* 24. *ſub n.* 3. *&* *c.* 25. *in fine*.

494 Inter. 9. Conjux teneturne reddere debitum petenti, ſi uterque habet votum Caſtitatis? Et quid ſi de communi conſenſu illud emiſerit.?

Reſp. Affirmat Bonac. *loco proximè cit. num.* 8. nam dicit, quod per votum Conjux non amittit dominium acquiſitum per matrimonium ſupra corpus alterius conjugis, quamquam peccet contra Fidem datam Deo in voto emiſſo; unde aliis relatis, putat teneri reddere petenti, ne violet jus illius, licet ipſe quoque ſimile votum habeat; Sed hæc opinio aliis, quos refert Sanchez *de Matrim. lib. 9. diſp. 37. num.* 10. non placet. Vide Navarrum *cap. 16. per totum.* Immò idem Bonac. *loco cit.* putat etiam hoc eſſe verum, quamvis uterque emiſerit votum caſtitatis de communi conſenſu, dummodò ipſi conjuges non intenderint remittere ſibi obligationem reddendi debitum, quia tunc peccaret reddendo debitum, cum petens non habeat jus petendi ob factam remiſſionem cedendo juri ſuo. Oppoſitum tamen, & probabilius docet Sylveſter *verbo Matrim. 6. quæſt.* 5. Navarrus *cap. 12. num.* 59. Soto, Leſſius, & alii. Itaque dicendum eſt cum præfatis Auctoribus, & Em. Sà *verb. Debitum conjugale num.* 2. quod ſi uterque communi conſenſu voverit caſtitatem; neuter petere poſſit, aut reddere petenti abſque Summi Pontificis diſpenſatione; Nam diſpenſatio pertinet ad Papam tanquam votum integræ, & perpetuæ caſtitatis, vel ſaltem ad Epiſcopum, quando ad Sedem Apoſtolicam, vel Legatum facilè non patet recurſus, ut dicam *in tit. 87. de Epiſcopatu, & Epiſcopis, ad Inter.* 47. Lege Navarrum *cap. 16. n. 30. & 31.* Toletum *lib. 7. cap. 24. in fine.* Em. Sà *ubi ſuprà.* Sylveſtrum *loco cit. & verb. diſpenſatio quæſt. 6.*

495 Inter. 10. Teneturne Conjux cum gravi detrimento ſui Corporis reddere debitum, ad vitandum grave periculum incontinentiæ in Conjuge petente?

Reſp. Dico, quòd non teneatur Conjux reddere debitum in dicto caſu, neque viro lepra, vel morbo gallico &c. infecto, etiam ſi in gravia peccata carnis labatur, debitum non reddendo, quia patiens ad ſuperandas Carnis tentationes plura remedia adhibere poteſt, quibus Divina gratia adjutus illas vincat. Vide Caſtropalaum *lib. 5. diſp. 3. pun. 4. §. 11. n. 4.* & Em. Sà *verb. Debitum Conjugale num.* 15. Dianam *part. 6. tr. 7. reſ.* 64. Ultra quod, ut docet ex Suarez, Conincho, & Reginaldo, & aliis Bonac. *de Matrim. quæſt. 4. pun. 1. num.* 5. Obligatio reddendi debitum intelligitur ſalva ſanitate, & ordine naturæ; nec petens cenſetur eſſe in extrema neceſſitate ſpirituali, in qua Charitas obligat ad præferendā proximi ſalutem ſpiritualem propriæ ſaluti corporali. Verùm ſi ante Matrimonium ſciverit, Conjugem eſſe infectum morbo contagioſo, tenetur reddere, quia per contractum Matrimonii ſcienter ad id ſe obligavit. Tandem ſi morbus Conjugis non tendat ad Mortem eſt in optione alterius ſani, ſi velit, reddere debitum, ad fovendum Conjugalem amorem, & ad vitandam incontinentiam, tàm in ſe, quàm in altero. Ita rectè reſolvit idem Bonac. *ubi ſupra num* 8. Vide Cajetanum *in Sum verb. Uſus Matrimonialis Conjugii, & ad Inter. 2. tituli. 39. de Cohabitatione Conjugum.*

496 Inter. 11. Teneturne Conjux reddere debitum alteri petenti cum peccato veniali?

Reſp. Non ſemper peccat Conjux reddendo debitum, quoties petens peccat petendo; imò ferè ſemper excuſatur reddens, ſi alter illicitè petat, ſed non injuſtè. Unde Sanchez *tom. 3 de Matrim. lib 9. diſp. 9. n. 6.* Filliucius *tract. 10. cap. 9. quæſt. 3. num.* 308. & alii apud ipſos abſolutè dicunt non eſſe denegandum debitum Conjugi cum peccato dumtaxat veniali, quia ſemper adeſt juſta cauſa

 excu-

excuſans reddentem, qualis cauſa eſt, ne diſpliceat petenti, & ne oriantur lites, & diſcordiæ inter eos; Immo addo Ego, & ne periculo incontinentiæ exponatur petens ob denegatum ſibi debitum ab altero conjuge, ideò mihi non placet diſtinctio, qua utitur Bonac. *de Matrim. quæſt.* 4. *punct.* 3. *num.* 9. nempè ſi petat illicitè propter circumſtantiam perſonæ, reddendum eſſe debitum, ſecùs ſi petat illicitè ob circumſtantiam actus, Nam noſtra ſententia eſt ſatis probabilis. Sed vide Sà *verb. Debitum Conjugale num.* 14. & Dianam *par.* 1. *tract.* 7. *reſ.* 35. & *par.* 3. *tract.* 5. *reſ.* 296.

497 Inter. 12. In quo caſu Conjuges peccant mortaliter non reddēdo debitum conjugale alteri conjugi, tacitè, vel expreſsè petenti?

Reſp. Licèt regulariter peccent mortaliter Conjuges non reddendo debitum, niſi adſit aliqua juſta cauſa illud denegandi; tamen aliquando poſſunt etiam excuſari à culpa lethali, ut videre licet apud Bonac. *de Matr. quæſt.* 4. *punct.* 1. *per totum*. Dico igitur cum Diana *par.* 5. *tract.* 14. *reſ.* 36. peccatum mortale tunc eſſe, quando rariſſimè redditur debitum conjugale, & cum magna difficultate ei, qui ſeriò petit illud; tùm propter diſcordias, quæ inde ſolent pullulare, tùm propter injuriam factam alteri conſorti, eo modo denegando, quod ſuum eſt; tùm etiam propter periculum incontinentiæ, quod inde poteſt reſultare. Vide igitur Bonac. & Dianam *locis cit.* qui pluribus relatis multa ad intentum rectè reſolvunt.

498 Inter. 13. Ab obligatione reddendi debitum Conjugale excuſaturne Conjuges, quando habent gravem difficultatem in alendis filiis, ſi multiplicentur?

Reſp. Si Conjuges inter ſe conveniant abſtinendi à copula conjugali, ne proles multiplicentur, ceſſante incontinentiæ periculo, nullo modo peccant, ut docent Navarrus *in Man. cap.* 16. *n.* 33. Paludanus *in* 4. *diſt.* 31. *q.* 3. *art.* 2. *caſ.* 3. D. Antoninus *par.* 3. *tit.* 1. *cap.* 20. §. 6. & alii communiter. Verùm difficultas conſiſtit, an alter poſſit debitum negare conjugi petenti, ne proles multiplicentur, & hinc inde adſunt Auctoritates Doctorum, ſed omnes tamen intelligunt, dummodò abſit incontinentiæ periculum, quia cum tali periculo ſemper eſt peccatum mortale denegare debitum, niſi aliqua juſta cauſa excuſet, quæ non cenſetur gravis difficultas in alendis filiis; nam debet eſſe extrema penuria, ad quam Parentes, vel Filii ob novæ prolis generationem redigendi ſint, quod raró inter Chriſtianos eveniet. Ita Layman *lib.* 5. *tr.* 10. *par.* 3. *cap.* 1. *num.* 16. qui pro ſe citat Angelum, Sylveſtrum, & Navarrum teſte Diana *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 213. Alii verò putant, gravem difficultatem in alendis filiis ſi multiplicentur, excuſare, nec ullam culpam, ſaltem mortalem committi in prædicta negatione debiti conjugalis; Et hi inter alios ſunt Em. Sà *verb. Debitum conjugale num.* 18. Sanchez *tom.* 3. *lib.* 9. *diſp.* 25. *num.* 3. Gaſpar Hurtado *diſp.* 10. *de Matrim. diff.* 12. *num.* 54. Ledeſma *quæſt.* 64. *pun.* 1. *num.* 12. & 13. & Diana *loco cit.* & *par.* 9. *tract.* 7. *reſ.* 3. *verſ. Iterum.*: ubi plures rationes adducit pro hac tuenda ſententia; at ſemper excipiunt, niſi in petente eſſet alioquin periculum incontinentiæ, quod ſemper adeſſe probabiliter quidem puto ex parte viri; imò ex parte etiam fœminæ; Ideò ex negatione debiti ob dictam cauſam multa peccata incontinentiæ ſequi poſſunt. Unde mihi magis probatur opinio Rebellii, Coninchii, & Layman, quos citat, & ſequitur Caſtropolaus *tom.* 5. *diſp.* 3. *pun.* 4. §. 10. *num.* 9. quam opinonem tenet etiam Texeda *tom.* 2. *lib.* 4. *tract.* 1. *controver.* 12. *num.* 129. & luculenter ſolidis rationibus id probat, & præcipuè, quia habere prolem ex Matrimonio

eſt

eſt magnum bonum, quod præponderat quibuſcumque incommodis Conjugum; Et debitum negare, ne Filii multiplicentur ob difficultatem illos alendi opponitur immediatè providentiæ Dei, & arcanis, immò, & conſiliis ejus, quia cum de volatilibus cœli curam habeat, multò magis de creaturis rationalibus, quorum eſt Pater, ſpecialiter illam habebit. Alias pulchras, & ſolidas rationes, vide ſi lubet apud Texedam, quem refert Diana *ea par. 9. tract. 7. reſ. 3.* qui tandem fatetur hanc opinionem eſſe ſatis probabilem, ſed mihi nedum probabilis, ſed etiam probabilior videtur.

499 Inter. 14. Si debitum conjugale nimis crebrò, & immoderatè exigatur, eſtne peccatum illud denegare?

Reſp. Sotus *in 4. diſt. 32. quæſt. unic. art. 1.* poſt concluſiones, Henriquez *lib. 11. cap. 15. num. 7. in fine*, quibus ſubſcribit Diana *par. 5. tr. 14. reſ. 36.* dicunt, nullum eſſe peccatum ſecundum illud commune proloquium: *Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines*: Vide tamen Em. Sà *verb. Debitum Conjugale num. 18.* moderatè enim petendum eſt, ne corporis ſanitati noceat. Vide etiam *ſuprà ad Inter. 10.*

TITULUS LV.

De Debito ex contractu.

Vide titul. de Reſtitut. acc. & Da. Interrog. 2. 3.

500 INter. 1. Peccatne mortaliter debitor, qui eſt in mora ſolvendi debitum ex contractu, abſque damno Creditoris?

Reſp. Licèt nonnulli apud Dianam *par. 2. tract. 17. reſ. 3.* affirmativè reſpondeant; Tamen oppoſitum eſt etiam probabile, modò debitor intentionem habeat ſolvendi, nec creditor periculum ſubeat amittendi rem ſibi debitam; Nam dilatio non videtur adeò injurioſa creditori, ut debitor judicari debeat lethalis criminis reus, præſertim quando debitor non poteſt commodè reſtitutionem facere. Ita ex Molina firmat Bonac. *de Reſtit. diſp. 1. qu. 6. pun. unico nu. 4.* & Diana *loc. ſupracit.* Urgeant tamen ſemper Confeſſarii properam ſolutionem, maximè quando non eſſet admodum magna. Non verò facilè debent Confeſſarii hunc debitorem condemnare ob talem dilationem non magnam in caſu prædicto.

501 Inter. 2. Quandonàm mutuatarius, vel alius debitor dicitur eſſe in mora ſolvendi?

Reſp. Dicunt Doctores, quod tùnc mutuatarius dicitur eſſe in mora, aut alius debitor, quando non ſolvit tempore præfixo cum poſſit ſolvere, advertens explicitè, vel implicitè creditorem velle ſibi ſolutionem fieri. Dixi cum poſſit ſolvere, quia ſi ob impotentiam ſolvere non valuit, non dicitur fuiſſe in mora, nec in foro conſcientiæ ad aliquid tenetur, quia impoſſibilium nulla eſt obligatio; hoc autem intelligendum eſt, modò non adeſſet expreſſum pactum contrarium. Verum eſt tamen, quod ſi mutuans voluntariè pateretur damnum, ut ſi v.g. habeat aliam pecuniam otioſam, qua poteſt evitare damnum, & tamen accipit pecuniam ſub uſuris, vel ad cambium, non poteſt tuta conſcientia petere damnum à debitore, vel mutuatario, quià cenſetur voluntariè velle pati damnum. Ità Bonac. Stephanus à S. Greg. & alii apud ipſos, & eſt communis ſententia.

502 Inter. 3. Titius pauper dixit Cajo diviti: ſolve quæſo debita mea, alioquin certò me interficiam, teneturne ſub mortali dictus Cajus ſolvere Titii debita, ut non ſe interficiat?

Reſp. Dico quòd nullo jure tenetur Cajus, & conſequenter non peccat ſi Titii debita non ſolvit, non ſunt enim nequitiæ hominum juvandæ, aut foven-

fovendæ: Titius autem in dicto caſu depravata ſua voluntate eſt in ea neceſſitate conſtitutus. Vide quod dicam infrà *in tit.* 81. *de eleemoſ. ad Inter.* 4. Et nota, quòd ſi Titius peccat ex infirmitate animi, vel aliquo cæco affectu, teneretur Cajus ex charitate ei ſubvenire, & tale homicidium impedire. Ita Azor. *to.*2. *lib.*12. *cap.*9. *q.*7. & ex eo Dian. *par.* 5. *tr.*8. *reſ.*7. *propè finem*.

503 Inter. 4. Decoctores gaudentne privilegio immunitatis, ſi ad Eccleſiam confugiant?

Reſp. Affirmat Diana *par.* 1. *tr.*1. *reſ.*23. ubi citat Farinacium, Gratianum, & alios. Et ratio eſt, quià inter caſus exceptos in Bulla Gregoriana non reperitur caſus decoctorum, quamvis obſtricti ſint debito publico, aut ſuſpecti ſint de fuga, aut decoxerint cum magno Reipublicæ detrimento, prout de communi teſtatur Bonac. *loco proximè cit. n.*6. & egregiè reſpondet ad argumenta contraria. Et hoc intelligendum eſt, etiamſi fraudolenter decoxerint; nam ita à Sac. Card. Congregatione fuiſſe deciſum teſtatur Diana *ubi ſupra*. Idem docet *p.*4. *tract.* 1. *reſol.* 83. *verſ. Notandum eſt*, & *par.*6. *tract.*1. *reſ.*17. in quibus locis quam plures Doctores id afferentes adducit. Vide Bonac. *tom.*3. *diſp.*2. *qu.*5. *pun.* 16. §. 5. *n.*6.

504 Inter. 5. Decoctores, qui unà ſecum ad Eccleſiam portant bona in præjudicium creditorum, debentne gaudere immunitate ſimul cum bonis ibidem aſportatis?

Reſp. Debitores fraudolenti, ad Eccleſiam cum bonis confugientes, non debent ibi multo tempore tolerari, ſed ab Eccleſia ſunt eiiciendi: Et bona tranſportata ad Eccleſiam in creditorum præjudicium, Judici Sæculari conſignanda ſunt, ut illa, cui de jure, adjudicet. Ità pluries mandaſſe Sac. Congregationem, teſtatur Diana *par.* 6. *tract.* 1. *reſ.* 17. *propè fin.* Idem docet Lezana *tom.* 2. *verb. Immunitas Eccleſ. num.* 18. & alii communiter.

TITULUS LVI.

De Decimis.

Vide tit. de Laic. Int. 11. *tit. de Regul. &c. Int.* 28. 29.

105 INnter. 1. Poteſtne Parochus à Sacramentis repellere illos, qui decimas non ſolvunt, dummodò delictum ſit publicum?

Reſp. Si cognoſcat eos paratos eſſe ad non ſolvendum data opportunitate, licitè poteſt illos à Sacramentorum perceptione repellere; quià ſunt indiſpoſiti ad dignè ſuſcipienda Sacramenta, qui decimas, oblationes, vel primitias Parocho non ſolvunt; Parochus autem tanquam miniſter Sacramentorum non poteſt indignè petenti Sacramenta adminiſtrare. Vide Riccium *par.* 4. *deciſ. Curiæ Neapolit. deciſ.* 195. *in princ.* Unde ſi ei competat jus decimarum, *ut evitet ſcandalum*, debet proteſtari coram aliis, pœnitentem repelli à Sacramentis, non quià pœnitens deneget, quod ei debetur tanquam Parocho: ſed quià non vult propriæ conſcientiæ conſulere, & ad dignè Sacramenta ſuſcipienda ſe præparare; nam in foro fori non pertinet ad Parochum privare pœnitentem ſusceptione Sacramentorum; ſed ad Epiſcopum, ſeù Ordinarium, ultra quod nemo eſt Judex in propria cauſa, ideò dixi *ad vitandum ſcandalum, debet coram aliis proteſtari*, ut tollat ſuſpicionem uſurpatæ ſibi alienæ poteſtatis. Ità docet Bonac. *de Sac. diſp.*5. *quæſt.* 7. *pun.*4. §. 2. *ſub nu.* 20. Vide Conc. Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 12. & ibi Barboſ. *in Collect. DD.* & Bonac. *loco mox citando*.

506 Inter. 2. Poteſtne Parochus privare Eccleſiaſtica ſepultura pœnitentem ob decimas non ſolutas?

Reſp. Dico quòd non, quia tale jus non competit ei, ſed Superiori, & Judici in foro externo, ut docet S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 76. *artic.* 1. & ibi Cajet. Idem tradunt Navar. *conſ.* 2. *de decimis*, & Genuenſis *in praxi Neapolit. cap.* 61. *in annot. num.* 10. & alii teſte *eodem Bonac. loco ſupracit.* Vide iterum Bonac. *de præcept. Eccleſ. to.* 2. *diſp. ult. qu.* 5. *pun.* 3. *ſub num.* 3. *verſ. Utrum verò*.

TITULUS LVII.

De Decretis.

Vide tit. de Cler. &c. Int. 13. 14. *tit. de Epiſcop. &c. Int.* 41. *tit. de Regul. &c. Int.* 6. 61. 77. 79. 105. *tit. de Val. abſol. Int.* 22. *tit. de Val. diſpenſ. Int.* 2.

507 INnter. 1. Decreta Viſitationis Epiſcopalis, ſi priùs non fuerint promulgata, obligantne illos, qui privata notitia ſciunt in viſitatione ea condita fuiſſe?

Reſp. Dico quòd non, etiamſi illis decretis annexa ſit aliqua cenſura; quia promulgatio eſt de eorum eſſentia, nam Decreta illa ſunt leges, vel particulares alicujus Parochiæ, vel generales totius Diœceſis, & obligant ad modum aliarum legum Eccleſiaſticarum; ſed nulla lex obligat, niſi ſufficienter fuerit promulgata, ergo qui hujuſmodi decreta non obſervat, nulli culpæ, aut pœnæ erit obnoxius, non obſtante quod privata notitia ea ſibi innoteſcant, cum privata illa notitia non ſuppleat promulgationis defectum, quæ eſſentialis eſt ad valorem legis, ut docet Soto *de juſt. lib.* 1. *q.* 1. *art.* 1. Tolet. *lib. de* 7. *peccatis mort. cap.* 18. & Suarez *de legib. lib.* 3. *c.* 10. *num.* 2. *&* 6. & eſt communis ſententia.

508 Inter. 2. Meretrices comprehenduntur ne ſtatutis Synodalibus excommunicantibus non confitentes, aut non communicantes in Paſcha?

Reſp. Em Sà *verb. Confeſſio n.* 24. dicit quod non, nec tales unquam denunciantur excommunicationem incurriſſe, & rectè dicit, nam ut ait Leander *de Sacr. tom.* 1. *tract.* 5. *diſp.* 3. *qu.* 58. licèt meretrices peccent mortaliter non implendo annuæ confeſſionis præceptum, tamen alias pœnas non incurrunt, præſertim quia illarum miſerrimus ſtatus permittitur ab Eccleſia ob vitanda majora incommoda, non ergò ab illa puniuntur, & pro hac ſententia citat Vivaldum, Sà, Graffium, Rodriquez, & Zerulam. Verum eſt tamen, ut etiam obſervat Diana *par.* 10. *tract.* 12. *reſ.* 36. quod meretrices, quæ in Paſchate non receperunt Sacramentum Pœnitentiæ; ſi moriantur abſque Confeſſione, hic Romæ non ſepeliuntur in Eccleſia, ſed extra Portam Populi, in quodam loco, qui dicitur *à muro torto*, & ibi tumulantur.

509 Inter. 3. Tenenturne Epiſcopi in ſua Diœceſi curare, ut leges Pontificiæ publicentur, & obſerventur; Et obligantne tales leges ſi non fuerint publicatæ in Diœceſibus, & Provinciis?

Reſp. Si id faciunt Epiſcopi, optimè faciunt; cæterum eo ipſo, quod Romæ more ſolito publicatæ ſunt, obligant ubique; neque earum obligatio pendet ex acceptatione populi, ut rectè docet Diana *p.* 6. *tr.* 6. *reſ.* 38. Dicendum eſt igitur cum communi ſententia DD. Leges Pontificias, ubique obligare eo ipſo, vel ſaltem per duos menſes à publicatione Romæ (niſi apponatur certum tempus obligationis) facta, nec alia in Provinciis, & Diœceſibus publicatione egere. Doctores ad ſatietatem pro hac ſententia congerit Diana *part.* 1. *tract.* 10. *reſ.* 8. *& par.* 5. *tract.* 14. *reſ.* 25. quibus ſe ſubſcribit; *& par.* 6. *tract.* 6. *reſ.* 39. *verſ. Dico igitur &c.* validis rationibus, & auctoritatibus hanc ſuſtinet ſententiam, ideò Epiſcopi,

Sub-

Subditos, eas leges non obſervantes, poſſunt, & debent punire. Lege Dianam, & non te pœnitebit legiſſe, vide Em. Sà *verb. Lex num.* 8.

510 Inter. 4. Declarationes Eminentiſſimorum Cardinalium habentne vim legis obligantis, tam in foro fori, quàm in foro conſcientiæ?

Reſp. Eſt quæſtio ardua, & difficilis, ideoque Doctores inter ſe decertant; Quidam enim dicunt dictas declarationes non habere vim legis, quia ut lex obliget, neceſſe eſt, ut ſolemniter promulgetur, ſed tales declarationes non promulgantur ſolemniter, ergo non habent vim legis obligantis, tùm quia non fiunt, neque pronunciantur citata parte, ac proindè cenſendæ non ſunt leges deciſivæ, ſed tantùm opiniones doctrinales, quamvis plurimi faciendæ, & pro hac ſententia ſunt Sanchez *lib. 8. de matr. diſp. 2. num.* 10. Bonac. *de legib. diſp.* 1. *q.* 1. *pun.* 8. *num.* 4. Diana *par.* 1. *tract.* 2. *reſ.* 36. qui plures concordantes adducit. Verùm mihi dicendum videtur, declarationes Eminentiſſimorum Cardinalium, præſertim Concilii Tridentini Interpretum, eſſe definitivas, ſeù deciſivas, & vim legis habere obligantis in utroque foro, dummodò tamen quatuor habeant conditiones, ut perdoctè firmat Cabrinus *in Elucid. caſ. reſer. par.* 1. *reſ.* 113. Prima eſt, ut certum, & indubitatum ſit eſſe declarationes Cardinalium, quod patebit ſi ſigillo, & ſubſcriptione Em. Card. Præfecti, ac ejuſdem Congregationis Secretarii munitæ fuerint. Secunda, ut factæ ſint juſſu Sanctiſsimi, vel ipſo conſulto. Tertia, ut Cardinales declarent tantùm, non autem diſpenſent, vel amplient ultra juris regulas, quam formam præſcripſit Greg. XIII. teſte Diana *par.* 5. *tr.* 2. *reſ.* 96. Quarta denique, ut hæ declarationes conſtent notitia publica, quod fit, ſi tranſmittantur ad Epiſcopos, ipſiſque mandetur, ut eas juridica forma in Diœceſi promùlgare, & in uſum deducere curent. Cæterum quamquam dictas conditiones non habeant, nihilominus magnam inducunt probabilitatem, utpotè ab Eminentiſsimis viris pietate, doctrina, rerumque uſu præſtantibus editæ, qui etiam Theologos, & Juris peritos, alioſque viros doctiſsimos ad conſilium adhibere ſolent. Concludendnm eſt igitur Sacrorum Purpuratorum reſponſa, & declarationes velut oracula debita, ut par eſt, reverentia excipiendas eſſe, & in praxim deducendas: nam caſu etiam dato, quod aliquæ ex illis, nec authenticæ ſint, nec publicatæ, aut deſit aliqua ex ſupradictis conditionibus, tamen ſi conſtet illa reſponſa à Sac. Congregatione emanaſſe, tantæ quoque auctoritatis ſunt, ut ſine firmiſsimo fundamento recedendum non ſit, ut docet idem Cabrinus, Lezana omninò videndus *to.* 2. *verb. Sac. Congregatio à num.* 6. *uſque ad num.* 14. *incluſivè*, & alii penes ipſos. Vide Suarez *lib.* 6. *de legib. cap.* 1. *num.* 6. & Diana *par.* 5. *tract.* 2. *reſ.* 96. qui tandem ſic concludit. *Verùm licet ego par.* 1. *tract.* 10. *reſ.* 29. *ſenten iæ negativæ adhæſerim, aſſerenti dictas declarationes eſſe tantum doctrinales, tamen nunc circa præſens dubium nolo judicium meum interponere, optarem tamen deciſionem hujus difficultatis à Summo Pontifice ità definiri, ut inpoſterum amplius locus non eſſet Doctorum opinionibus adhærere.*

TITULUS LVIII.

De Defenſione bonorum temporalium.

Vide titul. de Præc. aud. Sacr. Interrog. ultim.

511 INter. 1. Poteſtnè quis licitè pro defenſione ſuarum rerum occidere furem?

Reſp. Doctores ſatis communiter conveniunt dicentes, in tribus caſibus

non

non poſſe quem licitè, & ſine peccato occidere furem pro defenſione rerum. Primò, quando fur poteſt capi ſine occiſione. Secundò, quando bona erepta poſſunt alia via recuperari; licèt in dubio poteſt Dominus uti jure ſuo, occidendo furem. Tertiò, debet eſſe alicujus magni momenti res; nam regulariter non eſt licitum occidere furem pro conſervatione unius aurei, ut quidam dixere, quorum opinio reprobata fuit ab Innocentio XI. die 2. Martii anno 1679. & eſt propoſitio 31. ab eodem Pontifice condemnata. Quanti autem valoris oportet ſit res, pro cujus defenſione occidere liceat, vide Dianam *loc. mox adducendo reſ.* 18. Sed non approbo id, quod in fine dicit ex Leſſio. Cœterùm pro defenſione rerum, quando aliter non poſſunt defendi, niſi furem occidendo, licet illum occidere, non ſolùm noctè, ſed etiam die. Ità Cajetanus 2. 2. *quæſt.* 64. *ar.* 7. S. Antoninus 3. *par. tit.* 4. *cap.* 3. Sylveſter *verb. Bellum* 2. *num.* 10. Navarrus *in man. cap.* 15. *num.* 2. Toletus *lib.* 5. *cap.* 6. *ſub n.* 16. Em. Sà *verb. Homicidium num.* 5. Zeccus *de caſ. reſer. caſ.* 13. *pag.* 206. *verſ. Rurſus dubitatur &c.* & alii plures, quos dat, & ſequitur Diana *par.* 5. *tract.* 4. *reſ.* 17. quia bona externa ſunt media ad ſuſtentationem vitæ; unde ſicut occidere licet pro conſervatione vitæ, ità & pro conſervatione mediorum, quibus vita ſuſtentatur, & ſervatur; nam res externæ dicuntur ſanguis, & vita hominis, ut docet Gloſ. *junctio textu in l. Advocati C. de Advocatis diverſ. judic.* Vide *cap.* 51. *perfodiens, & cap. Iterfeciſti de homicid.* & Lezanam *tom.* 2. *verb. Hmicidium n.* 9. Armillam *verb. Homicidium ſub num.* 3.

512 Inter. 2. Eſtne licitum occidere furem, ſi cum re furata fugiat?

Reſp. Affirmativam ſententiam docet Diana *par.* 5. *tract.* 4. *reſ.* 17. *verſ. Notandum eſt etiam hic, & par.* 8. *tract.* 7. *reſ.* 47. & alii penes ipſum. Et ratio eſt quia invaſio rei durat donec ſe in tutum recipiat, ubi quietè poſſidere incipiat; unde putat eſſe licitum, ſagitta, ſclopo, vel catapulta, furem cum re furata fugientem occidere; nam inquit, ſi hoc non eſſet licitum, defenſio rerum maxima ex parte eſſet inutilis, dum poſſent fures quodlibet rapere, & ſtatim fuga ſe proripere, ſi fuga eſſent tuti: Poſt invaſionem certò non licet occidere, ſed in caſu noſtro invaſio durat, *ait Diana*, ergò licitum erit occidere furem, ſi cum re furata fugit, dummodò ſit res alicujus magni momenti, & aliter recuperari non poſſit, ut dixi *ad Interantecedentem*, & non ſint perſonæ Eccleſiaſticæ, ut dicam *ad Int. ſequentem*; ſed vide Toletum *lib.* 1. *cap.* 80. *n.* 14. qui docet in hoc caſu incurri irregularitatem, quod eſt probabilius.

513 Inter. 3. Clerici, & Religioſi poſſuntne ſine peccato occidere latronem pro conſervatione ſuarum rerum, quando eas aliter habere, vel recuperare non poſſunt?

Reſp. Affirmativam ſententiam docet Diana *loco ſupra cit.* & pro ſe plures concordantes adducit. Oppoſitam tamen, & probabilius docent Sylveſter *loco cit. num.* 8. Toletus, Sotus, Bannes, & alii apud Victorellum *in addit. ad* Em. Sà *verb. Homicidium ſub num.* 5. & habetur ex *cap. Suſcepimus, & Interfeciſti de homic.* quia hoc eſſet contra manſuetudinem Eccleſiaſticam, nec ſic conformarentur capiti Chriſto, qui neminem occidit. Unde dicendum eſt non licere Clericis, & Religioſis pro defenſione rerum, aut honoris quemquam occidere, ſed tantùm ob vitam ſalvandam, quando aliter ſalvare non poſſint. Verùm puto in caſu noſtro licere Eccleſiaſticis percutere furem citra occiſionem, ut tenet Sotus apud Zeccum *loc. prox. cit.* & Sylveſter *verb. Homicidium* 1. *q.* 4. Vide Toletum *lib.* 1. *cap.* 80. *ſub n.* 11. & Lezanam *tom.* 2. *verb. Homicidium num.* 9.

514 Inter. 4. Incurritne irregularita-

tem, qui occidit invaſorem in defenſionem bonorum temporalium?

Reſp. Quòd irregularitatem incurrant Clerici, & Religioſi interficientes hominem in defenſione rerum temporalium, apud me indubitatum eſt, quia eis, ut dixi, in præcedenti reſponſione, non licet interficere invaſorem bonorum temporalium, aut honoris: De ſæcularibus autem hinc inde ſentiunt Authores, ut videre licet apud Dianam *par.* 4. *tr.* 2. *reſ.* 4. & Lezanam *tom.* 2. *verb. Irregularitas ſub num.* 65. qui tamen probabilius exiſtimant, irregularitatem non incurrere in caſu noſtro Laicum; & quamvis hæc opinio ſit valdè probabilis, mihi tamen valdè placet oppoſita, quia eſt communis, & tutior. Unde dico cum Navarro *in Man. cap.* 27. *num.* 123. & aliis multis, quos citat Diana *ubi ſupra*, quod nemo ob vitæ alterius, honoris, rerumve defenſionem, excuſatur ab irregularitate, ſed ſolùm quando aliter mortem vitare non poteſt, ſuum interficit invaſorem, hoc eſt cum moderatione inculpatæ tutelæ, ſcilicet ſi alia ratione ſuam vitam defendere nequeat; is enim non ſolùm non peccat, nec tenetur ad reſtitutionem, ſed neque irregularitatem incurrit, ut docet S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 64. *art.* 7. Vide etiam Sayrum *de Cenſ. lib.* 6. *cap.* 15. *n.* 21. Em. Sà *verb. Irregularitas ex deformatione &c. ſub num.* 2. *in addit.* & Zeccum *de caſ. reſer. caſ.* 1. *de Irregularitate pag.* 101. *verſ. Quartò ampliatur*, & Tolet. *lib.* 1. *cap.* 80. *num.* 13. & tene, ut dixi, quia tutius eſt.

515 Inter. 5. Licetne occidere invaſorem, ſeù furem pro defenſione rerum, & bonorum externorum proximi? Et quid de irregularitate?

Reſp. Affirmat Diana *par.* 5. *tr.* 4. *reſ.* 20. & teſtatur de communi, quando aliud non ſuppetat remedium, & hoc probat eadem ratione de eo, qui interficit injuſtum invaſorem pro defenſione vitæ proximi, cum bona externa ſint, & ſanguis, & vita hominis; unde putat id licere non ſolùm in præſentia Domini bonorum, ſed etiam in illius abſentia ex præſumpta illius voluntate, bona illius defendendo. Vide Molinam *de Juſt. tom.* 4. *tract.* 3. *diſp.* 18. *num.* 1. ſed hæc ſententia intelligenda eſt, quando bona non ſint modici valoris, & dummodò non ſint perſonæ Eccleſiaſticæ, quæ, ut ſæpè dixi, neminem poſſunt licitè occidere, niſi pro ſervanda vita propria, & quando fuga non poſſunt mortem vitare. Cœterum irregularitatem in dicto caſu nemo evadere poteſt, ut dicam *ad Inter.* 2. *tituli* 62. ex defectu lenitatis.

TITULUS LIX.

De Defenſione honoris.

Vide tit. de Irreg. Inter. 13. *tit. de Præc. aud. ſac. Inter. ult.*

516 Inter. 1. Peccantne Clerici, Religioſi, & Perſonæ infimæ conditionis, qui percuſſi, vel invaſi, repercutiunt invaſorem?

Reſp. Quando fugere poſſunt ſine gravi incommodo tenentur fugere, maximè quia, cum humilitatem, modeſtiam, ac manſuetudinem profiteantur, nullum eis dedecus accreſcit ex aliorum contumelia, vel percuſſione ex eo, quod fugiant, ſed potius gloriã & bonum nomen, neque parvi habentur, ſed magni potiùs, propter virtutem, quam oſtendunt. Vide Dianam *par.* 5. *tract.* 4. *reſ.* 49., Bonac. *de Reſt. diſp.* 2. *q. ult. pun.* 10. *n.* 11., quodſi commodè fugere queant, ſi alapa percuſſi, vel fuſte, vel quocumque alio modo invaſi, repercutiunt, & occidunt invaſorem, mortaliter peccant contra juſtitiam, prout firmat Bonac. *loc. cit.*, quidquid alii in contrarium dicant, dum putant ſolum peccare contra charitatem. Tamen certò puto peccare contra juſtitiam, ſi ob levem

alapam

alapam vitandam, occidant invaſorē, & ita tenent plures DD. citati à Diana ubi ſupra propè finem, cum quibus ipſe ſentit, & meritò. Vide Cabrin. *de Caſ. Reſer. par. 2. caſ. 1. annot.* 10. *n.* 47.

517 Inter. 2. Eſtne licitum Viro honorato interficere illum, à quo vocatur e. g. Cornutus &c. quando non poteſt cogi, vt taceat?

Reſp. Affirmare non dubitant quidam Authores penes Dianam, *par.* 5. *tract.* 4. *reſ.* 12., quia alias daretur licentia improbitati optimos viros contumeliis vexandi. Sed contraria ſententia, quam tuentur Molfeſius *in Sum. tom.* 1. *tract.* 11. *c.* 19. *n.* 74. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 29. *c.* 3. *n.* 49., Azorius *tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 1. *queſt.* 17., & alii, quibus ſe ſubſcribit Diana *loc. cit.*, eſt tenenda, quia injuriæ verbales, verbis repelli poſſunt, quæ eſt legitima vindicta, & ità repelli ſolent etiā apud viros honoratos. Vide Dianam ibidē; Bonac. *ubi ſupra n.* 7. Cabrinum *de Caſ. reſerv. par.* 2. *cap.* 2. *annot.* 10. *n.* 45.

518 Inter. 3. Eſtne licitum in Foro Conſcientiæ occidere aliquem pro defenſione honoris, quando aliter ignominia vitari non poteſt?

Reſp. Dico, quod ſi aliquis non poteſt abſque ſuo dedecore fugere, non tenetur id facere, undè ſi ver. gr. non poteſt vitare vulnus, alapam, vel percuſſionem ignominioſam, quam ſibi alter intentat impingere, niſi occidendo, occidere quit. Nauar. *in Man. c.* 15. *n.* 4., Tolet *lib.* 5. *c.* 6. *n.* 15., Bonac. *de Reſt. diſp.* 2. *q. vlt. punct.* 10. *n.* 6., Diana *par.* 5. *tr.* 4. *reſol.* 4., & 9. Cabrinus *ſub. n.* 45. *ſupra citato*, & alii communiter teſte Tolet. *loc. cit.* Verum eſt tamen id ſolum licere Nobilibus, & perſonis, quę ſuum tueri honorem maximè obligantur, non autem hominibus plebeiis, aut infimæ ſortis, qui ex alapis, & verberibus non magnam ſuſtinent ignominiam, ut rectè docent citati Doctores. In praxi tamē hoc quod dixi, non videtur conſulendum, tum, ut vitetur occaſio cædium, tùm, & ut exceſſus odii, vindictæque periculum arceatur, eſt enim res valdè periculoſa. Vide Layman. *lib.* 3. *ſect.* 5. *tract.* 3. *par.* 3. *c.* 3. *n.* 3., Bonac. *ubi ſup. ſub. n.* 8. Cabrinum *loc. ſup. cit. n.* 46. *verſ. Addo*. Denique notandum eſt, fas non eſſe viro honorato occidere invaſorem, qui ſolum nititur calumniam inferre, etiamſi aliter hæc ignominia vitari nequeat; Nam oppoſitum eſt reprobatum ab Innoc. XI., & eſt propoſitio 30. ab eodem condemnata. Vide *Inter.* 1.

519 Inter. 4. Eſtne licitum ad honorem tuendum invaſorem poſt impactam alapam, fuſtem, vel vulnus, fugientem inſequi, & occidere?

Reſp. Affirmat Diana *par.* 2. *tract.* 15. *reſ.* 15., & *par.* 5. *tr.* 4. *reſ.* 11. cum aliis ab ipſo relatis, ſed nullo modo ſunt audiendi tales Authores, cum parum timoratè loquantur in hoc caſu; Sed vide Tolet. *lib.* 5. *c.* 6. *n.* 16. Bonac. *loc. cit. diſp.* 2. *q. ult. ſect.* 1. *punct.* 10. *n.* 8., & alios, quos refert ipſe Diana *d. reſ.* 15. *in princ.*, Nauar. *loc. prox. cit.*, Cabrin. *ubi ſup. verſ. addo.* Juremeritò igitur affirmatiuam ſententiam damnavit Innoc. XI. in ſuo Decreto; vide propoſ. 30. inter damnatas. Nam nunquam licet vindicta cum non pertineat ad perſonam priuatam, ſed ad Principem, mediante juſtitia, quam publica auctoritate adminiſtrat.

TITULUS LX.

De Defenſione pudicitiæ.

Vide tit. de Ingr. in Relig. Int. 3. *tit. de ſoc. crim. Int.* 5.

520 INter. 1. Peccatnè Mulier, vel Adoleſcens, qui occidit iuvaſorem ſuæ pudicitiæ?

Reſp. Doctores communiter docent quod non peccat quoties fugiendo, vel vociferando, aut alio modo ſe tueri

tueri non poſſit, Bonac. *de. reſt. diſp. 2. q. ult. ſect. 1. pun.* 10. *n.* 12. Tolet. *lib.* 5. *c.* 6. *ſub. n.* 16., & ratio eſt quia bonum pudicitiæ majus bonum eſt, quàm opes, & non rarò æquiparatur bono vitæ, ultrà quod in amiſſione pudicitiæ periculum peccandi ſubeſt: Verum eſt tamen, quod ſi periculum conſenſus abſit, poteſt condonare vitam ſuę pudicitiæ invaſori, patiendo violationem. Nauar. *in Man. c.* 15. *n.* 5. Diana *par.* 5. *tr.* 4. *reſ.* 36., & alii plures, quos congerit Cabrinus *par* 2. *caſ.* 2. *annot.* 10. *n.* 44. Vide, quæ *dicam in tit* 39. *de Excomunicatione ob Clerici percuſſionem ad int.* 20.

521 Inter. 2. Peccaretne qui particulam linguę ſibi amputaret, ut ipſam expueret in faciem Meretricis ſollicitantis ad libidinem?

Reſp. Quando non ſuppetit alia ratio ſe defendendi, nullo modo peccaret, ut de quodam adoleſcente teſtatur S. Hieronymus in vita Pauli, & refert Bonac. *de Reſt. diſp.* 2. *q. ult. pun.* 6. *ſub. n.* 6. Cęterum non licet ſibi membrum, vel membri partem mutilare ad ſanitatem ſpiritualem, ut ad vitandas carnis tentationes, & ad peccatum fugiendum, ut docet S. Th. 22. *q.* 65 *art.* 1. *ad.* 3. Molina, Salonius, Filliucius, Turrianus, Bannes, & Toletus, quos dat, & ſequitur idem Bonac. *loc. cit.* ſed vide id, quod *dicam in tit.* 147. *de Mutilatione Membrorum ad inter.* 4.

TITULUS LXI.

De Defenſione vitæ propriæ.

Vide tit. de Fornic. Int. ult. tit. de Homicid. Inter. 6. 7. *titul. de Irreg. Inter.* 9. 10. 11. 12. 13. 23. *tit. de Paroch. Int.* 22. *tit. de Pręc aud ſac. Int. ult. tit. de Re. mort. Int.* 1. *& ad quęſ. tit. de. Sacril. Int. ult. tit. de ſigil. confeſ. Int.* 16. 17. 18. *tit de ſimul. Int* 1.

522 INter 1. Peccatne qui vigiliis, pœnitentis, & aliis hujuſmodi afflictionibus, advertit vitam ſibi abbreviare?

Reſp. Tenetur homo vitę ſuę cõſulere inquantum poteſt, & debet, quilibet enim tenetur ex charitate ſe ipſum conſeruare, & non habere affectum contrarium, Undè ſi vitam ſibi decurtat per abſtinentias, vigilias, aut alios labores, vel pænitentias indiſcretas, quas ſcit, & advertit eſſe indiſcretas, etiamſi abſque intentione abbreuiandi eam id faciat, ſed advertit, quod eam decurtat, peccat mortaliter. Ita S. Hieronymus relatus *in c. Non mediocriter. de Conſec. diſt.* 5. S. Th. 2. 2. *q.* 147. *art.* 1. *&* 2. Cajet. ibidem Navar. *in Man. c.* 15. *num.* 12. *verſ.* 14. Tolet. *lib.* 5. *c.* 6. *ſub. n.* 8. *& alii communiter.* Verùm tamen eſt, quòd ſi bonum opus facere exiſtimat, & probabiliter putet non eſſe indiſcretas hujuſmodi afflictiones, nullo modo peccat; Nam qui per moderatam abſtinentiam, per jejunia, per macerationes, vel etiam ſtudia, prævidet vitam abbreviare, ſed non intendit mortem, ſed virtutem; non videtur peccare, quia hoc non repugnat rationi, cum hæc opera ſint laude digna, ut rectè docet Bonac. *de Reſtit. diſp.* 2. *q. ult. ſect.* 1. *pun.* 5. *ſub. n.* 9., & alii allegati per ipſum, Lezana *tom.* 2. *verb. Homicidium n.* 5. Tãdem pro coronide hujus reſponſionis, dico cum Diana. *par.* 5. *tr.* 4. *reſ.* 33. *in fine*, quod in hoc optimum conſilium erit, nihil facere ſine conſilio prudentis Confeſſarii, & Superioris. Vide etiam Emm Sà *verb. Vita n.* 1.

523 Inter. 2. Cajus juravit ire Lauretum tali die, ſed poſtea audit eſſe in via latrones, qui omnes occidunt, vel capiunt, teneturne ſe exponere tali periculo?

Reſp. Minimè tenetur implere promiſſum, & cum periculo, implere quod juravit nam juramenti obligatio ceſſat ratione eventus, ut docet ipſe Tol. *lib.* 4. *c.* 22. *ſub. n.* 2. & alii omnes.

524. Inter. 3. Quid facere debet Confeſſarius alicujus mulieris ductus in aliquod deſertum à marito ejus nobili vel

Digitized by Google

vel à Tyrranno, & interrogante an ſua uxor confeſſa fuerit ei, ſe adulteratam eſſe, intentando ei mortem, ſi veritatem non dixerit?

Reſp. Reſpondeo cum Navar. *in Man. c. 8. n. 19.* quod poteſt abſolutè dicere, & ſi opus eſt, etiam jurare, eã ſibi non eſſe confeſſam ullum adulterium; Quia, ut docet S. Tho. *in 4. diſt. 21. q. 3.* Confeſſarius non ſcit illud adulterium, ut homo, ſed ut Deus Bonac. *de Sac. diſp. 5. q. 6. ſect. 5. pun. 6. n. 13. & de Præcep. Decal. diſp. 4. q. 1. pun. 12. ſub. n. 5. verſ. 7.* Diana *part. 3. tract. 6. reſ. 30. verſ. 6. & par. 5. tr. 11. reſ. 43.*, & alii plures penes ipſos. Emm. Sà *verb. Confeſſor n. 24.* Sylu. *verb. Confeſſio n. 6.* Cajet *in ſumverb. Confeſſori Neceſſaria dum loquitur de ſigillo Confeſ.*

525 Inter. 4. Pro ſeruanda vita propria poteſtne Cõfeſſarius aliquo modo manifeſtare peccata pænitentis audita in Confeſſione?

Reſp. Nequaquam, quia majus bonum eſt ſeruare ſecretum confeſſionis propter bonum commune fidelium, & propter reverentiam Sacramenti debitam, quam ſit vita unius hominis: Turrianus *de pœnit. diſp. 33. dub. 5.* Dian. *par. 5. tract. 11. reſ. 46.* Vide ea, quæ dicam in *tit. 204. De Sigillo Confeſſionis ad Int. 17. & 18.* nam quod ibi firmabo videtur probabilius etiam Bonac. *de ſac. diſp. 5. q. 6. ſect. 5. pun. 4. n. 29. in fin.* quia ex ſcientia Confeſſionis ſequeretur damnũ pœnitenti, & confeſſio fieret odioſa.

TITULUS LXII.

De Defenſione vitæ proximi.

Vide tit. de Deb. ex contrac. Inter. 3. tit. de Eleem. Inter. 4. 5. tit. de Homicid. Inter. 8. tit. de Teſtib. &c. Inter. ult.

526 INter. 7. Eſtne licitum pro defenſione vitæ proximi occidere injuſtum inuaſorem?

Reſp. Doctores communiter affirmant licere, quia lege charitatis licitum eſt alijs facere, quod pro ſe ipſo quiſque poteſt, ſed quiſque poteſt licitè occidere inuaſorem vitæ, ergò poterit pro vita proximi etiam id facere alius, maximè quia talis cenſetur innocens, etiamſi cauſam dederit inuaſioni, Inuaſio enim ſemper eſt injuſta, & innocens ſemper licitè defendi poteſt, ergò &c. Ità ex Filliucio, Maldero, Molina, & Azorio firmat Diana *par. 8. tract. 7. reſ. 19.*, & teſtatur de communi. Verum eſt tamen, quòd ſi inuaſus cedit Juri ſuo, & ſeriò dicat nolle ſe defendi, ſed potius mori, quam occidatur inuaſor in peccato mortali, tunc non erit licitum ejus injuſtum inuaſorem occidere, ut rectè notat idem Diana *ibidem in fine*. Vide Sylueſtrum *verb. Bellum 2. n. 8.* Nauarrũ *in Man. cap. 1. n. 2.* Tolet. *lib. 1. cap. 80. num. 10.*, & Zeccum. *de caſib. reſer. caſ. 13. de homicidio pag. 208. verſ. Succeſſiuè etiam &c.* qui hanc ſententiã ſequuntur, & tuentur.

527 Inter. 8. In dicto caſu, qui occidit injuſtum inuaſorem proximi ſitnè Irregularis, & incurritnè Excommunicationem ſi inuaſor ſit Clericus?

Reſp. Dico primò, incurrere irregularitatem, qui occidit inuaſorem proximi, ut dixi ſupra. *in tit. 58. de Defenſione bonorum temporalium, ad inter. 4.*, & ità docent Sylueſter, Toletus, & Nauarrus. *loc. ſup. cit.*, & alij multi. Dico ſecundo, cum eodem Sylueſt. *ibidem*, quòd pœnam Excommunicationis, percutiendo, vel occidendo Clericum euitat, non ſolùm defendendo ſe, ſed etiam Patrem, Matrem, Vxorem, Filium, vel Filiam, Non autem defendendo extraneum, ſed ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ, puto, neque defendendo extraneum, excommunicationem incurrere, ſi Clericum inuaſorem occidat, quia excommunicatio Juris, numquam incurritur ſine peccato mortali, quod non adeſt in caſu præſenti, ut ſuppono.

Oppo-

Oppoſitum tamen tenet Diana *par.* 4. *tract.* 2. *reſ.* 5. *de irregularitate in caſu noſtro*; ſed ego non recedo ab affirmatiua ſententia, quam præter Nauarrū, & Syluestrum, docent Layman, Auila, Bizozerus, Majolus, & alii, quos refert, & non ſequitur Diana *loc. cit. in principio*: Nam incurrit Irregularitatē ex defectu lenitatis, ut conſideranti patebit. Vide Zeccum *loc. ſup. cit.*

528 Inter. 3. Teneturne famulus vitam Domini defendere cum periculo propriæ vitæ?

Reſp. Non omnis famulus ad id ſpecialiter tenetur, ſed ſolum ille, qui ad talem effectum fuerit conductus; nam is certò tenetur ob conventionem, Dominum comitari, ac ejus vitam defendere ſi opus fuerit, etiam cum vitæ propriæ periculo, cum ſpecialiter ad id ſe obligaverit, non animo offendendi alios ſed vitam Domini ruendi ſi caſus inopinatus evenerit. Cœterùm quilibet famulus impedire tenetur, ne Dominus damnum patiatur, ſed non cum onere perdendi propriam vitam. Ità ex Reginaldo, Filiucio, & aliis reſolvit Bonacina *de Legibus diſp.* 6. *quæſt. unic. punct.* 8. *num.* 15. Vide Dianam *par.* 7. *tract.* 7. *reſol.* 50.

TITULUS LXIII.

De Delectatione.

Vide tit. de Gul. Inter. 1. *tit. de Parv. mat. Inter.* 3. 4. *tit. de Sponſ. Inter.* 1. *tit. de Vſ. conjug. Inter.* 2.

529 INter. 1. Conjuges, qui utuntur copula conjugali ob ſolam voluptatem, peccantne mortaliter, vel venialiter, vel nullo modo?

Reſp. Sanchez *de Matrim. lib.* 9. *diſp.* 11. *num.* 4. Bonac. *de Matrim. quæſt.* 4. *pun.* 6. *num.* 7. & alii, quos ipſi referunt, docent, quod tantùm venialiter peccent, quia non conſtituunt ſibi finem honeſtum, qualis eſſe debet procreatio filiorum; vel ad avitandam incontinentiam: non eſt autem mortale peccatum, quia, ut ait Navar. *in Man. cap.* 16. *num.* 23. cui ſubſcribit Bonac. *loc. cit.* accedere cauſa voluptatis ad conjugem, non habet tantam oppoſitionem cum ratione, ut conſtituere valeat culpam mortalem; Diana verò *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 216. & alii ab eo relati dicunt, quod neque venialiter peccent: Verùm hoc nullatenus affirmari poteſt, maximè cum talis ſententia jam poſtremò fuerit reprobata ab Innoc. XI. anno 1679. & eſt 9. propoſitio inter alias in ſuo Decreto reprobatas: Vide etiam Victoriam *in Summ. de Matrim. n.* 252. ubi docet, quod matrimonii uſus propter delectationem eſt peccatum veniale, & rectè probat.

530 Inter. 2. Si quis oſcularetur aliquem abſque ulla ſiniſtra intentione, & periculo delectationis venereæ, ſed ſolùm ob illam delectationem ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, committeretne peccatum lethale?

Reſp. Negativam ſententiam conatur probare Sylvius in 2. 2. D. Th. *quæſt.* 154. *ar.* 4. *concluſ.* 4. & pro ſe citat alios, nec diſſentire videtur Comitulus, & Joan. Salas, ſed non admittitur à Filiuccio *tom.* 2. *tr.* 30. *cap.* 9. *num.* 179. neque à Sanchez *in Summ. tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 12. & eam tanquam improbabilem refellit Dian. *par.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 136. & meritò quidem, nam talis actus (niſi fiat ex aliqua juſta, & rationabili cauſa; & non pro illa delectatione) quippè periculoſus eſt valdè, atque, ut plurimum inductiuus ad libidinem; unde quia ſe exponit periculo peccandi mortaliter, jā mortaliter peccat, nec aliter affirmari poteeſt, cū negativa ſētētia, veluti improbabilis, & ſcandaloſa ſit reprobata ab Alex. VII. die 18. Martii 1666. & eſt propoſitio 40. ab eodem Pontifice damnata, etiam ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis. Vi- Bonac. *de Matrim. quæſt.* 4. *pun.* 9. *præſertim. num.* 5. Cajet. *in Sum. verb. Impudicitia*, & *verb. Oſculum*, & Armillam *eodem verb. num.* 1.

TITU-

TITULUS LXIV.

De Delectatione Moroſa.

Vide tit. de Circumſt. pec. Inter. 20. 21. *tit. de Sacril. Inter.* 5.

531 INnter. 1. Quid eſt delectatio moroſa?

Reſp. Eſt complacentia in re mala ſine voluntate illius faciendæ. Ità docent Doctores communiter.

532 Inter. 2. Quare dicitur moroſa?

Reſp. Dicitur moroſa, non à mora temporis, qua durat, ſed ex mora rationis in repellendo, nam durat uſquequo ratio deliberet, in qua deliberatione eſt aliqua mora, & ideò dicitur moroſa. Vide Tolet. *lib.* 5. *c.* 34. *num.* 2. *verſu. quinto*. Bonac. *de Matrim. quæſt.* 4. *pun.* 8. *num.* 1.

533 Inter. 3. Peccatne mortaliter, qui in cogitatione moroſa delectatur, nullo pacto tamen in opus conſentiens, imò potiùs mortem ſubire paratus, quàm conſentire in facto?

Reſp. Si objectum talis cogitationis ſit mortiferum, ut ſi eſſet Homicidium, Adulterium, Furtum, & hujuſmodi, ipſa cogitatio certè mortalis eſt: Si verò objectum eſt veniale, venialis quoque eſt cogitatio ex parte actus, ſed ex parte cogitantis judicanda eſt ſecundum qualitatem deliberati conſenſus.

534 Inter. 4. Quando delectatio non cadit ſuper opus cogitatum malum, ſed tantum ſuper nuda cogitatione ſiſtit, ut v. g. quod Cajus ſalva manu occidi poſſit, non delectando de homicidio, ſed de ingenioſa inventione, & ſic circa alia, eſtne peccatum mortale talis cogitatio?

Reſp. Minimè, quia quando quis delectatur circa modum, illa delectatio non eſt mortalis; ſed ſi ſuper opus ipſum caderet, utique mortalis eſſet. Ità docent DD. communiter. Vide Bonac. *de Matrim. quæſt.* 4. *pun.* 8. *num.* 7.

535 Inter. 5. Qui cogitat de aliqua muliere diſcurrens intra ſe, ſi eſſet ſua Uxor ſecum coiret, oſcularetur, amplexaretur &c. peccatne mortaliter?

Reſp. Mortaliter peccat, quia licèt talis cogitatio conditionalis ſit, tamen ejus præſens delectatio eſt abſoluta &, illicita, multò magis circa Perſonas ad hoc inabiles, ut ſunt Perſonæ per votum Deo dicatæ. Favet Bonac. *l. cit. num.* 33. Vide *ad Inter.* 4. *tituli* 67. *de Deſideriis*.

536 Inter. 6. Conjugati poſſuntne ſine peccato delectari de copula in abſentia alterius conjugis?

Reſp. Secluſo pollutionis periculo, & tactu impudico proprii corporis, non peccant mortaliter, quia delectantur de actu licito, qui eſt copula conjugalis. Diana *par.* 3. *tr.* 6. *reſ.* 73. §. *Verum*. Cum Caſtropalao *tom.* 1. *tr.* 2. *diſp.* 2. *pun.* 10. §. 2. *n.* 1. & aliis; ſed tutius eſt ab hujuſmodi cogitatione abſtinere, quia non deſunt Viri docti, qui docent non licere delectari carnaliter de copula licita præterita, vel futura, ita ut inſurgat ſenſualis concupiſcentiæ motus. Sylveſter *in Summ. verbo Delectatio q.* 3. cui ſubſcribit Sà *verb. luxuria num.* 12. idem docet Tolet *lib.* 5. *cap.* 14. *n.* 3. *in fine* Sed vide etiam Bonac. *de Matrim. quæſt.* 4. *pun.* 8. *num.* 12.

537 Inter. 7. Viduæ ſi delectentur de copula præterita, peccantne mortaliter, an venialirer tantùm?

Reſp. Peccanr mortaliter, nam eis nullo modo licet delectari de copula præterita. Layman *lib.* 1. *tr.* 3. *cap.* 2. *num.* 14 Bonac. *de Matrim. quæſt.* 4. *pun.* 8. *num.* 13. Diana *par.* 3. *tr.* 5. *reſ.* 2. alios allegans.

528 Inter. 8. Si quis in die Jejunii, vel die Veneris delectaretur de eſu Carnium imaginariè tantùm concepto, peccaretne mortaliter?

Reſp. Minimè, quia præceptum poſitivum humanum non extenditur

per.

per ſe ad actus internos. Layman *lib. 1. tr. 3. cap. 6. num. 9.* & alii, quos citat, & ſequitur Diana *par. 3. tr. 5. reſ. 5.*

TITULUS LXV.

De Delictis.

Vide tit. de Denunc. Int. 17. ; tit. de edict. Int. 1. tit. de Epiſcopa. &c. Int. 24. tit. de Pœn. int. 8. tit. de Val. Diſpen.. Int ult.

539 Inter. 1. Ad hoc ut delictum dicatur notorium, & publicum quid requiritur?

Reſp. Requiritur quod ſciatur à majori parte viciniæ, vel Collegij, vel Pareciæ, vel Monaſterij, vbi ſunt decem ad minus. Ità docent Syluester *verb. notorium num.* 4. Nauar. *in man. cap. 27. num. 255.* Emm. Sà *verb. manifeſtum num. 2.* Bonac. *de cenſu. diſp. 1. quæſt. 3. pun. 2. num. 1.*, & alii penes ipſos.

540 Inter. 2, Quotupliciter quis poteſt dici innocens, vel nocens, & in dubio eſtne cenſendus nocens, vel innocens, ſeù bonus, vel malus?

Reſp. Dupliciter quis dicitur innocens, vel nocens, ſcilicet de facto, & de Jure. Defacto dicitur innocens, ſi in veritate crimen non commiſit, de Jure verò quando crimen illud commiſiſſe juridicè non probatur. Ita pariter dicitur quis nocens, ſeù Reus de Jure, quando juridicè convincitur crimen commiſiſſe, & de facto, quando crimen in veritate commiſit. Et ſic innocens de jure poteſt eſſe Reus, ſeù nocens de facto, & è contra. Vide Sylueſtrum. *verb. Iudex 2. num. 5.* In dubio tamen quilibet præſumitur bonus, & innocens, dummodò contrarium non probetur, præſertim ſi fuerit bonæ notæ, & famæ. Deducitur. *ex leg. merito ff. pro ſocio, leg. quoties* 18. §. *qui dolo ff. de probat.*, & tradunt Marcus Paulus Leo. *in praxi ad litteras M. Pœnit. pag.* 361. *verſ. ſi ad id*, & Lezana *tom. 2. verb. Reus num. 5. in fine*, & *tom. 4. conſ. 49. num. 2.* Malus autem ſemper præſumitur malus in eodem genere mali, aut illi ſimili ex regula, *ſemel malus in 6.*; nam malus in uno, habet contra ſe præſumptionem, quod ſit malus in aliis, propter connexionem quàm habent inter ſe vitia, & peccata, niſi fortè fuerit emendatus per triennalem laudabilem vitam, ut docent *DD. in cap. Ferrum diſt.* 50. Vide Rodericum *in comped. qq. Regul. reſol. 42. num. 22.*

TITULUS LXVI.

De Denunciationibus.

Vide tit. de Accuſ. &c. Inter. 8. tit. de Correct. Int. 6. 7. 8. tit. de Edict. Int. 1. 2. tit. de Impedim. dir. Mat. ad quæſ. tit. de Judicib. Inter. 4. tit. de Morib. &c. Inter. 16. tit. de Paroch. Inter. 32. 37. tit. de Polyg. Inter. 2. 3. tit. de Regul. &c. Int. 30. 31. tit. de Sac. Matr. ad quæſ. tit. de Sollic. tit. de ſuperſt. Inter. 3. 9. 14. tit. de Teſtib. &c. tit. de Val. Sacr. Matr. ad quæſ.

541 Inter. 1. Audiens Blaſphemum, teneturne illum denunciare, & cui eſt facienda denunciatio?

Reſp. Si Blaſpemia ſit hæreticalis certò audiens illũ teneturblaſphemantẽ Inquiſitoribus contra hæreticã pravitatẽ denunciare; de hoc enim ipſi ſoli & nullus alius cognoſcit, ut dixi ſuprà *in tit. 24. de Blaſphematoribus*, & *Blaſphemiis, ad inter.* 11. Et ad hunc effectum quotannis promulgant iidem Inquiſitores edicta, quibus præcipiunt ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, ut hujuſmodi Blaſphemi ad S. Inquiſitionis Tribunal deferantur. Ità docent Sanchez. *lib. 2. moral. cap. 32. num. vlt.* Caren. *de Offic. S. Inquiſ. part. 2. tit. 9. §. 2. num. 5.*, & *6.*, & alii. Si verò blaſphemia ſit ſimplex, videtur ſufficere, ſi denunciatio fiat Epiſcopo, & hoc maximè procedit, ſi

Bla-

Blaſphemus conſuetudinē habet blaſphemandi,ut poſt alios docet Mazzuchellus *de caſ. reſerv. diſp.* 2. *cap.* 16. *quæſt.* 4. *diffic.* 5. *num.* 82. Verùm, Raynaldus *tom.* 1. *obſerv.cap.*1.§. *ad* 7. *num.* 65., *& ſeqq.* pluribus allegatis ſuſtinet blaſphemias ſimplices eſſe mixti fori, & pertinere earum cognitionem tàm ad Judicem Eccleſiaſticum, quàm ad ſæcularem, itaut inter eos ſit locus præventioni. Vide Dianā *par.* 4. *tract.* 8. *reſol.* 87.

542 Inter. 2. Qui aliquem hæreticaliter blaſphemare audit, intra quot dies tenetur illum Inquiſitoribus denunciare? & ſi hoc non facit, quam pœnam incurrit?

Reſp. Intra triduum; nam ſi intrà triduum non denunciet blaſphemantis pœnas incurrit, ut habetur *ex Conſt.* Julii III., quæ incipit *In multis* teſte Caſſiano à S. Elia *in Arbor. opin. moral. verb. blaſphem. Flos* 2. Immò addo ego ſi contumax fuerit in denunciatione facienda à nullo Confeſſario poterit abſolvi; quia obſtat excommunicationis cenſura latæ ſententiæ *in Edicto* S. Inquiſitionis lata, & Latoribus reſervata, qua innodatur contumacia in denunciatione facienda. Vide Facundez *in Decal. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 3. *in* 2. *præcepto num.* 32. & Dianam *par.* 4. *tract.* 5. *reſol.* 41. *per totam.*

543 Inter. 3. Quando plures audiunt Blaſphemantem,teneturne omnes diviſim denunciare?

Reſp. Omnes diviſim tenentur denunciare, niſi unus nomine omnium conſentientium denunciet, ut docet idem Caſſianus *loco ſup. cit.* Nam Edictum DD. Inquiſitorum obligat omnes, & ſingulos, & ideò omnes,ac ſinguli denunciare tenentur, niſi ut dixi, unus nomine omnium denunciet.

544 Inter. 4. Eſtne denunciandus Inquiſitoribus qui profert hujuſmodi blaſphemias ſcilicet *Deus non vult mihi ſuccurrere, ſuccurrat igitur mihi Diabolus: Deus non recordatur mei, memor igitur mei ſit Diabolus?*

Reſp. Hujuſmodi blaſphemiæ derogant tùm juſtitiæ, tùm providentiæ Dei, ideoque habentur hæreticales, ut docet Graffus *de caſ. reſerv. lib.* 1. *cap.* 10. *de blaſphemia num.* 44. & alii communiter; ergo talis blaſphemus proculdubio eſt denunciandus Inquiſitoribus, ut puniatur, prout ſcelus expoſtulat.

545 Inter. 5. In delictis, ſeu caſibus pertinentibus ad S. Officium, teneturne denunciare ii, qui certò non ſciunt alterius delictum, ſed ſolùm ab aliis audierunt?

Reſp. Supponendum eſt primò, quod in S.Officio contra Reos admittuntur Teſtes aliàs inhabiles, ut excommunicati, criminoſi, infames, periuri &c. ut patet ex *cap. in fidei favorem de hæret. in* 6. & hoc rectè fit, quia criſmen hæreſis, vel illam olens, eſt ita grave, & Reipublicæ pernicioſum, ut meritò in ejus deteſtationem tales Teſtes admittantur, ut ſic faciliùs delictum puniri queat, & extirpari; hoc ergo prænotato, dico, quòd non ſolùm denunciare tenentur delicta ad S.Officium pertinentia, qui illa certò ſciunt fuiſſe à tali, vel tali commiſſa, ſed etiam illi, qui à perſonis ſaltem fide dignis hoc acceperunt, ut obiter quoque dicam *in hoc eodem titulo ad Inter. ultimam*, ubi loquitur de tali dubio quoad Confeſſarium ſollicitantem pœnitentes ad turpia, quia eſt de hæreſi ſuſpectus. Vide etiam Lezanam *tom.* 2. *verb. Denunciatio ſub num.* 4. qui concordantes adducit. Immò Diana *par.* 4. *tract.* 5. *reſol.* 28. pluribus relatis probat non ſolùm teneri denunciare eum, qui à fide dignis audivit (quod eſt inconfeſſo apud omnes) ſed etiam eum, qui à levibus perſonis etiam audivit, quia *in Edicto* DD. Inquiſitorum abſolutè, & ſine ulla diſtinctione præcipitur ſub excōmunicationis pœna, ut ſi quis ſciverit, vel audierit delicta in illo Edicto contenta, Inquiſitoribus denunciet. Vide

ergo Dianam, qui quidem magno cum fundamento loquitur in caſu noſtro; Ego tamen non diſcedo à communi ſententia, nempè quod notitia habita à levibus perſonis nullam generet fidem, ergo &c. Vide etiam Sanchez *in opuſc. tom. 2. lib. 6. cap. 2. dub. 16. num.* 1. Navar. *cap.* 25. *num.* 46. & Bonac. *de onere denunc. diſp. 6. pun.* 2. *num.* 7.

546 Inter. 6. Si quis non denunciaverit intrà terminum præfixum in Edictis Inquiſitorum, eo termino transacto, remanetne liber à tali obligatione?

Reſp. A tali obligatione utique liber non remanet, quia ille terminus non aſſignatur eo fine, ut extinguatur denunciandi obligatio, ſed ut non differatur. Ita ex Suarez *de cenſur. diſp.* 2?. *ſect.* 2. *num.* 15. Acugna *de conf. ſollicit. quæſt.* 21. *num.* 4. & Joan. Sancio *in ſelect. diſp.* 11. *num.* 59. docet Lezana *tom.* 2. *verb. Denunciatio num.* 8. Itaque qui non denunciavit intra terminum præfixum ex malitia, aut nulla juſta ſubſiſtente cauſa, eſt reus mortalis culpæ, innodatus excommunicationis majoris pœna, & à nullo ſimplici Confeſſario poteſt abſolvi, niſi in articulo mortis, & adhuc ſemper obligatus remanet ad denunciandum, quia nunquam talis obligatio extinquitur, ut concors Doctores ſententia tenet. Vide quæ dicam *ad Inter.* 28. *hujus tituli*, & Emm. Sà *verb. denunciatio n.* 1. *& infrà ad Inter.* 9.

547 Inter. 7. Teneturne filius denunciare Patrem Hæreticum, & è contrà teneturne Pater denunciare filium? & quid de Marito, & Uxore eſt dicendum?

Reſp. Nonnulli dicunt non teneri filium denunciare Patrem hæreticum, ſicut nec Matrem, neque è contra Patrem, aut Matrem filium Hæreticum, quia Jure naturæ Pater, Mater, & filius ſunt veluti una perſona, ità ut bonum, & malum unius in alterum refundatur. His tamen non obſtantibus dicendum eſt ſupradictos teneri denunciare, ut docent Farinacius *de hæreſi quæſt.* 197. §. 2. *num.* 40. Suarez *in tract. de fide diſp.* 20. *ſect.* 4. *num.* 21. Azorius *par.* 2. *lib.* 2. *cap.* 1. *quæſt.* 13. Boanac. *in tract. var. diſp.* 6. *pun.* 2. *num.* 3. *& de cenſur. diſp.* 2. *quæſt.* 6. *pun.* 5. *num.* 1. Portellus *in dub. Regul. verb. correctio fratrum num.* 11. & alii plures, quos refert, & ſequitur Dianpar. 1. *tract.* 4. *reſol.* 4. & hanc ſententiam ſine hæſitatione amplectendam eſſe puto, quià hæreſis eſt perniciosa Reipublicæ, undè bonum Reipublicæ præponendum eſt particulari Patris, Matris, & filii: & eo magis hoc puto verum, quando horum hæreſis tenderet in perniciem publicam, ità ut quis eorum dogmatizaret, & alios doceret hæreſim; nam ſtrictiùs obligat bonum commune Religionis propter Dei honorem, & ſalutem animarum, quàm bonum cujuſcumque perſonæ privatæ, licet ſanguine conjunctiſſimæ. Vide Tolet. *lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 8. Simancham *lib. de Cathol. inſt. tit.* 29. *num.* 4. Filliucium *tom.* 2. *tr.* 40. *cap.* 8. *num.* 233. Genuenſem *in praxi cap.* 18. *n.* 9. Suarez *loco ſupracit.* & Lezanam *tom.* 2. *verb. Denunciatio ſub num.* 4. qui benè ſubdit idem proportionalitèr dicendum eſſe de Uxore reſpectu Mariti, aut Mariti reſpectu Uxoris propter eamdem rationem. Sed vide Dianam *ubi ſupra reſol.* 5. & Cabrinum *de caſ. reſerv. par.* 1. *reſ.* 42. §. 18. *& ſequentem reſp.*

548 Inter. 8. In caſu criminum, quæ ſapiunt tantùm hæreſim, ſed non eſt ibi hæreſis formalis, teneturne filius, Uxor, & frater denunciare Patrem, Maritum, vel Fratrem perpetrantem hujuſmodi crimina?

Reſp. Lazarius, & præcipuè Homobonus apud Dian. *loco proximè cit. reſol.* 6. dicunt, quod Pater, & Filius, Maritus, & Uxor, & Fratres inter ſe cenſentur una, & eadem Perſona, & jure naturali repugnat ſe ipſum prodere, conſequētèr excepta hęreſi formali ad hoc non coguntur; Verùm idem Dian. ſic cōcludit. At his non obſtantibus, attenta

tenta praxi, contrarium dicendum videtur: & rectè dicit, dummodò ex tali denunciatione ſibi non timeant gravem jacturam in vita, fama, vel re familiari, quia præcepta Eccleſiaſtica non obligant cum tanto rigore. Vide Carenam *in tract. de Offic. S. Inquiſ. par. 2. tit. 9. §. 7. num. 39.* ſecus dicendum eſt in caſu hæreſis formalis, quia, ut dixi in precedenti reſp, damnum commune Reipublicæ, hoc eſt Religionis, & fidei, præferri debet bono privato, Teſte Suarez *de cenſur. diſp. 6. ſect. 3.* Beccano *in Summ. tr. 3. cap. 4. num. 5.* Layman *lib. 1. tra. 4. cap. 14.* Carena *loco cit.* & alii apud Dianam *loco ſupracit. reſol. 7.*

549 Inter. 9. Poteſtne Confeſſarius abſolvere qui non vult denunciare Hæreticum, aut de hæreſi ſuſpectum? & quid ſi talis ſit in articulo mortis?

Reſp. Communis Theologorum ſententia docet, abſolutiónem ſacramentàlem non poſſe impendi indigno, ſeu ponenti obicem, aut indiſpoſito, ut rectè tradunt Medina *de Confeſſ. quæſt. 19.* Sotus *in 4. diſt. 18. queſt. 2. ar. 4. ad 2.* Sanchez *de matrim. lib. 2. diſp. 38. num. 2.* Coninchus *de pœnit. diſp. 8. dub. 17. n. 136.* Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 13. quæſt. 4. num. 5.* & alii, quos refert, & ſequitur Lezana *tom. 2. verb. denunciatio num. 29. & ſeqq.* Qui autem denunciare non vult ex malitia, aut abſque rationabili cauſa, non eſt dignus abſolutione: ponit enim obicem effectui ipſius abſolutionis, eſtque indiſpoſitus, cum nolit obedire in re graviſſima Confeſſario, & Eccleſiæ præcipienti dictam denunciationem. Imò Confeſſarius, ſi talem abſolveret, incurreret pœnam excommunicationis latæ in Decreto, ſeu *Edicto* S. Inquiſitionis, quod refert Carena *ubi ſupra par. 2. tit. 9. §. 7.* Ego dicendum eſt nullo modo poſſe Confeſſarium abſolvere etiam ſi ſit in articulo mortis, qui non vult denunciare Hæreticum, aut de hæreſi ſuſpectum, niſi credat pœnitentem ob aliquam cauſam, puta ignorantiam, (& Confeſſario non ſuppetit tempus docendi ipſum de tali obligatione) imbecillitatem judicii &c. aut quia non habet plenam ſatisfactionem de ſcientia ipſius Confeſſarii, vel ſimilem, non præbere ipſi fidem circa obligationem illam de denunciando Hæretico &c. Lezanam *ubi ſupra à num. 28. uſque ad finem*, qui latè de tali dubio loquitur.

550 Inter. 10. Sub quibus pœnis tenemur denunciare Inquiſitoribus, vel locorum Ordinariis illos, qui ſunt de hæreſi ſuſpecti?

Reſp. Tenemur ſub excommunicationis majoris pœna ipſo facto incurrenda, & Papæ, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Generali Inquiſitioni reſervata. Ità namque mandatur in Decreto DD. Cardinalium Inquiſitorum Generalium, ut refert Peyrinus *tom. 1. privil. minim. in Conſt. 9. Pauli V. n. 25.* Lezana *tom. 2. verb. Accuſare num. 7.* & tandem ſub cenſuris, & graviſſimis pœnis decernitur in Decreto Alexand. VII. edito *anno* 1660. quod incipit: *Licèt aliàs*, &c. quale Decretum ſingulis annis de mandato ejuſdem Pontificis legi debet à Regularibus in unoquoque Conventu in Capitulo, aut publica menſa Kalendis Martii.

551 Inter. 11. Quis ſolum ob levem ſuſpicionem, vel ob ſigna, quæ facilè fallere poſſunt, eſt de hæreſi ſuſpectus, debetne denuntiari Inquiſitoribus, vel locorum Ordinariis?

Reſp. Notandum eſt primo triplicem eſſe ſuſpicionem, nempè levem, gravem, ſeu vehementem, & violentam. Levis dicitur illa, quæ procedit ex indiciis, quæ aliquando, ſed raro concludunt; Gravis eſt quæ procedit ex indiciis efficacibus, quæ tamèn aliquando deficiunt. Violenta denique illa cenſetur, quæ æquivalet ſufficienti probationi. Sylveſter *in Sum. verb. Indicium quæſt. 3.* Lezana *tom. 2. verb. Hæreſis num. 3.* & alii ab ipſo relati. Hoc ergo prænotato, Dico, quod te-

net Navar. *tom.* 2. *lib.* 5. *tit. de Hæreticis, conſ.* 3. *num.* 1. Neminem eſſe denunciandum ob levem ſuſpicionem, & ob ſigna, quæ facilè fallere poſſunt. Tamen mihi videtur dicendum oppoſitum, quia ſuſpicio, & ſigna de iis, quæ pertinent ad firmitatem fidei, an ſit ſufficientia, necne, judicio, & prudentiæ Epiſcoporum, & Inquiſitorum relinquenda ſunt, & hoc eo magis puto verum, quia in Edicto Sanctiſſimæ Inquiſitionis dicitur denunciari debere omnes, & ſingulos hæreticos, ſeù de hæreſi quomodolibet ſuſpectos. Particula enim illa *quomodolibet*, cum ſit univerſalis ad quoſcunque, etiam levi ſuſpicione ſuſpectos extendi debet. Favet Lezana *loco cit. num.* 5. Et modò poſt Decretum illud Alexand. VII. id in dubium revocare non licet, nam omnes etiam de levi ſuſpicione, denunciandos eſſe, in eo præcipitur. Probo inſuper, nam in delictis ſpectantibus ad S. Officium non requiritur infamia, ſed ſufficiunt indicia, præſumptiones, & ſuſpiciones veriſimiles. *cap. Excommunicamus* §. *Addicimus de hæret. in* 6. & DD. ibidem plena manu, neque requiruntur indicia valdè urgentia, ſed ſolùm ſufficiunt probabilia, prout pluribus relatis docet Carena *de Offic. S. Inquiſit. par.* 3. *tit.* 1. *num.* 17. & 18. Lezana *ubi ſupra verb. Denunciatio numer.* 22. & *ſeqq.* Diana *par.* 4. *tract.* 6. *reſ.* 4. & *in Sum. verb. Denunciatio numer.* 3. ergò &c.

552 Inter. 12. Sempronius cognoſcit Cajum Polygamum, eo quia habet duas Uxores viventes, ſed ſcienter prætermittit eum denunciare ad Sanctum Officium, poteſtne Sempronius à quocumque Confeſſario abſolvi?

Reſp. Nequaquam, quia cum ſcienter prætermiſerit denunciationem, contraxit excommunicationem impoſitam contra non revelantes hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos, & ſic mittat eum ad Epiſcopum, vel Inquiſitorem, à quibus præmiſſa denunciatione, poterit abſolvi.

553 Inter. 13. Si Fœmina ignoranter ſe accuſat in Confeſsione habuiſſe Animum peccandi turpiter cum ipſo Confeſſario, & Confeſſarius ex hoc ſumat motium illam ſollicitandi, & de facto ſollicitàt, teneturne dicta fœmina talem Confeſſarium denunciare?

Reſp. Certò tenetur illum denunciare, aliàs à nullo poterit Confeſſario abſolvi; quia Confeſſarius in dicto caſu abutitur Sacramento, & de hoc apud me nullum eſt dubium. Vide Bonac. *in tract. var. diſp.* 6. *pun.* 3. *num.* 17. & Dianam *par.* 4. *tractat.* 5. *reſ.* 20. Et quamvis tales Auctores dicant hoc intelligendum eſſe, quando fœmina turpem ſuum amorem aperit Confeſſario animo confitendi, ſeú accuſandi ſe de gravi illo affectu, & Confeſſarius anſam indè aſſumit exequendæ libidinis, & non quando fœmina id Confeſſario ſignificet animo ipſum provocandi, quia tunc ipſa dicitur ſollicitare Confeſſarium, non autem ab ipſo ſollicitari; tamen dico, quod tàm in primo, quàm in ſecundo caſu, teneatur Confeſſarium denunciare; nam ſufficit, quod Confeſſarius conſentiat, & inhoneſtos ſermones cum pœnitente habeat in Confeſſionario, vel ante, aut poſt immediatè Confeſſionem, ut ſæpè dico. Vide igitur *ad Inter.* 19. *præſentis tituli de Denunciationibus*.

554 Inter. 14. Quidam Confeſſarius fuit vocatus ad Ægrotantis Fœminæ confeſſionem audiendam, ſed eadem Fœmina ſollicitavit Confeſſarium ad turpia, minas ſuperaddens, ſe exclamaturam vim ſibi ab eo inferri, niſi conſentiat: Unde Confeſſarius ob vitandam infamiam actui impudico conſenſit; Eſtne talis Confeſſarius Epiſcopo, vel Inquiſitori denunciandus?

Reſp. Sancius, Suarez, & alii, quibus ſubſcribit Diana *par.* 4. *tract.* 5. *reſ.* 15. docent non eſſe denunciandum: idem ſentiunt Bonac. *tom.* 1. *de oblig. denunc*

denunc. diſp. 6. punct. 3. n. 17. Peyrinus *tom. 2. privil. minim. in conſt. 4. Gregor. XV. §. 3. nu. 9.* & alii penes ipſos: Ego tamen cum Cabrino *de caſ. reſer. reſ. 42. §. 20.* puto eſſe denunciandum, etiamſi ipſe fuerit ſollicitatus, & conſenſerit; Ducor, quia in Conſtitut. Greg. XV. quæ incipit: *Univerſi Dominici gregis*, emanata die 30. Auguſti 1622. præcipitur Confeſſariis omnibus, ut moneant Pœnitentes, quos noverint ab aliis ſollicitatos, ſe teneri judicialiter denunciare Sollicitantes Inquiſitoribus, ſeu locorum Ordinariis, ſive ſollicitatio fiat in actu Confeſſionis Sacramentalis, ſive ante, ſive poſt immediatè, *vel etiam prætextu confeſſionis, etiam confeſſione non ſequuta*; Nec eximitur Fœmina ſi prius ipſa Confeſſarium ſollicitaverit, & ipſe conſenſerit, ut tradunt plurimi DD. & ità practicatur in Sancto Officio.

555 Inter. 15. Eſtne denunciandus Confeſſarius, ſi vi, aut metu fœminæ ſollicitanti, prætextu confeſſionis, conſenſerit?

Reſp. Præter Doctores, quos pro parte negativa adduxi *ad Inter. antecedentem*, alios refert Dian. *par. 10. tr. 14. reſ. 40.* dicunt enim ſupradictum Confeſſarium non eſſe denunciandum, neque incurrere in pœnas Conſtitutionis Gregorianæ. Ità inter alios ſuſtinet Joſeph de Januario *de caſ. reſerv. reſol. 58. per totum* contra Carenam *de offic. SS. Inquiſit. par. 2. tit. 6. §. 19. n. 94.* docentem Confeſſarium in dicto caſu eſſe dènunciandum, atque pœnas Bullarum incurrere, & ita eſt in praxi tenendum per ea quæ dixi *ad Inter. antec. cit.* & tenet etiam Dian. *ubi ſup. verſ. unde Ego*, quamvis dicat, quòd talis Confeſſarius puniretur pœna extraordinaria, ſeù arbitraria ab Inquiſitoribus. quia qui metu peccat pœnam extraordinariam nòn effugit, & rectè hoc dicit, & probat, ne deſeras ipſum videre.

556 Inter. 16. Eſtne denunciandus ad S. Officium Confeſſarius, qui conſentit ſollicitationi à muliere ſibi factæ.

Reſp. Ipſemet docui *ad Inter. 14. hujus tituli*, eſſe denunciandum, quia non eximitur fœmina ab obligatione illum denunciandi ex eo quòd ipſa priùs Confeſſarium ſollicitaverit, cum ſatis ſit quòd Confeſſarius conſenſerit, aut ad invicem inhoneſtos ſermones habuerint; Non ſunt igitur audiendi oppoſitum docentes, cum ſit contra praxim Sac. Inquiſitionis Tribunalis, ut ibidem dixi, & iterum dico cum Diana *par. 9. tract. 9. reſol. 32. verſ. Sed ego puto*. Vide igitur Dianam *loco cit. & par. 4. tract. 5. reſol. 4. & reſol. 42.* qui plures concordantes adducit. Vide etiam Cabrinum *de caſ. reſ. part. 1. reſol. 42. §. 21.* Verùm ipſe Diana putat ſupradictum Confeſſarium eſſe minus puniendum. Vide ea *reſ. 32. & par. 1. tr. 4. reſ. 11.* ipſius Dianæ, & Lantuſcam, *verb. Sollicitare n. 4.*

557 Inter. 17. Fœmina, quæ conſenſit ſollicitationi factæ ei in Confeſſione, teneturne Confeſſarium ſollicitantem denunciare, cum illa tunc ſit delicti complex?

Reſp. Obiter docui ad Inter. 14. in fine, teneri Fœminam Confeſſarium ſollicitantem denunciare, etiam ſi illa ſit delicti còmplex; nam ità tradunt Acugna *in tr. de Confeſ. ſollicit. quæſ. 10. num. 10.* Bonac. *in tract. var. diſp. 6. pun. 3. num. 10.* Peyrinus *de privil. minim. in Conſt. 4. Greg. XV. §. 3. num. 11.* quos refert Diana *par. 1. tr. 4. reſ. 9. propè finem*, quibus Addo Cabrinum *Elucid. caſ. reſ. par. 1. reſol. 42 §. 8.* qui ita fuiſſe deciſum à Sac. Congregatione S. Officii hujus Almæ Urbis refert ex Carena *de Offic. S. Inquiſ. par. 2. tit. 9. §. 20. num. 112.* Siquidem fœmina ſollicitata non tenetur ſuum conſenſum explicare, neque de hoc debet examinari, uti de re ad S. Officium non ſpectante, ut benè notat ipſe Cabrinus, & alii ſupra citati teſte Diana *ibidem*. Ergo non eſt regula generalis ut criminoſi non teneantur denunciare complices, ex eo quia

pro-

prodeſſent ſe ipſos, nam bonum commune fidei, & Sacramentorum, debet præferri bono privato, & ita tenendum eſt omninò. Vide Lantuſcam *verb. Sollicitare n.5. & 6.*

558 Inter. 18. Si fœmina ſollicitet Confeſſarium ad fornicationem, & ipſe renuat, ſed provocat ad ſola oſcula, eſtne denunciandus tamquam ſollicitator iſte Confeſſarius?

Reſp. Equidem certò, ſiquidem eſt manifeſta ſollicitatio. Joannes Sancius *in Selett. diſp.*11.*n.*28. cui ſubſcribit Diana *par.* 4. *tract.* 5. *reſ.*13. & eſt communis ſententia.

559 Inter. 19. Eſtne denunciandus Confeſſarius tanquam ſollicitator ſi dicat pœnitenti, *Se io foſſi Secolare vi prenderei per moglie?*

Reſp. Quidquid dicat Bordonus, diſcedendum non eſt ab affirmativa ſententia, nam ut docet Diana *par. 9. tract.9. reſol.* 32. illa verba ſine aliqua occaſione in Confeſſione dicta, videntur maximè excitativa ad venerem, & cum ſint impertinentia ad Confeſſionem, ſapiunt ſollicitationem, & ità tenendum eſt omninò. Vide quæ dicam *in tit.*209. *de ſollicitatione, ad Inter.* 2. loquens de Confeſſario qui in Confeſſionario, aut ubi audiuntur Confeſſiones laudat pœnitentem de pulchritudine, & venuſtate, nam dicam eſſe talem Confeſſarium denunciandum, & idem nunc dico, & ità pari ratione dicendum eſt in caſu præſenti, ſiquidem quando Confeſſarius cum verbis, & ſignis dubiis ſollicitat, tenetur pœnitens illum denunciare, ut rectè docet Souſa, & Peyrinus, quos refert, & ſequitur idem Diana *par.*4. *tract.*5. *reſ.*25. Et nota quod in S. Officio verba dubia, & æquivoca meritò in deteriorem ſignificationem accipiuntur teſte Carena *de Officio Sanctiſſimæ Inquiſitionis*. Vide Cabrinum *loco proximè citato*.

560 Inter. 20. Eſtne denunciandus tanquam ſollicitator Cōfeſſarius præbens donum Pœnitenti in Confeſſione?

Reſp. Diſſenſiunt Doctores circà tale dubium, ut videre eſt apud Dianam *par.9. tract.9. reſol.*34. qui tamen putat, quod ſi Confeſſarius daret pœnitenti ramuſculum, ſeu florem, vel donum minimi valoris, cenſendus non eſſet ſollicitator ad turpia; Verùm licet talis actio ex ſe, ſecluſis aliis circumſtantiis, ſit indifferens. cum poſſit ſumi factum fuiſſe donum cauſa gratitudinis, eleemoſyne, vel ex affectu paternitatis ſpiritualis &c. Tamen quià muneribus fœminæ facilè allici, & provocari ſolent, mihi videtur adeſſe maxima præſumptio contra Confeſſarium in tali caſu, nam ut ait Eſcobar. *in tract. de Confeſſar. ſollicit. par.* 1. *quæſt.* 3. §. 2. *n.* 14. non ſolùm prohibetur aperta ſollicitatio, ſed etiam palliata tacitè, vel amphibologicè demonſtrata, qualis videtur donatio muneris magni valoris, inquit ipſe, ſed ego puto contra Dianam dare ramuſculum, ſeu florem, vel etiam donum aliud minimi valoris (niſi aliàs conſtet apertè de bonitate, & recta intentione Confeſſarii) eſſe ſpecies ſollicitationis, quia nil aliud cogitare poteſt pœnitens, niſi Confeſſarium habere affectum libidinoſum erga ſe, conſequentèr tunc tentatur, & provocatur tacitè ad libidinem, & ſic tanquam ſollicitator denunciandus erit, & hanc ſententiam tenet Trimarchus *tract. de Confeſ. ſollicit. diſp.*2. *quæſt.* 4. ubi ait cum Ledeſma, & Paramo, ſollicitationem fieri per donorum largitionem, & ipſa dona magis, quàm verba allicere. Puto igitur, quod in dubio præſumptio ſit contra Confeſſarium, ac proinde denunciandus, præſertim quià in dubio de rebus pertinentibus ad S. Officium, tutior pars eſt eligenda.

561 Inter. 21. Confeſſarius qui tantùm dicit fœminæ in Confeſſionario, vel ante, aut poſt immediatè confeſſionem verba levia, vel facit aliud ſignum, aut opus leve indicativum amoris laſcivi, eſtne denunciandus?

Reſp.

Reſp. Negativam ſententiam ſubſtinere conatur Portellus *in Addit. ad dub. Regul. verb. ſollicitare fœminas n.* 4. docens ex parvitate materiæ excuſandum, & non denunciandum eſſe talem Confeſſarium: ſed non eſt audiendus, quià non datur parvitas materiæ in ſollicitatione facta in Confeſſione; undè quomodocumque fiat, ſemper fit gravis injuria Sacramento. Vide Lezanam *tom. 2. verb. denunciatio, ſub num.* 5. Dianam *par. 1. tract. 5. reſ. 21. & par. 4. tract. 5. reſ. 5. & par. 5. tr. 5. reſol. 9.* ubi pluribus relatis firmat, ut dixi; vide ergò me ipſum *tit. ibi de parv. mat. ad Interrogat.* 14. & nota, & tene menti, quod in rebus venereis non datur parvitas materiæ, ut ibidem innuo, & docet Diana *ea par. 5. tract. 5. reſ. 5.* qui bene addit ex Lopez de Texeda ita definitum fuiſſe à Clem. VIII. in Officio Sanctiſſimæ Inquiſitionis.

562 Inter. 22. Laicus vel Sacerdos carens Juriſdictione audiendi Sacramentales confeſſiones, & fingens ſe eſſe confeſſarium ſollicitat in confeſſione pœnitentes, ſtene denunciandus Inquiſitoribus?

Reſp. Dicunt quidam, quod Laicus, vel Clericus non Sacerdos non comprehendatur in Bullis Summorũ Pontificum, qui imponunt pœnas cõtra Sacerdotes ſollicitantes, quia verba pœnalia non ſunt extendenda ad ſimiles caſus, ac proindè docent non eſſe denunciandum Laicum, vel Clericum in dicto caſu, dummodò eos non abſoluant. Vide Diana *par. 1. tract. 4. reſol. 15., & 16.* Verùm his non obſtantibus dicendum eſt, eſſe denunciandos Inquiſitoribus, vel locorũ Ordinariis nõ ſolùm ſi Sacerdos ſit, qui fingit ſe habere poteſtatem abſolvendi, ut docet idem Diana *loco citato reſol.* 17. ſed etiam ſi ſacerdos non ſit, puta ſi ſit Laicus, aut Clericus, quia cum ſollicitatio fiat prætextu, & ſimulatione Confeſſionis comprehenduntur in Bulla Gregoriana, & quamvis non abſolvant, tamen videntur ſuſpecti de fide, undè Leander. *de Sac. tom. 1. tract. 5. diſp. 13. quæſt. 37. 38. & 39.* apud Dianam *part. 9. tract. 9. reſol. 32. verſ. nota verò*, aſſerit Laicos, Subdiaconos, & Diaconos, vel Sacerdotes carentes Juriſdictione ſollicitantes in Confeſsione, non eſſe ex vi prædictarum Conſtitutionum denunciandos, poſſe tamen ab Inquiſitoribus puniri tanquam ſuſpectos de fide; Ergo, addo ego, ſaltem, ut de fide ſuſpecti debent denunciari, & ſic patet reſponſio ad quæſitum; Qui plura ſcire deſiderat, videat Dianam *locis cit.* & Doctores quos ipſe adducit diversè ſentientes. Vide etiam Lezanam *tom. 2. verb. Denunciare ſub. num. 6. propè finem, & tom. 4. conſul. 21. num. 54. & ſeqq.* Et nota, quod Judicium illud diſcernendi circà ſuſpicionem de fide, quæ reſultat ſuppoſita Pontificis, vel alicujus Edicti præſumptione, non competit Confeſſariis, vel aliis, ſed Inquiſitoribus, & aliis fidei Cenſoribus, ut docent Doctores communiter; ergò &c.

563 Inter. 23. Eſtne denundiandus Cõfeſſarius, qui ſedens in Confeſſionario, & loquens cum pœnitente ſtante, vel ſedente ante Confeſſionarium illam ſolicitat, non ſimulata Confeſſione?

Reſp. Licèt plurimi Doctores dicant quod non, ut videre eſt apud Dianam. *par. 4. tract. 5. reſol. 38. & part. 9. tract. 9. reſol. 33.* tamen ipſe meritò affirmativam ſententiam tenet, & ab hac ſententia non eſt recedendum cũ oppoſita profligata remaneat ex Decreto S. R. E. Uniuerſalis Inquiſitionis, edito ſub Paulo V. *die 10. Julij* 1614. ut docet ipſe Diana. *vbi ſupra*, & Trullench. *in Decal. tom. 1. lib. 1. cap. 3. dub. 18. num. 73.*

564 Inter. 24. Si Confeſſarius ſtatim poſt Confeſſionem ducat Puerum ad cubiculum, aut aliò, ut tradat ei Chirographum Confeſſionis, & ibi eum ad in honeſta ſollicitat, debetnè denunciari?

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Ità ſanè, Diana *par.* 4. *tr.* 5. *reſ.* 11. & alii communiter.

565 Inter. 25. Quam pœnam incurrit abſolvens fœminam ab alio Confeſſario ſollicitatam, ſi ipſam non obliget ad denunciandum illum?

Reſp. Non incurrit aliam pœnam Jure communi, ſed peccat mortaliter. Sed vide *ad Inter. ſequentem*.

566 Inter. 26. Quam pœnam incurrit Confeſſarius, qui abſolvere præſumit Fœminam, vel Puerum ab alio Confeſſario ſollicitatum, ſi abſquè juſta cauſa non vult Sollicitantem denunciare, vel ſaltem ſcienter, & malitiosè negligit denunciationem?

Reſp. Poſt ſcripta ad *Inter. antecedentem* legi Cabrinum *in ſuo Elucidar. Caſ. reſerv. par.* 1. *reſ.* 42. §. 9. aſſerentem, Confeſſarium, neglecta denunciatione Fœmine ſollicitatæ extra mortis periculum abſolvere præſumentem, ipſo facto excommunicationem incurrere, ex vi Edicti S S. Inquiſitionis; Idcircò addendum eſt, conſulenda eſſe ſpecialia locorum Edicta, ad que nos conformare debemus.

567 Inter. 27. Confeſſarius qui non declarat fœminæ ab alio ſollicitatæ obligationem denunciandi, quam pœnam incurrit, aut qui eidem dicit ad talem denunciationem faciendam non teneri?

Reſp. Peccat mortaliter contraveniendo præcepto Summi Pontificis, Gregorij X V., & præterea ab Inquiſitoribus pro qualitate culpæ poteſt puniri, ut habetur ex Bulla dicti Pontificis, & notat Souſa *in Aphor. Inquiſ. lib.* 1. *cap.* 34. *num* 73., & Freytas *in novis addit. ad tract. de confeſ. ſolicit. quæſt.* 21. *num.* 77. apud Dianam *part.* 4. *tract.* 7. *reſol.* 7. *verſ. Nota etiam hic.* Sed vide id, quod ego dixi *ad Int.* 25. & 26.

568 Inter. 28. Fœmina ſollicitata, neglecta denunciatione, poteſtnè abſolui?

Reſp. Nequaquam, quia incidit in excommunicationem, ſi id ſcienter fecerit, ſecùs ſi ignoranter ſe habuit Vide Lantuſcha *in The. Reg. verb. ſollic. n.* 2.

569 Inter. 29. Poteſtnè Confeſſarius ſaltem tēpore Jubilæi abſoluere Puerum, vel Fœminam in confeſſione ab alio ſollicitatam, neglecta denunciatione?

Reſp. Minimè, quia non poſſunt abſolvi, niſi ſatisfacta Parte, & Privilegium Jubilæi ſemper intelligitur ſine præjudicio Tertii: Unde à fortiori hoc eſt dicendum in caſu noſtro, cùm hoc Tertium ſit commune bonū Religionis, & Sanctæ Fidei; Ità Cabrinus *in Elucidar. caſ. reſer. par.* 1. *reſ.* 42. §. 7. & alii communiter: Imò nec Epiſcopus, nec Inquiſitores poſſunt abſolvere in eo caſu Pœnitentem, niſi fiat denunciatio, ut in ſimili dixi ad *Inter.* 12. *in fine*.

570 Inter. 30. Quænam eſt juſta cauſa, ob quam poſſit Puer, vel Fœmina excuſari à denunciatione facienda in caſu prædicto?

Reſp. Doctores communiter docent, quòd tunc excuſantur à denunciatione judicialiter facienda, quando ex tali denunciatione grave damnum metuant in vita, fama, bonis temporalibus, ſibi, vel Marito, vel Filiis, aut proximis conſanguineis; Siquidem præcepta Eccleſiaſtica, quin etiam Divina aliquando, non obligant cum tanto rigore. Carena *de offic. SS. Inquiſit. tit.* 9. §. 7. *n.* 39. & alii plures, quos refert, & ſequitur Cabrinus *loc. cit.* §. 17. Diana *par.* 1. *tr.* 4. *reſol.* 7. Aliqui tamen dicunt, raro prædictas cauſas habere locum, quia dictis periculis mederi poteſt ope Superiorum, & ratione ſtrictiſſimi Tribunalis S. Officii Secreti. Et hoc ego puto verum.

571 Inter. 31. Quando occurrit aliqua rationabilis cauſa, quæ à denunciatione excuſare videatur Fœminam, poteſtne ſtatim Confeſſarius illam abſolvere?

Reſp. Dico quod non, quia ea cauſa priùs debet approbari à Papa, vel ſaltem à Sac. Congregatione S. Officii,

ficii, quæ ſolet concedere facultatem Confeſſario, ut Fœminam ſollicitatam abſolvat, ſed cum hac conditione, primò quod ceſſante impedimento teneatur Sollicitantem denunciare, ſecundò quod Confeſſarius abſolvens ſit alius ab eo, qui eam ſollicitavit: ita Cabrin. *ubi ſupra* §. 5. Unde Confeſſarius ſuſpendat abſolutionem donec detur reſponſum à Sacra Congregatione, & ita fieri debet omninò.

572 Inter. 32. Confeſſarius ſollicitans, teneturne monere Pœnitentem ab eo ſollicitatam, ut eat ad denunciandum ſe ipſum?

Reſp. Quamplures DD. penes Dianam *par.* 1. *tr.* 4. *reſ.* 8. docent, quòd non teneatur, & ratio eſt, quia nemo teneatur ſe prodere juxtà regulam D. Chriſoſtomi relatam *in Jure cap. Si quis aliquando de pœnit. diſt.* 1. & ſicut non tenetur ſe ipſum denunciare, ſic neque per interpoſitam perſonam id facere debet, nam facere per ſe videtur qui per alium facit, *cap. Qui per alium* 72. *de reg. jur. in* 6. Verum eſt tamen, quod iſte non eſt modus evadendi obligationem denunciandæ ſollicitationis. Ideò ſi Sollicitatus confiteatur cum Sollicitante, hic non poteſt ipſum abſolvere abſque onere denunciandi. Et oppoſitum fuit reprobatum ab Alexand. VII. anno 1665. & eſt propoſitio 7. ab eo reprobata, & meritò, quia bonum commune debet præferri bono particulari: Ultra quod patet non fore validum Sacramentum, ſi Confeſſarius non moneret Fœminam, ut denunciet ſe ipſum, & ratio eſt, ut luculenter probat Gabriel à S. Vinc. *de rem. ignor. circa propoſitiones damnatas n.* 56. quia cum Fœmina ſollicitata teneatur ſub mortali denunciare, & Confeſſarius teneatur eamdem Fœminam monere de hac obligatione, ut verum fiat Sacramentum, & Sacrilegium non committatur, oportet, quod Fœmina obſervet præceptum denunciandi, & Confeſſarius debet ponere hanc monitionem, aliàs non fiet Sacramentum, & ſic ut fiat Sacramentum, debet Confeſſarius monere Pœnitentem de obligatione denunciandi, & ſi non vult monere, non poteſt illius confeſſionem audire; & ſi audiat non fit Sacramentum. Ita Gabr. *loc. cit.* accipe, & tenementi, & vide ea, quæ dico *in tit.* 42. *de Confeſſariis, ad Int.* 16. & 17.

573 Inter. 33. Confeſſarius poſt ſollicitationem ſtatim ſe pœnitet ſollicitaſſe, & hoc aſſerit pœnitenti ſollicitatæ, debetne pœnitens talem Confeſſarium denunciare?

Reſp. Utique debet, & ſub peccato mortali, & excommunicationis pœna tenetur illum denunciare Epiſcopo, aut Inquiſitori, vel eorum Vicarijs; nam quilibet Confeſſarius ſollicitans ad effugiendas pœnas poteſt dicere ſe pœnituiſſe de ſollicitatione facta; ultrà quòd non ſufficit poſt delictum ſe pœnitere, ſed neceſſaria eſt punitio ob bonum publicum; nam denunciatio in hac materia tendit ad punitionem, & non ad correctionem, Undè ſi Confeſſarius ſollicitans ſtatim ſe pœniteat, & poſteà ſe emendaverit, adhuc eſt denunciandus, ut ex Portello, Boſſio, Roderico à Chuna, & Thoma del Bene firmat Cabrinus *in Elucid. caſ. reſerv. part.* 1. *reſol.* 42. §. 13. *verſ. Tertio, &* §. 21. idem repetit, & hoc etiam docent Sanctarellus, & Bonac. apud Dianam *par.* 4. *tr.* 5. *reſol.* 22. Vide Bonacinam *in tract. var. diſput.* 6. *pun.* 3. *num.* 9. iterùm Dianam *loco cit. reſol.* 23. *verſ. ſed ego*, Lezanam *tom.* 2. *verb Denunciatio ſub num.* 5. *in fine, &* Graffium, *de caſ. reſer. lib.* 2. *cap.* 12. *num* 39.

574 Inter. 34. Si aliquis per tertiam perſonam ſciat Confeſſarium ſollicitaſſe Pœnitentem in Confeſſione, & hoc ſciat ſub ſecreto naturali, vel habet juramentum de non manifeſtando, aut non poteſt hujuſmodi ſollicitationem probare, teneturnè ipſum Confeſſariū ſollicitantē denunciare, & hoc ſi non facit, quam pœnam incurrit?

B b *Reſp.*

Digitized by Google

Reſp. Si ab ipſa ſollicitata, vel alia perſona gravi, & fide digna hujuſmodi notitiam habuerit, & licèt ſub ſecreto naturali, vel cum juramento acceperit, & quamvis id probare nequeat, à denunciatione minimè excuſatur. Dia*par.* 1. *tr.* 4. *reſ.* 24. *& par* 4. *tr.* 5. *reſ.* 3. Quòd autem denunciatio ſit facienda, etiamſi delator delictum probare non poſſit, pluribus relatis firmat ipſe Diana na *par.* 1. *tr.* 4. *reſ.* 1. *& par.* 7. *tr.* 12. *reſ.* 21. §. *Sed hæc opinio*; Vide etiam Cabrin. §. 10. *loc. ſupracit.* Imò ſi denunciationem prætermittit, ipſo facto Excommunicationem incurrit, ut conſtat ex Edicto Sanctiſſimæ Inquiſitionis, quod bis ſingulis annis publicari ſolet, & per conſequens mortaliter peccat: Vide propoſitionem 5. damnatam ab Alex. VII. Anno 1665.

Quær. Quandonam teneatur quis accuſare, vel denunciare Crimen alterius Superiori, & in quò differat accuſatio à denunciatione, & quomodo fieri debeat accuſatio, aut denunciatiò prɇſertim inter Regulares?

Reſp. Quando alterius crimen vergit in multitudinis corruptelam corporalem, vel Spiritualem, & dummodò ſufficienter probari poſsit, tunc quis tenetur illud crimen ſub mortali accuſare, vel denunciare ſuperiori propter bonum publicum, quià tale bonum debet anteponi malo particulari, quod ex accuſatione, vel denunciatione ſequitur delinquenti. Verum eſt tamen, quòd accuſatio, ſeu denunciatio fieri non debet ex odio, aut aliquo alio iniquo fine, nàm tunc eſſet peccatum mortale, & ſic ſolùm fieri debet propter bonum publicum conſervandum, & ut cɇteri quietè vivant. Quarè denunciator, vel accuſator zelo juſtitiɇ moveri debet, non autém ex odio, vel ſolùm propter ſuum intereſſe Clerici verò, & preſertim Regulares, neminem accuſare debent, niſi propter bonum commune, & ad impediendum damnum tertii, & quando aliter impediri non poſſit, tunc enim adeſt cauſa Legitima accuſandi, aliàs hoc eſt eis prohibitum, *in cap. ſicut Sacerdos* 2. *quæſt.* 7. & eſt contrà dignitatem perſonarũ Eccleſiaſticarum, ac valdè dedecet viros religioſos aliquem accuſare, quià ferè ſemper ex liuore, & odio accuſatio provenire præſumitur *cap. ſi omnes.* 6. *q.* 1. Immò perturbat pacem, auget inimicitias, & facilè cuicunque peccato poteſt occurri per ſimplicem denunciationem judicialem abſque inſtigatione Judicis, ut docet Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 10. *cap.* 12. *n.* 45. & alii multi. In caſu verò quod Clerici proſequantur injuriam ſuam, accuſare eis permittitur, etiamſi veniat ſanguinis pœna imponenda, dummodò tamèn proteſtentur, quòd non intendunt accuſare, ut pɇna ſanguinis imponatur, ſed ſolùm ſatisfactionem, vel intereſſe ſibi debitum petere, habetur *ex cap. Prɇlatis de homicidio in* 6. qui Canon, talem proteſtationem requirit, ſolùm quando apud Judicem ſɇcularem fit depoſitio criminis, nàm Judex Eccleſiaſticus non poteſt imponere pænam ſanguinis, ut docui. *in tit.* 7. *de Accuſ. &c. ad Inter.* 1. *uſq. ad* 7. *incluſivè* Vide Syluest. *verb. accuſatio n.* 4. *&* 5. Armillam *eodem verbo n.* 6. *&* 10. Em. Sà *verb. Correptio, & verb. denuncatio* Prɇtereà non ſolum quis tenetur accuſare, vel ſaltem denunciare Superiori, quandò crimen alterius vergit in periculum corporale, vel ſpirituale multitudinis, ſed etiàm quandò vergit in grave damnum alicujus tertiɇ perſonɇ etiamſi hoc ſciat ſub ſecreto naturali, nemo enim poteſt obligari contrà tale debitum per ſecretum commiſſum, & eò magis ſi prɇceſsit infamia, & crimen poteſt ſaltèm ſemiplenè probari. Vnde ſi quis v. g. viderit aliquem inſidiantem vitɇ vel famɇ alterius, debet illum manifeſtare apud ſuperiorem, unicuique enim Deus mandavit de proximo ſuo, & negligere quod poteſt perturbare, idè eſt quod fouere, & error, cui non contradicitur approbatur. *cap. error.* 83. *diſt.*

diſt. & cap. negligere 2. *q.* 7. Si autèm crimen alterius non vergit in damnum communitatis,aut in damnum tertii,& eſt occultum,neceſſariò priùs pręcedere debet fraterna correptio, modò tamen profutura ſperetur, nàm omnia cum charitate tentanda ſunt,ut minori cum detrimento proximi ſubveniatur. Ità S. Thomas 2. 2.*q.* 33. *art.* 7. & ibidem Expoſitores. Vidè. Navar. *in cap. Sacerdos de pęnit diſt.* 6. *& in man. cap.* 18. *n.*56. & Em. Sà *verb. Correptio n.* 5. ubi tamen ſic rectè inquit. Poteſt quis ante correptioně Pręlato denunciare, ſi peccatum eſt publicum, aut in damnum tertii, aut alioqui Reipublicæ perniciofum, vel communitati, aut Pręlatus vir prudens, & probus ſit.Itaque ſi delictũ,aut crimen eſt publicum, ità ut ſciatur à majori parte viciniç, Collegii, Pareciç,aut Monaſterii, ubi ſaltèm ſunt decem, tunc non habet locum correptio, cum prçcedere debeat, quando delicta non ſunt publica, aut notoria majori parti dictorum locorum; Nec in tertii damnum, vel communitati perniciofa, quià non tantum peccavit in te, ſed in alios, & de peccato futuro neque debet fieri ſecreta monitio, ſed ſtatim poteſt denunciari Prçlato, ſaltèm ut ſingulari perſonç, ſeù tanquàm Patri, ut impediat, quando aliter non poteſt obviari.Vide Lezanam *tom.*3. *verb. accuſare n.* 9. *& verb. denunciare*,qui valdè doctè de hac tractat materia. Vide etiam Armillam *verb. correctio n.* 4. 5. *&* 6. Cęterum nota ex eodem Armilla *in verb. Accuſatio n.* 2. quòd accuſatio propriè ſumpta differt à denunciatione, primò quià in accuſatione attenditur criminis punitio, in denunciatione verò fratris emendatio. Secundò quià accuſationě non debet de neceſſitate præcedere ſecreta ad monitio, ſicut in denunciatione, juxtà præceptum evangelicum, quandò ſcilicet de peccantis emenda agitur.Tertiò quia accuſatio debet fieri in ſcriptis, non autèm denunciatio. Quartò accuſator obligat ſe ad Pœnam talionis, ideſt ſimilem, vel talem, ſed minimè denunciator ad talem pœnam ſe obligat. Forma accuſationis, vel denunciationis fieri poteſt ut ſequitur, quandò agitur inter Regulares.

Rev.Pater, ſeù Adm. Rev.Pater.

Ne mala cæpta progrediantur, & ut coerceantur crimina, accuſandum, ſeù denunciandum eſſe duxi vobis, ut ex officio provideatis, prò ut vobis magis judicare videbitur, vel ut Pater, vel ut Judex contrà Patrem N.contrà quem vernacula lingua per modum denunciationis, vel accuſationis ſic expono.

Exponitur factum, & in fine ſic concluditur.

Hæc autem expoſui non animo calumniandi, ſed zelo Dei ductus, & boni Religionis, & nè cœteri ſimile diabolicum munus exerceant, ac etiam ſalutis ipſius Patris N.N. & ut vos tanquam Judex, vel Pater provideatis ſupradictis malis, eo meliori modo, via, ac forma, quibus vobis melius viſum fuerit, & Patres, aut Fratres N. N. poterunt rationem reddere de omnibus ſupradictis. Hac die &c. menſe &c.anno &c.

TITULUS LXVII.

De Deſideriis.

Vide tit. de Epiſcopat. &c. int. 2.; *tit. de Gaud. &c. tit de Intent. int. ult. tit. de Mollit &c. Int.ult.tit.de Peccat. int.*7. *tit. de Sacril.int.* 5.

575 INter. 1. Peccatne mortaliter, qui dicit, quòd ſi non eſſet Infernus, aut ſupplicium, libenter occideret Cajum, vel adulteraretur cum Berta?

Reſp. Dico quod mortaliter peccat, & ratio eſt, quia motivum non

 eſt

eſt honeſtum ,ultrà quod intercedit timor ſervilis cum ſervilitate , quod omninò eſt peccatum , quia ſi pœnæ Inferni non eſſent , aut ſupplicium , nihilominus peccare vellet: Unde cù timeat malum ob pœnam , & non odio habeat malum , ut malum eſt in ſe , nec quatenus eſt offenſa Dei , ideò mortaliter peccat : Ità D.D. quos ſequitur Bonac. *de Matri.diſp.*4 *pun.*10. *num.* 29. Vide etiam ea , quæ dixi *in tit.*5.*de Abſolutione à Peccatis ad int.*16

576 Inter. 2. Si aliquis diceret , Ego hodie vellem comedere carnes , niſi dies Veneris eſſet , vel niſi eſſet prohibitum ab Eccleſia , peccaretne mortaliter ?

Reſp. Minimè,quia quando apponitur illa conditio circa ea , quæ ſolo jure poſitivo ſunt prohibita , aufertur malitia operis, ideòque non eſt peccatum mortale ea deſiderare , aut etiam in eis delectari , ita quoque dicendum eſt in hoc caſu , ut dixi *in tit.* 64. *de Delectatione moroſa ad Int.ultim.* & expreſsè docet Laym.*lib.*1. *tr.*3. *c.* 6. *ſub. n.* 9.*&* 10. Bonacin. *de Matrim diſp.*4. *pun.* 10. *n.* 24. *& alii plures.*

577 Inter. 3. Si quis diceret ſi Sacerdos, aut Religioſus non eſſem, vellem fornicari libenter,committeretne peccatum mortale , vel nullo modo peccaret ?

Reſp. Quòd nullo modo peccaret, dici certò non poteſt , quia fornicari ſemper eſt peccatum, neque id deſiderare licet ; Dicendum eſt igitur , quod lethaliter peccaret : Probatur , nam talis actus includit affectum ad peccatum, quod adhuc eſſet peccatum ſi ipſe Sacerdos , vel Religioſus non eſſet , delectatur quoque de re venerea actu , ac proindè peccat contrà religionem, peccato Sacrilegii ; nam per Votum caſtitatis prohibetur omnis delectatio venerea ; videtur autem mihi fieri non poſſe , ut quis deſideret fornicari,quin de fornicatione ipſa delectetur . Sed vide omninò Reſponſionem ad Interrogationem proximam ſequentem .

578 Inter. 4. Quidam Sacerdos , ſeù Religioſus habet deſiderium uxorem ducendi,ſi ratione ſui ſtatus hoc ei non eſſet vetitum ,& prohibitum , peccatne mortaliter ratione hujus deſiderii ?

Reſp. Dicendum eſt quod non peccet mortaliter , & ratio eſt , quia non eſt peccatum habere actum deſiderii ſub ea conditione,qua poſita actus ille non eſſet peccatum,ſed hoc intelligendum eſt , modo tamen cum dicto deſiderio non habeat adjunctam delectationem nam tunc quippè mortaliter peccaret,cum hujuſmodi delectatio ſit intrinſecè mala.Nota igitur hanc egregiam doctrinam Cajet. *in Summ. verb. Delectatio moroſa num.* 8. ubi ſic ait ; *Quamvis licitè cupiat quis delectationem cum aliqua Muliere conditionaliter, ſcilicet ſi eſſet Uxor ſua . (quia tale opus tali conditione relatum ad ſic cupiendam eſt licitum.) Delectatio tamen voluntaria , quam iſte in præſenti reciperet de tali opere cogitato cum illa , eſſet delectatio moroſa quia præſens delectatio non fertur cum conditione , ſed de facto habetur ſine conditione; Deſiderium autem eſt, quod cum conditione fertur ſuper opus ; Undè Religioſus , etſi non peccet mortaliter cupiendo delectari cum Muliere , ſi eſſet ſua Uxor ; peccat tamen mortaliter voluntariè ſe delectando in actu carnali cogitato cum illa , ſi eſſet Uxor ſua , propter dictam rationem , quia conditio excuſat diſiderium futuri , ſed non delectationē ad præſentem* : Vide ea , quæ dixi *in tit.*64. *de Delectatione Moroſa int.*5.

579 Inter. 5. Peccatne mortalite, qui dicit , ſi Sejus hoc mihi feciſſet in Adoleſcentia, vel ante præſentem ſtatum, illum occidiſſem , aut certè de illo vindictam ſumpſiſſem ?

Reſp. Si habet affectum ad peccatum , ſcilicet occidendi, aut ſumendæ vindictæ ſi eſſet in alio ſtatu , peccat mortaliter , quia in nullo ſtatu quis poteſt ſine gravi peccato occidere,aut ſe vindicare de injuria ſibi illata . Si

verò

verò per illa verba ſolum oſtendit, quid feciſſet, ſi non eſſet Senex, Sacerdos, aut Religioſus &c. non peccat mortaliter, cum non habeat affectum ad peccatum, ſcilicet hic, & nunc occidendi, aut ſe vindicandi de injuria. Vide Bonac. *de Matrim.q.* 4. *punc.* 9. *num.* 31.

580 Inter. 6. Peccatne mortaliter, qui mortem exoptaret ad vitanda mala temporalia, ut ægritudinem, internam afflictionem, paupertatem &c.?

Reſp. Aliqui Doctores, & præſertim Navar *in Man. cap.* 15. *n.* 11. putant eſſe peccatum mortale, ſi deliberato animo ſibi mortem exoptat, & citat D. P. Auguſtinum *lib.* 1. *de Civitate Dei*, D. Th. *in* 2. 2. *quæſt.* 64. *ar.* 5. *&c. Si non licet*, 23. *quæſt.* 5. & ratio eſt, quia nemo eſt dominus vitæ ſuæ, deinde timiditatis, aut puſillanimitatis vitiũ eſt velle carere magno bono téporali, quod eſt vita, & mori ob vitanda aliqua mala minoris momenti. Alii verò, quibus aſtipulatur Diana *par.* 5. *tract.* 14. *reſ.* 92. contrarium ſuſtinent, docentes, poſſe aliquem abſque peccato deſiderare mortem, ut à magno malo temporali liberetur, præſertim in caſu magnæ calamitatis, aut afflictionis, & ob alias rationes, quas ipſe adducit. Tandem concludit, eſſe damnandas de mortali mulierculas, & præſertim vetulas, quæ ob res minimas vociferantur, & optant ſibi mortem, niſi illas excuſare velimus (& ita ut plurimum eſt) ex defectu advertentiæ, & deliberationis. Vide dicenda *in tit.* 153. *de pecc. ad Int.* 3.

581 Inter. 7. Peccatne, qui mortem hæreſiarchis, vel hominibus incorrigibilibus deſiderat?

Reſp. Non peccat, nàm licet concupiſcere morté temporalé à Domino hæreticis alios pervertentibus, & incorrigibilibus, nè alios perdant ſecum; ſiquidem hoc non eſt odium perſonarum, nec mala velle ipſis, ſed odium abominationis, ne alios peſte inficiant, & ſic melius eſt, ut de medio tollantur, ne aliis malum inferant. Navar, *in man. cap.* 15. *num.* 10. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 1. *& lib.* 8. *cap.* 66. *in fin.* Bonac. *de præcep. decal. diſp.* 3. *quæſt.* 4. *pun. ult.* §. 1. *ſub. n.* 7. Em. Sà *verb. Charitas num.* 8. & alii comm. Vide *ſeq. Reſp.*

582 Inter. 8. Eſtne ſemper peccatum mortale maledicere, ſeù imprecari malum proximo, vel brutis animalibus?

Reſp. Ad hoc ut maledictio, ſeù imprecatiò ſit peccatum mortale multa requiruntur. Primò ut ipſa imprecatio mali ſit ex animo. Secundò ut ex plena deliberatione animi. Tertiò ut malum, quod imprecatur alteri ſit grave; unde ſi aliquod iſtorum deficit, erit tantum veniale, & ſic ſæpè excuſari poſſunt à peccato mortali Mulieres maledicentes ſuis liberis, vel ancillis; Ruſtici; & Muliones maledicentes ſibi, vel jumentis &c. Cum frequenter ex ira quadam maledicunt, non ex animo imprecãtes malũ imò ex imperfecta animi deliberatione, & ex quadam levi negligentia, vel inconſideratione maledicunt, ex quo fit quod ſolùm venialiter peccent. Ità ex Jo: Azorio firmat Dian. *par.* 2. *tr.* 5. *reſ.* 13. Vide Navar. *in Man. cap.* 23. *num.* 117. Em. Sà *verb. Maledictio*. Jo. à S. Th. in doctrina Chriſtiana *par.* 2. *de* 2. *præcept. decal. pag.* 74. Non eſt tamen omittenda magiſtralis doctrina Sylv. *verb. Maledictio in prin.* dicentis; Optare alicui malum, puta, ut fur ſuſpendatur, vel ut aliquis peccator ægrotet ſub ratione boni, vel quia hoc juſtũ eſt, vel quia eſt utile, ut ſcilicet melior fiat, aut aliis nõ noceat, non eſſe peccatum. Optare verò malum ſub ratione mali, hoc eſt peccatum, & de hoc hìc loquimur. Vide *in tit.* 120. *de Intentione ad Inter. ultimam, & in præſenti titul. de Deſideriis ad Inter.* 6.

TITU-

TITULUS LXVIII.

De Detractione, & Libellis famoſis.

Vide tit. de Concion. &c. ad quæſ. 1. tit. de Correct. Inter. 9. tit. de Differ. Int. 9. 10. tit. de infam. Int. 1. tit. de litt. & ſcrip. Int. ult. tit. de Reſtit. fa. Inter. 1. 2. 3. 4. tit. de Revel. ſecret. Inter. 3. 4. tit. de Soc. crim. Int. 4. 11. tit. de Teſtib. &c. Inter. 2.

583 INter. 1. Quid eſt detractio?

Reſp. Eſt denigratio alienæ famæ per occulta verba, ideſt dicta in abſentia ejus, cui detrachitur. Ità S. Thom. 2. 2. *qu.* 73. *ar.* 1. & alii communiter, Teſte Sylv. *verb. Detractio n.* 1. Bonac. *de Reſt. diſ.* 2. *q.* 4. *pun.* 1. *n.* 1. & alii communiter.

584 Inter. 2. Quotuplex eſt detractio?

Reſp. Eſt duplex, una dicitur formalis, altera verò materialis tantùm; formalis eſt, quando fit animo auferendi alteri famam; materialis, quando fit ſine intentione auferendi famam proximi; Ità S. Th. 2. 2. *q.* 73. *ar.* 2. cæterique Doctores, teſte Bonac. *ſup. num.* 5.

585 Inter. 3. Utraque detractionis ſpecies, nempè tàm formalis, quam materialis, eſtne peccatum mortale?

Reſp. Omnes Doctores docent, detractionem ex ſuo genere eſſe peccatum mortale, cum ſit contra juſtitiam; Immò S. Th. dicit, ex ſuo genere eſſe pejus, quam furtum, cum melius ſit bonum nomen, quam divitiæ multæ; Detractio materialis excuſari poteſt à mortali, ſi fiat ex juſta cauſa; qui S. Thom. habet in ſuis dictis virtualiter iſtam maximam, quod detractio tunc ſemper, & tunc ſolùm eſt peccatum mortale, quando notabiliter quis lædit famam ex intentione, vel ipſo facto ſine cauſa rationali, tamen videtur requiri læſio major, quando abeſt intentio lædendi. Sylv. *verb. Detractio n.* 2. Tolet. *lib.* 5. *c.* 64. *num.* 3. Bonac. *de Reſt. diſ.* 2. *qu.* 4. *pun.* 1. *n.* 5. Vide Dianam *par.* 5. *tr.* 5. *reſ.* 69.

586 Inter. 4. Quotupliciter poteſt committi peccatum detractionis?

Reſp. Octo ſunt modi, quibus committitur peccatum detractionis, ut docet D. Th. *loc. ſup. cit. ar.* 1. *ad* 3. & eſt communis Theologorum ſententia, qui modi in duas partes dividuntur, quidam verſantur circa malum proximi, quidam verò circa bonum ejuſdem; Circa malum committitur detractio, primò imponendo alteri crimen falſum, 2. revelando crimen occultum: quamvis verum, 3. augendo, & amplificando verum crimen, 4. explicando factum honeſtum alterius in ſiniſtram partem, ut, ſi quis honeſtum factum alicujus aſſerat prava intentione factum eſſe. Circa bonum verò, committitur, primò negando rectè facta, & bona alterius, 2. diminuendo rectè facta, vel laudes alterius. 3. reticendo bona alterius eo loco, & tempore, quo cæteri reticentiam accipiunt pro tacita vituperatione, & opprobrio: 4. ita frigidè laudando, ut hoc cedat in vituperium, & opprobrium laudati. Primis modis fit directè detractio, ſecundis verò indirectè. Ità tradit perdoctè Bonac. *loc. prox. cit. n.* 6. ex D. Th. & aliis communiter. Vide Sylv. *verb. Detractio ſub n.* 1. Tolet. *lib.* 5. *c.* 63. *ſub n.* 3.

587 Inter. 5. Peccatnè mortaliter, qui dicit, v. g. Titium eſſe Superbum, Avarum, Iracundum &c.

Reſp. Non ſemper eſt peccatum mortale, ità dicere de aliquo, quia hæc nomina non ità ordinariè accipiuntur, ut ſonent peccata mortalia, ſed ut naturalem inclinationem, vel veniales defectus denotant, dixi non ſemper, nam aliquando fieri poteſt, ut ratione dignitatis perſonæ, de qua dicuntur, vel quia putantur accipienda pro gravibus vitiis, fit in tali caſu peccatum mortale, ut rectè docet Diana *par.* 5. *tr.* 5. *reſ.* 69. *propè finem*, & *par.* 3. *tr.* 5. *reſ.* 30. §. *notandum eſt quartò.*

tò. Nicolius *in Floſ. verbo Fama dicto* 5. & alii.

588 Inter. 6. Peccatne mortaliter, qui crimen alterius in uno loco publicum, manifeſtat in loco, ubi neſcitur?

Reſp. Em. Sà *verb. Infamare* ſic ait, Infamatum alicubi juridicè, aut publicè, alibi prodere, non eſt mortale, nec ulla reſtituendi obligatio. Notandum eſt tamen, illum dici juridicè infamatum, de quo conſtat per ipſius confeſſionem in judicio, aut per Teſtium depoſitionem, aut per Judicis ſententiam, commiſiſſe aliquod grave delictum, ſic etiam diffamatum cenſetur per publicitatem delicti, ſcilicet quod in multorum præſentia commiſſum eſt, ut in foro publico, aut in via publica, eo tempore, quo multis innoteſcere potuit. Tandem quando fama ex ſufficientibus indiciis orta innotuit majori parti viciniæ, vel Oppidi, vel Paræciæ, tunc ejus delictum dicitur famoſum; Undè non eſt peccatum mortale ſaltem contra juſtitiam, crimen alterius alicubi publicum aliquo ex tribus modis prædictis, manifeſtare alibi, ubi neſcitur, quia delinquens per criminis publicitatem amiſit jus ad famam. Bonac. *diſp*. 2. *qu*.4. *pun*. 6. *nu*. 1. *& ſeqq*. ubi plures concordantes adducit. Tamen multoties poteſt eſſe peccatum contra Charitatem, ut ait ipſe Bonac. *ſub num*.3. Tolet. *lib*. 5. *cap*. 65. & etiam contra juſtitiam. Vide Tolet *ibidem num*. 2. ubi plura ad intentum, *& ſeq. Reſp*.

589 Inter. 7. Quid eſt libellus famoſus, & quibus pœnis punitur conficiens, vel publicans illum?

Reſp. Libellum famoſum eſſe ſcripturam, vel ſignum, infamiam continentem de crimine alicujus occulto, illud publicantem, docent Sylveſter *in Sum. verb. Libellus famoſus num*. 4. Bonac. *de legib. tract. de reſt. in particulari diſp*. 2. *quæſt*. 4. *pun*. 9. *num*. 1. Lezana *tom*. 2. *verb. Libri num*. 31. Armilla *verb. Libellus num*. 1. & alii communiter. Verùm qui ſolum ſcribit litteras infamatorias ipſius ad quem ſcribit, non eſt reus libelli famoſi, quia tales litteræ non publicantur, & poteſt cui mittuntur illas celare. Bonac. *loco citat. num*. 2. Portellus *in dub. Regul. verb. Libellus famoſus n*. 3. & Lezana *loco citat*. Quando autem delictum alterius eſt publicum, illud quomodolibet publicans, etiam in alio loco ubi tale non eſt, licèt peccet contra charitatem, tamen non eſt reus dicti criminis, qui a propriè non dicitur cauſa infamiæ, cum alter amiſerit jus ad famam per publicitatem criminis. Bonac. *ibidem n*.3. *& 9. verſ*. Sextò. Lezana, & Portellus *num*.5. *ubi ſupra*. Vide Dianam *par*.5. *tract*.5. *reſ*.17. *& par*.4. *tract*.4. *reſol*. 228. Jure civili libelli famoſi Auctor, pœna capitali punitur *l*. 1. *C. de libel. fam*. De jure autem Canonico excommunicantur, verberantur, fiunt infames &c. Vide Sylveſtrum *loco ſupracit. num*. 5. Bonac. *num*. 9. Lezanam *ibidem*, & alios penes ipſos. Qui verò libellum famoſum invenerit ignarus, & non ſtatim deſtruxerit, vel occultaverit, ſed vim ejus dolo manifeſtaverit, ſecundum jura puniretur, ut Auctor. Ità præcitati Doctores. Sed circa id quod diximus de infamato in uno loco, Toletus *lib*. 5. *cap*.65. *num*.2. docet, quod, ſi quis infamatus, ſive per crimen publicum, ſive per Judicis ſententiam, jam eſt bonam aſſecutus famam, qui abſque legitima cauſa illius crimen manifeſtat, peccat contra charitatem, & contra juſtitiam, vide ipſum etiam *num*. 5. & id quod dixi *ad Inter. antecedentem*.

TI-

TITULUS LXIX.

De Diaconis.

Vide tit. de Laic. Inter. 9. tit. de Moribun. &c. Int. 2. tit. de Ordin. Sac. Int. 1. tit. de Sac. Bapt. Int. 5. tit. de Sacr. Euch. ad quæſ. 3. tit. de Sac. Ord. ad qu. 1.

590 INter. 1. Confirmatio deberne præcedere ſuſceptionem Ordinis Diaconatus? Et ſi non præcedit, peccatne mortaliter præfatum Ordinem ſuſcipiens?

Reſp. Supponendum eſt primò, quòd una ex conditionibus, quæ requiritur ad licitè ſuſcipiendos Ordines, eſt, ut ſuſcipiens Ordines, ſit confirmatus, patet ex Triden. *ſeſſ.* 23. *cap.* 4. nam ibidem prohibentur initiari tonſura, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperunt; Ergò dicendum eſt eum, qui ſcientèr ſuſcipit, aut miniſtrat Ordinem antè Confirmationem, peccare mortalitèr, quià facit contrà Tridentinum, & contrà conſuetudinem Eccleſiæ in re gravi. Ità Bonac. *de Sac. diſp.* 8. *quæſt. unica pun.* 5. *num.* 10. & concordant Toletus *lib.* 1. *cap.* 71. *num.* 6. Fornarius *tract. de Ordine cap.* 3. *num.* 3. Nugnus, & Majolus, quos citat, ſed non ſequitur Diana *par.* 2. *tract.* 16. *reſ.* 4. qui pluribus relatis, firmat oppoſitum, docens Epiſcopum non peccare mortalitèr ordinando non confirmatum, aut etiam antequam ipſe confirmatus ſit, confirmationem, aut Ordines conferendo, & hæc opinio eſt Navar. *in Man. cap.* 22. *num.* 9. Deindè reſpondet ad rationes Bonacinæ, & aliorum, & dicit quod in Tridentino nihil præcipitur initiandis, ſed præſcribitur Epiſcopis quid facere debeant, quamvis nec ibi ſtricta aliqua obligatio imponatur, quià nullum eſt verbum, quo ſtrictum præceptum indicetur. Hæc Diana; Sed mihi, ut verum fatear, prima ſententia placet, quia opinio Dianæ eſt ſaltem contrà communem Eccleſiæ conſuetudinem, quam quidem ad mortalem culpam obligare non dubito.

591 Inter. 2. Diaconus poteſtne ſaltem de licentia Epiſcopi benedicere aquam luſtralem?

Reſp. Dico, quod non poteſt aquam benedicere, neque Epiſcopus poteſt ei hanc licentiam concedere, quia benedicere dona Dei, Officium eſt Presbyterorum, non verò Diaconorum *cap. perlectis* §. *ad Presbiterum* 25. *diſt.* Et ſic ſolus Sacerdos, & non Diaconus valet aquam benedicere, cum ſit Ordinis Sacerdotalis actus; *cap. Aquam ſale, de conſec. diſt.* 3. & docent Sylveſter *verb. Aqua benedicta n.* 1. Mendo *Epit. Opin. Mora. eodem verbo num.* 2. Lezana *tom.* 3. *verb. Benedictio num.* 20. & alii communiter.

TITULUS LXX.

De Differentiis.

Vide tit. de Conſuet. Inter. 7. tit. de Eccl. Immun. ad quæſ. 1.

592 INter. 1. Quænam differentia eſt inter Contritionem, & Attritionem?

Reſp. Differentia eſt iſta; quod Contritio eſt dolor perfectus de peccatis quatenus ſunt offenſa Dei ſummè dilecti. Attritio autem eſt dolor imperfectus, quia non reſpicit peccatum, ut offenſam Dei ſummè dilecti, ſed ut afferentem malum æternum.

593 Inter. 2. Eſtne idem valor Contritionis, & Attritionis?

Reſp. Non eſt idem, ſed diverſus, nam illa per ſe juſtificat, hæc autem non ita, ſed requirit Sacramentum confeſſionis in re, quo mediante Peccator ex attrito fit contritus.

594 Inter. 3. Quænam differentia eſt inter ignorantiam vincibilem, invincibilem, craſſam, ſupinam, & affectatam?

Reſp.

Reſp. Ignorantia vincibilis eſt illa, quæ poteſt vinci adhibita ſufficienti diligentia, juxta qualitatem negotii ad illam vincendam. Unde qui v. gr. habet aliquod officium, ſcire debet ea, quæ ex officio tenetur, ſed ſi non adhibet diligentiam ad cognoſcendum ea, quæ pertinent ad proprium officium, dicitur laborare ignorantia vincibili, ſecus qui neſcit ea, quæ ſcire non tenetur, quia ad officium ſuum non pertinent, dicitur habere ignorantiam invincibilem, & ita etiam, qui nihil unquam audivit, vel cogitavit, vel dubitavit de aliqua cenſura, dicitur habere ignorantiam invincibilem, & ſic ignorantia invincibilis dicitur illa quæ vinci non poteſt neque à dubitante de aliqua cenſura, ſi facta diligentia, vel conſultis peritis, & doctis viris, rei veritatem invenire non poteſt. Inter ignorantiam craſſam, ſupinam, & vincibilem, nullam eſſe differentiam dicunt quidam; tamen ignorantiam craſſam, & ſupinam diſtingui à vincibili, eſt probabilius, quia non omnis ignorantia vincibilis eſt craſſa, & ſupina, ſed illa dumtaxat, quæ procedit ex lata culpa ignorantis, ſeù ex ſumma ipſius negligentia, quia aut nullam, aut valdè modicam adhibuit diligentiam, ut ſciret, quæ noſſe tenetur: Unde ignorantia craſſa, & ſupina, eſt illa, quæ vel ex malitia, vel ex nimia negligentia procedit. Demum ignorantia affectata eſt quando quis vult neſcire præceptum, ut liberiùs peccet, ut facit, qui fugit audire Parochum, vel Concionatorem præcepta Decalogi explicantem, vel Religioſus ſuam Regulam, & Conſtitutiones, ut liberiùs agat quidquid vult contra illas, ſicque de tali dicitur in Pſalmo 25. *Noluit intelligere ut benè ageret*. Vide fusè Bonacin. *de Cenſ. diſp*. 1. *quæſt*. 2. *pun*. 1. *num*. 3. 4. *&* 5. *& de legib. loc. citat. ſupra*, Sylveſt. *verb. Ignorantia*, & alios eodem verbo.

595 Inter. 4. Quænam differentia eſt inter opera mortua, & opera mortificata?

Reſp. Differentia eſt iſta, quod opera mortua nunquam reviviſcunt, ſed mortificata accedente charitate vivificantur.

596 Inter. 5. Quænam differentia eſt inter præcepta negativa, & poſitiva?

Reſp. Præcepta negativa obligant ſemper, & ad ſemper, poſitiva verò obligant ſemper, & non ad ſemper. Ità DD. communiter.

597 Inter. 6. Quænam differentia eſt inter Mandatum, & Conſilium?

Reſp. Mandatum nomine, & gratia mandantis fit, & agitur res ipſius; Conſilium verò datur in gratiam Conſulti, ſeù accipientis Conſilium, ideoque plus requiritur ad removendum effectum Conſilii, quam Mandati; nam non ſufficit ſuaſio contrarii, ut in mandato, ſed removendus eſt Conſultus ab effectu, etiam alia via, qua removeri poteſt. Sylv. *verb. Homic*. 1. *ſub n*. 11. Tolet. *lib*. 1. *cap*. 34. *num*. 3. *& c*. 85. *ſub num*. 1. Bonac. *de Irregul. diſp*. 7. *q*. 4. *pun*. 8. *n*. 13. Vide Cabrin. *de caſ. reſer. par*. 2. *caſ*. 2. *annot*. 7. *per tot*. ubi pulchra invenies.

598 Inter. 7. Quænam differentia eſt inter occaſionem proximam, & periculum peccandi?

Reſp. Cotonius *contr*. 6. *n*. 55. dicit, peccati periculum, & occaſionem, moraliter per eodem ſumi. Nihilominus Cardenas *in Criſi Theol. diſp*. 40. *c*. 2. definit periculum peccandi eſſe motivum inclinans ad futuritionem peccati, inquam, in genere motivi. Occaſio verò proxima conſtituitur per duo prædicta, nempè circumſtantiam extrinſecam, & periculum formale proximum peccandi: Et quidem omnis occaſio proxima peccandi affert periculum proximum peccandi, ſed non omne periculum proximum peccandi dicit occaſionem proximam. Nam occaſio proxima dicit circumſtantiam extrinſecam, hæc autem non requiritur ad periculum proximum,

Qui enim ex propria fragilitate intrinſeca habet diuturnam conſuetudinem ſe polluendi, habet periculum proximum peccandi, ortum ab habitu intrinſeco per conſuetudinem acquiſito. Hæc ex Cardenas, ſed vide Parperam in Schol. veritatis Lucerna *qu.*12. *per tot.* ubi perdoctè de hac tractat materia.

599 Inter. 8. Quænam differentia eſt inter peccatum mortale, & veniale, & quare ſic nuncupantur?

Reſp. Differentia eſt, quia peccatum mortale eſt contra divina, aut humana præcepta in re gravi, ſed veniale non eſt niſi præter aut extra precepta, unde qui v. gr. furatur agit contra præceptum non furtum facies, qui verò dicit verbum otioſum, vel mendacium jocoſum, licèt recedat à regula, cum faciat, quod in Deum non eſt ordinatum, tamen non facit omninò contra præceptum, ideòque ſolùm venialitèr peccat. Præterea peccatum mortale privat in præſenti animam vita ſpiritualis amicitiæ, quæ eſt, ſeù eſſe debet inter hominem, & Deum, at veniale ex ſe non eſt ablativum gratiæ, & amicitiæ Dei, ſicque dicitur veniale, quia eſt venia dignum, & veniam à Deo amico meretur: Mortale autem ità nuncupatur, ex eo quia infert mortem animę, dum privat gratia, & amicitia Dei. Nota tamen quòd licèt peccatum veniale non expellat gratiam, & Dei amicitiam, expellit tamen fervorem charitatis, & devotionem aliqua ex parte extinguit, atque infrigidat. Vide Cajet. *in Sum. verb. Peccatum*, & Tolet. *lib.* 3. *c.*2. *n.* 1. & eſt communis Doctrina.

600 Inter. 9. Detractio differtne ſpecie à contumelia, vel eſt idem?

Reſp. Differt omninò à contumelia, nam ſicut rapina differt ſpecie à Furto, ita detractio à contumelia; Per detractionem enim clam læditur Fama proximi, ſicut clam læditur proximus per Furtum; per contumeliam verò apertè, & in præſentia offenditur proximus, ſicut offenditur per rapinam, ergo detractio non eſt idem, ac contumelia, ſed ſpecie differt, ultra quod, detractio dicitur ablatio famæ, in quo etiam differt à contumelia, quæ eſt ablatio honoris. Bonac. *de Reſt. diſp.* 2. *q.*4. *pun.*1. *n.*2. Toletus *lib.*5. *cap.*63. *ſub num.* 11. & alii communiter.

601 Inter. 10. Quid eſt ſuſurratio? & eſtne ſemper peccatum mortale? Et in quo differt à detractione, & contumelia?

Reſp. Suſurratio eſt peccatum linguæ, quo quis manifeſtat alterius defectus ad ſeminandas diſcordias inter amicos. Ità docent S. Thomas 2. 2. *quæſt.*74. *art.*1. Navar. *in Man. cap.*18. *n.*13. Bonacina *tom.* 2. *de Reſt. diſp.* 2. *quæſt.*6. *n.*1. Armilla *verb. Suſſurratio n.* 1. & alii communiter. Ex genere ſuo eſt peccatum mortale contra juſtitiam, & eſt gravius detractione, & contumelia; poteſt tamen aliquando excuſari à peccato mortali, ratione indeliberationis, vel ratione inadvertentiæ; imò aliquando nullum eſt peccatum, & eſt, quando ſuſurratio fit ad bonum finem, ſecluſo tamen mendacio, nempe ad diſſolvendam turpem, & noxam amicitiam; nam turpis amicitia non habet leges, & conditiones veræ amicitiæ, quare diſſolvere hujuſmodi amicitias, cum ſint in offenſam Dei, & proximi, nullum erit peccatum, & in hoc omnes Doctores conveniunt teſte Srephano à S. Gregorio *de reſt. lib.* 1. *cap.*13. *de Suſurratione.* Cæterum ſuſurratio mala, differt à detractione, & contumelia, quia, ut docet idem Bonacina *loc. cit. num.* 2. finis detractionis eſt injuſta denigratio famæ proximi; finis contumeliæ eſt, læſio honoris; ſed finis ſuſurrationis eſt diſſeminatio diſcordiarum, & Zizaniarum ad diſſolvendam amicitiam. Imò in ſuſurratione ſæpè includitur detractio, & contumelia, cum ad ſeminandas diſcordias, ut plurimum refertur crimen alte-

alterius falſum, aut verum, ſed occultum, in abſentia, vel in præſentia. Ità Salonius *in 2. 2. D.Thomæ qu.* 74. *art.* 1. & alii communiter.

602 Inter. 11. Qnænam differentia eſt inter bonam famam, & honorem?

Reſp. Bona fama eſt bona opinio communis de aliquo circa aliquod ipſius bonum, v. g. ſi aliquis communiter exiſtimetur caſtus, dicitur habere bonam famam circa caſtitatem; ſecus verò,malam dicitur habere famam, & ſic dicendum eſt de cęteris bonis, aut malis. Honor tamen eſt actus, quo quis teſtatur, & verbis manifeſtat, aut ſignis externis opinionem, quam habet de alterius excellentia, & ſic honor eſt reverentia, quæ alicui exhibetur. Toletus *lib.* 5. *c.* 63. *ſub. n.* 11. Bonac. *to.*2. *de Reſt.diſ.*2.*q.*4.*pun.*1.*n.*2. *& q.* 5. *pun.*1. *n.* 1. *&* 8. & alii communiter.

603 Inter. 12. Quid eſt judicium temerarium? Et differtnè à ſuſpicione?

Reſp. Judicium temerarium eſt mala interpratatio ex levibus indiciis facta circa opus proximi, & differt à ſuſpicione,quia ſuſpicio eſt mala opinio proximi orta ex levibus indiciis, & potiùs eſt aſſenſus inchoatus, quo quis inclinat in vnam partem. Unde tunc committitur judicium temerarium, quando quis firmiter credit,tale opus proximi eſſe malum, ex levibus indiciis, vel quando vertit in malam partem opus proximi ex levibus indiciis. Suſpicio verò eſt cum formidine oppoſiti. Vide Azorium 3. *par. lib.* 13. *cap.* 11. Bonac. *tom.* 2. *de reſt. diſp.* 2. *quæſt.* 7.*pun.* 1. *num.* 1. & alios apud ipſos, & præſertim Armillam *verb. ſuſpicio.*

604 Inter. 13. Quænam differentia eſt inter furtum, & rapinam?

Reſp. Furtum fit clam, & ignorante Domino; Rapina verò fit,quando accedit violentia, & fit præſente Domino. Tolet. *lib.* 5.*cap.* 16. *n.* 1. & alii communiter.

605 Inter. 14. Quænam differentia eſt inter iram,odium, & indignationem?

Reſp. Certum eſt quod ira,odium, & indignatio inter ſe differunt, quià ut docet Bonac. *de præcep. decal. diſ.*3. *quæſt.* 4. *pun. ult.* §. 1. *num.* 8. & alii ab ipſo relati; Ira contingere ſolet dum quis vult alteri malum, eo quod alter injuriam ſibi, aut læſionem aliquam intulerit, quam cupit vindicare. Odium autem quando quis cupit alteri malum ex diſplicentia perſonæ, quamvis nullam ab eo injuriam paſſus ſit. Indignatio verò contingit dum quis dolet, cum vidit bona indignis conferri.

606 Inter. 15. Quid eſt maleficium,& veneficium, & ſuntne idem, aut diverſa?

Reſp. Aliud eſt maleficium, aliud verò veneficium,undè non ſunt idem, ſed diverſa. Maleficium enim eſt ars nocendi ex pacto, & auxilio Dæmonis, ut docet Sylveſter *verb.Maleficium num.* 1. Toletus *lib.* 4. *cap.* 16. *num.* 3. & alii communiter; ſed veneficium eſt aliquid arte Dæmonis fabricatum, quo malefici ejuſdem Dæmonis auxilio per occultam veneni applicationem alteri nocent, vel in bonis Corporis, vel in bonis fortunæ. Ità Finellius *de caſ. reſer. caſ.* 2. *n.* 2. Azorius *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 26. & alii plures. Vide Toletum *lib.* 4. *cap.* 16. *num.* 3. *ſupracitato*, & Bonac. *de Legibus, tom.* 2. *diſp.* 3. *quæſt.* 5. *pun.* 1. *num.* 1. 2. 3.

607 Inter. 16. Quænam differentia eſt inter veneficia, incantationes, & ſortilegia?

Reſp. Hæc tria ſpecie non differunt, ſed tantùm ex parte materiæ,ſeù modi, quo fiunt; conveniunt enim in formali malitia, quæ eſt fieri inſtigante, vel paciſcente Dæmone, & differunt dumtaxàt in hoc, quia veneficium fit applicando res naturales inefficaces ad aliquem effectum, non utendo aliquibus verbis, neque cæremoniis: Incantatio verò fit dicendo verba inutilia, aut inefficacia ad ta-

lem effectum, non apponendo res naturales, ſed ſola verba. Sortilegium denique fit mittendo ſortes, vel quid æquivalens ad cognoſcendum ſecretum præteritum, vel futurum; ita ut ſemper in his tribus concurrat Diabolus.Ità ex Portello, Graffio, & Bordono docet Lezana *tom.* 2. *verb. Veneficia num.* 2.

608 Inter. 17. Quænam differentia eſt inter præceptum annuæ confeſſiois faciendæ,& obligationem confitendi in articulo, vel periculo mortis?

Reſp. Præceptum confeſſionis obligat quamprimum elapſo anno, ad confeſſionem anno præcedenti prætermiſſam. Præceptum verò confitendi in articulo, vel periculo mortis, non obligat eo elapſo, quia latum videtur ob circumſtantiā, & conditionem talis temporis, nempè ob periculum imminens damnationis. Sic valdè probabilitèr docet Bonac. *de Sac. diſp* 5. *quæſt.* 5. *ſect.* 2. *pun.* 4. *num.* 29.

609 Inter. 18. Quænam differentia eſt inter ſigillum naturale, & ſigillum confeſſionis?

Reſp. In primis, Sacramentale ſigillum eſt etiam naturale, ſed non è contra, naturale eſt Sacramentale, ideoque fortius obligat ſigillum Sacramentale, quam naturale, cum naturale poſſit aliquando violari, ut quando in detrimentum proximi vergeret, vel in damnum publicum, vel commune, tàm temporale, quàm ſpirituale: Sed ſigillum Sacramentale, ſeù confeſſionis ità obligat, ut in nullo vitæ caſu, nec etiam pro tuendo Rege, vel liberando toto Orbe ab iniuſta conflagratione infringi poteſt, & quamvis Uuiverſa Eccleſia, & fides tota Chriſtiana per impoſſibile periret, niſi Sacramentale ſigillum reveletur;& ut dicā *in tit.* 204. *Inter.* 2. etiamſi Summus Pontifex præciperet confeſſionem revelari; nam præceptum ſigilli,ne injuria fiat Sacramento, ſtrictius obligat alio quovis præcepto, non ſolum Papæ,ſed etiam totius univerſalis Eccleſiæ, quia fractio hujus ſigilli, eſt intrinſecè mala, nec ulla de cauſa cohoneſtari poteſt, ut docet S. Th. *in addit. quæſt.* 11. *ar.* 1. & alii plures, quibus ſubſcribit Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *quæſt.* 6. *ſect.* 5. *pun.* 4. *n.* 20. Diana *par.* 5. *tr.* 11. *reſ.* 1. qui teſtatur de Communi. Vide id quod, dicam *in tit.* 204. *de Sigillo Confeſſionis ad Inter.* 13.

610 Inter. 19. Quænam differentia eſt inter cenſuram, quæ èſt à jure, & illam, quæ dicitur ab homine?

Reſp. Cenſura à jure eſt illa, quæ fertur per Canones,Conſtitutiones,vel ſtatuta Eccleſiaſtica ſtabili,&permanēte lege contra omnes ſubditos. Cenſura verò ab homine infligitur à Judice, vel Prælato per modum ſententiæ, vel decreti, ſeù mandati in aliquo facto particulari, aut contra certas perſonas, & hæ cenſuræ ab homine ceſſant mortuo, vel amoto Legiſlatore: ſed Cenſuræ à jure durant etiam mortuo, vel amoto ſtatuente, niſi à ſucceſſore revocentur, vel contraria conſuetudine legitimè præſcripta tollantur, ut colligitur *ex cap. fin. de offic. deleg. ex cap. unico de major. & obedien. & cap. Paſtoralis* §. 1. *de offic. ordin.* & tradunt Suarez *in* 3. *part. tom.* 5. *diſp.* 3. *ſect.* 1. Sayrus *de cenſu lib.* 1. *c.* 7. *num.* 11. *&* 12. Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 5. *num.* 5. & Ugolinus *de cenſ. tr.* 1. *cap.* 9. §. 4. quibus ſubſcribit Cabrinus *Elucid. caſ. reſer. par.* 2. *caſ.* 1. *annot.* 5. *num.* 10. *&* 11.

611 Inter. 20. Quænam differentia eſt inter Suſpenſionem, & excommunicationem?

Reſp. In multis differunt, ut videre licet apud Tolet. *lib.* 1. *c.* 46. *num.* 5. Bonac. *de Cenſu*, *diſp.* 3. *pun.* 2. *num.* 3. ſed principaliter differunt in hoc; primò Excommunicatio, numquam tollitur, niſi per abſolutionem, Suſpenſio verò aliquando tollitur. 2. Excommunicatio nunquam fertur, niſi cum contumacia, ſed Suſpenſio aliquando in pœnam delicti, etiam ſine contumacia;

macia ; 3. Excommunicatio omnis vetat Sacramentorum ſuſceptionem, & collationem, at Suſpenſio non omnis prohibet ſuſceptionem, niſi quando eſt à ſuſceptione Sacramentorum, nec collationem, niſi quando eſt ab Officio, vel Ordine, aut collatione Sacramentorum ; 4. Excommunicationem à jure contrahunt Epiſcopi, licèt de eis non fiat expreſſa mentio, Suſpeſionem verò à jure incurrunt ſolùm, quando de eis fit mentio, & non aliàs; nec Interdictum generale, niſi de eis fiat expreſſa mentio; Em.Sà *verb.Epiſc. n.* 10. 5. Ab Excommunicatione à Jure non reſervata Epiſcopus poteſt abſolvère, ſed non à Suſpenſione, niſi quando eſt perpetua, & quando poſita eſt in contumaciam, vel ob delictum, ſuper quod poteſt diſpenſare. Ita docet Tolet. *loc. cit;* & alii plures.

612 Inter. 21. Quænam differentia eſt inter Irregularitatem, & ſuſpenſionem?

Reſp. Irregularitas directè privat ſuſceptione Clericatus, & ordinum; Suſpenſio verò privat uſu, & exercitio ipſorum ordinum; Ità ex communi docet idem Bonac. *de Cenſu diſp.* 7. *qu.* 1. *p.* 2. *n.* 12. *& dicta diſp.*3. *pun.*2. *n.*4. *ver.*4. & alii communiter.

613 Inter. 22. Quænam differentia eſt inter Bigamiam, & Polygamiam?

Reſp. Polygamia eſt quando ſimul plures habentur uxores, imò gravis pœna imponitur ei, qui contrahit cum pluribus ſimul viventibus, & præſumitur malè ſentire de fide contra Sacramenta; Vide igitur quæ dicam *in tit.* 169. *de Polygamia, ad Inter.* 3. & Dian. *par.*4. *tr.* 7. *reſ.*4. *verſ. notandum eſt tamen;* præterquam quod, qui dixerit licere Chriſtianis habere ſimul plures uxores, excommunicatus eſt, ut patet ex Tridentino *ſeſſ.*24. *can.* 2. & docet Bonac. *de matrim q.*3. *pun.*10. *n.*3. Bigamia verò propria, & vera, eſt quando plures uxores ſucceſſivè habeantur, undè ex multiplici matrimonio contracto, & conſummato oritur Bigamia, quæ facit hominem irregularem, & per conſequens inhabilem ad Ordines, & ad Beneficia: Ità docent Doctores communiter. Vide Bonac. *de Cenſu diſp.*7. *q.*2. *pun.*5. *per totum*, præſertim *num.* 3. Tolet. *lib.*1. *cap.* 65. *num.* 2.

614 Inter. 23. Fitne aliqua differentia inter illum, qui habet impotentiam ratione frigiditatis, & alium, qui eſt impotens ratione Maleficii, ut aliam poſſit ducere uxorem?

Reſp. Certò fieri debet differentia; Jura enim non concedunt frigido, ut poſt ſeparationem ab una, ducat alteram, quia quod eſt naturale, ſemper eſt tale reſpectu cujuſque, ſed Maleficiatis permittitur aliam ducere, quia aliquando Dæmon impedimentum facit alicui reſpectu unius, non autem reſpectu alterius, ut docet S. Thomas *in* 4. *diſt.* 34. *artic.* 4. Armilla *verb. Matrimonium* §. 49. quos ſequitur Toletus *lib.*7. *cap.*16. *ſub n.*2. & patet *ex titulo de frig.& Maleſic.*

615 Inter. 24. Quænam differentia eſt inter mutuum, & commodatum?

Reſp. In commodato non transfertur dominium rei, ſed conceditur uſus tantùm; & res eadem poſteà redditur. In mutuo verò transfertur dominium, nec eadem res in ſpecie redditur. DD. communiter.

616 Inter. 25. Quænam differentia eſt inter Votum reale, & perſonale?

Reſp. Differentia eſt, quia Votum perſonale eſt, quando promittitur Deo aliqua actio ipſius perſonæ, vel aliqua ōmiſſio, ut votum peregrinationis, jejunii, caſtitatis, orationis, abſtinentiæ à ludo &c. Reale verò eſt, quando promittitur Deo aliqua res, ut eleemoſinæ, & ea, quæ abſque rei diſpendio, non fiunt. Itaque Perſonale ſpectat ad perſonam voventis, & reale ad rem pertinet, & aliquando votum includit utrumque, nempè perſonale, & reale, & tunc dicitur mixtum, & eſt, v.g. ſi quis promittat peregri-

regrinationem Lauretanam, & offerre aliquid Beatiſs. Virgini, dum ad ejus Eccleſiam pervenerit. Ità DD. communiter, teſte Bonac. *de Præceptis Decal. diſp.* 4. *qu.* 2. *pun.* 2. *nu.* 1. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 18. *ſub n.* 5.

617 Inter. 26. Quænam differentia eſt inter Votum ſimplex, & ſolemne?

Reſp. Votum ſimplex conſiſtit in nuda promiſſione, & traditione ex parte voventis; ſolemne verò conſiſtit, ultra talem promiſſionem, & traditionem, in acceptatione ex parte Dei ſcilicet illius, qui vicem Dei tenet, & ità ſolemnizatur per acceptationem, qui fit per Superiorem, & Prælatum ipſius, & hujuſmodi Votum ſolemne, ſolum fit per profeſſionem in approbata Religione, & in ſuſceptione Sacrorum Ordinum. Præterea Votum ſimplex caſtitatis, & Religionis impedit Matrimonium contrahendum, non tamen dirimit contractum; ſed Votum ſolemne non ſolum impedit, ſed etiam contractum dirimit, nullumque eſt Matrimonium. Bonac. Toletus *locis ſupracitatis*, & alii communiter: Vide, quæ dicam *in tit.* 242. *de voto, ad Int.* 10. *&* 13.

618 Inter. 27. Quænam differentia eſt inter votum conditionale, pœnale, & abſolutum?

Reſp. Conditionale eſt illud, quod ponitur ſub conditione, v.g. ſi à Deo ſanetur, liberetur &c. Et obligat tale votum poſita conditione, niſi mala ſit. Pœnale eſt illud, quod in pœnam alicujus ponitur, ut quandò, quis dicit, ſi hodie non me abſtinuero à ludo, vel fornicatione voveo centum aureos, vel tot dies jejunii, vel ingredi Religionem, vel quid aliud ſimile. Abſolutum autem eſt illud, quod ſimpliciter fit, abſque conditione, & pœna. Tolet. *lib.* 4. *c.* 18. *n.* 6. Bonac. *de præcept. Decal. diſp.* 4. *q.* 2. *pun.* 2. *ſub n.* 1. & alii communiter.

619 Inter. 28. Quænam differentia eſt inter diſpenſationem, commutationem, & irritationem votorum?

Reſp. Differentia eſt iſta, quia diſpenſare in voto nihil aliud eſt quàm nomine Dei condonare obligationem voti, quam vovens erga Deum contraxerat vovendo, ut docet Cajet. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. & alii communiter: Commutare votum eſt materiam voti in aliam mutare, & ideò non aufertur ſimpliciter obligatio, ſed una ſubſtituitur loco alterius. Irritare autem, eſt annullare votum factum, & facere ut non ſit obligatorium, nec verum votum, & hæc irritatio pertinet ad poteſtatem dominativam, nec requirit cauſam ad ſui validitatem, ſicut requirit commutatio, & diſpenſatio, ut dicam *in ſeq. tit. ad Int.* 5. Cœterù commutare votum in minus, vel diſpenſare, pertinet ad poteſtatem Spiritualem, Sed commutare in evidenter melius, quilibet propria auctoritate poteſt, cum manifeſtò conſtet id quod eſt evidenter melius, Deo gratius, & receptius eſſe. Sed non poteſt quis propria auctoritate votum reſervatum Papæ in opus *evidenter melius commutare*, & ratio eſt, quià eo ipſo, quod reſervatum eſt, non eſt amplius ſub poteſtate voventis, ſed ſubditur arbitrio Superioris. Excipitur tamen commutatio in Religionis ingreſſum, in quæ quodlibet votum commutari poteſt propter Summam Religionis perfectionem, ut habetur *c. ſcripturæ, de voto*, & docet P. Syrus *in dilucidario facultatum minor. Paxit. par.* 6. *cap.* 6. *dub.* 2. Vota denique, aut juramenta Deo facta in bonum evidenter æquale, propria auctoritate commutare non poſſe, probabilius eſt, ut docent plurimi, quos refert, & ſequitur Leander *par.* 7. *tr.* 1. *diſp.* 18. *qu.* 9. Advertè tamen, ut validè, & licitè fiat commutatio, neceſſariam eſſe juſtam cauſam, ut omnes apud Leandrum *ubi ſupra qu.* 27. fatentur.

TITULUS LXXI.

De Diſpenſatione.

Vide tit. de Abſol. à cenſ. Inter. 2. tit. de Confeſſ. Int. 18. tit. de Illegit. ad quæſ. 1. & 2. tit. de Hær. &c. ad quæſ. 1. tit. de Sac. Ord. ad quæſ. 3. tit. de Subd. Int. ult. tit. de Val. Diſpenſ. tit. de Val. Sac. Matr. Inter. 13. tit. de Val. Sponſal. Inter. ult. tit. de Vot. Inter. 6. 7. 8.

620 INter. 1. Quando adeſt juſta cauſa diſpenſandi, teneturne Superior diſpenſare? Et diſpenſatio eſtne debita, vel eſt gratia?

Reſp. Poteſtas diſpenſandi commiſſa eſt Prælatis in bonum Reipublicæ, & ſubditorum utilitatem, conſequenter, quando adeſt juſta cauſa exercendi hanc poteſtatem, dicunt Doctores, quòd Prælatus teneatur illam exercere, aliàs faciat contra debitum muneris ſui. Ità tradunt Suarez *de legibus lib. 6. cap. 18. num. 20.* Salas *diſp. 20. ſect. 7. num. 70.* Sancius *in ſelectis diſp. 43. num. 8.* Sanchez *de Matrim. lib. 3. diſp. 10. num. 6.* quos refert, & ſequitur Diana *par. 8. tr. 3. reſ. 27.* ſed vide, quæ dicam *in tit. 175. de Prælatis Regularibus, ad Inter. 3.* ubi pluribus relatis idem firmabo. An autem diſpenſatio ſit debita, vel gratia, dico cum eodem Diana ibidem, *& reſ. 7.* in quatuor caſibus eſſe debitam, extrà quos erit tantùm gratia. Debita igitur eſt primò, quando Jus diſponit, ac præcipit, ut exiſtente tali caſu concedatur diſpenſatio, ſeù debeat Prælatus diſpenſare. Si verò jus ſolum concedat, ut Superior poſſit diſpenſare cum tali cauſa, tunc non eſt debita diſpenſatio; ſed gratuita. Poteſt tamen eſſe debita diſpenſatio per præceptum ab homine, ut v. g. in diſpenſationibus, quas concedit Summus Pontifex, remittens cauſas Ordinariis, ut fit in Brevibus Sac. Pœnitentieriæ, in quibus mandatur, ut diſpenſent, ſi preces veritati nitantur; nam impleta tali conditione illa diſpenſatio eſt debita. Secundò, item debita erit, quando neceſſaria eſt ad commune bonum, vel vitandum publicum ſcandalum, aut quid ſimile. Tertiò, quando fuerit conceſſa ad ſpirituale bonum poſtulantis, vel ad vitandum aliquod grave animæ periculum. Quartò denique, ſi ſubditus graviter ea diſpenſatione egeat ad vitandum aliquod grave damnum in perſona, vel bonis temporalibus, & ſine diſpendio poteſt illi concedi; nam tunc tenetur Prælatus, ſaltem ex Charitate eam diſpenſationem concedere. Vide Dianam *loco cit.* Em. Sà *verb. Diſpenſatio num. 2.* & Sylveſtrum *eodem verbo num. 3.*

621 Inter. 2. Cauſa diſpenſationis debetne eſſe certa, & manifeſta, vel ſufficit cauſa dubia?

Reſp. In Reſponſione ad dictam *Inter. 3. tituli proximè citati*, contra Bonacinam, & alios, doceo, quòd multis ſcrupulorum occaſionibus eſſet expoſita Superiorum poteſtas, ſi ad cauſas ſolas certò juſtas extenderetur, & vix auderent Superiores diſpenſare; Unde in benigniorem partem inclinandum eſſe, & credendum facultatem Superiorum extendi etiam ad cauſas dubiè juſtas firmo; hoc enim videtur petere bonum, & ſuave Eccleſiæ regimen, & ità hanc ſententiam præter Authores à me *eo loco cit.* tenent etiam Amicus *tom. 5. diſp. 6. ſect. 6. num. 81.* Merolla, Placios, & alii, quibus ſubſcribit Diana *par. 8. tr. 3. reſ. 29.* ubi plura ad intentum reperies. Immò nota id, quod docet Em. Sà *loco ſuprà cit.* ubi inquit. *Cum ſubeſt cauſa diſpenſandi, videtur peccare Prælatus, qui poteſt, ſi non diſpenſet, quando oportet.* Idem aliis relatis docet Lezana *tom. 2. verb. Prælati Regul. ſub num. 14.* Vide iterum Dian. *par. 4. tract. 3. reſ. 44.*

622 Inter. 3. Quando ſubditus proponit Superiori cauſam dubiam ad obtinendam diſpenſationem, debetne Supe-

Superior diſpenſare, vel debet id remittere conſcientiæ ſubditi petentis?

Reſp. Docebo *in tit.* 105. *de Jejunio, ad Inter.* 25. cum Cajetano 2.2. *D.Thomæ quæſt.* 147. *art.* 4. & omnibus expoſitoribus ibidem, Prelatos, ac Superiores, quando ſubditi proponunt cauſam dubiam ad obtinendam diſpenſationem, non debere eſſe nimis ſcrupuloſos, ac ambiguos, remittentes id conſcientiæ ſubditi petentis, cum potiùs ad ipſos ſpectet tunc diſpenſare, cauſam dubiam per diſpenſationen efficiendo juſtam, & idem nunc doceo cum Doctoribus à me ibidem citatis, quibus addo Azorium *t.*1. *lib.* 7. *cap.* 29. *quæſit.* 2. qui citat Navarrum, Roſellam, & Angelnm. Vide Dianam *par.* 9. *tr.* 6. *reſ.* 27. contra Caramuelem oppoſitum docentem. Vide eundem Dianam *par.* 1. *tract.* 10. *reſ.* 31.

623 Inter 4. Quænam eſt juſta cauſa, ob quam licitè concedi poteſt diſpenſatio interſtitiorum?

Reſp. Non eſt eadem in omnibus Ordinibus, ſiquidem ad Minores Ordines ſufficit, quod Epiſcopo videatur magis expediens, ut habetur in Trid. *ſeſs.* 23. *cap.* 11. Ad Subdiaconatum requiritur neceſſitas, aut Eccleſiæ utilitas judicio Epiſcopi ex eadem *ſeſs.c.*11. Ad Diaconatum non exigitur tanta neceſſitas, cum Concilium nihil de hoc dicat, ſed ſolum voluntati rationabili Epiſcopi id relinquat dicta *ſeſs.* 23. *cap.* 13. Dixi voluntati rationabili Epiſcopi, quià ut benè dicit Bonac. *diſp.* 8. *de Ordin. pun.*6. *num.*2. Epiſcopus non poteſt ſimpliciter ex quavis cauſa in interſtitiis diſpenſare; Sed ad diſpenſandum requiritur juſta cauſa. Ad Presbyteratum verò major cauſa requiritur, ſcilicet Eccleſiæ utilitas, ac neceſſitas judicio Epiſcopi, ut conſtat ex eodem Concilio dicta *ſeſs.* 23. *cap.* 14. Miranda *in Man. quæſt.* 38. *art.* 8. cui ſubſcribit Lezana *tom.* 1. *cap.* 14. *num.* 6.

624 Inter. 5. Quænam dicitur juſta cauſa ad effectum commutandi, vel diſpenſandi vota Chriſtifidelium?

Reſp. Supponendum eſt primò tanquam certiſſimum, requiri juſtam cauſam, ut votum commutetur in minus, quia commutatio in minus participat de diſpenſatione, unde à fortiori, & eò magis juſta cauſa requiritur ad diſpenſationem: hoc ergo prænotato. Dico quod juſta cauſa reducitur ad pietatem, utilitatem, & neceſſitatem; Itaque difficultas in voto perſolvendo, utilitas voventis, repugnantia parentum, vel Mariti &c. eſt juſta cauſa, ut votum commutetur in minus. Ità quoque utilitas Eccleſiæ, honor Dei, utilitas, & fructus ſpiritualis voventis, morale periculum ſæpius violandi votum, imperfecta deliberatio in voto facto, metus etiam levis incuſſus ab homine ad extorquendum votum, dubium de obligatione voti, notabilis difficultas ſuperveniens executione voti; & alia hujuſmodi juxtà prudentis viri judicium, faciunt cauſam juſtam, ut non temerè fiat commutatio, vel diſpenſatio voti, ut pluribus relatis firmat Bonac. *de præc. dec. diſp.*4.*qu.*2.*pun.*7. §.3. *ſub n.* 11. & §.4. *n.* 24. Sed vide Dianam *par.*2.*tr.*16.*reſ.*8. ubi fusè de hac tractat materia.

625 Inter. 6. Facultas delegata diſpenſandi vota, extenditurne ad ea commutanda?

Reſp. Azorius, Valentia, & Sanchez apud Dianam *par.* 8. *tract.* 3. *reſol.*43. dicunt quod non, quia hæ poteſtates ſunt diverſæ rationis, ergo ſi conceditur una, non cenſetur altera conceſſa. Sed oppoſitum dicunt Suarez, Leſſius, Layman, & alii, quos dat, & ſequitur idem Diana, & hæc ſententia mihi magis placet, quia cui conceditur, quod plus, & majus eſt, & minus concedi videtur. Vide Dianam, qui id rectè probat, & reſpondet ad argumenta contraria valdè doctè.

626 Inter. 7. Conjuges de communi con-

conſenſu voventes non petere, nec reddere debitum conjugale, poſſuntne diſpenſari, & à quo diſpenſationem obtinere poſſunt?

Reſp. Quia tale Votum non eſt integræ, & perfectæ Caſtitatis, ideò tales Conjuges poſſunt diſpenſari, non ſolùm ab Epiſcopo, ſed etiam per Confeſſarium ſimplicem virtute *Bullæ Cruciatæ*, ubi adeſt tale privilegium. Immò quilibet Confeſſarius Regularis poteſt commutare hujuſmodi votum, dummodò fuerit ad id à ſuo Superiore deputatus. Vide igitur, quæ dixi *in tit.* 42. *de Confeſſariis, ad Inter.*18. & quæ dicam *in tit.*150. *de Regularibus, ſeù Religioſis, ad Inter.* 26. Imò nota, quod poſt tale Votum, ſi unus Conjugum decedat, alter, qui ſupervivit, non prohibetur ad ſecundas Nuptias tranſire, ut docent DD. communiter. Vide Dianam *par.* 1. *tract.*11. *reſ.*58. *& par.* 3. *tr.*5. *reſ.*25. *verſ. Quarto*.

627 Inter. 8. Quis diſpenſare valet cum conjugibus inceſtuoſis ſuper amiſſo jure petendi debitum conjugale?

Reſp. Jam dixi *in tit.*12.*de Affinitate ad Int.*13. quod Conjux, qui commiſit inceſtum cum conſanguinea alterius conjugis in primo, vel ſecundo gradu, privatur jure petendi debitum, & docet etiam Caſſianus à S. Elia *in Arbor.Opin.moral.verb.Affinitas n.*21.Em.Sà *verb.Debitum conjug.n.*13. & alii. Modò verò ut ad interrogationem ſatisfaciam, dico poſſe Epiſcopum diſpenſare per ſe, vel per Confeſſarium, cui id committat, ſed non committitur ſolum per hoc, quod Epiſcopus concedat facultatem abſolvendi à reſervatis, ſed requiritur ſpecialis facultas, quia agitur de diſpenſatione. Verum eſt tamèn, quod Confeſſarii Regulares, qui habent facultatem abſolvendi à reſervatis, & participant in privilegiis cum PP. Congregat. S. Benedicti Valliſoletæ, poſſunt uti privilegio dictis Patribus conceſſo à Julio II. quod eſt, ut valeant cum talibus conjugibus inceſtuoſis diſpenſare quoad petitionem debiti conjugalis, nam illud privilegium ſubſiſtit, quia fuit reſcriptum, & non vivæ vocis oraculum, ut docent Lezana *to.* 2. *verb.Affinitas nu.* 4. Diana *par.* 6. *tr.*8. *reſ.* 32. *& par.*10. *tr.* 14. *reſ.* 20. Caſſianus à S. Elia *loc. ſup.cit. n.*27. qui Author notat etiam, quod tales Confeſſarii debent eſſe ſpecialiter deputati à Superiore locali, & debent eſſe viri docti, & prudentes, nec poſſunt uti dicto privilegio, niſi intra Eccleſias, vel domos ſuas regularès, & non ſine juſta cauſa diſpenſare debent, quæ tamen ſufficit ſi pœnitens juvenis ſit, & non poſſit abſtinere à debiti petitione: Item numerus Confeſſariorum eſt etiam ſervandus, unde in majoribus Monaſteriis non debent eſſe niſi tres, vel quatuor, in parvis verò unus, vel duo, & tandem hujuſmodi diſpenſatio debet fieri in actu Confeſſionis, & non extra, quidquid dicat Diana *par.* 3. *tr.* 2. *reſol.*14. *in fine*. Vide Caſſianum *ubi ſupra*, & Nicolium *in Floſ. verb. Debitum conjug. n.*5. & Dianam *par.*6.*tr.*8. *reſ.* 32. Nota tamen id, quod docet Diana *in Sum.verb. Confeſſarius n.* 48. ſcilicet, quod non debent moneri conjugati de hoc impedimento ob melius bonum, cùm non peccent petendo debitum, excuſante illos ignorantia, nàm conjugati ferè omnes, etiam docti, ignorant hoc impedimentum, ideòque Confeſſarius melius eſt, ut taceat, quàm illos admoneat ſtante communi ignorantia Laicorum. Ita ex Bordon. tradit ipſe Dian. *par.*10. *tract.*14. *reſ.*20. Hæc tamen intellige ſolùm in caſu, quo nullus ſperetur fructus ex admonitione.

628 Inter. 9. Quis poteſt diſpenſare ſuper impedimenta, quæ tantùm impediunt, ſed non dirimunt matrimonium?

Reſp. Epiſcopus poteſt, excepto voto Caſtitatis, & Religionis abſo-

luto, & perfecto: Summus Pontifex verò in omnibus.]

629 Inter. 10. Poteſtne Epiſcopus, vel Prælatus Regularis diſpenſare cum ſibi ſubdito, ut nunquam in tota vita jejunet, aut nunquam recitet officium divinum?

Reſp. Dico quod non, quia hæc eſt res non levis, ſed magni momenti, & quæ non frequenter accidere ſolet, unde non præſumitur Pontificem voluiſſe committere inferiori Prælato eam diſpenſationem. Ità ex Soto firmat Diana *par.* 8. *tract.* 3. *reſ.* 12.

630 Inter. 11. Poſſuntnè Prælati, & qui habent poteſtatem diſpenſandi in lege cum aliis, ſecum etiam diſpenſare?

Reſp. Communis ſententia docet, Principem, ſeu Prelatum, qui poteſt diſpenſare cum ſubditis, poſſe etiam immediatè, & directè ſecum diſpenſare in omnibus rebus eo modo, quo poteſt cum ſibi ſubditis, & hoc intelligendum eſt tam de Summo Pontifice, quàm de Epiſcopis, Principibus Secularibus, & Prælatis Regularibus, ſive Generalibus, ſive Provincialibus, ſive aliis Superioribus localibus, qui toti domui præſunt, & illis abſentibus de Vicerectoribus, quando eis hæc juriſdictio non reſtringitur. Doctores ad ſatietatem de hac re tractantes refert Diana *par.* 8. *tract.* 3. *reſ.* 5. *&* 16. *per totam*, *& par.* 10. *tract.* 14. *reſ.* 25. *&* 64. Vide S. Thomam 2. 2. *quæſt.* 88. *&* 181. quem refert Em. Sà *verb. Religio num.* 47. qui tamen addit hæc verba. *Expedit verò id facere per ſuum Confeſſarium*; quod quidem mihi valde probatur.

631 Inter. 12. Quinam ſunt illi caſus in quibus Epiſcopi, & Prælati Regulares poſſunt diſpenſare cum ſibi ſubditis in legibus Pontificiis, quamvis expreſſam poteſtatem non habeant?

Reſp. Primus eſt in rebus, quæ frequenter occurrunt, ut ſunt jejunia, recitatio horarum canonicarum, auditio Miſſæ, & ſimiles. Secundò eſt materia levis, ſeu exigui momenti; materia autem levis eſt illa, quæ non obligat ſub mortali. Tertiò caſus eſt quando Materia legis non eſt communis, ſed propria ſubditorum dumtaxat talis Epiſcopi, vel Prælati, ut ſi Papa præcepiſſet ſolis ſubditis Epiſcopi Tuſculani, poſſet iſte cum illis diſpenſare, quia cum ea lex ſit lata ſolùm propter commodum, & utilitatem particularem talium ſubditorum, videtur Summus Prælatus tacitè relinquere relaxationem illius inferiori Prælato, cui ſpecialiter incumbit eorum ſubditorum gubernatio. Quartò eſt quando recurſus ad ſuperiorem eſſet valdè difficilis, ſeù quando occurreret magna valdè neceſſitas, & eſſet periculum in mora, tunc enim ex præſumpta voluntate Pontificis, poſſet Epiſcopus, vel Prælatus Regularis diſpenſare in lege illius. Alius caſus appoſitus à Caſtro Palao, eſt, ſi conſuetudine præſcribatur, inferiorem in lege ſuperioris diſpenſare, quia conſuetudo præſcripta, legitimè tamen, juriſdictionem concedit, ut conſtat *ex cap. Cum contingat de foro compet.* Doctores, qui loquuntur de his caſibus, ſunt Cajet. 1. 2. *quæſt.* 97. *art.* 4. Sotus *lib.* 1. *de juſtitia quæſt.* 7. *artic.* 3. Suarez *de legib. lib.* 6. *cap.* 14. *num.* 9. Salas *de legib. diſp.* 20. *ſect.* 3. *num.* 22. Caſtro Palao *tom.* 1. *tr.* 3. *diſp.* 6. *pun.* 5. & alii plures pœnes Lezanam *tom.* 4. *conſ.* 6. *num.* 4. & Dianam *par.* 8. *tr.* 3. *reſ.* 12. à quibus plura haberi poſſunt ad intentum.

632 Inter. 13. Qui eſt diſpenſatus ad edendas carnes in Quadrageſima, teneturne jejunare?

Reſp. Quidam dicunt, quoties infirmus eſt diſpenſatus ad reficiendas vires, ut in convaleſcentia, excuſari à Jejunio; ſi verò ſit diſpenſatus, eo quod alii cibi illi nocent, non excuſari; Tandem, alii abſolutè probabiliter docent, quod diſpenſatus ad edendas carnes, eo ipſo intelligitur

etiam

etiam diſpenſatus à Jejunio, quia abſtinentia carnium, eſt de eſſentia jejunii. Diana *par.* 1. *tr.* 9. *reſ.* 25. refert utriuſque partis Aſſertores, & concludit, quod non teneatur jejunare: idem docet Navar. *in Man. c.* 21. *n.* 25. Toletus *lib.* 6. *c.* 3. *ſub num.* 2. Alloza *verbo Jejunium ſect.* 3. *n.* 19. & alii multi. Tamen ſententia, quæ docet, non excuſari à Jejunio ſi ſanus ſit, & fortis, videtur tutior; nam qui non poteſt ſervare præceptum in totum, debet ſervare in parte, quæ ſervari poteſt, pro quo facit *Text. in c. Cum dilecti, de dolo, & contum. & ibi Gloſſ.* & DD. Vide Bonac. *de Leg. diſp. ult. q.* 1. *pun.* 2. *n.* 3. *& in tit.* 105. *de Jejunio ad Inter.* 12. Et nota, quòd diſpenſatus à carne, non poteſt licitè comedere quaſcunque carnes, ſed ſalubriores tantùm, alias mortaliter peccat; Ità patet ex Decreto SS. D.N. Clem. XI. de anno 1702. *die* 24. *Febr.* quale Decrelum refert Campionns *par.* 2. *cap.* 48. *num.* 16.

633 Inter. 14. Qui eſt diſpenſatus, ut poſſit edere carnes in diebus Jejuniorum, peccatne mortaliter ſi piſces quoque manducet?

Reſp. Doctores communiter docent, quod non peccet, ſaltem mortaliter, quia licet hoc faceret ex gula, tamen gula ex genere ſuo non eſt mortale; Imò aliquando quis edere poteſt piſces, & carnes in eodem prandio, vel cœna ſine ullo peccato, ut ad excitandum appetitum, vel ita parum de piſcibus ſumere poteſt, ut nullatenus ei noceat talis comeſtio. Vide Doctores penes Dianam *par.* 1. *tract.* 9. *reſ.* 26. quibus ipſe ſubſcribit, contra Navar. & Graffium, qui oppoſitum tenent, ſed vide Sanchez *in Opuſc. tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 1. *dub.* 4. *num.* 4. *& ſeq.* ubi plura ad intentum. Tamen nota, quod ſi hoc eſſet prohibitum ab Epiſcopo, non eſſet licitus eſus piſcium ad excitandum appetitum, niſi fortè in tam levi quantitate, ut in conſiderationem non veniat. Dian. *par.* 9. *tr.* 7. *reſ.* 11.

TITULUS LXXII.

De Divortio.

Vide tit. de Matrim. Inter. ult.

634 Inter. 1. Quid, & quotuplex eſt divortium?

Reſp. Divortium nihil aliud eſt, niſi quædam legitima Viri, & Uxoris ſeparatio; & hæc ſeparatio tripliciter accipi poteſt, ſcilicèt quoad ſeparationem Tori, hoc eſt quoad copulam carnalem: Quoad ſeparationem tori, & habitationis, & tandem quoad diſſolutionem vinculi matrimonialis, itàut omninò diſſolvatur matrimonium, ac ſi nullum eſſet: ſed hoc intelligendum eſt de matrimonio rato, non conſummato; nam matrimonium ratum diſſolvitur per profeſſionem in Religione approbata, vel aliquando per Summi Pontificis diſpenſationē; ſed matrimoniū conſūmatū habet oomnimodam indiſſolubilitatem. Vide Bonac. *de Mat. q.* 4. *pun.* 5. *n.* 1. & ea quæ dicam *in tit.* 159. *de Papa, ſeu ſummo Pontifice, ad Int.* 7. ubi firmabo poſſe Papam diſpenſare in matrimonio rato, & non conſummato.

635 Inter. 2. Quibus de cauſis poſſunt Conjuges invicem ſeparari quoad torum, & habitationem?

Reſp. Poſſunt quidem ſeparari ob corporis, aut animæ periculum, & propter alterius pertinacem hæreſim, vel adulterium, vel ſodomiam, vel pollutionem cum aliquo extraordinariam, etiamſi cum conjuge invita. Ità docet Em. Sà *verb. Divortium n.* 1. Vide Sylveſtrum *verb. Divortium* & Bonac. *loco proximè cit. pun.* 5. *per totum*, qui tamen ibidem *num.* 5. probabilius putat pollutionem extraordinariam cum alia, vel ſecum tantùm, non eſſe cauſam ſufficientem divortii, quia caro propriè non dividitur: ſed hoc puto eſſe intelligendum, dumtaxat de pollutione extraordinaria cum alia, non autem cum ſua; nam ſi conjux corrigi non vult., tunc imminerent Uxori periculum ſalutis, cui poteſt, & debet providere, & conſe-

quenter poteſt facere divortium ; colligitur *ex cap. Gaudemus de Divor.* & docet Sylveſ. *loco cit. ſub num.* 10. Vide Dianam *par. 6. tr.8. reſ.7.& par.9. tract. 8. reſ. 37.* ubi plura circa tale dubium habebis. Vide etiam *ad Inter. ſequentem*.

636 Inter. 3. Quænam ſunt cauſæ ſufficientes ad faciendum divortium quoad torum, & habitationem ; quamdiu ipſæ cauſæ durant ?

Reſp. Septem cauſæ numerantur à Doctoribus, in quibus liceat facere divortium ad tempus, ſcilicèt, quandiù ipſæ cauſæ durant. Prima cauſa eſt ſævitia mariti, ſcilicèt periculum gravis damni, ſeù malæ tractationis, niſi à marito ſufficiens cautio exhibeatur de non offendenda Conjuge, quæ cautio debet eſſe pignoratoria, & fidejuſſoria, vel ſaltem juratoria. Secunda cauſa eſt furor alterius Conjugis, quando furor eſt ità vehemens, ut alter conjux periculum ſubeat cohabitando. Tertia cauſa eſt, quando unus conjugum tentavit alterum occidere. Quarta cauſa eſt, quando alter conjux inſtigat alterum ad peccatum ; & præmiſſa correctione non deſiſtit ab inſtigando. Quinta eſt : quando delictum unius Conjugis poteſt eſſe alteri cauſa gravis damni : ut quando Uxor eſt venefica interficiens filios ; aut timetur, ne necet maritum. Sexta cauſa eſt lapſus unius in infidelitatem, vel hæreſim ; nam hæreſis, vel infidelitas eſt quædam fornicatio ſpiritualis ; Unde ſicuti eſt licitum ob fornicationem carnalem facere divortium, ità ob fornicationem Spiritualem ; ut habetur *ex cap. Idololatria,& cap. quanto de divor.* Septima cauſa tandem poteſt eſſe votum caſtitatis emiſſum de communi conſenſu ; in quo caſu non ſolum poſſunt ſeparari quoad torum, ſed etiam quoad habitationem ; cum poſſint ambo Religionem ingredi, & in ea profiteri. Ita pluribus relatis docet Bonac. *de Matrim. quæſt.4. pun.5. num. 25. per totum.*

637 Inter. 4. In quibus caſibus non poteſt Conjux licitè facere divortiũ ?

Reſp. Septem ſunt caſus, in quibus vir Uxorem adulteram repellere non poteſt ; Primus eſt ſi ipſe illam proſtituit, vel ſi ſciat ejus adulterium, & non prohibet, cum commodè poſſit ; Secundus eſt, ſi Virum defunctum credens probabiliter, alteri nupſit. Tertius ſi fuerit cognita lateuter ab aliquo, quem virum proprium credebat. Quartus ſi fuerit per violentiam oppreſſa. Quintus quando eam poſt adulterium reconciliavit, vel publicè adulterantem tenuit, & retinet in conſortio maritali. Sextus ſi infidelis conjux infideli conjugi dat libellum repudii, & illa nubit ſecundo, & uterque convertatur ad fidem : quia tenetur eam recipere primus, & etiam cognitam à ſecundo, niſi alteri fuerit fornicatione conjuncta. Septimus denique eſt, ſi vir convincitur adulterari, imò ſi vir eſt adulteratus occultè, & Uxor manifeſtè, ſine peccato eam dimittere non poteſt ; quia Uxori non deficit jus excipiendi, ſed probatio eorum, ſi ille pœnitentiam egiſſet, & illa eam agere nollet, ſine peccato accuſare eam, & dimittere poteſt. Ità Juribus, & Doctoribus allegatis docet Sylveſter *verb. divortium n. 12. quæſt. 9.* Vide etiam Bonac. *de Matrim. quæſt. 4. pun. 5. num. 14.* & Armillam *verb. Matrim. num. 73.*

638 Inter. 5. Quæ notitia adulterii requiritur ad faciendum divortium ?

Reſp. Requiritur, ut Conjux, qui vult facere divortium ob alterius adulterium ſit mortaliter certus, ità ut non levem ſuſpicionem, ſed maximè fundatam habeat de adulterio Conjugis ; & talis ſuſpicio dicitur violenta, quæ æquivalet probationi, & ſufficit in foro externo ad convincendum Conjugem de adulterio ; ut accidit quando probatur, quod fuit ſolus cum ſola, nudus cum nuda in eodem lecto, aut ſimul in ſecretis locis, & latebris commodis, & ho-

& horis electis. Sylveſter *verb. divortium num.* 10. Bonac. *de Matrim. q.*4. *pun.* 5. *num.* 7. & 8. *ubi num.* 9. *addit.* ad faciendum in foro conſcientiæ divortium non requiri, ut adulterium probetur; quia probatio requiritur ſolum pro faciendo divortio in foro externo; ut docent Em. Sà *verb. divortium num.* 3. Sanchez *lib.* 10. *de Matrim. diſp.* 12. *num.* 40. & alii quos refert, & ſequitur idem Bonac. *loco cit.*

639 Inter. 6. Qua auctoritate poteſt fieri divortium ratione adulterii?

Reſp. Si adulterium eſt notorium, poteſt conjux innocens reum ſua auctoritate dimittere, ſcilicèt non ei cohabitando, vel debitum negando; Si autem delictum non eſt notorium, fieri non poteſt ſeparatio quantùm ad cohabitationem ſine auctoritate, & judicio Eccleſiæ, aliàs cogeretur redire donec conſtet de adulterio, quod debet probare intra octo dies; ut docet Sylveſter *loco proximè citato*, & concordant Sanchez, Em. Sà; Navar. & alii, quos allegat Bonac. *ubi ſupra num.* 10. Dicendum itaque mihi videtur, quod ſi delictum eſt occultum, & alioquin ſcandaloſa ſeparatio, fieri non poſſit, abſque Superioris Eccleſiaſtici auctoritate, niſi quoad ſeparationem tori, ideſt copulæ carnalis, negando debitum; nam frangenti fidem, fides ſervanda non eſt. Vide Sotum *in* 4. *diſt.* 36. *quæſt. unic. ar.* 3. apud Victorellum *in addit. ad* Em. Sà *verb. divortium ſub num.* 1. Cœterum ad faciendum divortium in foro conſcientiæ non requiritur, ut adulterium probetur, ut aliis citatis docet Bonac. *ibidem numer.* 9. & Diana *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 257. & alii penes ipſos. Vide infra *ad Inter* 13. *hujus tituli*.

640 Inter. 7. Habetne juſtam cauſam faciendi divortium Titius, qui non ſuppeditavit alimenta Uxori, atque eam è domo eijecit; quare Uxor commiſit adulterium?

Reſp. In hoc caſu Titius non eſt cauſa proxima adulterii Uxoris; ſed tantùm cauſa remota, conſequenter non cenſetur adulterio conſentire, neque à divortio faciendo poteſt impediri; nam juſtam habet cauſam illud faciendi, cum mulier ad fornicandum nulla ratione adduci debeat: ideò ignoſcendum ei non eſt; ut tradunt Sanchez *de Matrim. lib.* 10. *diſp.* 5. *num.* 7. Caſtropalao *to.* 5. *diſp.* 3. *pun.* 6. §. 1. *num.* 2. Coninchus *de Sac. diſp.* 35. *dub.* 1. *num.* 7. & alii, quibus adſtipulantur Bonac. *de Matrim. q.* 4. *pun.* 5. *ſub num.* 14. & Diana *par.* 9. *tract.* 8. *reſ.* 38. quidquid in contrarium dicant Em. Sà *verb. Divortium num.* 10. & Texeda *in Theolog. moral. tom.* 2. *lib.* 4. *tr.* 1. *contr.* 13. *num.* 23. Verum eſt tamen, quod ſi vir ea intentione Uxorem repuliſſet, & alimenta denegaſſet, ut neceſſitate compulſa, adulterium committeret, eſſet cauſa proxima illius adulterii, ac proinde idem eſſet, ac ſi adulterio conniveret; unde mortaliter peccaret, & à divortio faciendo juſtè impeditur.

641 Inter. 8. Adulter facto divortio, habetne actionem repetendi innocentem, qui lapſus eſt in adulterium poſt ſententiam divortii latam?

Reſp. Quod Judex poſſit ſua auctoritate illos reconciliare, non eſt difficultas; quia ſententia divortii, non abſtulit jus Superiori, nè poſſit Conjuges ſeparatos, quoad torum, & habitationem iterum conjungere ad vitanda pericula incontinentiæ; immò tenetur hoc facere, quando adeſt ſcandalum, vel manifeſtum incontinentiæ periculum. Ità Bonac. *mox citandus*. Sed an adulter habeat actionem repetendi innocentem factum nocentem, eſt diſſenſio inter Doctores: negat Bonac. *loco ſupra cit. num.* 19. cum Ledeſma, Henriquez, Sanchez, Reginaldo, & alijs, & eſt probabilis ſententia. Tamen probabiliorem oppoſitam putat Diana. *par.* 9. *tr.* 8. *reſ.* 39. aſſerens non ſolum ex Judicis officio, ſed ad petitionem partis cogendum

eſſe

eſſe innocentem poſtmodum nocentem, nocenti dimiſſo reconciliari, obligatoſque eſſe in conſcientia hanc præſtare reconciliationem quolibet volente; & ratio ipſius eſt, quia ſententia divortii ob adulterium ab altero Conjuge commiſſum non concedit innocenti jus ab eo divertendi, ſed jus, quod ex adulterio acquiſivit declarat, ut eo publicè vti poſſit. At jus, quod ex adulterio innocenti acquiritur, eſt, dum innocens eſt: ergo facto nocente ceſſat prædictum jus, ac proinde obligatus eſt reconciliari, ſicut obligaretur, ſi adulterium commiſiſſet ante ſententiam latam: & pro hac ſententia idem Diana citat Martinum, Perez, Præpoſitum, Hurtadum, Poncium, Coninchum, & Caſtrum Palaum *to.5. diſp.3. pun.6. §.6. num.* 11., qui reſpondet ad omnia argumenta, quæ pro contraria ſententia adducit Sanchez.

642 Inter. 9. Poſt ſententiam diuortij poteſtne Conjux innocens, vel adulter ſuſcipere Sacros ordines, aut ingredi Religionem?

Reſp. Conjux innocens facto divortio ob fornicationem poteſt invita Vxore, vel profiteri in Religioue, vel Sacris ordinibus inſigniri; patet *ex cap. Agatoſa* 27.*q.*2. *& cap. Conſtitutus de conver. conjugat.* Idem dico de Vxore innocente quoad Religionem. Sed conjux adulter non poteſt abſque licentia innocentis Sacros ordines ſuſcipere, aut profiteri in Religione: quia innocens habet jus concedendi reconciliationem conjugi adultero, & illum repetendi, quo jure non poteſt invitus privari; ideoque requiritur licentia conjugis innocentis tacita, vel expreſſa ad hoc, ut conjux adulter poſſit Sacris ordinibus inſigniri, aut profeſſionē emittere in Religione. Verùm ſi conjux adulter ſæpius petat ab innocente reconciliationem, & innocens nolit eam concedere, licitè tunc poteſt, vel ordines ſuſcipere, vel Religionem intrare; nam cenſetur licentiam habere ab innocente, qui poſteà non poterit amplius revocare adulterum Sacris ordinibus initiatum, vel Religioſum effectum. Ità ex Sanchez, Henriquez, Coninch. Reginaldo, & alijs firmat Bonac. *de matrim. q.*4.*pun.*5.*num.*23. *Vide* Em; Sà *verb. Divortium ſub nu.* 4. & Sylveſtrum *eodem verbo q.* 10. & Dianam *par.*3.*tract.* 4.*reſ.*257.*verſ. Secundo nota.*

643 Inter. 10. Adulter facto divortio, in quibus caſibus poteſt licitè intrare Monaſterium, fierique profeſſus?

Reſp. Sylveſter. *loco proximè cit. propè finem* docet, poſſe de licentia innocentis, vel ſi innocens jam ingreſſus ſit, & profeſſus, aut ſi mulier de adulterio condemnata, vel publicè deprehenſa in Monaſterium detrudatur ad pœnitentiam perpetuam peragendam, & eam emendatam recipere nolverit, quod poteſt intra biennium, propter quod tamen monialis non erit, ſi non fuerit ampliùs proceſſum. Ita Sylveſter.

644 Inter. 11. Poſtquam adulter ſuſcepit Sacros ordines, vel ingreſſus eſt Religionem, teneturnè conjux innocens ingredi Religionem, aut votum caſtitatis emittere?

Reſp. Dico quod facto divortio, innocens ſi Religionem ingrediatur, non tenetur adulter manens in ſæculo emittere votum caſtitatis, nec Religionem intrare: Ità neque innocens remanens in ſæculo, poſtquam adulter ſuſcepit Sacros ordines, vel Religionem intravit, teneri, vel Religionem ingredi, vel votum caſtitatis facere; quia hoc nullo jure cavetur, cum *in cap. Sanè, & cap. Significoſti de conver. conjugator.* ſolum loquatur de matrimonio integro, & illæſo, non verò quando factum eſt divortium, ut pluribus relatis rectè obſeruat Bonac. *ubi ſupra num* 24. Vide quæ *dicam infrà in tit.* 158. *de Ordinibus Sacris, ad Inter.* 2.

645 Inter. 12. Teneturnè Vir ſecuto divortio, Vxori adulteræ alimenta præbère;

bère; & quid ſi ſententia divortij nondum ſit ſecuta?

Reſp. Secuto divortio per ſententiam Judicis, maritus non tenetur alimenta præberè uxori adulteræ; quia poteſt illam privare omni jure maritali, & conſequenter etiam alimentis. Idem dicendum eſt, quamvis ſententia divortii non ſit ſecuta; nam quoties maritus certus ſit de Vxoris adulterio, poteſt in conſcientia alimenta negare; ſed in foro externo poteſt à Judice compelli ad præbendum alimenta Vxori, donec ſententia ſequatur divortii; quia Vxor, donec ſententia ſequatur, eſt in poſſeſſione recipiendi à Viro alimenta, in qua poſſeſſione manuteneri debet, donec per ſententiam privetur. Vide Sanchez *de matrim. lib.* 10. *diſp.* 8. *num.* 25. Sotum *in* 4. *diſt.* 36. *q. unic. art.* 3. *ad finem corporis*, & alios quos dat, & ſequitur Bonac. *de contr. diſp.* 3. *q.* 11 *pun.* 11. *num.* 24.

646 Inter. 13. Innocens qui propria auctoritate fecit divortium cum adultera, teneturne cum ea habitare, & debitum reddere, ſi per cenſuras ad id compellatur à Judice?

Reſp. Quià in tali caſu præceptum Superioris procedit ex falſa præſuptione non obligat in conſcientia, ac proinde talis innocens ex natura rei non tenetur habitare cum conjuge adultera, eique debitum reddere, nec per hoc ullam pœnam in foro conſcientiæ incurrere valet, quamuis ad tollendum ſcandalum in foro externo obedire teneatur, recipiendo Uxorem, & habitando cum ea; nam cum ſcandolo nihil licet. Ità ex Sanchez, Reginaldo, Soto, Filliucio, & aliis firmat idem Bonac. *de Matrim. quæſt.* 4. *pun.* 5. *num.* 11. poteſt tamen abeundo, ſi non ſit ſcandalum illam deſerere; ut docet Sor. *in* 4. *diſt.* 36. *quæſt. unic. art.* 3. *in fine*, teſte Victorello *in Addit. ad* Em. Sà *verb. Divortium n.* 12. Vide Bonac. *ibidem num.* 10. & ea, quæ dixi *ſupra in hoc titulo ad Inter.* 6. & Dianam *par.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 257. & nota hic, quod in caſu divortii vir, & Uxor ſunt pares: habetur *ex cap. Chriſtiana* 32. *quæſt.* 5.

647 Inter. 14. Uxor, quæ ſollicitatur à Viro ad ſodomiæ peccatum, habetne ſufficientem cauſam faciendi divortium? & in foro exteriori credendum eſtne dictæ Uxori, aſſerenti ſe à viro tentatam fuiſſe de nefando vitio?

Reſp. Dico primo poſſe Uxorem in dicto caſu diſcedere ad tempus, & ſeparari à Viro propter periculum Animæ, donec Vir reſipiſcat; nam non habet cauſam ſufficientem faciendi divortium perpetuum, ut haberet, ſi ejus Conjux cum alio dictum peccatum nefandum committerer; quia caro Conjugum non dividitur, niſi per copulam cum alio habitam. Dico ſecundo probabilius eſſe, quod in foro externo Judex non debeat credere dicto mulieris, ne detur occaſio fœminis accuſandi Viros, & impediendi vitam conjugalem, & ità pluries decidiſſe Rotam, teſtantur Auctores, quos refert, & ſequitur Bonac. *ubi ſupra ſub num.* 4. qui rectè hanc doctrinam limitat, niſi præter fœminæ aſſertionem, non extent alia indicia, quibus Judex inducatur ad credendum dicto mulieris; nam in tali caſu non præcisè creditur ei, ſed ex indiciis formatur judicium. Cœterum Peccatum contrà naturam eſt una ex cauſis divortii ſecundùm S. Thom. *in addit. ad* 3. *par. quæſt.* 62. *ar.* 1. *ad* 4. & ibidem Ledeſma teſte Em. Sà *verb. Divortium num.* 12. *in fine*, & Armilla *verb. Matrim. ſub num.* 75.

TITULUS LXXIII.

De Dubiis.

Vide tit. de Delict. Inter. 2.

648 Inter. 1. Quid eſt dubium, ſeù dubitatio, & quandò contingit?

Reſp. Eſt cognitio duarum rerum contrariarum, neutram ipſarum judicando veram: Nicol. *in Floſ. verb. Dubi-*

Dubium. Contingit verò, quando de aliquo, vel circa aliquid, cum pro utraque parte ſunt æqualiter rationes, aut quaſi æqualiter, & tamen neutri parti aſſentitur. Sylveſ. & Em. Sà *in verb. Dubium num.* 1. Bonac. *de Peccatis, diſp.* 2. *quæſt.* 4 *pun.* 6 .*n* .5.

649 Inter. 2. Quid ſignificat dubium Juris, & dubium Facti, & quomodo contingere poſſunt?

Reſp. Dubium ſignificat, quòd intellectus humanus in neutram partem inclinare poteſt, & neutri parti aſſentitur; & diſtinguitur ab opinione, quia opinio eſt aſſenſus cum formidine de oppoſito, ut dixi *ad Inter. antecedentem & dicam in tit.* 155. *de Opinione, ad Inter.* 1. Dubium Juris contingit, quandò quis ignorat legem continentem pœnam; Dubium verò facti, quando quis ſcit latam eſſe legem continentem talem pœnam, ſed dubitat, an factum, quod perpetraverit ſit prohibitum ſub tali pœna. Eſt communis ſententia. ſed vide Bonac. *de Cenſ. diſp.* 7. *quæſt.* 2. *pun.* 5. *num.* 1. & Tolet. *lib.* 1. *cap.* 57. *num.* 4. *&* 5.

650 Inter. 3. Tam in dubio Juris, quàm in dubio facti, cenſendus eſtne quis Irregularis propter aliquod crimen ab eo perpetratum, cui à Jure eſt annexa pœna Irregularitatis?

Reſp. In dubiò Juris poſita ignorantia invincibili, nullus cenſendus eſt Irregularis: Ità Bonac. *loc. cit. n.* 2. *& ſeq.* & Diana *par.* 3. *tr.* 5. *reſol.* 72. *& par.* 4. *tr.* 2. *reſ.* 52. qui Doctores rationes etiam pro hac ſententia adducunt. Vide Em. Sà *verb. Irregul. n.* 3. In dubio facti homicidii Doctores communiter docent, cenſendum eſſe Irregularem, & patet *ex cap. ad audientiam, & cap. ſignificaſti* 2. *de homic.* Vide Sanchez *in Sum. tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 10. *num.* 45. *& ſeq. & infrà in hoc tit. ad Int.* 9. & præſertim Tolet. *lib.* 1. *c.* 57. *num.* 4. 5. *&* 6. qui luculenter hoc dubium decidit, cui ego libenter adhæreo, nam inquit, quod in dubio facti debeat unuſquiſque apud ſe, & in foro animæ potiùs ſe irregularem exiſtimare, quia in iis, quæ concernunt animæ ſalutem, tutior pars èſt eligenda, ſecus verò in foro contentioſo, ubi agitur de pœna imponenda, & nullum eſt periculum animæ, non debet Judex aliquem reputare Irregularem, cum ſit contra naturalem æquitatem, ubi incertum eſt delictum, certam imponere pœnam, ſed ubi agitur de pœna concernente ſalutem animæ, tunc tutius eſt in dubio reputari Irregularis, quia ſi non reputatur eſt periculum errandi contra ſalutem animæ. Ità Tolet. *ubi ſupra*, & ibi plura ad hoc propoſitum videnda relinquo. Oppoſitum tamen docet Diana *reſ.* 52. *cit.* ſed ſententiam Tolet. tenet etiam Sylv. *verb. Dub. num.* 7. & alii multi; & præſertim Armilla *verb. Dubitatio n.* 2. *&* 3.

651 Inter. 4. Qui dubitat an peccatum mortale commiſerit necnè, teneturne illud confiteri?

Reſp. Quidam ex neotericis dicunt, quod non teneatur, & abſolutè tenent peccata dubia non eſſe materiam confeſſionis, hos refert Diana *par.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 60. *& par.* 4. *tr.* 3. *reſ.* 5. *& par.* 10. *tr.* 12. *reſ.* 2. *& tr.* 16. *reſ.* 79. *verſ. & hæc omnia*; ſed ipſe Diana horum ſententiam improbabilem putat, & meritò, quia eſt contra praxim omnium fidelium, & totius Eccleſiæ, à qua non eſt recedendum, ſed omninò eſt tenenda cum communi antiquorum Theologorum Schola, & præcipuè D. Th. *in* 4. *diſt.* 21. *quæſt.* 2. *ar.* 3. *ad* 3. & hanc noſtram affirmativam ſententiam amplexi ſunt multi recentiores, ut Sanchez *in Sum. to.* 1. *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 67. Filliucius *tom.* 2. *tr.* 21. *cap.* 4. *num.* 171. Azorius *tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 4. *quæſito* 3. & alii plures, quos citat, & ſequitur Diana *loc. ſup. cit.* Vide Leandrum *to.* 1. *de Sacram. tr.* 5. *diſp.* 5. *q.* 26. Tamburinum *Opuſcul. de confeſſ. lib.* 2. *cap.* 1. §. 3. *num.* 14. & ea quæ Ego breviter dicam *ad Inter. ſequentem*, cum Bonac. quibus addo

Syl-

Sylv. *verb. Confeſſio* 2. *num.* 3. Vide etiam Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *q.* 5. *ſect.* 2. *punct.* 4. *num.* 7.

652 Inter. 5. Peccata dubia poſſuntne eſſe materia Confeſſionis, & quando, & in quo caſu?

Reſp. Dico, quod ſi quis ſciat peccatum admiſiſſe, ſed ſolùm dubitat circa gravitatem peccati, ſcilicet an fuerit mortale, vel veniale, tunc certè eſſet materia Confeſſionis. Dico ſecundo, quod ſi quis poſt diligentem animi diſcuſſionem dubius maneat, an mortaliter peccaverit, itaut in neutram partem aſſentiendo inclinare poſſit, tenetur quidem illud peccatum ſub dubio confiteri, ergo peccata dubia modo dicto, poſſunt eſſe materia Confeſſionis. Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *q.* 5. *ſect.* 2. *pun.* 2. §. 3. *diffic.* 4. *n.* 2.

653 Inter. 6. Qui dubitat an commiſerit peccatum mortale, teneturne illud confiteri?

Reſp. In Reſp. *ad Int. antecedentem*, docui ex Bonac. ibidem citato, quod peccata dubia poſſunt eſſe materia Confeſſionis, & quod teneatur pœnitens illud peccatum ſub dubio confiteri, & hoc iterum doceo (quid quid in contrarium dicant aliqui). Vide igitur Sanchez *in Sum lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 67. Card. de Lugo *de pœnit. diſp.* 16. *ſect.* 2. *num.* 63. & alios, quos refert, & ſequitur Diana *par.* 4. *tract.* 3. *reſ.* 5. & *par.* 10. *tract.* 12. *reſol.* 2. ubi aſſerit hanc eſſe communem Theologorum ſententiam cum eorum Magiſtro D. Th. *in* 4. *diſp.* 21. *quæſt.* 2. *art.* 3. *ad* 3. Rationes hujus veræ ſententiæ invenies apud eumdem Dianam *loc. cit.* & apud Cabrinum *ubi ſupra reſol.* 12. & alios penes ipſos, qui etiam ad argumenta contraria ſatis reſpondent. Vide iterum Dianam *par.* 6. *tract.* 6. *reſol.* 32. & *par.* 11. *tract.* 8. *reſol.* 44. & infra *ad Inter.* 8. & Sylveſt. *verb. Confeſſio* 2. *quæſt.* 2.

654 Inter. 7. Peccata dubia, & ſub dubio confeſſa, ſi poſtea advertatur fuiſſe certa, tenemurne illa iterum in Confeſſione aperire?

Reſp. Maximè, nam quando reperiuntur certa pro certis iterum debent confiteri; eſt ſententia communiter recepta inter Doctores, & docet Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *qu.* 7. *pun.* 4. §. 2. *ſub num.* 15.

655 Inter. 8. Qui peccatum confeſſus eſt ut dubium, teneturne ceſſante dubio iterum illud confiteri, ut certum?

Reſp. Affirmativam ſententiam docui *in Reſp. ad Inter. antecedentem*, & ibi pro hac ſententia adduxi Bonacinam, nunc addo Sanchez *in Summ. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 69. & Turrianum *de pœnit. quæſt.* 9. *art.* 2. *diſp.* 29. *dub.* 6. Et ratio eſt, quia peccatum explicandum eſt in Confeſſione, prout eſt in conſcientia pœnitentis, prædictum autem peccatum jam eſt in conſcientia pœnitentis, ut certum, quæ ratione non erat ſubjectum clavibus, ſed ſolùm, ut dubium eſt, ergo adeſt obligatio manifeſtandi illud in confeſſione: ſic inquit Turrianus. Vide Dianam *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 91. & *par.* 4. *tr.* 3. *reſ.* 5. & *par.* 6. *tract.* 6. *reſol.* 31. & hæc ſententia eſt communis, & in praxi ſequenda, ut aſſerit Cabrinus *de caſ. reſ. par.* 1. *reſol.* 13. ſed cum hac limitatione, ſcilicet, quando pœnitens tantùm confeſſus eſt ſe dubium mortale commiſiſſe: nam ſi integrè faſſus eſt peccatum, quod fecit, dubitans tamen ipſe, vel Confeſſarius an eſſet mortale, tunc non tenetur iterum Confeſſionem illius peccati repetere, niſi aliunde confeſſio fuerit irrita, uti bene obſervat Sanchez, & Cabrinus *locis ſupracit.* Et ratio eſt, quia in hoc caſu nulla nova circumſtantia explicanda occurrit, nec ad Confeſſionis valorem eſt neceſſarium, ut pœnitens, aut Confeſſarius ſciat determinatè peccatum confeſſum eſſe mortale, aut veniale, cum hoc diſtinctè, & determinatè ſcire de omnibus peccatis ſit impoſſibile. Vide igitur Sanchez, Dianam *dicta reſ.* 91. &

Digitized by Google

Cabrinum ubi ſupra, qui plures concordantes adducunt.

656 Inter. 9. Qui dubitat an Excommunicationem, vel aliam cenſuram incurrerit, quid facere debet pro ſuæ conſcientiæ quiete?

Reſp. Debet ſub conditione abſolutionem procurare, & interim ſe gerere, ut excommunicatum, quantum ſine infamia, & ſcandalo fieri poteſt; ſed ſi communis perſuaſio, & rumor de excommunicatione contracta adſit, debet ſe abſtinere à communione Fidelium, & ab adminiſtratione Sacramentorum, vel receptione, ſi inde ſequatur ſcandalum. Vide Emm. Sà *verb. ſcandalum num.* 5. Cæterùm in dubio Juris, nemo in foro externo, aut interno cenſendus eſt excommunicationem incurriſſe, quia odia ſunt reſtringenda, & favores ampliandi. Favet Bonac. *de Cenſ. diſp.* 7. *quæſt.* 2. *pun.* 5. *num.* 2. In dubio verò facti, quidam docent, & benè, quòd debeat ſe habere, ut excommunicatum, ut colligitur *ex cap. ad audientiam*, *& cap. Significaſti*. 2. *& cap. petitio tua de homic.* ubi tamen ſolùm fit ſermo de irregularitate; Licet non deſint aliqui aſſerentes nec in dubio quidem facti aliquem ſe gerere debere, ut excommunicatum. Vide Dian. *par.* 4. *tr.* 3. *reſ.* 35. *& par.* 5. *tract.* 9. *reſ.* 44. & DD. penes ipſum; denique Lezana *verb. dubia Regul.* aliis allegatis ſic habet. Religioſum dubitantem, an Excommunicationem, Suſpenſionem, vel Interdictum contraxerit, vel an ſententia Excommunicationis, Suſpenſionis, vel Interdicti contra eum lata ſit; ſi facta ſufficienti diligentia ad inveniendam veritatem ädhuc maneat dubius, ſive tale dubium ſit Juris, ſive facti, non eſſe cenſendum excommunicatum, ſuſpenſum, aut interdictum. Ratio eſt, quia nullum Jus eſt determinans, aliquem in tali caſu cenſendum eſſe Excommunicatum, ſuſpenſum, aut interdictum (ſicut extare dixi hic *ad Inter.* 3. de Irregul. in dubio facti homicidii) ſecùs eſt quando aliquis certus eſſet de cenſuris, contra eum latis, aut quando dubitaret an Judex, vel Prælatus ſervaverit modum procedendi Jure requiſitum. Vide ergo Lezanam *loc. cit.*

657 Inter. 10. Qui dubitat, aliquem eſſe Excommunicatum denunciatum, teneturne illum vitare, & quid ſi vellet confiteri cum Sacerdote, quem dubitat eſſe Excommunicatum vitandum?

Reſp. Nequaquam; Nam non ſufficit dubium quamvis prudens dictæ denunciationis; ſed requiritur noticia illius moraliter certa, ut teneatur illum vitare. Ità ex Suarez firmat Hurtado *de exc. diſp.* 11. *diff.* 3. *num.* 10. quibus ſubſcribit Diana *par.* 4. *tract.* 3. *reſol.* 71. Ità etiam obiter doceo *in tit.* 87. *de Excommunicatione*, *& Excommunicatis*, *ad Inter.* 8. Vide Em. Sà *verb. Excom. n.* 34. & Dianam ibidem *reſ.* 35. *verſ. Notandum eſt*; ubi rectè advertit, quòd ſi quis confiteri vellet ei, quem dubitat eſſe denunciatum, deberet abſtinere, ne ſe exponat periculo faciendi Sacramentum irritum; modò abſque ſcandalo, vel alio periculo fieri poſſit. Quæ doctrina eſt valdè notanda.

658 Inter. 11. Qui manet dubius, an ſuum conſilium influxerit ad homicidium ſecutum, debetne ſe irregularem reputare? & teneturne ad reſtitutionem damni illati?

Reſp. Doctores communiter docent quod ſic, quia in dubio præſumitur delinquentem fuiſſe motum ex conſilio, aliàs non fuiſſet facturus; Sanchez, Sayrus, Merolla, Tabiena, & Avila *par.* 7. *diſp.* 6. *ſect.* 2. *dub.* 2. *concluſ.* 5. qùos refert, & ſequitur Diana *par.* 4. *tr.* 2. *reſ.* 25. ubi præterea docet ex Cornejo, quod in tali caſu ſtandum eſt dictis ipſius Conſulti, itaut ſi dicat, ſe motum non fuiſſe per conſilium, liber maneat Conſulens ab irregularitate; Imò probabile etiam putat (ſi poſt adhibitam diligentiam, adhuc

adhuc

adhuc dubius remaneat, & homicida ei aſſerat ad homicidium perpetrandum non fuiſſe motum eo conſilio) ad nullam teneri reſtitutionem, ſi tamen, ut benè dicit Sanchez, homicida ſit fide dignus, vel aliæ conjecturæ concurrant; Ita ex aliis docet Diana *p.* 3. *tr.* 5. *reſ.* 8. §. *Notandum eſt tamen*, quibus ego ſubſcribo; ſtando tamen in oppoſita ſententia, quæ eſt tutior, dic cum Molina, ita Conſulentes non teneri reſtituere totum damnum, ſed partem pro quantitate dubii, ſi adhuc maneat dubius Conſulens de ſui conſilii influxu in homicidium.

659 *Inter.* 12. Peccatne, qui in dubio, ex duabus opinionibus contrariis, unam eligit, & ſecundum illam operatur?

Reſp. Non peccat, niſi pro contraria eſſet aliquis Scripturæ locus, aut Eccleſiæ auctoritas, debet tamen cum aliqua bona ratione ex animo dubietatem expellere, & certò credere, opinionem ab eo electam, eſſe veram, nam, ſi priuſquam id faciat, aliquid ageret, peccaret contraveniendo conſcientiæ dubiæ. Navar. *in Man. cap.* 72. *n.* 288. Em. Sà *verb. Dubium num.* 10. & alii communiter. Vide S. Antonin. *par.* 1. *tit.* 3. *c.* 10. §. 10. *ver. Regula Moralis.*

660 Inter. 13. Confeſſarius in gravioribus dubitationibus poteſtne licitè amplecti quamcumque opinionem, quæ ſibi videtur probabilis? Vel tenetur conſulere Viros doctos, & pios, antequam pœnitentem abſolvat?

Reſp. Dico, quòd tenetur doctiores, pioſque Viros conſulere, ne temeritate ductus animabus periculum creet, ſibique exitum infelicem. Ità ex Solonio 2. 2. *quæſt.* 63. *art.* 4. *contr.* 2. *colum. penult.* docet Victorellus *in addit.* ad Em. Sà *verb. Confeſſor, propè fin.* ubi præterea addit hæc verba: *Notet hæc indoctus, & audax Confeſſarius, hoſtiis potius, quam medicus animarum, & reſipiſcat.* Et rectè quidem, nam non omnis opinio eſt probabilis, quæ ei per errorem forſitan probabilis videtur; aliqua enim eſt nimis laxa, altera erronea, vel ſcandoloſa, ideòque reprobata; Aliqua denique minus probabilis, & tuta; quarè ut in tuto ponatur animę noſtrę ſalus, & proximorum, ſemper opinionem tutiorem in dubiis, & ſemper probabiliorem, relicta minus probabili, ſequi debemus. Ratio eſt, quia in dubiis tutior pars eſt eligenda juxtà *cap. Juvenis de ſponſalibus*, & certum tenere debemus relicto incerto juxtà *cap. ſi quis de pœnit. diſt.* 7. præſertim in his rebus, quæ concernunt animæ ſalutem. Vide quæſo, quæ dicam *in tit.* 155. *de Opinione, ad Inter.* 6. 8. *&* 9. Sylveſ. *verb. dubium num.* 2. & Armillam *verb. dubitatio num.* 2.

661 Inter. 14. Qui ſolum dubitat de fide, eſtne hæreticus?

Reſp. In cap. 1. de hæreticis, Stephanus Papa aſſerit dubium in fine eſſe infidelem, & ità tenent plures Doctores apud Sanchez *in Summ. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 12. & alii apud Dianam *par.* 2. *tract.* 16. *reſ.* 53. qui tamèn oppoſitum ſuſtinet. Ego tamèn ſentio cum communi, quæ tenenda eſt, ut inquit Emm. Sà *verb. Hæreſis num.* 1. Eſt autem dubius in fide, qui nec credit articulis, & rebus fidei, nec diſcredit, ſed eſt ſuſpenſus omninò. Undè dubium in fide reducitur ad hæreſim, ut benè docet Toletus *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 3. Bonac. *de cenſu. diſp.* 2. *quæſt.* 5. *pun.* 1. *num.* 3. Verum eſt tamèn, quod duo ſunt neceſſaria, ut dubium hoc faciat hominem hæreticum, primum, ut ſit cum pertinacia, ſecundum, ut ſit voluntarium dubium, quod ſua ſpontè habet. Vide Tolet. *loco cit.* Cœterum, qui per ignorantiam non craſſam errat in fide, tamen Eccleſiæ Romanæ ſubmittens, paratus id credere, quod illam credere intellexit, non eſt hæreticus. Sà *ubi ſuprà*. Et nota etiam in contraria ſententia, dubium in fide ſemper quoad forum externum cenſeri

 ſeri

ſeri infidelem, ut docet Sanchez *loco cit. cap.* 8. *num.* 13.

TITULUS. LXXIV.

De Duello.

Vide tit. de Cler. &c. Inter. 4. 5. *tit. de Inſam. Inter.* 2.

662 Inter. 1. Vir nobilis poteſtne ſine gravi peccato acceptare duellum ad vitandam infamiam, & ne timiditatis notam apud alios incurrat?

Reſp. Affirmativam ſententiam conatur defendere Hurtadus de Mendoza apud Diana *par.* 5. *tr.* 4. *reſ.* 99. ſed tandem aſſerit, hanc ſententiam eſſe ſpeculativè probabilem, practicè verò eſſe difficilem. Non eſt igitur diſcedendum à communi ſententia, nempè licitum non eſſe acceptare duellum, etiamſi recuſando videatur aliqua infamia imminere apud illos, cum quibus vivitur, nam potius perpetua infamia contrahitur à certantibus in duello, ut decernitur in Concil. Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. *de reform.* cum duellum ſit intrinſecè malum, & prohibitum, etiam lege Eccleſiaſtica, ergò recuſans duellum nullam honoris ſui jacturam facit apud Chriſtianos, & pios homines: Et ità tradunt Saytus. *in Clavi Regia*, Valentia, Rodriquez, Peregrinus, Sanchez, Filliucius, & Turrianus allegati per Bonacinam *de Reſt. diſp.* 2. *q. ult. ſect.* 1. *pun.* 10. *n.* 9. *& de Cenſu. diſp.* 2. *q.* 6. *pun.* 4. *n.* 11., ubi plures cõcordantes refert, Cabrinus *de caſ. reſ. par.* 2. *caſ.* 1. *annot.* 7. *n.* 34. Et oppoſitũ eſt omninò damnatum ab Alex. VII. anno 1665. & eſt propoſitio 2. in ſuo Decreto reprobata; De Excõmunicatione, quæ contrahitur propter duellum Vide Dianam *par.* 2. *tr.* 16. *reſ.* 53. *& par.* 3. *tr.* 6. *reſ.* 1.

663 Inter. 2. Si aliquis provocetur ad duellum, niſi æqualibus cyathis reſpondeat, poteſtne ſine peccato mortali reſpondere cũ periculo inebriandi?

Reſp. Layman *lib.* 3. *ſect.* 4. *n.* 5. Leſſius, & Villalobos, quos refert, & ſequitur Diana *par.* 6. *tr.* 7. *reſ.* 44. dicunt, licitum eſſe inebriari mortis vitandæ cauſa, quam aliquis per violentiam minatur, niſi reſpondeat. Sed oppoſitum videtur probabilius, & tutius, quia non ſunt facienda mala, ut eveniant bona; Unde Sanctus Pater Auguſtinus *Serm.* 231. *& ſeqq. de tempore* ſic habet, qui alterum cogit, ut ſe plus quam opus eſt bibendo inebriet, minus malum ei erat, ſi carnem ejus vulneraret gladio, quàm animam ejus necaret. Ideò etiamſi ad hoc veniretur, ut tibi diceretur; aut bibas, aut morieris, melius erat, ut caro tua ſobria occideretur, quàm per ebrietatem anima moreretur: Ergo non licet ad vitandam mortem ſe vino repleri cum manifeſto periculo ebrietatis; & conſequenter dicendum eſt in caſu noſtro non poſſe, ſine peccato mortali reſpondere cum periculo inebriandi. Et ità ex Divo Auguſtino reſpondent Cajet. 2. 2. *q.* 150. *ar.* 2. Azorius *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 33. *q.* 5. *propè finem*, & alii. Melius eſt enim mori quam fœdari, immò potius mori debemus, quam Deum offendere, nam mortale eſt, ſe ebrietatis periculo cõmittere, ut aſſerit Em. Sà *verb. Ebrietas n.* 1. & alii communiter.

664 Inter. 3. Locum ad Monomachiam concedentes, quam pœnam incurrunt?

Reſp. Omnes dominum temporale habentes, qui in Terris ſuis locum ad Monomachiam concedunt, (hoc eſt cauſa duelli) ultra alias graviſſimas pœnas, incidunt etiam in Excommunicationẽ latæ ſententiæ à qua excepto Sum. Pontifice, nullus poteſt abſolvere, niſi in Mortis articulo, ut patet ex *Conc. Trid. Seſſ.* 25. *de Reformat. cap.* 19. Et ex diverſis Summorum Pontificum Bullis, ut videre licet apud Barboſ. *in Trid. loco citat. n.* 2. Bonac. *tom.* 3. *diſp.* 2. *quæſt.* 3. *punct.* 4. Et Stepha-

phanum à S. Gregorio *de contr. lib.* 1. *cap.* 18. qui latè de hac tractat materia, & notat etiam; quod Monomachia, idem eſt, ac Singularis pugna, ſcilicet Vnius cum Vno pugna ex condicto; Et adeſt Textus *in cap. Monomachia* 2. *quæſt.* 4. Vide etiam Toletum *lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 17. Et Ema. Sà *verb. Duellum, & verb. Excom. Papæ reſer. num.* 16. Dictam Excommunicationem eſſe Papæ reſervatam clarè patet ex Decreto Sac. Cong. Quod incipit. Sac. Cong. & ex Bulla Clem. VIII. data die 2. Septemb. 1592.

665 Inter. 4. Quęnam ſunt illæ perſonæ, quæ ultra alias pœnas incurrunt etiam Excommunicationem Papæ reſervatam propter duellum?

Reſp. Non ſolum Principes, Domicelli, aliique Terrarum Domini, qui in locis ſuis permittunt duellum, aut ſingulare certamen; ut dixi in pręced. reſp. incidunt in talem Excommunicationem, ſed etiam, qui pugnant in duello, vel diffidationes faciunt, aut invitant, & provocant. Item Patrini, & qui conſulunt, vel alio modo favent, auxilium, vel favorem præſtantes; imò qui ſpectaculo concurrunt, & ex induſtria interſunt, ultra alias pœnas Excommunicationem itidē incurrunt, ut conſtat ex Bul. Greg. XIII. Pij IV. & Clem. VIII., quas per extenſum refert idem Stephanus à S. Grego. *vbi ſupra cap.* 18. *num.* 6. Qui verò circa hanc duelli materiam plura ſcire deſiderat legat præſ. Auth. *loc. cit.* Bonac. *vbi ſupra punct.* 4. *per tot. &* Dianam *par.* 3. *tract.* 6. *reſ.* 1. *par.* 6. *tract.* 6. *reſ.* 20. *&* 21. qui diverſos decidunt caſus pertinentes ad duellum.

666 Inter. 5. Qui in duello Inimicum occidit, gaudetne Eccleſię immunitate?

Reſp. Conantur quidam probare illum non gaudere, ſed meritò reijciuntur à noſtro Diana *par.* 4. *tract.* 1. *reſ.* 46. *& par.* 6. *tract.* 1. *reſ.* 26. *verſ. Quæro decimo tertio*. Et ratio eſt, quià duellum non eſt inter caſus exceptuatos à jure, qui non gaudent immunitate; ergò non ſunt audiendi oppoſitum docentes.

667 Inter. 6. Debent privari Eccleſiaſtica ſepultura, qui in conflictu Duelli vulnerati, & eadem die, vel alio poſteà moriuntur?

Reſp. Dummodo non decedant in ipſo loco duelli, non ſunt Eccleſiaſtica ſepultura privandi, ut benè docet Diana *par.* 2. *tr.* 16. *reſ.* 52. cum Sancio contra Peregrinum *in tr. de duello q.* 7. *n.* 4. qui pœnam Concil. Triden. *ſeſſ.* 25. *cap.* 19. *de reſor.* ultra rigorem litteræ extendit, nam in Trid. *loco cit.* ſic habetur, *Et ſi in ipſo conflictu deceſſerint perpetuo careant Eccleſiaſtica ſepultura* Ergo dicendum eſt, quod ſi in conflictu non deceſſerint, poterunt ſepeliri in loco ſacro, quia non debemus hanc pœnam extendere ultra id quod verba legis ſonant, licèt probabiliter contrarium doceat Homobonus *in conſul. caſ. conſc. tom.* 2. *par.* 7. *reſp.* 64. ſed noſtram ſententiam approbat etiam Leana *to.* 4. *conſ.* 49. *n.* 33. Vide Dianam *par.* 11. *tr.* 6. *reſol.* 26. ubi plures concordantes refert. Item vide Rotarium *de exam. Cler. cap.* 9. *ſect.* 12. *ſub n.* 11.

668 Inter. 7. Poteſtne ſepeliri in loco ſacro qui percuſſus in duello cadit in terram, & ſigna contritionis oſtendit, ſed quia non adeſt confeſſarius, confeſſionem non præmittit, ſed moritur?

Reſp. Affirmat Portellus *in Reſp. Moral. par.* 3. *caſ.* 10. *num.* 3. ſed negat Homobonus *loco ſupracit.* cum Riccio, & hoc mihi probabilius videtur, quia ut docet Sancius *in ſelectis diſp.* 36. *num.* 9. Duellantibus, ſi in loco conflictus morerentur, quamvis ibi eſſent miniſtrata Sacramenta pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, non eſſe concedendam Eccleſiaſticam ſepulturam quia ſemper verificatur in loco conflictus deceſſiſſe, ut vult Tridentinum, nec refert, quod major, vel minor mora inter mortem, & ceſſationem pugnæ interceſſerit, cum ſemper verificetur deceſſiſſe in duello, & ità determina-

minatur in Rituali Romano juſſu Pauli V. edito, nam ibi in Rubr. de exequiis ſic dicitur. *Negatur Eccleſiaſtica ſepultura morientibus in duello, etiamſi ante obitum dederint pœnitentiæ ſigna*. Ergo ab hac ſententia non eſt recedendum. Vide Dianam *par.* 4. *tra.* 4. *reſol.* 192.

TITULUS LXXV.

De Ebrietate.

Vide tit de Duel. Int. 2. *tit. de Gula Int.* 2.

669 INter. 1. Quid eſt ebrietas, & quale peccatum eſt ſe inebriare?

Reſp. Ebrietas ſecundum D. Th. 2. 2. *quæſt.* 150. eſt inordinata vini potatio cauſa voluptatis facta, privans potatorem uſu rationis; Unde qui vinolentiæ ità deditus eſt, ut ebrietatem ſcienter incurrat, proculdubio mortaliter peccat. Ità S. Th. *ubi ſup. ar.* 2. Sylv. *verb. Ebrietas num.* 2. Navar. *in Man. cap.* 23. *num.* 121. Tolet. *lib.* 8. *cap.* 61. Bonac. *de præcep. Eccleſ. diſp. ult. quæſt.* 1. *pun.* 1. *num.* 2. *verſ. quarto*, Pax-Jordanus *tom.* 1. *lib.* 1. *tit.* 7. *num.* 7. Alloz. *verb. Ebrietas num.* 1. & alii communiter.

670 Inter. 2. Qui expertus eſt aliquoties ſe ex tali vino, vel ſimili potu quoad qualitatem, vel quantitatem inebriari, peccatne ſemper mortaliter dum illud bibit cum periculo ebrietatis?

Reſp. Semper mortaliter peccat, nam qui poteſt prævidere imbecillitatem ſui cerebri, & tamen tractus dulcedine vini non vult ebrietatem vitare, nec à potione abſtinere, dicitur eſſe in culpa, dum ſpontè ebrietatis periculo ſe exponit, & quamvis ebrietas non ſit ita frequens, & aſſidua, tamen quia voluntaria exiſtit directè, vel ſaltem per indirectum volita in ſe, aut in cauſa, ſemper eſt peccatum, ideò cum ſcit ſe uſum rationis perditurum, ſeù in ebrietatem venturum, & nihilominus potum talem ſumit, vult ebrietatem, & conſequenter peccatum mortale. Ità docent S. Thom. *loco ſupra cit. ar.* 2. in corpore, *& in reſp. ad* 1. Tabiena, Angelus, Leſſius, quibus ſubſcribit Pax-Jordan. *ubi ſup. num.* 8. Navar. *in Man. cap.* 23. *n.* 121. Tolet. *lib.* 8. *cap.* 61. *num.* 1. Moron. *reſp.* 89. *num.* 15. & alii communiter. Vide quæ dixi *in tit.* 74. *de Duello, ad Inter.* 2. & etiam, quæ dicam *in tit.* 101. *de Gula pariter ad Inter.* 2. Qui verò inadvertenter in ebrietatem incidit neſciens vini virtutem, aut non credens potum eſſe immoderatum, à peccato quidem excuſatur à DD. Vide Cajet. *in Sum. verb. Ebrietas*, & Em. Sà *eodem verb. num.* 1.

671 Inter. 3. Quando quis ſcienter excedit modum bibendi, ob quem redditur nimis lætus, aut turbatur in phantaſia, & plus ſolito, & inſolita, aut inordinata loquitur, peccatne mortalter?

Reſp. Quidam dicunt, quod ſi non totaliter inebriatur, nec perdit uſum rationis, quia ſcit quod facit, ſolum venialiter peccet. Ità Tolet. Cajet. & alii. Mihi tamen videtur dicendum peccare mortaliter ſi ſcienter, & ſpontè bibat ſine cauſa, ut tractus dulcedine vini, aut cauſa voluptatis, nam notabiliter lędit uſum rationis, & exponitur periculo proximo peccandi mortaliter, ergo mortaliter peccat (qui enim amat periculum peribit in illo) Ultrà quod nunquam ſine gravi ſcandalo hoc contingere ſolet. Vide Sylv. *verb. Ebrietas ſub. num.* 2. *prop. fin.* Angelum, & Farinac. cum quibus tenet Pax-Jordanus *tom.* 1. *lib.* 1. *tit.* 7. *n.* 10. & favet etiam Bonac. *de præcep. Eccl. diſ. ult. q.* 1. *pun.* 1. *ſub n.* 2. nam dicit, ſolum peccare venialiter, ſed præciſo ſcandalo, ergo cũ ſcandalo mortaliter peccat, Tandem ſi ſcire deſideras quot mala ſequuntur, tàm animæ, quàm corporí, ex inordinata vini potatione, & ex ebreitate. Vide Leſſium *lib.* 4. *par.* 3. *dub.* 3. *per toc.* ubi luculenter ejus turpitudinem, & damna re-

cen-

cenſet: Item vide Pacem-Jord. *ubi ſup. num. 6.* & præſertim Dominum meum de Zaulis Epiſcopum Verulanum *tom. 1. obſer. ad Rubr. 30. lib. 4. num. 8. & 9.* ubi more ſuo egregiè loquens de ebrietate,& nimia vini potatione ſic inquit. *Inducit exilium mentis, & libidinis incentivum, aufert memoriam, diſſipat ſenſum, confundit intellectum, impedit linguam, corrumpit ſanguinem, totum corpus debilitat, ac eſt fons omnium vitiorum*; Et *num.* 10. ait, Ebrios deteriores eſſe Brutis, & Diabolo, vocans eos filios Belial ſine jugo, & Apoſtatas, denique *num.* 15. probat, quod mediante crapula, & ebrietate alitur ignorantia. Unde ſi Ebrietas ſecum tot mala invehit, ultra grave peccatum, quod committitur, jure meritò vitari debet ſuperflua potatio à perſonis præcipuè Eccleſiaſticis, cum per Sacros Canones ipſis omninò prohibeatur,& graviſſimis pœnis puniantur Ebrioſi. Vide *c. à Crapula de vita & honeſt. Cler. &c. Quando 2. diſt.* 40. Ubi prætereà præcipitur Clericis, & Religioſis, ut ſobriè, & moderatè bibant: Temperent igitur ſibi vinum, & ſe à vino juxta diſpoſitionem dicti *c. à Crapula*, quia ſicut vinum purum immoderatè ſumptum eſt cauſa plurimorum malorum, ſic temperatus potus ſuis non caret utilitatibus, ut refert Barboſ. *de poteſt. Epiſc. par. 1. titul. 2. gloſ. 11. num. 4.*

672 Inter. 4. Actus mali, & peccaminoſi, quos Ebrius facit in ebrietate, debentne ei imputari ad peccatum?

Reſp. Si Ebrius citra culpam ſuam factus eſt ebrius, nullam contrahit culpam per quoſcumque actus malos in ebrietate factos, quia non ſunt voluntarii, nec ſcienter facti. Si verò culpabilis fuit ebrietas, meritò ei imputari debent ad peccatum, quia ſunt voluntarii in cauſa, cum ſint prævifi, aut ſaltem prævideri deberent. Ideoque ſi fornicetur, polluatur, aut ſi occidat, vel vulneret, ſemper mortaliter peccat, ut docet S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 150. *ar.* 4. & ibi Cajet. *dub.* 2. Sanch. *in Sum. tom. 1. lib. 1. cap. 16. num.* 44. Medin. *in 1. 2. quæſt. 71. ar. 5. concl.* 4. & contra nonnullos dicunt etiam hoc eſſe verum quoad peccata Blaſphemiæ, periurii, & infidelitatis, quia licèt ea peccata in ſe non ſint voluntaria, nec ſcienter fiant, tamen in cauſa ſunt præviſa, & libera, nec Deus ea acceptat, ut facetias. Vide Tolet. *lib. 8. cap. 61. num.* 5. Em. Sà. *verb. Ebrietas num. 1. in addit.* Verùm quoad contumelias, quæ profert Ebrius erga homines, cum non ſequatur illis ullum detrimentum, puto non eſſe peccata. Plura circa tale dubium videri poſſunt apud Dian. *par. 3. tr. 6. reſ.* 52. & Armillam *verb. Ebrietas num.* 8. & *verb. Ignorantia num.* 10.

673 Inter. 5. Eſtne peccatum ex Medicorum conſilio propter ſanitatem acquirendam uſque ad ebrietatem bibere?

Reſp. Aliqui abſolutè tenent non poſſe Medicum ſine gravi peccato, ſaltem directè pro remedio ſanitatis ſuadere ebrietatem. Vide Paulum Zacchiam *in qq. Medico legalibus lib. 6. tit. 1. quæſt. 5. num. 6.* nam Doctores communiter docent, ut qui ſcienter alium inebriat, mortaliter peccet. Verùm quià, ut ait Bonac. *de præc. Eccl. diſp. ult. quæſt. 1. pun. 1. num.* 3. Ebrietas non eſt ita intrinſecè mala, quin ob juſtam cauſam poſſit aliquando permitti, ideò dico, quod ſi pro curando morbo neceſſarium ſit generoſum vinum, ex quo ſumpto ſequitur ebrietas per accidens, ſumi poſſit eo animo, ut morbus pellatur. Ità ex Bannes, Valentia, & Azorio, firmat Em. Sà *verb. Ebrietas*, nec diſſentiunt Tolet. Bonac. Pax-Jordanus, Alloz. & alii, ſed hoc intelligendum eſt, dummodò non timeatur aliquod damnum in ebrietate faciendum, ſcilicet, quod tempore ebrietatis, occidat, vulneret, blaſphemet, aut aliud malum

Digitized by Google

lum committat, quia non ſunt facienda mala, ut eveniant bona, ſiquidem ſalus animæ præferri debet ſanitati, vitæ, atque omnibus rebus, ut habetur *c. ſi habes*, 24. *quæſt.* 3. & ita concludit Tolet. *lib.* 8. *cap.* 61. *num.* 2.

674 Inter. 6. Peccãtne mortaliter qui vendunt vinum iis, quos probabiliter credunt lapſuros in ebrietatem?

Reſp. Vendentes vinum bibere volenti in ea quantitate, ut probabiliter credere poſſint, aut experti ſunt lapſurum in ebrietatem, utique mortaliter peccant, quia abſque juſta cauſa omittunt impedire peccatum proximi, negando ei tantam vini quantitatem prout poterant, & tenebantur, nec eſt juſta cauſa, quod lucrum ipſis ceſſaret non vendendo vinum in tali eventu, quia hujuſmodi lucrum per ſe loquendo non videtur tanti momenti, ut præferendum ſit occaſioni peccati, in quod alter prolabitur ſe inebriando. Ità docent Sanch. *in Sum. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 33. Valentia, & Redriq. quibus ſubſcribit Bonac. *de Peccatis diſp.* 2. *quæſt.* 4. *pun.* 2. §. *ult. num.* 32.

TITULUS LXXVI.

De Eccleſię Immunitate.

Vid tit. De Abor. Int. 17.; *tit. de Bannit. In* .2.3. *tit. De Blaſphemat. &c. int.* 5. *tit. de Deb. ex contrac. Int.* 4. 5. *tit. de Duel. Int.* 5. *tit. de Eccl. pollut. Int.* 7. *tit. de Epiſcopat. &c. Int.* 16. *tit. De Homicid. Int.* 1. *tit de Paroch. Int.* 30. *tit De Simon. Int. ult.*

675 INter. 1. Reus dum eſt in Eccleſia poteſtne vinculis alligari, vel alio modo vexari, uſque dũ proferatur ſentẽtia, an gaudeat immunitate, vel non, & interim ei negare ea, quę ſunt ad vitam neceſſaria?

Reſp. Nullo modo poteſt alligari, aut quocunque modo vexari, quià hoc eſt ex loco Sacro carcerem facere, quod expreſsè prohibetur. *in cap. Definivit* 27. *queſt.* 4. ubi ſic habetur. *Nec ipſi aliqua vis, nocibilitas, aut damnum inferatur.* Diana *in Sum. verb. Immunitas Eccleſ. num.* 20. Andrea à Matre Dei *in curſu Theol. Moral. tom.* 4. *tract.* 18. *cap.* 3. §. 6. *num.* 110. Alloza *verb. Eccleſia ſect.* 3. *num.* 12. & alij communiter. Vide Sylveſtrum *verb. Immunitas* 3. *num.* 4. *&* 12. Lezanam *tom.* 2. *verb. Immunitas Eccleſ. num.* 18. & Bonac. *de Legibus diſp.* 3. *queſt.* 7. *pun.* 3. *num.* 4. *&* 5., & conſequentèr non poſſunt ei denegari neceſſaria, quæ ſunt ad vitæ conſervatiomem.

676 Inter. 2. Quis tenetur victum providere confugientibus ad Eccleſiã?

Reſp. Si habent proprium, ſibi providebunt de proprio, quod ſi non habent nec quærere poſſunt, Eccleſia providere debet tanquàm pauperi. Item ſi habeant proprium, & eo vti non poſſunt, Eccleſia providebit, ne cogantur tradere ſe Curiæ Sæculari contrà Eccleſiæ immunitatem; ſed tenentur ad reſtitutionem, quandò ſua poterunt rehabere. Ità ex D. Thoma docet Sylveſter *verb. Immunitas* 3. *n.* 5. Sed vide Lezanam *tom.* 2. *verb. Immunitas Eccleſ. ſub. num.* 23. & non pigebit. Vide etiam Emm. Sà *verb. Eccleſ. Immunitas num.* 8.

677 Inter. 3. Ad hoc, ut quis tanquam Aſſaſſinus non poſſit uti privilegio immunitatis Eccleſiæ, quid requiritur?

Reſp. Requiritur quod interveniat mandatum ad occidendum, & ut adſit pecunia, vel loco pecuniæ aliqua res pretio æſtimabilis. Dixi mandatum ad occidendum, quia ex mandato ad vulnerandum tantum, etiam mediante pecunia non committitur aſſaſsinium. Bonac. *tom.* 3. *Diſput.* 2. *quęſt.* 3. *pun.* 6. §. 4. *num.* 2. *&* 7. Riccius, & Ambroſinus, quos refert, & ſequitur Diana *part.* 1. *tract.* 1. *reſ.* 18. *verſ. Non reticebo*, Lezana *tom.* 2. *verb. Immunitas Eccleſ. num.* 13. Vide infrà *in hoc titulo, ad Inter.* 6. *&* 26.

678 Inter. 4. Qui homines in vijs pu-

blis

blicis obſident, & deprædantur, gaudentne immunitate Eccleſiæ?

Reſp. Nequaquam, nam iſti etiam dicuntur aſſaſsini, & publici latrones, & meritò immunitate Eccleſiæ privantur, ut patet ex Bulla Gregoriana, & docent Doctores communiter; ſunt enim graſſatores viarum expreſsè nominatim in dicta Bulla. Sed vide *Int.* 8. & 30. *hujus tituli*.

679 Inter. 5. Aſſaſſinus gaudet nè immunitate, etiam homicidio non ſequuto?

Reſp. Bonac. *De Legibus diſput.* 3. *quæſt.* 7., *pun.* 6. §. 4. *ſub. num.* 6. alijs relatis tenet non gaudere, etiamſi effectus non ſit ſequutus, ſed ſufficere ſolùm effectum effectui proximum, vt inſultus, aut vulneratio, & conſtat *ex cap. Pro humani, de homic. in 6.* idem docet Lezana *loco cit. ſub num.* 13. & Diana *par.* 1. *tract.* 1. *reſ.* 18. & aſsignat rationem, quare gaudeat immunitate, qui attentavit homicidium proditorium, & non qui attentavit aſſaſsinium, & ait eſſe diſparem rationem; quia Gregorius XIV. in ſua Bulla excipit occidentes proditoriè, & aſſaſsinos, ſed ſine morte ſubſequuta quis non poteſt dici occiſor proditorius, ſicuti poteſt dici Aſſaſsinus. Tamen alij oppoſitum docent apud eumdem Dianam *loco cit.* ſed vide Dianam *par.* 6. *tract.* 1. *reſ.* 11. *verſ. Sed deveniendo*, qui mutata ſententia partem affirmativam ſequitur.

680 Inter. 6. Qui fuit mediator aſſaſſinij, gaudetne immunitate Eccleſiarum?

Reſp. Jam dixi ſuprà ad *Inter.* 3. in quò caſu Aſſaſsini non gaudent privilegio immunitatis, nunc verò dico cum Diana *par.* 4. *tract.* 1. *reſ.* 33. & alijs ab ipſo relatis, quod ſub nomine aſsaſſinij non venit mediator. Imò in Bulla Gregoriana excipiuntur aſſaſſinij dumtaxat, ergò mediatores immunitate Eccleſiaſtica privari non poſſunt, & ſic fuiſſe deciſum refert ex alijs ipſe Diana *loco cit.* ad quem te remitto.

681 Inter. 7. Qui mandato alterius mediante pecunia occidit communem inimicum, privaturne immunitate Eccleſiæ?

Reſp. Non privatur tali privilegio immunitatis, quia in rigore non dicitur aſſaſſinus, ſicut qui per preces, vel per alium reſpectum occidit aliquem, non eſt aſſaſſinus; quia non intervenit pecunia, vel alia res pretio æſtimabilis; Item nec qui præſente mandante, eſt aſſaſſinus, ſi aliquem occidat. Ità Diana *par.* 1. *tract.* 1. *reſ.* 18. *verſ. non reticebo.* Vide Bonac. *to.* 3. *diſp.* 2. *q.* 3. *pun.* 6. §. 4. *per totum*. Lezanam *to.* 2. *verb. Immun. Eccleſ. num.* 13.

682 Inter. 8. Qui ſemel, vel bis in via publica, & cum violentia deprædatur, privaturne immunitate?

Reſp. Affirmativè reſpondent aliqui apud Dianam *par.* 6. *tr.* 1. *reſol.* 15. Sed ipſe oppoſitum ſuſtinet, dicens prætereà affirmativam ſententiam prorſus refellendam eſſe à Tribunalibus Eccleſiaſticis, & pro ſe citat plures Canoniſtas, aſſerentes non ſufficere unum, aut duos actus ad hoc ut immunitate privetur, nec diſſentit Bonac. *de legib. diſp.* 3. *quæſt.* 7. *pun.* 6. §. 1. *ſub num.* 3. quia qui ſemel, vel bis aliquem ſpoliavit, non dicitur latro publicus, & conſequentèr minimè comprehenditur in Bulla Greg. XIV. & idem dicendum putant de illo, qui ſemel tantùm graſſatus eſt, quia graſſator is dicitur, qui vias etiam in Urbe obſidet, & ſæpius hoc crimen commiſit.

683 Inter. 9. Qui proditoriè voluit aliquem occidere, & devenit ad actum proximum, ſed caſu non occidit, gaudetne privilegio immunitatis?

Reſp. Quia in Bulla Gregoriana clarè requiritur mors ſequuta, aut actus conſummatus cum effectu ſubſequuto: ideò non ſufficit conatus, ut immunitatem amittat, ac proindè immunitate gaudebit. Ità Bonac. Farinac. Peregrinus, & alii, quibus ſubſcribit Diana *par.* 1. *tract.* 1. *reſ.* 4. & 18. & *par.* 6. *tract.* 1. *reſol.* 12. Lezana

*tom. 2. verb. Immun. Eccleſ. ſub n.*12.

684 Inter. 10. Debetne gaudere immunitate Eccleſiæ, qui occidit aliquem appenſatè, & animo præmeditato?

Reſp. Quidquid ſit de jure communi, quia non conveniunt Auctores, modò tamen poſt Bullam Gregorianam dicendum eſt in caſu propoſito immunitate gaudere, quia in dicta Bulla non annumeratur inter delicta exceptuata homicidium conſultò, & deliberatè perpetratum, ſed ſolùm homicidium proditorium; ſed qui occidit de induſtria, & animo penſato, non occidit proditoriè; ergò, &c: Diana *par.6. tract.* 1. *reſ.*13. qui etiam addit contrà Sarpum, non ſolùm qui occidit aliquem conſultò, & animo penſato gaudere immunitate ex vi Bullæ Gregorianæ; ſed etiam ſecundum aliquos ſtante jure antiquo. Quodnam ſit homicidium proditorium, dicam *in tit.*103. *de Homicidio, ad Inter.*1. ad quam te remitto.

685 Inter. 11. Homicida extractus violenter ab Eccleſia à Parentibus occiſi, ſi ſuperveniat Curia Sæcularis, & capiatur, debetne adhuc gaudere immunitate, vel non?

Reſp. Illa extractio, quia fuit violenta, cenſetur nulla, ideò Reo præjudicare non debet, & conſequenter Eccleſiæ eſt reſtituendus dictus homicida; quià immunitatis privilegium non amiſit, ut rectè pluribus relatis firmat Diana *par. 9. tr. 7. reſ. 6.* Vide Caſtro Palaum *tom.2. tr.*11.*diſp.unica pun.*11. *num.*2. qui nominatim refellit Suarez oppoſitum docentem; Vide etiam Bonac. *de legib. diſp. 3. quæſt.7. pun.4. §.2. num.* 10. Trullench. *in Decalog. tom.*1. *lib.*1. *cap.*11. *dub.*1. *n.*14. & alios relatos à Diana *loco cit. & par.*1. *tract.* 1. *reſ.* 16. ubi plura ad intentum.

686 Inter. 12. Qui veneno occidit aliquem, gaudetne immunitate?

Reſp. Diana *par.6. tract.*1. *reſ.*36. ait quod ferè omnes Doctores docent non gaudere. Tamen concludit cum Farinac. in tali caſu debere Epiſcopum conſulere Summum Pontificem, & juxtà illius reſponſum ſe regulare, & exequi. Tamen *par. 6. tract.*1. *reſol.* 12. *verſ. Sed ego puto* præter Doctores, quos refert pro hac noſtra ſententia aſſerit fuiſſe deciſum à Sac. Congregatione Concilii *die 3. Decembris 1632.* immunitate Eccleſiaſtica non gaudere, qui committit homicidium veneno. Verùm ſuſtinet hanc Sac. Congregationem declarationem intelligendam eſſe in caſu, quo occidatur veneno aliquis, cum quo nulla præceſſit inimicitia, quia tunc eſt verè homicidium proditorium; non autem ſi occideretur inimicus, quia non dicitur illum occidiſſe proditoriè, nam ſtante inimicitia, habet cauſam præcavendi, & poterat, & debebat ſibi præcavere, & pro hac ſua tuenda ſententia plures Doctores allegat, quæ mihi ſatis probabilis apparet. Vide quæ dicam *infrà ad Int.*22.

687 Inter. 13. Filius, occidens Patrem gaudetne dicto immunitatis privilegio?

Reſp. Poſito quòd illum proditoriè non occidat, ſcilicèt quando inter Patrem, & Filium nulla interveniſſet inimicitia. Diana *par. 6. tract.* 1. *reſ.* 26. *verſ. Quæro primò,* reſolvit filium occidentem Patrem immunitate gaudere; etiamſi ſeditioſè, & incautè illum occiderit, nam tenet quòd homicida inſidioſus etiam privilegio immunitatis gaudeat, quod tamen Barb. *de Jure Eccleſ. lib.2. cap.3. n.*95. non admittit; Cæterùm nunquam in foro conſcientiæ licet filio occidere Patrem, quamvis capitaliter Bannitum, niſi eſſet valdè noxius Reipublicæ, ut dixi *in tit.* 18. *de Bannitis, ad Inter. ultimam.* Sed vide in hoc titulo *ad Int.* 10.

688 Inter. 14. Occidens, vel percutiens Clericum, ſeù Religioſum, gaudetne immunitate Eccleſiarum?

Reſp. Certò gaudet, quamvis ex-

com-

communicationem incurrat, & Sacrilegium committat, nec de hoc eſt dubitandum, ſtando in terminis Conſtitutionis Greg.XIV. ut egregiè probat Diana *par.1.tract.1.reſol.* 34. ubi reſpondet ad omnia argumenta contraria, & iterùm aſſerit *par.4. tract.1. reſol.68. & par. 6. tract. 1. reſ. 26. verſ. Quæro ſextò.*

689 Inter. 15. Religioſi delinquentes, gaudentne immunitate? & quid dicendum eſt de Clericis Sæcularibus, ſi ſe recipiant in Eccleſiam?

Reſp. Eſt magna quæſtio interDoctores an Clerici, & Religioſi ad Eccleſiam confugientes pro criminibus non exceptis in Bulla Gregoriana ab eorumdem Judicibus, vel Superioribus Eccleſiaſticis inviti extrahi poſſint ab ea. Vide Bonac. *de legib. diſp.* 3. *quæſt.*7, *pun.*5.*n.*5. & Dianam *part.* 1. *tract.*1. *reſ.* 24. & 25. & *par.*3. *tr.* 1. *reſ.* 35. qui tandem concludit Clericos Sæculares gaudere hac immunitate, & per conſequens Religioſos cum non debeant eſſe pejoris conditionis quàm Laici.Tamen hæc opinio quoad Religioſos non videtur tuta, prout obſervat ipſe Diana *loco cit. reſol.* 25. *verſ. Sed contrarium tenendum eſt*, & idem docet Lezana *tom.2. verb.Immunitas Eccleſ. num.* 6. & *tom.* 1. *par.* 1. *cap.*18. *num.*83. ubi ſic inquit. Si Religioſi intrà ipſa loca Sacra deliquerint, quamquam de rigore juris poſſet illis talis immunitas, ſicut & laicis favere, conſuetudine tamen, & conſenſu Summorum Pontificum eſt receptum contrarium; Ideoque ſi Religioſi deliquerint in ſuis Eccleſiis, vel Monaſteriis, immunitas eis Eccleſiæ non ſuffragatur, niſi ad aliud Monaſterium, vel Eccleſiam alterius Ordinis confugiant. Vide Dianam *par.* 10. *tract.* 14. *reſ.*30. & Bordonum *in Miſcellaneis deciſ.* 143. 144. & 145. & *ad Inter. ſequentem.*

690 Inter. 16. Religioſus Apoſtata gaudetne immunitate Eccleſiaſtica?

Reſp. Aliis relatis affirmat Diana *par.*1. *tract.*1. *reſol.* 23. ſed non in Eccleſiis, & Monaſteriis ejuſdem Religionis, à qua apoſtatavit, ſed in aliis, & idem docet Lezana *tom.*2. *loco ſupra cit. num.*17. Et ratio eſt, quia talis caſus non excipitur in Bulla Greg.XIV. Vide *ad Int.antecedentem.*

691 Inter. 17. Qui confugit ad Eccleſiam armatus, gaudetne ejus immunitate?

Reſp. Reus cum armis prohibitis confugiens ad Eccleſiam, gaudet ejus immunitate, nec poteſt à miniſtris laicis dictis armis ſpoliari, quià *in cap.* 1. *de Immunit.* & *cap.* 2. *eodem titulo in* 6. expreſsè prohibetur Judicibus laicis aliquam juriſdictionem in Eccleſia exercere; & ideò Sac. Congregatio in una Salernitana *die* 30. *Septembris* 1616. declaravit immunitate gaudere eos, qui cum armis prohibitis in Eccleſiam ſe recipiunt. Vide Dianam *par.*1. *tr.*1. *reſ.*8. & *par.*6. *tract.* 1. *reſol. item* 8. ubi hæc, & alia plura videre poteris ad hoc propoſitum. Idem docet Lezana *tom.*2. *verb. Arma num.* 7. & *verb. Immunitas Eccleſ. num.* 19. ubi cum Diana, & aliis concludit, non ſolum non poſſe Satellites auferre ab eo arma prohibita, ſed neque rem aliquam, etiam furto ſublatam.

692 Inter. 18. Gaudetne immunitate, qui committit homicidium propè Eccleſiam ſub ſpe confugiendi ad eam ſtatim poſt patratum delictum?

Reſp. Contrà nonnullos affirmat Diana *par.*1. *tract.*1. *reſol.*3. & *par.*6. *tract.*1. *reſ.*10. & hæc opinio eſt vera, cum ſit magis conformis Bullæ Gregorii XIV. nam in ea exprimuntur ſolum patrantes homicidia, vel mutilationes membrorum in Eccleſiis, vel eorum Cæmeteriis, ergò Pontifex reſpexit delicti qualitatem, & injuriam Eccleſiæ, non verò ſpem; conſequenter fieri non debet extenſio ad caſus in Bulla non expreſſos. Et hanc ſententiam præter Dianam, docet etiam Suarez *de Relig. tom.* 2. *lib.* 3.

cap. 11. *num.* 9. Sylveſter *verb. Immunitas* 3. *num.* 5. Bonac. *de Legibus*, *diſp.* 3. *quæſt.* 7. *pun.* 6. §. 2. *num.* 12. & alii plures allegati per eumdem Dianam, qui fuſiori calamo rectè probat quod dixit. Vide ergò ipſum *locis cit.*

693 Inter. 19. Gaudetne immunitate Reus, qui jam vicinus Eccleſiæ cum ipſo Satellite per vim intrat in Eccleſiam?

Reſp. Affirmat Diana *par.* 4. *tr.* 1. *reſ.* 106. cum Caſtro Palao *tom.* 2. *de immunit. diſp. unica pun.* 7. *num.* 11. & *par.* 6. *tract.* 1. *reſ.* 22. *verſ. Sed cum*, aliis relatis idem ſuſtinet. Et præterea hoc putat eſſe verum, quamvis, ut ſe ſe de illius manibus eximat, vulneraret illum cum magna ſanguinis effuſione. Ità cum Farinacio firmat idem Diana *par.* 1. *tract.* 1. *reſ.* 13. & *par.* 3. *tract.* 1. *reſol.* 36. & *par.* 6. *tract.* 1. *reſol.* 27. *verſ. Ad alium verò caſum*.

694 Inter. 20. Quidam vulneravit Cajum in Eccleſiam exiſtentem, poteſtne immunitate Eccleſiaſtica gaudere? & quid ſi provocatus occiderit?

Reſp. De hoc ego non dubito, quià in Bulla Gregoriana excipitur ſolùm homicidium, aut vulnus cum mutilatione alicujus membri, ſed in iſto caſu Reus non commiſit homicidium, nec mutilavit membrum aliquod, ut ſuppono, ergò poteſt immunitate gaudere. Imò idem puto ſi interfeciſſet illum, aut membrum mutilaſſet non deliberatè, ſed accidentalitèr ex calore iracundiæ, ex rixa ſubitanea, ſed & ad alterius provocationem, aut ad ſe defendendum, quia non videtur habuiſſe animum irreverentem offendendi, aut violandi ipſam Eccleſiam, dum caſu, & non deliberatè hujuſmodi delictum contingeret. Hæc omnia aliis relatis docet Diana *par.* 1. *tract.* 1. *reſol.* 11. & 13. & *par.* 4. *tract.* 1. *reſ.* 107.

695 Inter. 21. Qui exiſtens in Eccleſia, vel aliquo Monaſterio ex feneſtra pilam tormentariam jecit in alium exiſtentem extrà Eccleſiam, & illum occidit; gaudetne immunitate?

Reſp. Non deſunt pro negativa ſententia varii Doctores qui dicunt, non gaudere, quia tale homicidium videtur commiſſum in Eccleſia, cum in illa initium habuerit. Tamen mihi videtur probabilius oppoſitum, quod tuetur Bonac. *de legib. diſp.* 3. *quæſt.* 7. *pun.* 6. §. 2. *num.* 3. Diana *par.* 1. *tract.* 1. *reſol.* 9. & alii penes ipſos; nàm quia ſumus in pœnalibus, non eſt facienda extenſio ad homicidium inchoatum in Eccleſia, maximè poſt Bullam Gregorianam, cujus verba denotant actum complectum, & perfectum in Eccleſia requiri. Vide Dianam *loco cit.* & *par.* 4. *tract.* 1. *reſ.* 107. cum Novario.

696 Inter. 22. Qui inimicum ſuum à tergo, vel ex feneſtra mittens contrà eum pilam tormentariam, aut dormientem occidit, gaudetne immunitate? Et quid ſi occidat amicum reconciliatum, aut cui fidejuſſionem dedit de non offendendo?

Reſp. Omnes afferunt non eſſe proditorem hujuſmodi homicidam, & conſequenter immunitate gaudere, ſi ad Eccleſiam confugiat. Et ratio eſt, quià occiſus necem prævidere poterat, & illius præcavendæ occaſionem habebat. Bonac. *ubi ſup.* §. 3. *num.* 3. Diana *loco ſupra citat. reſol.* 5. & Lezana *tom.* 2. *verb. Immun. Eccleſ. num.* 12. & eſt communis ſententia, teſte eodem Bonacina. Idem dicendum eſt, ſi occiderit amicum reconciliatum, ut docet Diana *par.* 1. *tract.* 1. *reſ.* 35. & *par.* 6. *tr.* 1. *reſ.* 12. *in fine*, & etiamſi fidejuſſionem dederat de non offendendo, ut docet ipſe Diana *par.* 4. *tract.* 1. *reſ.* 34.

697 Inter. 23. Sempronius ex platea Eccleſiæ emiſit ex ſclopo pilam tormentariam in Eccleſiam, & interfecit ſuum inimicum ibidem exiſtentem, poteſtne immunitas ei ſuffragari?

Reſp. Minimè ſuffragatur, nàm re verà

Digitized by Google

reverà dicitur commiſiſſe delictum occiſionis in Eccleſia, ergò ipſius immunitate gaudere non poteſt. Bonac. *ubi ſuprà num.* 2. & alij plures, quos referr, & ſequitur Diana *par.* 1. *tract.* 1. *reſol.* 9. Siquidem in his caſibus putat ipſe non eſſe attendendũ locum inchoati, ſed locum conſummati delicti, & rectè dicit.

698 Inter. 24 Cajus lethaliter vulneneravit Sejum in Eccleſia, qui poſteà extrà Eccleſiam mortuus eſt, gaudetne privilegio immunitatis Caius, ſi ſe recipiat in Eccleſiam, & quid ſi vulneratus extrà Eccleſiam, in Eccleſia moriatur?

Reſp. Nequaquam, nam delictum homicidij cenſetur commiſſum in Eccleſia, ideoque privilegio immunitatis gaudere nequit. Secùs verò eſſet, ſi vulneraſſet, aut illum mutilaſſet extrà Eccleſiam, quamvis vulneratus, vel mutilatus in Eccleſiam ſe reciperet, & ibi moreretur, quia non dicitur delictum in Eccleſia fuiſſe commiſſum, ut benè docet Bonac. *de legib. diſp.* 3. *quæſt.* 7. *pun.* 6. §. 2. *n.* 5. & alij plures.

699 Inter. 25. Qui committit crimen læſæ Majeſtatis in perſonam Principis Superiorem recognoſcentis, caretne dicta immunitate?

Reſp. Prò affirmativa ſententia Doctores non deſunt, ut videre eſt apud Dianam *par.* 1. *tract.* 1. *reſ.* 6. Sed ipſe cum Barboſa, Peregrino, Farinacio, & Mario Italia, oppoſitum ſuſtinet; quia licèt committat crimen læſæ Majeſtatis illos offendendo, tamen in caſu noſtro intelligitur de offendentibus perſonam Principis Supremi, & hoc ex fundamento, quià verſamur in materia odioſa, & pœnali, in qua non debet fieri extenſio, ſed potiùs reſtrictio *juxtà regulas juris in* 6. Vide Dianam *loco cit.* & Bonac *tom.* 2. *diſp.* 3. *quæſt.* 7. *punt.* 6. §. 6. *ſub n.* 2. qui docet in caſu, de quo loquimur, ille cenſetur Princeps, qui Superiorem in ſua juriſdictione non cognoſcit, ergò, &c.

700 Inter. 26. Gaudetne immunitate qui ſcit, & non revelat crimen læſæ Majeſtatis in perſonam Principis?

Reſp. Jam pro indubitato ſuppono, quod crimen læſæ Majeſtatis in perſonam ipſiuſmet Principis, ſit unus ex caſibus exceptuatis in Bulla Gregoriana, cui immunitas Eccleſiæ non ſuffragatur: hoc ſuppoſito, Dico, valdè probabilem eſſe ſententiam Bonac. *ubi ſuprà ſub. num.* 9. & aliorum aſſerentium, ſcientem, & non revelantem crimen læſæ Majeſtatis in ipſam perſonam Principis Supremi, gaudere immunitate, quia licèt tale crimen puniri debeat pœna mortis, tamen immunitatem Eccleſiæ non amittit. Et ratio eſt, quia illa dictio appoſita in Bulla Gregoriana importat actionem poſitivam, non verò negativam, & cum ſit crimen omiſſionis, & non commiſſionis contrà perſonam Principis, non comprehenditur in dicta Bulla. Ità ex alijs firmat Diana *par.* 1. *tract.* 1. *reſ.* 7. *verſ. An verò,* & *par.* 6. *tract.* 1. *reſ.* 18. *verſ. Notandum eſt hic*, ubi fatetur, ſententiam Bonac. ſibi placere.

701 Inter. 27. Monetarij gaudentne privilegio immunitatis?

Reſp. Monetarios, ſeù cudentes monetam falſam, aut veram, ſed contrà Principis edictum non carere immunitatis privilegio, docent Bonac *loco ſæpè cit. pun.* 6. §. 5. *num.* 6. Lezana *tom.* 2 *verb. Immunit. Eccleſ. ſub n.* 16. & *verb. Monetarius* ubi latè de his tractat, & *num.* 8. iterum aſſerit eos immunitate Eccleſiaſtica gaudere. Imò id verum eſſe, licèt in Eccleſijs tale delictum commiſerint, tenet Diana *par.* 1. *tract.* 1. *reſ.* 2. Idem dicendum eſt non ſolùm de falſam monetam cudentibus, ſed etiam de tonſoribus monetarum, & quod non ſint propriè perduellionis Rei, neque publici latrones, probat idem Diana *par.* 6. *tract.* 1. *reſ.* 19. Et ratio noſtra eſt, quià licet cudens falſam monetam, crimen læſæ Majeſtatis committat, tamen non eſt immediatè in perſonam Principis, quod excipitur in Bulla Gregoria-

goriana; ergò fieri non debet extenſio de vno ad aliud, ut ſæpe me dixiſſe memini cum communi Doctorum ſententia. Vide Bonac. *loco cit.* & §.1.*n*.4. & Diana *ea reſol.* 19. qui plures concordantes referunt.

702 Inter. 28. Excommunicati nominatim gaudentne Immunitate Eccleſiaſtica?

Reſp. Immeritò quidam docent, non gaudere, etiamſi non commiſerint delictum exceptuatum in Bulla Greg.XIV. quia ſunt Eccleſiæ rebelles, & excluſi ab Eccleſia & Fidelium participatione; nam tales excommunicati nullo jure excluduntur ab hac immunitate, & conſequenter eis competit, & licèt ſint rebelles Eccleſiæ, & excluſi ab Eccleſia, & communione Fidelium, tamen Eccleſia majorem oſtendit pietatem, dum illos tuetur; ultrà quod in materia Immunitatis, non reſpicitur delictum, ſed Loci Sanctitas. Vide Sylveſ. *verb. Immunitas* 3. *num.* 2. Navar. *in man.cap.*25. *num.*19. & Diana *par.* 1.*tract.*1.*reſ.*34. & *par.*6. *tract.* 1. *reſ.*26.*verſ. Quæro* 3. qui plures concordantes refert.

703 Inter. 29. Quiſnam dicitur depopulator agrorum, qui Eccleſiæ privatur immunitate?

Reſp. Depopulator agrorum is dicitur qui diripit alienos agros, ideſt qui ſegetes, ſeù fructus ſurripit, & agros, ſeù vineas vaſtat, & ſiuè ſit depopulator nocturnus, ſiuè diurnus hac immunitate privatur; nam in Bulla Gregoriana ſæpiùs citata ſit ſermo de quolibet agrorum depopulatore, non facta reſtrictione ad nocturnum, ſicuti in *cap. Inter alia de Immun. fiebat.* Vide Dianam *par.* 6. *tract.* 1. *reſol.* 15. *verſ. Verùm.* Idem dicendum putant quidam de Incendiarijs, data opera incendentibus, quod alijs non placet, ut *dicam infrà in hoc. titulo ad Inter.*31. niſi ex incendio ſequatur proditoria mors, aut aliud delictum in Bulla Gregorij expreſſa, ut benè obſervat Bonac *de legib. diſp.* 3. *quæſt.* 7. *pun.* 6. §. 1. *num.*6. Vide Lezanam *tom.* 2. *verb. Immunitas num.* 10.

704 Inter. 30. Qui furatur in Eccleſia, privaturne immunitate, & qui vocari poteſt publicus latro?

Reſp. Minimè, etiamſi ſit fur famoſus, nam hujuſmodi delictum non exprimitur in Bulla Gregorij XIV. Bonac. *de legib. diſp.* 3. *quæſt.*7. *pun.* 5. *num.* 7. & *tom.* 3. *diſp.* 2. *q.* 3. *pun.*16. §. 5. *num.* 7. nam ſoli publici latrones hac immunitate privantur; Publicus verò Latro eſt dumtaxàt, qui violenter aggreditur, & deprædatur in viis publicis, & ob frequentata latrocinia pro latrone communiter habetur, ſeù qui publicè, & palam furatur, vel publicè tranſeuntes in viis invadit, & ſpoliat, vel in mari palam prædas agit; Et tandem, qui in domibus privatorum cum violentia furatur, modò delictum ſit publicum, ut rectè obſervat idem Bonac. *pun.* 6. §. 1. *num.* 2. & alii ab ipſo relati, ergò qui non eſt talis, quamvis furetur in Eccleſia, non privatur immunitate. Ità etiam pluribus citatis tenet Diana *par.*6.*tract.*1. *reſ.*9. & Lezana *loco proximè citat. ſub n.* 7.

705 Inter. 31. Incendiarii ſuntne privandi Eccleſiæ immunitate? & quid dicendum, ſi comburent fores Eccleſiæ ad eam prædandam?

Reſp. Non ſunt privandi, quià dicta immunitate gaudent etiam ipſi, nam licèt hoc crimen ſit ſimile depopulationi agrorum, tamen non eſt idem, ſed diverſum, & à diverſis non valet illatio; & cum non ſit exceptuatum in Bulla Gregorii XIV. nec nos illud comprehendere tanquam exceptuatum debemus; quia exceptio firmat regulam in contrarium, ſcilicet in non exceptis ſpecificè, prout docet Sylveſter *verb. alienatio q.* 12. *num.* 11. & ibi jura, & alii plures, quos refert Diana *par.* 6. *tract.* 1. *reſ.* 25. *verſ. Sed contrariam*; Et tandem idem Diana *loco cit. reſ.* 16. cum Caſtro Palao, Farinacio, & Bonac. abſolutè tenet, & probat, Incendiarios maximè

poſt

poſt Bullam Gregorianam immunitate Eccleſiæ gaudere, addens, etiamſi ad prædandam Eccleſiam fores comburerent; & pro ſe citat Peregrinum, & Novarium *in Sum. Bullar. tit. de Immunit. n. 9.* qui ſequitur Peregrinum. Et ratio eſt, ut ipſi dicunt, quià ſolùm violantes Eccleſiam per homicidium, & mutilationem in ea commiſſam, excluduntur ab ejus immunitate. Et hæc eſt regula generalis in hac materia. Vide Dian. *par. 1. tract. 1. reſ. 21.* & etiam *ſuprà in hoc tit. ad Inter. 29.*

705 Inter. 32. Raptores Virginum, gaudentne immunitate Eccleſiæ? & quid ſi aliquis defloraſſet Monialem?

Reſp. Omnes Canoniſtæ, & Caſuiſtæ affirmativè reſpondent, teſte Diana *par. 4. tract. 1. reſ. 43.* Item tenet Bonac. *de leg. diſp. 3. quæſt. 7. pun. 5. ſub num. 7.* Imò Diana etiam putat gaudere immunitate illum, qui defloraſſet Monialem in ipſa Eccleſia Monaſterii. Et ratio eſt, quia ut ipſe Diana docet *par. 1. tract. 1. reſol. 2.* privatio immunitatis non eſt extendenda ad caſus in Bulla Greg. XIV. non expreſſos, quamvis attrociſſima fuerint delicta, nam in Bulla Gregoriana excipitur tantùm homicidium, & membrorum mutilatio facta in Eccleſia, ergò alia delicta in illa perpetrata non comprehenduntur, conſequenter gaudere debent immunitate Eccleſiæ illa perpetrantes, quæ ratio quidem eſt fortiſſima. Verùm tales delinquentes debent à Judice Eccleſiaſtico ſeverè puniri ratione loci delicti, & conſulto Romano Pontifice poterunt etiam tradi Curiæ Sæculari, quandò delictum fuerit atrociſſimum, ut docet ipſe Diana, & rectè quidem. Vide Bonac. *ubi ſuprà*, & iterum Dianam *par. 6. tract. 1. reſ. 14.* qui confirmat id, quod ſuprà docuit *par. 4. tr. 1. reſ. 43.* de deflorante Monialem.

707 Inter. 33. Quinam ſunt illi caſus, in quibus delinquentibus immunitas Eccleſiaſtica non ſuffragatur?

Reſp. Sunt octo, ut patet ex Bulla Gregoriana, nempè latrocinium publicum, obſeſſio itinerum frequentatorum, vel publicarum ſtratarum, ac viatorum ex inſidiis aggreſſio, depopulatio agrorum, homicidia, vel mutilationes in Eccleſiis, vel Cæmeteriis, homicidium proditoriè factum, crimen aſſaſſinii, delictum hæreſis, & crimen læſæ Majeſtatis in perſonam ipſiuſmet Principis, de quibus latè tractat Bonac. *de legib. loco ſuprà cit. pun. 6.* & Lezana *tom. 2. verb. Immunitas Eccleſ. à num. 7. uſque ad num. 15. incluſivè.*

708 Inter. 34. In quibus caſibus poteſt capi Clericus à Miniſtris Judicis Sæcularis ſine læſione immunitatis?

Reſp. Quando in flagranti delicto fuerit inventus, item quando probabilitèr præſumitur ad delinquendum incedere, & tandem poſt delictum commiſſum ad effectum præſentandi illum Prælato Eccleſiaſtico: Sed bene notat Diana *par. 5. tract. 1. reſ. 22.* hoc procedere in caſu, quo præſumatur fuga, niſi Clericus tunc capiatur, vel non poſſit tunc à Prælato impetrari mandatum, & dummodò ſtatim Judici proprio remittatur, ſcilicet infra ſpatium viginti horarum ad ſummum, nàm ſi brevi tempore poſſunt illum ſuo Judici remittere, tenentur id facere, quia aliàs Superior Eccleſiaſticus non præſumitur conſentire. Caſtro Palaus *tom. 2. tract. 12. diſp. unica, pun. 6. num. 14.* & ex eo Diana *loco cit.* favet etiam Bonac. *de legib. diſp. 10. quæſt. 2. pun. 1. §. 1. num. 21.* ubi concordantes refert. Vide iterum Dianam *par. 1. tract. 2. reſ. 11. & 12.* & præſertim *par. 4. tract. 1. reſ. 85.* & Armillam *verb. Carcer num. 2. & verb. Judex num. 20.*

709 Inter. 35. Quomodo Eccleſia gaudet privilegio immunitatis quoad quadraginta, vel triginta paſſus?

Reſp. Dico quòd Eccleſia Matrix, ſeu Baſilica gaudet immunitate ad quadraginta paſſus, ut colligitur *ex cap. Sicut antiquitus*; Verùm ſi Eccle-

ſia

ſa minor ſit, ad triginta paſſus dumtaxat, prout habetur *ex cap. Definivit, & cap. Quiſquis* 17. *quæſt.*4. & docent Doctores communiter. Tamen de conſuetudine oppoſitum ſervatur, quia propter locorum anguſtiam dictum privilegium paſſuum practicari non poteſt circà Eccleſias intrà ambitum murorum Caſtri, vel Civitatis conſtructas; Deducitur *ex cap. Quiſquis ſuprà citato*, ubi ſic habetur: *Cappellæ, quæ ſunt inter ambitum murorum Caſtellorum, non ponuntur in hac triginta paſſuum obſervatione*. Et licèt hic textus loquatur dumtaxat de Eccleſiis intrà Caſtellorum muros conſtructis; nihilominùs Arch. *in dicto cap. Quiſquis*, Bonac. *tom.* 2. *de legib. diſp.*3. *quæſt.*7. *pun.*4. *num.*6. *& tom.*3. *diſp.*2. *quæſt.*3. *pun.*16. §.4. *ſub num.*6. Andreas à Matre Dei *ubi infrà*, & alii plures dicunt hoc eſſe verum etiam quoad Eccleſias intrà mænia Civitatis poſitas, & rectè quidem, nam militat eadem ratio, quià cum tot ſint in Civitatibus Eccleſiæ, adeòque frequentes, ut univerſa civitas immunis eſſet, quod eſt abſurdum aſſerere. Vide Em. Sà *verb.Eccleſiæ immunitas num.* 1. ubi ſic habet. Gaudebant, & olim quadraginta, aut triginta paſſus circà Eccleſiam, ſed id jam non eſt in uſu. Ità etiam docet Navar. *cap.* 25. *num.* 18. Suarez *de Relig. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 8. Layman *lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 3. *num.* 2. Caſtro Palao *tom.* 2. *tract.* 11. *diſp. unica pun.*6. *num.* 15. Ambroſinus *de immunit. cap.*10. *num.* 4. Farinac. *de carcer. quæſt.*28. *num.* 12. Gavantus *in Addit. ad Man. Epiſc. verb. Immunitas Eccleſiaſtica num.* 1. Andreas à Matre Dei *tom.* 4. *Theol. Moral. tract.* 18. *de privil. cap.*3. *pun.*3. *ſub num.*86. & alii plures. Licèt Diana *par.* 6. *tract.* 1. *reſ.*2. *verſ. At his non obſtantibus*, ſubſtineat, non eſſe verum hanc Eccleſiæ immuaitatem quoad paſſus triginta, vel quadraginta de conſuetudine eſſe ſublatam, & quatenùs adeſſet, ſervandam non eſſe, niſi de Eccleſiis Caſtellorum, non autem Civitatum. Ac ego video ſententiam Dianæ, & aliorum id aſſerentium, non habere locum in Sac. Congregatione immunitatis. Vide Bonac. *de legib. diſp.* 3. *quæſt.* 7. *pun.*4. *num.*6.

710 Inter. 36. Eccleſia, quæ non eſt perfectè conſtructa, aut ſi ejus conſtructio intermittatur, gaudetne privilegio immunitatis?

Reſp. Eo ipſo quòd Eccleſia auctoritate Epiſcopi cæpit conſtrui, dicitur locus divinis obſequiis dicatus, & ideò immunitate gaudet, ut docet Farinacius *de Immun. cap.* 17. *n.* 261. nec valet dicere cum Mario Italia *lib.*1. *cap.*14. §.3. *num.* 15. *& ſeq.* hoc eſſe verum, quando Eccleſia continuò, & perſeveranter conſtruitur, ſecùs ſi ædificatio intermittatur; nam ut rectè obſervat idem Farinacius *ubi ſupra*, & Caſtro Palaus *tom.* 2. *tr.*11. *diſp.*1. *pun.*6. *num.*4. hæc ratio eſtineſſicax; quia ob ceſſationem ab ædificio non tollitur deputatio Eccleſiæ ad divina celebranda; ergò Eccleſia, quæ non eſt perfectè conſtructa, aut ſi ejus conſtructio intermittatur, immunitate gaudet. Ita Diana *par.* 6. *tract.* 1. *reſol.* 1. *verſ. Verùm ad confirmationem &c.*

711 Inter. 37. Eccleſia deſtructa, & diruta gaudetne immunitate Eccleſiis conceſſa?

Reſp. Si auctoritate Superioris deſtructa non ſit, & adeſt ſpes reædificationis, utique immunitate gaudet, itaut Rei confugientes ad illam extrahi non poſſunt, niſi in caſibus exceptis in Bulla Gregoriana, Ità docent Sanchez *in Opuſc. tom.* 1. *lib.* 6. *cap.* 1. *dub.* 7. *num.* 2. Caſtro Palaus *tom.*2. *tract.* 11. *diſp.* 1. *pun.* 6. *num.*7. Bonacina *tom.*2. *diſp.*3. *quæſt.*7. *pun.*4. *num.* 4. & alii plures, quos refert, & ſequitur Diana *par.*6. *tract.* 1. *reſol.* 1. *verſ. Verum &c.* Nam Eccleſia diruta ratione loci, in qua ædificata erat, non deſinit eſſe ſacra, nec ob id amittit ſua privilegia modò ut dixi, non ſit di-

ſit diruta auctoritate Superioris, ſcilicet Epiſcopi, ſine ſpe reædificandi: Eccleſia enim diruta ſine ſpe reædificandi, ſicut amittit Indulgentias, ità etiam Immunitatem, quia ut docet Bonac. *ubi ſupra*, privilegium eſt veluti accidens morale; Accidens autem deſtruitur, deſtructo ſubjecto, ergò &c.

712 Inter. 38. Campanile Eccleſiæ, & Cæmeterium diſiunctum ab Eccleſia gaudentne ejus immunitate?

Reſp. De hoc dubitandum non eſt, dummodò Campanile intrà triginta paſſus exiſtat, & ſolummodò pro ſervitio Eccleſiæ inſerviat, ut determinavit Sac. Congregatio *die* 7. *Decembris* 1632. teſte Diana *par.* 4. *tract.* 1. *reſ.* 108. Ità dicendum eſt de Cæmeterio, quamvis diſiunctum; & ſeparatum ſit ab Eccleſia, quia eo ipſo, quòd ſepulturæ fidelium deſtinatum eſt, præſumitur benedictum eſſe, & auctoritate Epiſcopi ſacratum. Caſtro Palaus *tom.* 2. *diſp. unica de immunitate Eccleſ. pun.* 6. *num.* 16. ex eo Diana *ubi ſuprà*.

713 Inter. 39. Qui adhæret oſtio clauſo Eccleſiæ, vel valvas oſtii Monaſterii manibus appræhendit, vel confugit ſuprà tectum Eccleſiæ, vel Monaſterii, ſeù Conventus Religioſorum utriuſque ſexus, gaudetne privilegio immunitatis?

Reſp. Non obſtantibus aliquorum dictis, tenendam eſſe partem affirmativam, docent plurimi Doctores, quos dat, & ſequitur Bonac. *tom.* 3. *diſp.* 2. *qu.* 3. *pun.* 4. *num.* 19. *&* 20. & Diana *par.* 6. *tract.* 1. *reſ.* 3. Neque hoc indiget probatione, cum ſit commune apud omnes ſcribentes; ideò ſufficit videre duos præfatos Auctores, à quibus plura haberi poſſunt in confirmationem hujus reſponſionis. Vide etiam Sperellum *deciſ.* 60. *num.* 38. *&* *dec.* 63. *num.* 9. ubi loquitur de tecto Palatii Epiſcopalis, domorum Canonicorum intrà confines triginta paſſuum, & tu adde, Monaſteriorum, Hoſpitalium, & aliorum hujuſmodi immunitate gaudentium. Sic Diana *loco cit.* Vide iterum Dianam *par.* 3. *tract.* 1. *reſ.* 73. *&* *par.* 10. *tract.* 15. *reſ.* 38. *verſ. Nota hic*, ubi docet id, quod hucuſque dictum fuit, imò dicit ſufficere, quòd tangat parietem Eccleſiæ partis exterioris, aut amplectetur. Vide intrà *in tit.* 77. *de Eccleſiæ Pollutione, ad Inter.* 7.

714 Inter. 40. Si Reus capiatur à Satellitibus propè Eccleſiam in aliqua publica via, eſtne violata immunitas Eccleſiaſtica?

Reſp. Viæ publicæ non pertinent ad Eccleſiam, etiamſi eidem proximæ ſint; ergò Eccleſiæ privilegiis frui non poſſunt, & conſequenter in caſu noſtro non eſſet violata immunitas. Ità Tuſchus, Marius Italia, Peregrinus, & Farinacius, quos dat, & ſequitur Bonacin. *de cenſuris in particulari to.* 3. *diſp.* 2. *quæſt.* 3. *pun.* 16. §. 4. *num.* 7. *&* *tom.* 2. *de leg. diſp.* 3. *quæſt.* 7. *pun.* 4. *ſub num.* 7. Et in hoc conſentit etiam Diana *par.* 6. *tract.* 1. *reſ.* 2. *verſ. Rectè enim*, in fine, ubi ſic inquit. Hæc autem omnia non procedunt in viis publicis, & laicorum domibus, etiamſi ſint proximæ Eccleſiæ, cum non pertineant ad Eccleſiam ipſam; igitur neque gaudebunt ejus immunitate. Imò Bonac. *loc. cit. num.* 7. loquens de ſcalis Eccleſiæ, dicit, quòd quandò conſtat illas pertinere ad publicam viam, aut eſſe illius partem, non gaudere, quòd eſt valdè notandum.

715 Inter. 41. Palatia Epiſcoporum gaudentne immunitate Eccleſiaſtiea?

Reſp. Hoc eſt certiſſimum, etiamſi non habeant Càppellam, & diſtent ab Eccleſia extrà 40. paſſus, prout perdoctè firmat Diana *par.* 1. *tract.* 1. *reſol.* 27. *&* *par.* 4. *tract.* 2. *reſ.* 40. Nam talis immunitas conceſſa eſt ratione dignitatis Epiſcopalis, proptèr Sanctitatem muneris, & dignitatis, ſicut tota familia Epiſcopi, licèt laica, gaudet intuitu ejus privilegio fori. Verum eſt tamen quòd Palatia Epiſcopo-

coporum extrà Diœceſim tali immunitate non gaudent. Vide Dianam *locis cit. & par. 6. tract. 1. reſ.* 4. ubi plura ad intentum. Sed Bonac. *loc. prox. cit. num.* 11. probabile putat hoc ſolùm admittendum, quando in Palatio Epiſcopi constructum eſt Oratorium, in quo divina celebrantur, tunc enim cenſet immunitatis privilegio gaudere, licèt diſtet ultrà quadraginta paſſus, ſecùs autem non gaudere.

716 Inter. 42. Reus confugiens ad Sacerdotem manibus Euchariſtiam ferentem, & illum tangens, gaudetne immunitate?

Reſp. Bonac. *de legib. diſp.* 3. *qu.* 7. *pun.* 4. *num.* 27. dicit quòd non, tamen communis DD. ſententia eſt in contrarium, nam licèt jura loquantur ſolum de Eccleſiis, nihilominus Doctores plena manu extendunt hoc etiam in ſupradicto caſu propter identitatem rationis; Imò hoc Sacramentum eſt præcipua ratio, cur Eccleſiis immunitas conceſſa ſit, ergò à fortiori debet ipſum eamdem habere immunitatem. Prætereà Diana, qui pro hac ſententia Doctores allegat, docet etiam hoc eſſe verum, quamvis Reus non tangeret Sacerdotem, ſed ſufficere, ut intret in cubiculum ægroti, cui à Sacerdote præbetur Sacramentum Euchariſtiæ, aut quandò pèr plateas, & vias ſe immiſceret inter illas perſonas, quæ aſſociant hoc venerabile Sacramentum, etiamſi non tangeret Sacerdotem, aut haſtam Baldachini, quià omnès illæ perſonæ unà cum Sacerdote geſtante Sanctiſſimum Sacramentum repræſentant unam Eccleſiam: Ità etiam docet Alloza *verb. Eccleſia ſect.* 2. *num.* 7. Vide Sylveſtrum *verb. Immunitas* 3. *num.* 1. Lezanam *tom.* 2. *verb. Immun. Eccleſ. ſub num.* 2. & Dianam *par.* 4. *tract.* 1. *reſ.* 48. *in fine*, qui teſtatur de communi.

717 Inter. 43. Quænam ſunt ea loca, quæ gaudent immunitate Eccleſiæ?

Reſp. Hòc privilegio gaudent omnes Eccleſiæ conſecratæ, vel benedictæ, etiamſi fuerint pollutæ, aut interdictæ, vel dirutæ ſi adſit refectionis ſpes, quià per hoc non perdunt ſuum privilegium: Item cæmeterium, ſivè conjunctum Eccleſiæ, ſivè ſeparatum ſit; Atrium, ſeù porticus Eccleſiæ adhærens, fores, & janua ipſius Eccleſiæ etiamſi clauſæ ſint, dummodò à Reis tangantur, imò ſchalæ ipſius Eccleſiæ: Extenditur etiam hoc privilegium ad fines, ſeù confinia Eccleſiæ uſque ad quadraginta paſſus, aliæ verò minores uſque ad triginta, excipiuntur tamen Eccleſiæ in Civitate, vel alio loco murato constructæ, quia ob locorum anguſtiam id ſervari nequit, prout *dictũ eſt ſuprà in hoc tit. ad Int.* 35. Gaudent quoque eodem privilegio Hoſpitalia, & Oratoria auctoritate Epiſcopi constructa, non autem Oratoria privata, quæ in privatis domibus reperiuntur, quià ea non ſunt Eccleſiæ; vide Dianam *par.* 9. *tract.* 1. *reſ.* 18. Nec Cappellæ privatorum Prælatorum, ſed ſolum Cappella, & Epiſcopi Palatium, ut dixi ſupra *ad Inter.* 41. Tandem Monaſteria, & domus Religioſorum, tam Regularium, quam Sæcularium, aliaque loca Sacra, aut Religioſa, gaudent privilegio immunitatis, ut patet ex Bulla Gregorii XIV. ibi, *& Monaſteriis, lociſque Sacris, aut Religioſis*. Vide Bonac. *de legib. diſp.* 3. *quæſt.* 7. *pun.* 4. *per totum*, Lezanam *tom.* 2. *verb. Immunitas Eccleſ. num.* 2. 3. *&* 4. Dianam *par.* 6. *tract.* 1. *reſ.* 1. 2. *&* 3. & alios penes ipſos, à quibus plura haberi poſſunt: Et etiam Em. Sà *verb. Eccleſiæ immunitas n.* 1. *&* 6. Vide etiam *ſuprà ad Int.* 38. Et nota quòd etiam Grangiæ, ſeù hoſpitia Religioſorum, Eccleſiarum immunitate gaudent, ut firmat ipſe Diana *loco cit. reſol.* 6. *ſub verſ. Et tandem*, *& par.* 9. *tract.* 1. *reſ.* 18.

718 Inter. 44. Reus fugiens ad Eccleſiam, poteſtne ab Epiſcopo, vel Judice Sæculari puniri pœna exilii, vel ad carceres perpetuas, vel ad triremes?

Reſp. Non poſſe, aſſerit Diana

par. 1.

par. 1. *tr.* 1. *reſ.* 12. cum Suarez *de Relig. tom.* 1. *tract.* 2. *lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 6. & aliis ibidem congeſtis, *& par.* 6. *tract.* 1. *reſol.* 33. Ideò nè deferas ipſum videre. Vide etiam Lezanam *to.* 2. *verb. Immunitas ſub num.* 18. nam non poteſt pœna corporali puniri.

719 Inter. 45. Judex laicus poteſtne extrahere Reum ab Eccleſia ſine Epiſcopi licentia, quandò notoriè conſtat ipſum immunitate Eccleſiæ non gaudere, & Vicarius Epiſcopi poteſtne hanc licentiam concedere?

Reſp. Non poſſe Judicem Laicum propria auctoritate Reū extrahere ab Eccleſia ſine licentia Epiſcopi, latè probant Bonac. *tom.* 2. *de legib. diſp.* 3. *quæſt.* 7. *pun.* 7. *numer.* 4. Lezana *tom.* 2. *verb. Immunitas Eccleſ. n.* 28. *Diana in Sum. verb. eodem. num.* 20. *&* 26. *& verb. Judex laicus num.* 31. nec ſufficit licentia Vicarii Foranei, ſed omninò requiritur Epiſcopi licentia, vel ſaltem ejus Generalis Vicarii. Bonac. *ubi ſuprà num.* 5. Lezana *ibidem*, Diana *par.* 10. *tract.* 14. *reſ.* 30. aliique plures penes ipſos. Nam cognoſcere, an delictum, ſeū caſus ſit exceptus in Bulla Gregorii XIV. pertinet ad Epiſcopum, vel ejus Vicarium Generalem. Bonac. & Lezana ubi ſuprà, Andreas à Matre Dei *tom.* 4. *Theol. Moral. tract.* 13. *cap.* 3. §. 6. *num.* 121. Imò Epiſcopus non tenetur ſtare proceſſui facto à Curia Seculari, quià poteſt illum habere ſuſpectum. Palaus, Pellizarius, Lezana, & Bordonus, quos ſequitur idem Andreas à Matre Deì *loco cit. num.* 122. idem docet Bonac. *ubi ſuprà*, & alii communiter. Vide Dianam *par.* 4. *tract.* 1. *reſol.* 42. *&* 49. *par.* 1. *tract.* 1. *reſ.* 14. *& par.* 6. *tract.* 1. *reſ.* 28. *&* 31.

720 Inter. 46. Quandò conſtat de delicto privante immunitate, tenenturne Prælati locorum immunium, delinquentem Curiæ Sæculari tradere?

Reſp. Quoties conſtat delictum commiſſum à delinquente ad locos ſacros confugiente, privilegio immunitatis non gaudere, certò tenentur ipſi Superiores conſignare Curiæ Sæculari illum requirenti, prout patet expreſsè ex verbis præfatæ Bullæ Gregorii apud Bonac. *loco cit. pun.* 7. *num.* 1. & Lezanam *ubi ſuprà num.* 25. Verùm antequam Reus Curiæ Sæculari tradatur obſervare debent Prelati Regulares, & quicumque alii, id quod idem Pontifex præcipit in ſua Bulla, quòd videre poteris apud Lezanam *loco cit.* & Bonac. *ubi ſuprà num.* 4. *& ſeqq.* nam longum eſſet recenſere omnes circumſtantias, quæ neceſſariò ſervari debent, antequam Reus Judici Sæculari tradatur, ideò lege præfatos Auctores, à quibus plura ad intentum invenies. Sed hoc unum non prætereo, ſcilicet, quod antequam tradatur brachio Sæculari Reus, prius debet de delicto conſtare certò, & plenè, atque evidenter, nec debet Epiſcopus ſtare proceſſui facto à Laica poteſtate, ſed debet novas probationes recipere, *ut dixi in Reſp. anteceden.* Vide Bonac. *loco cit. num.* 9. & eſt communis ſententia.

721 Inter. 27. Reus, qui deceptus fuit ſubdolis verbis, & fallaciis ad egrediendum ab Eccleſia, poteſtne à Judidice puniri?

Reſp. Mihi videtur diſtinguendum, vel fuit extractus à Curia cum dolo data promiſſione impunitatis, aut reſtitutionis in eodem loco, vel ab aliquo particulari blandis verbis, aut promiſſionibus ſine coactione extractus fuit à loco Sacro, abſque Judicis, & Satellitum cooperatione: In primo caſu non poteſt puniri, ſed reſtitui debet in eodem loco, & ei fides data ſervari, alioquin ei gravis fieret injuria: In ſecundo caſu autem ſi Satellites illum extrà locum Sacrum inventum capiunt, licèt per vim extrà locum Sacrum extractus ſit, poteſt puniri, quia læſa non fuit immunitas Eccleſiaſtica, nam tunc Judex, & Satellites exercent ſuam poteſtatem extrà locum Sacrum, quod eis eſt permiſſum. Ità docet Bonac. *loco ſuprà citat.*

pun. 4. num. 24. & 25. Verùm Diana oppoſitum ſuſtinet in favorem Eccleſiæ, in caſu, quod blandis verbis, & fallaciis à Miniſtris Juſtitiæ, vel Judice inductus delinquens, ſpontè exiret. Tamen dico contra Bonac. *ubi ſuprà*, quòd quandò conſtaret fuiſſe per vim ab aliquo extrà locum Sacrum extractum, non amitteret privilegium immunitatis, & conſequenter non poteſt puniri; quia illa extractio eſſet violentia, & omnis extractio violenta eſt nulla, & Reo præjudicare non poteſt, aliàs facilè poſſent Judices confugientes ad Eccleſiam capere, & punire ſi per vim ab aliis extractus licitè capere, & punire poſſent. Vi- Farinac. *in Append. de Immunit. cap.* 2. *n.* 55. & id quod docet Diana *par.* 4. *tract.* 1. *reſol.* 102. & *par.* 9. *tract.* 7. *reſol.* 6. cum aliis ibi allegatis, & tene id quod dixi ſuprà *ad Inter.* 11.

722 Inter. 48. Quam pœnam incurrunt miniſtri Curiæ extrahentes Reum ſinè licentia Epiſcopi ab Eccleſia?

Reſp. Ultrà grave Sacrilegium, tenentur reſtituere Eccleſiæ delinquetem, & huic damna, & ultrà alias pœnas, à jure civili, & Canonico impoſitas, incurrunt ipſo facto in pœnam excommunicationis, à qua abſolvi non poſſunt, niſi à Summo Pontifice, pro ut videre licet in Bulla Greg. XIV. quæ incipit, *Cum aliàs*, emanata anno 1591. & has pęnas incurrunt etiam ipſe Judex, Satellites, & executores, aut aliæ perſonæ privatæ, quæ de mandato Judicis extrahunt ab Eccleſia confugientes. Genuenſis *in praxi c.* 2. *num.* 7. Bonac. *de legib. diſp.* 3. *q.* 7. *pun.* 8. *per totum*, & *pun.* 9. & alii apud ipſos. Imò nota Sac. Congreg. ſuper controverſiis Juriſdictionalibus *die* 7. *Septempris* 1638. declaraſſe, Brevia Sac. Pœnitentiariæ non ſuffragari in foro externo, ſed tantùm in foro conſcientiæ, prævia tamèn ſatisfactione, in materia violationis libertatis, àc Juriſdictionis Eccleſiaſticæ. Lezana *tom.* 2. *verb. Immunitas Eccleſ. num.* 29. *Vide Infrà in tit.* 83. *de Epiſcopatu, & Epiſcopis ad Inter.* 16.

723 Inter. 49. Immunitatem violans attentando aliquem capere, vel extrahere è loco Sacro, incurritne excommunicationem, etiã effectu non ſecuto?

Reſp. Quidquid aliqui in contrarium dicant, communis ſententia eſt affirmativa, nempè ſufficere attentationem, ſcilicet actionem, qua quis opere externo tentavit capere, vel extrahere, vel in carcerem coniicere exiſtentem in loco Sacro. Ità Bonac. *loco proximè cit. num.* 4. & alii ab ipſo relati. Sic etiam docet Diana *par.* 1. *tract.* 1. *reſ.* 15. Et de hoc minimè eſt dubitandum poſt Bullam Gregorianam, nàm ibi ſic habetur. *Quicquam præter, aut contrà hujus noſtræ Conſtitutionis tenorem attentare præſumpſerit, declaramus etiam, &c.* Vide Lezanam *tom.* 2. *verb. Immunitas Eccleſ. num.* 21. *propè finem*.

724 Inter. 50. Reus extractus ab Eccleſia contrà formam Bullæ Gregorii XIV. debetne reſtitui eidem Eccleſiæ, ex qua extractus fuit, vel ſufficit, ut reſtituatur alteri Eccleſiæ æque tutæ, ſeù Epiſcopo, aut ejus Vicario?

Reſp. Multi dicunt ſufficere, ſi reſtituatur alteri Eccleſiæ, dummodò in illa æque commodè ſecurus habitare poſſit Reus, ità etiam ſufficere, ſi Reus Epiſcopo, vel ejus Vicario reſtituatur, quia Epiſcopus Eccleſiam repræſentat. Hanc ſententiam poſt alios docet Bonac. *loco ſupra citat. pun.* 3. *num.* 14. Tamèn quidquid dicant Doctores circa hanc difficultatem, dicendum eſt, quòd omninò eidem Eccleſiæ ſit reſtituendus, nec ſufficere reſtitutionem alteri Eccleſiæ, vel Epiſcopo factam, nàm ità determinavit Sac. Cardinalium Congregat. anno 1632. apud Barb. *de jure Eccleſ. lib.* 2. *cap.* 3 *n.* 54. & huic ſententiæ adhæret Diana *par.* 6. *tr.* 1. *reſ.* 27. ubi plura in confirmatione hujus reſolutionis adducit teſtimonia juridica.

725 In-

725 Inter. 51. Cui credendum eſt, quandò Reus teſtatur ſe fuiſſe captum in loco Sacro, Satellites verò è contra aſſerunt eum cæpiſſe in loco profano? & ad quem Judicem ſpectat hoc decidere?

Reſp. Quidam apud Bonacin. *de legib. diſp. 3. quæſt. 7. pun. 3. num.* 15. dicunt non eſſe præſtandam fidem Satellitibus in præjudicium tertii, quia Satellites ut plurimum ſolent multa ſcelera perpetrare; & hoc eo magis puto verum, quando Satellites accepto ſtipendio, & mercede eum cæperunt; nam poſſet præſumi fuiſſe corruptos mediante pecunia. Quare prudens Judex debet ex conjecturis veriſimilibus judicare, cui credere oporteat, præſertim quando nullus adſit teſtis de viſu, qui affirmet in quo loco revera fuit captus à Satellitibus; nàm ſi omnes Satellites, & præcipuè eorum Dux, & Capitaneus aſſerat illum captum fuiſſe extrà locum Sacrum, magnam præſumptionem faceret contrà Reum, in caſu, quo veritas aliundè haberi non poſſit. Cæterum quia agitur de immunitate Eccleſiaſtica, proculdubio ad Judicem Eccleſiaſticum ſpectat decidere, & judicare, an Reus in loco Sacro, vel profano captus fuerit, vel non. Ità ex Bonac. *loco cit.* Vide Dianam *par. 3. tract. 1. reſol.* 32.

726 Inter. 52. Gaudetne immunitate, qui jam captus à Satellitibus ducitur ad carceres, tranſeundo per Cæmeterium, vel locum Sacrum, aut Eccleſiam?

Reſp. Non violatur locus, nec immunitas Eccleſiaſtica in tali caſu, etiamſi Reus tunc per vim extrahatur à Satellitibus, ſi indè exire recuſat; quia hic non dicitur captus in loco Sacro, cum liber ad Eccleſiam, vel Cæmeterium non confugiat, & conſequentèr non gaudet illius immunitate; nam Eccleſia tuetur illos dumtaxat, qui ad eam liberi confugiunt. Ità juxtà nonnullos allegatos firmat Bonac: *loco proximè cit. pun. 6. nu.* 21. licèt oppoſitum ſentiant alii, ideò ad tollendas lites in re tam periculoſa, conſulo, ut Miniſtri Juſtitiæ non ſe exponant periculo violandi immunitatem, tranſeundo per dicta loca, de quibus controvertitur inter Doctores; quia ſi gaudet immunitate Reus, qui cum Satellite per vim intrat in Eccleſiam, ut dixi *ſuprà in hoc titul. ad Int.* 19. à fortiori debebit gaudere in præſenti caſu, dum non per vim ingreditur Eccleſiam, vel Cæmeterium, ſed Satellitum voluntate, ergò &c. Opinio Bonac. eſt juri conformior, aliorum negativa, magis pia, & ideò in praxi amplectenda, ut docet Diana *par. 1. tract. 1. reſ.* 30.

727 Inter. 53. Quo jure Clerici, & Eccleſiaſticæ Perſonæ exemptæ ſunt à Laica poteſtate? & immunitas Eccleſiarum eſtne de jure divino?

Reſp. Eſt diſſenſio inter DD. an ſint jure divino exemptæ tales perſonæ, nàm quoad jus civile, & Canonicum conveniunt eas dicta exemptione gaudere. Tamèn juxtà probabiliorem opinjonem Bonac. *de Legib. diſp. 10. quæſt. 2. pun. 1. §. 1. ſub num. 3. verſ. Tertia opinio*, & aliorum, Clerici, aliæque perſonæ Eccleſiaſticæ ſunt, non ſolùm jure civili, & Canonico, ſed etiam jure divino exemptæ tàm in ſpiritualibus, quàm in temporalibus à poteſtate laicali, nam prætermiſſis multis rationibus, & auctoritatibus, quas adducit ipſe Bonac. ad hoc probandum, clarè conſtat ex Concil. Triden. *ſeſſ. 25. cap.* 20. ubi dicitur Eccleſiæ, & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem Dei ordinatione, & Canonicis ſanctionibus conſtitutam eſſe; & pro hac ſententia præter DD. relatos per Bonacinam, alios quamplures refert Diana *par. 1. tract. 2. reſ. 1. & par. 4. tract. 1. reſ.* 44. ubi etiam probat immunitatem Eccleſiarum eſſe de jure civili, Canonico, & Divino, ſicut dixit *ea reſ. 1. par. 1. tract. 2. Clericorum exemptionem* eſſe

eſſe de jure divino, & humano, & ità docere communiter Canoniſtas, & quamplures Theologos, teſtatur. Et hoc tenendum eſt omninò. Vide iterum Dianam *par.* 7. *tract.* 1. *reſol.* 2. & Bonac. *loco cit. pun.* 1. *num.* 2. ubi aſſerit ſuſtineri poſſe immunitatem Eccleſiæ eſſe de jure naturali, & divino.

Quær. 1. An immunitas, & libertas Eccleſiaſtica ſint idem, aut in quo differant, & an ſit ſemper ſacrilegium, & incurratur excommunicatio contrà unam, vel alteram agere? Et cui ſit reſervata?

Reſp. Immunitas, & libertas Eccleſiaſtica non ſunt idem, ſed diverſa, nàm libertas eſt quædam exemptio, ſeù quoddam privilegiū exemptionis conceſſum perſonis Eccleſiaſticis, quo tuentur non ſolùm perſona, ſed etiam eorum bona, quæ poſſident, aut quibus per liberum arbitrium utuntur. At immunitas eſt privilegium Eccleſiarum, ſeù locis ſacris conceſſum, & ideò qui injuriam loco ſacro facit non eſt reus violatæ libertatis, ſed immunitatis Eccleſiaſticæ, é contra verò qui facit injuriam perſonis Eccleſiaſticis quoàd privilegium fori, ſeù exemptionem à juriſdictione temporali, eſt reus violatæ libertatis, ut patet *ex Extravag. Benedicti XI. quæ incipit: Inter cunctas*, in qua habentur diſtincti caſus violationis libertatis, & immunitatis Eccleſiaſticæ, prout aſſerunt Cajet. *in Sum. verb. Immunitas*, *propè finem*. Armilla *eodem verb. n.*24. Bonac. *tom.*2. *de legib. diſp.*3. *q.*7. *pun.*1. *n.*2. & *diſp.*10. *qu.*2. *pun.*1. §.5. *ſub n.*1. & alii plures. Qui autèm lædit immunitatem, vel libertatem Eccleſiaſticam, ſemper quidem peccat peccato ſacrilegii, ac etiam excommunicationem incurrit, quæ excommunicatio Summo Pontifici reſervatur, ſed cum hac differentia, quod excommunicatio, quæ incurritur ob violationem libertatis Eccleſiaſticæ eſt reſervata in Bulla Cœnæ, ſed illa, quæ contrahitur ob violationem immunitatis locis ſacris conceſſam, eſt reſervata in decretis Clem. VIII. *editis anno* 1601. & 1602. ac etiam *in Conſt. Greg. XIV. de Immunit. Eccleſ.* quæ incipit: *Cum aliàs*, à qua nullus poteſt abſolvi, niſi in articulo, vel periculo mortis, quia illam ſibi Summus Pontifex reſervat, ut dixi, vel in Bulla Cœnę, aut alibi. Undè audiendi non ſunt, qui docent poſſe Epiſcopos abſolvere ab excommunicatione, quæ contrahitur ob violationem immunitatis. Vide Doctores, quos refert Diana *par.* 1. *tract.*2. *reſ.*41. *in princ.* & præſertim Lezanam *tom.* 3. *verb. Bulla Cœnæ n.* 38. & 40. & *verb. Immunitas Eccleſiaſtica ſub numer.* 21. & iterùm vide Dianam *par.*6. *tractat.* 1. *reſol.* 34. *verſ.* & *tandem pro coronide*, & alios apud ipſos. Vide etiam Bonac. *ubi ſuprà diſput.* 3. *quæſt.* 7. *punct.* 8. *ſub num.* 3. *propè finem*.

Quær. 2. An portantes ſecum Aram portatilem gaudeant immunitate Eccleſiaſtica?

Reſp. Affirmativa ſententia, quam docet Quintanadvenas, cui ſubſcribit Diana *par.*10. *tract.*15. *reſ.*15. *verſ. Et tandem*, eſt quidem probabilis, ut cenſuit etiam Suarez de tali dubio conſultus, eamque aſſerunt practicatam fuiſſe à quodam Militum Generali Gubernatore, conſulente, ac præcipiente quodam viro docto Illuſtriſſimæ Societatis Jeſu, qui Epiſcopi vices in exercitu quoàd ſpiritualia gerebat, quare Dux Generalis Militum non fuit auſus capere per ſuos Miniſtros quendam Militem morte dignum ob ſcelus ab eo perpetratum, eò quod Aram, ſeù Altare portatile ſecùm ferebat; & ſic ſecundum hanc ſententiam Reus ſecùm portans Aram portatilem, immunitate gaudet, & puniri non poteſt: Hæc ſententia, ut dixi, eſt probabilis, ac ſatis pia, ſed an tuta ſit Reo in praxi, aliis judicandum relinquo. Judex verò, qui hanc ſententiam ſequeretur, tutè quidem, & piè

& piè ageret. Ego enim eam ſolùm Judici conſulerem, quià licèt multa privilegia conceſſa ſint, locis ſacris intuitu Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, attamèn immunitatis privilegium nullibi conceſſum legitur Aræ portatili extrà Eccleſiam exiſtenti, eò quòd ſuper eam conficiatur Sacra Euchariſtia, immò ſi hoc eſſet verum, ſequeretur à fortiori communicantem, & in os recipientem Euchariſtiam, immunitate gaudere, ſed hoc nullus dicit, ergò multò minus dicendum videtur ea gaudere deferentem Aram portatilem; Unde ubi non adeſt talis conſuetudo, dicta ſententia non eſt amplectenda in praxi. Optarem tamèn, ut introduceretur, ſicuti conſuetudine alicubi receptum dicitur, ut amplexantes Sacerdotem, & præſertim quandò defert Infirmis Sacram Euchariſtiam, tuti ſint, & Carceribus mancipari nequeant, ſiquidem hujuſmodi conſuetudines ubi vigent, ſunt ſervandæ, dùm non præjudicant immunitati, quinimmò eis valdè favent, ut per ſe patet. Vide quæ dixi in hoc titulo *ad Inter.* 42.

Quær. 3. An cadaver defuncti gaudeat immunitate Eccleſiaſtica, & an percutiens Clerici cadaver incidat in excommunicationem canonis, *Si quis ſuadente diabolo* 17. *q.* 4.?

Reſp. Quòd Cadaver hominis defuncti gaudeat Eccleſiæ immunitate, ſolidè, luculenter, ac validis rationibus, & auctoritatibus probat Doctiſſimus Lezana *in addit. ad conſulta Theologica, juridica, & regularia, conſ.* 5. *per totum*, & ad objecta rectè reſpondet, & præcipuè hanc affirmativam ſententiam ſuſtinet, ex eo, quià leges immunitatis Eccleſiarum generalitèr loquuntur, & favores ſunt ampliandi, quapropter concludit, non minus hominem mortuum, quàm vivum potiri debere Eccleſiæ immunitate, & hanc eſſe probabiliorem ſententiam ſibi apparere fatetur, cui & ego libenter adhæreo.

Itèm ipſe Lezana *loc. cit. n.* 11. pluribus relatis aſſerit, quòd excommunicatio canonis, *ſi quis ſuadente*, extenditur etiàm ad defunctos, ità ut percutiens Clerici Cadaver incidat in illam, & ità doceo *in tit.* 89. *de Excommunic. ob Cler. percuſ. ad Inter.* 5. cum Toleto, & Diana, qui etiam plures concordantes refert, quià licèt homo mortuus, non ſit verè homo, ſed potiùs non homo, aut æquivocè homo, tamèn honor, & reverentia, quæ debetur hominibus, præſertim Eccleſiaſticis, procedit tàm de mortuis, quàm de vivis hominibus, cum etiàm mortuis fiat injuria, & violentia, vel honor, & reverentia exhibeatur in memoriam priſtinæ dignitatis; Nàm mortuo exhibetur idem honor, qui vivo exhiberetur. *cap. Glorioſus de Reliq. & vener. Sanct. in* 6. & id conſtat ex conſenſu communi fidelium. Quarè reſpectu honoris, & dignitatis, non minùs honoratur, vel læditur Clericus vivus, quàm mortuus, ergò rectè plures Doctores magni nominis, & auctoritatis, ut Felinus, Boerius, Duennas, Hippolitus, Tolet., Squillanre, Belletus, Naldus, Theſaurus, Villalbos, Sperellus, Diana, Lezana, & alii, aſſerunt percutientem Clericum mortuum excommunicationem incurrere &c. Et ſic ego hìc libenter hanc ſententiam doceo, nec me pœnitet illam docere, quià eſt magis pia, & communi Eccleſiaſticorum ſtatui favorabilis, nec non ratione, & auctoritate Doctorum ſatis munita. Siquidem non conſideratur Petrus, vel Martinus Clericus mortuus, ſed attenditur, & conſideratur privilegium ratione dignitatis Eccleſiaſticæ à jure emanatum, ſicut non conſideratur Eccleſia materialiter, ex mortuis lapidibus ædificata, ſed ſub ratione formali, & ſic quando fit injuria Eccleſiæ non cenſetur fieri lapidibus, ex quibus conſtat, ſed ei, quem repreſentat; Ità in caſu noſtro, non tantùm attenditur

ditur injuria, & violentia, quæ fit Clerico mortuo, quatenùs fuit Martinus, vel Petrus, ſed ea, quæ fit Ordini, & dignitati ſtatus Eccleſiaſtici, quibus erat inſignitus; Quarè nemo poteſt huic privilegio renunciare, conſentiendo percuſſioni, ex eo quià non Clerico, ſed dignitati Eccleſiaſticę infertur injuria, ut docet Diana, *par. 9. tr. 4. reſ. 9.* & habetur *ex cap. contingit. 1. de ſent. excom.* Immò ſi Clericus ſe ipſum *ſuadente Diabolo* percuteret, in excommunicationem incideret, juxtà ſententiam Navar. *cap. 15. num. 11.* Cajet. *verb. excom. cap. 10.* & aliorum apud Dianam *loco cit. reſ. 8.* & eſt communis ſententia, teſte Tolet. *lib. 1. cap. 34. n. 7. & ſeqq.* nàm tale privilegium conceditur a Jure ratione excellentiæ ſtatus Clericalis in communi, & ſingulis in particulari, qui niſi propter demerita, vel alia via illud perdant, & vivi, & mortui illo fruuntur, ut patet ex dictis, & non ſine altera magni ponderis ratione, ſibi nota; vel manifeſta, tradunt præcitati Doctores, & alii multi, quorum ſententia profectò mihi magis probatur, quidquid nunc aliter ſentiat Author Cautelæ Confeſſarii *lib. 1. cap. 23. propoſ. 44. nu. 20.* dùm ſe retractat ab hac noſtra ſententia, quam jàm ſatis probabiliter docuerat *in Offic. cur. Regul. cap. 23. nu. 31.* ut clarè, & apertè fatetur.

Quær. 4. An infidelis quicunque ille ſit gaudeat immunitate Eccleſiæ ſi ad eam confugiat?

Reſp. Si infidelis, ut Judæus, Paganus, Saracenus &c. tali privilegio frui deſiderat, opus eſt quòd verè, realitèr, & non ſimulatè baptiſmum petat, & fidelis fiat, aliàs ſua infidelitate indignum ſe facit Eccleſiæ privilegio; Ità docent quamplurimi Doctores penes Dianam in locis mox adducendis. Verùm Divus Antoninus, Sylveſter *verb. Immunitas 3. num. 2.* Azorius *par. 2. lib. 9. cap. 9. quæſito 9.* Hoſtienſis, Innoc. aliique multi, quos refert, & ſequitur Diana *par. 1. tr. 1. reſ. 22.* & in aliis locis infrà referendis, abſolutè tenent, & probant hujuſmodi infideles immunitate Eccleſiæ gaudere, ſi ad Eccleſiam confugiant, & tali privilegio frui velint, nec eſſe illis denegandum, quamvis nolint baptiſmum recipere, & ratio horum eſt, quia tale privilegium non fuit conceſſum à jure, & à Summo Pontifice ratione perſonarum, ſed locorum, at privilegia locis conceſſa, ad omnes perſonas ibi exiſtentes extenduntur, ergò non eſt infidelibus denegandum in caſibus non exceptis, dum illo frui volunt; Et ut verum fatear hæc ſententia mihi magis probatur, quia favores ſunt ampliandi, & privilegium Eccleſiæ extendendum eſt etiam ad illos, qui ſolùm timore pœnarum, & non zelo fidei, vel Religionis ad eam confugiunt: Jura enim abſolutè, & ſine diſtinctione loquuntur, & ubi jus non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, & verba indefinitè prolata æquivalent univerſali, ut habent jura vulgata, undè exceptis caſibus in jure expreſſis, præſertim in Bulla Gregorii XIV. omnes immunitatis privilegio fruuntur. Vide Dianam *par. 4. tract. 1. reſ. 50. par. 5. tr. 1. reſ. 1. verſ. Notandum etiam, & par. 6. tract. 1. reſol. 23.* qui pro hac ſententia more ſuo egregiè plures Doctores refert, ad argumenta contraria rectè reſpondet, & tandèm ex Barb. aſſerit ità fuiſſe deciſum *anno 1631.* à Sac. Cardinalium Congregatione immunitatis, ergò ab ea non eſt recedendum.

Quær. 5. Quot peccata committat Immunitatis Eccleſiaſticæ violator, & an ad reſtitutionem teneatur?

Reſp. Plura peccata committit; committit enim peccatum mortale ſacrilegii, quià gravem injuriam facit loco ſacro, ut ait S. Thomas *2. 2. q. 92. art. 3.* & alii, quos dat, & ſequitur Bonac. *tom. 2. de legib. diſp. 3. qu. 7. pun. 8. num. 1.* & teſtatur de communi. Inſuper peccat contrà juſtitiam, ſi per vim extra-

extrahit delinquentem à loco Sacro, & immuni; Siquidem immunitas Eccleſiaſtica eſt jus hominibus confugientibus ad Eccleſiam conceſſum, ſed qui contrà jus alterius facit, lædit juſtitiam commutativam, conſequenter tenetur ad reſtitutionem omnium damnorum, quæ indè patitur delinquens. Secùs autem dicendum erit, ſi aliquibus blanditiis, vel precibus rogaret delinquentem, ut è loco ſacro ſecum exiret, nàm in tali caſu non peccaret contrà juſtitiam, quia volenti, & conſentienti non fit injuria, & immunitas, ut rectè docet idem Bonac. *loco cit.* violatur ob violentiam alteri illatam: Caſu verò quòd verbis injurioſis, & minis induceret reum ad egrediendum de Eccleſia, puto, quòd non ſolùm eſſet violator immunitàtis Eccleſiaſticæ, ſed etiam peccatum contrà juſtitiam committeret, & eſſet excommunicatus, quia excommunicatio incurritur ob violentam extractionem ab Eccleſia; vel cooperationem ad illam; Reus enim in tali caſu cenſetur exire ab Eccleſia violentèr, ſcilicèt per vim, & metum, ergò ſequitur non eſſe idem, ut de verbis blandis, & precibus, quæ non tollunt omninò voluntarium, licèt oppoſitum videatur innuuere Bonacina quòad excommunicationem, ob violentiam non illi illatam, ſed id, quòd dixi, mihi magis probatur, præſertim ſi ex timore minarum ab Eccleſia cogatur exire ad vitandum majus, & grave damnum ſibi, uxori, aut propriis liberis probabilitèr eventurum. Vide *in hoc tit. ad Int.* 47.

TITULUS LXXVII.

De Eccleſiæ Pollutiòne.

Vide tit. de Hæreſ. &c. Inter. 15. *tit. de Prœl. Reg. Inter.* 17. *tit. de Sacril. Inter.* 4.

728 INter. 1. Quando Eccleſia eſt polluta, cenſeri debetur Cœmeterium eſſe pollutum, & è contra, quando eſt pollutum Cœmeterium ſic etiam polluta Eccleſia?

Reſp. Polluta Eccleſia, polluitur etiam Cœmiterium conjunctum, ſed non èconìra, & illa reconciliata reconciliatum eſt Cœmeterium. Em. Sà *verb. Eccleſia num.* 22. Bonac. *de Sac. diſp.* 4. *pun. ult. num.* 21. & alii ab ipſo relati. Et ratio eſt quia nobilius trahit ad ſe minus nobile, ſed minus nobile non trahit nobilius, ut habetur *ex cap. unico de conſecr. in* 6.

729 Inter. 2. Quot ſunt illi caſus, quibus Eccleſia cenſetur polluta, & indiget reconciliatione per novam benedictionem?

Reſp. Sunt ſex. Primò Polluitur Eccleſia per injurioſam ſanguinis humani effuſionem ex vulnere intrà eam incuſſo. Secundò per effuſionem voluntariam ſeminis viri, vel fœminæ, ſi fiat cum peccato mortali, dummodò fiat manifeſta, ut docet Navar. *cap.* 16. *num.* 23. *&* *cap.* 27. *num.* 257. Tertiò ſi ſepeliatur in ea Excommunicatus vitandus. Quintò ſepulto in ea infideli, & tunc etiam parietes radi debent, niſi Eccleſia ſit conſecrata. Quintò ſi per Epiſcopum excommunicatum denunciatum fuerit conſecrata, vel benedicta. Quod ſi benedixit Cœmeterium, aut Altare conſecravit, nec in hoc celebrandum, nec in illo ante reconciliationem ſepeliendum. Sexto quando major pars parietum Eccleſiæ ſimul corruunt: Parietum autem diruptione, aut conſtructione Cœmeterium non violatur. Verum eſt tamen, quod in prædictis caſibus oportet factum eſſe notorium per rei evidentiam publicam, aut Confeſſionem juridicam rei. Ità docet Em. Sà *verb. Eccleſia num.* 13. *& ſeqq.* & alii ab ipſo relati, & eſt communis ſententia. Vide Toletum *lib.* 5. *cap.* 8. *n.* 8. & Lezanam *tom.* 2. *verb. Eccleſ. n.* 12. qui concordantes refert.

730 Inter. 3. Polluiturne realitèr Eccleſia in illis ſex caſibus *in antecedenti Reſponſione* numeratis? & quarè in fa-

ſti contingentia reconciliantur Eccleſiæ pollutæ?

Reſp. Dico quòd reverà Eccleſiæ non polluantur, niſi tantùm quoad opiniones hominum, qui eas polluunt, nam quæ ſancta ſunt inquinari realitèr non poſſunt, ut colligitur ex Gloſ. *in cap. Unico de conſec. Eccleſ. in 6.* & docet Zeccus *de caſibus reſerv. caſ. 11. de pollut. Eccleſiæ ſub num. 11. folio mihi* 188. Ideò ſolum reconciliantur ad terrorem Populi, ut à ſimilibus inquinamentis abſtineant, ut videntes laici Eccleſiam lavari, quæ non peccavit, cogitent intrà ſe, quantùm pro lotione peccatorum ſit laborandum.

731 Inter. 4. Ad hoc, ut Eccleſia cenſeatur polluta, ſufficitne quæcumque delicti notitia, vel debet per Judicis ſententiâ declaratoriâ polluta denunciari?

Reſp. Nonnulli, quos dat, & ſequitur Diana *par. 6. tract. 6. reſol.* 27. dicunt non ſufficere quamcumque delicti notitiam, nec Eccleſiam cenſendam eſſe pollutam, donec Judicis ſententia declaratum ſit Eccleſiam illam eſſe pollutam. Tamen meo videri falluntur hi Doctores, quià violentia loci ſacri non eſt propriè interdictum, ut ipſi putant, prout videre licet apud Dianam *loco cit.* & ſic Decretum Concilii Conſtantienſis ad Eccleſiæ pollutionem non extenditur, Imò Cardin. de Lugo *de Euchar. diſp.* 20. *ſect.* 2. *num.* 55. *in fine*, teſtatur eſſe Romæ praxi receptum, ut Eccleſiæ reconcilientur, etiamſi violatio denunciata non fuerit per Judicem, & eamdem eſſe praxim aliarum Diœceſum dicunt alii apud Dianam *par.* 11. *tract.* 2. *reſol.* 59. & hanc ſententiam probabiliorem putat ibidem ipſe Diana. Et rectè quidèm, quia hæc Romana praxis anteponenda eſt omnibus Doctorum ſententiis, præſertim quia ſtylus curiæ jus facit, & ſtylus, & obſervantia Romanæ Curiæ ſervari debet in omnibus aliis curiis, ut reſolvit Rota *deciſ.* 212. teſte Nicolio *in Floſ. verb. conſuetudo num.* 7. ergò &c. Vide quæ dixi ſuprà *ad Inter.* 2.

732 Inter. 5. Quænam quantitas ſanguinis, vel ſemnis requiritur ad hoc ut Eccleſia remaneat violata, & polluta?

Reſp. Communis ſententia docet effuſionem ſanguinis debere eſſe in quantitate notabili, & non ſufficere duas, aut tres guttas, quia effuſio propriè largitatem, & abundantiam ſignificat. Vide Sylveſt. *verb. Conſecratio* 2. *num.* 5. § *Secundus*. Navar. *cap.* 27. *num.* 256. Tolet *lib.* 1. *cap.* 32. *num.* 1. & deducitur *ex cap. Revertimini* 16. *quæſt.* 1. ibi Gloſ. *in verb. Effuſio.* Vide alios Doctores quos refert, & ſequitur Diana *par.* 6. *tra.* 6. *reſ.* 25. & *par.* 11. *tract.* 2. *reſol.* 58. & inſuper notandum eſt, quòd vulnus debet fieri cum peccato mortali, nam ſi ob meram detenſionem fieret, aut aliunde à culpa lethali excuſetur, Eccleſia quidem non cenſetur polluta, aut violata, ut omnes Doctores fatentur. Reſtat modò videndum, an id quod dictum eſt de ſanguinis effuſione, ut cenſeatur Eccleſia polluta, procedat etiam in alio caſu, in quo polluitur ex ſeminis humani effuſione peccaminoſa. Diana ibidem reſpondet, Doctores communiter docere procedere etiam in hoc ſecundo caſu. Sed ab hac communi ſententia recedit Pax-Jordanus, *tom.* 1. *lib.* 5. *tit.* 11. *n.* 109. cui libenter fatetur Diana adhærere, putat enim Pax Jordanus quod ſi actus eſt completus emiſſionis ſeminis, ſivè multum, ſivè parum ſit emiſſum, ſequatur violatio Eccleſiæ, & ita etiam ego puto tenendum, nam ſufficit quòd actus luxuriæ ſit conſummatus, vel per ſimplicem pollutionem, vel cum tertia perſona. Alia plura videnda relinquo apud Pacem Jordanum, & Dianam *locis cit.*

733 Inter. 6. Si quis rixando cum alio in Eccleſia illum percutiat in naribus, ex quibus magna ſanguinis quantitas exit, eſtne cēſenda polluta illa Eccleſ.?

Reſp. Doctores communiter docent non pollui Eccleſiam quando pueri rixantur, & ſanguinem ſibi ex nari-

naribus eliciunt pugno, vel alapa, quia ut plurimum non fit cum peccato mortali, vel ſaltèm judicatur levis percuſſio, cum non faciat vulnus, neque attenditur copia ſanguinis, quia naſus eſt organum nimium facile ad effuſionem ſanguinis, licèt Pax-Jordanus *tom.* 1. *lib.* 5. *tit.* 11. *num.* 51. *in fine* velit, quòd ſi gravis eſſet percuſſio etiam in illa parte, Eccleſia remaneat polluta. Verùm Diana *par.* 6. *tract.* 6. *reſ.* 24. abſolutè tenet cum Marchino *de Sac. Ordinis tr.* 3. *par.* 3. *cap.* 11. *num.* 8. quod Eccleſia non polluatur quando effuſio ſanguinis etiam lethifera, ſeu gravis, & in magna quantitate, de naſo profflueret pugno, alapa, & ſimilibus, quia naſus eſt organum ſanguinis facilè ab hac parte fluentis, & hanc ſententiam putat eſſe tenendam, & non quoad pueros tantum rixantes in Eccleſia. Vide Em. Sà *loco cit. eo num.* 13. *in fine*; mihi tamèn non placet hoc aſſertum, nàm ideò communiter à Doctoribus dicitur non pollui Eccleſiam quandò rixantur pueri, & alter alteri nares percutiat, & multus ſanguis fluat, quia non cenſetur eos mortaliter peccare, nec graviter percutere, ergò quando percuſſio eſt peccaminoſa, & lethalis, & cum illa cōjungitur copioſa ſanguinis effuſio, Eccleſia proculdubio violatur, niſi quoad pueros tantum rixantes loquamur. Dicendum eſt igitur ad polluendam Eccleſiam non ſufficere emiſſionem ſanguinis è naſo, ut accidit in rixa puerorum, ſaltem quando non ſufficit ad peccatum mortale, ut ex Graffio, Coninacho, & aliis docet Bonac. *de Sac. quæſt.* 4. *punct. ult. ſub num.* 20.

734 Inter. 7. Quare per ſanguinis, vel ſeminis effuſionem non polluitur Eccleſia, niſi effuſio contingat intrà ambitum internum Eccleſiæ, & violatur immunitas Eccleſiaſtica, ſi capiatur delinquens ſupra tectum, vel in ſcalis, aut ad januam Eccleſiæ, ut dixi *in tit. antecedente ad Inter.* 39.?

Reſp. Dico ita eſſe, quia ad effectum pollutionis, cum ſit pœnalis ſolus internus ambitus Eccleſiæ ſpectandus eſt, ſecus quoad privilegium immunitatis, quod eſt favorabile, & ità latè interpretandum per Doctores, quos cita, & ſequitur Decianus *lib.* 3. *conſul.* 70. *num.* 19. *&* 22. Spetellus *deciſ.* 63. *num.* 10. & alii, teſte Diana *par.* 6. *tract.* 1. *reſ.* 1. *verſ. Nec obſtat*, propè finem. Vide Sà *loco cit. num.* 13.

735 Inter. 8. Si quis percutiatur in Eccleſia, & non fudit in illa ſanguinem, ſed extra, remanetne polluta Eccleſia, & quid ſi percutiatur in Eccleſia, & moriatur extra illam?

Reſp. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 81. *ſect.* 4. *caſ.* 1. exiſtimat neceſſarium eſſe, ut mors ipſa in Eccleſia contingat, quia aliàs revera non fit homicidium in Eccleſia: Azorius *autem par.* 1. *lib.* 10. *cap.* 26. *quæſt.* 1. putat, quod ſi ſanguis minimè fundatur licèt Oſſa, & membra conterantur, aut frangantur, non idcircò polluatur Eccleſia, & ita etiam docuit Panormitanus *in cap Propoſuiſti num.* 14. *de conſec. Eccleſ.* & hos refert, & non impugnat Diana *par.* 6. *tract.* 6. *reſ.* 26. Tamen *par.* 11. *tract.* 2. *reſ.* 58. fatetur eſſe contra communem id, quod dicunt præfati Autores, ideoque ſe retractat, & abſolutè cum cōmuni ſententia tenet, quod Eccleſia non ſolùm polluitur per ipſum contactum ſanguinis decidentis in pavimentum, ſed etiam per actionem injurioſam, quæ cauſatur effuſio, & omnis propria malitia formaliter continetur. Dicendum eſt igitur pollui Eccleſiam, ſi aliquis percutiatur in ea, licèt ſanguis extra effundatur, vel colligatur in vaſe, vel percuſſus egrediatur ex Templo, & moriatur ex percuſſione mortifera etiam ſine ſanguinis effuſione in Eccleſia recepta. Et ratio eſt, quia in Eccleſia data eſt cauſa naturalis effuſionis, vel mortis. Vide Layman *lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 8. Em. Sà *verb. Eccleſ. num.* 13. & Bonac. *de Sac.*

quæſt. 4. *pu. ult. n.* 20. & iterum Dianam *par.* 6. *tr.* 6. *reſ.* 47. *& par.* 11. *tract.* 8. *re.* 23. *verſ. Hinc oritur dubium.*

736 Inter. 9. Ad polluendam Eccleſiam ſufficitne ſuffocare, aut alias intra illam hominem ſine ſanguinis effuſione interficere? & quid quando aliquis alterius carnes contundit, vel oſſa frangit abſque ſanguine?

Reſp. Certò ſufficit in primo caſu. Ità habetur *ex Gloſ. in cap. Propoſuiſti, de conſecr. Eccleſ.* & docet Navar. *cap.* 27. *ſub num.* 256. Pax-Jordanus *tom.* 1. *lib.* 5. *tit.* 11. *num.* 49. Bonac. *loco proximè cit. ſub num.* 20. & alii communiter. Verùm quando quis in Eccleſia percutitur citra mortem, & nulla contingit ſanguinis effuſio, etiãſi percuſſio ſit gravis, & enormis, violationem Eccleſiæ non inducit. Et ratio eſt, quia non ſufficit percuſſio, quæ non ſit lethalis, ſine ſanguinis effuſione. Alloza *verb. Eccleſia in communi ſub num.* 2. Et licèt magna injuria irrogetur Eccleſiæ fuſtibus ad mortem aliquem cædere, quam levitèr enſe, vel ferro vulnerare, tamen in primo caſu Eccleſia non polluitur, ſed benè in ſecundo, ut inquit Pax-Jordanus *loco cit.* & alii communiter. Vide Bonac. *ſub num.* 20. *cit.*

737 Inter. 10. Polluiturne Eccleſia, ſi quis vino conſecrando immiſceret aliquid veneni, ut illius ſumptione Sacerdos moriatur extra Eccleſiam?

Reſp. Reginaldus *in praxi tom.* 2. *lib.* 29. *cap.* 9. *ſect.* 5. *num.* 18. apud Dianam *par.* 6. *tract.* 6. *reſol.* 26. *verſ. Unde ex his*, docet Eccleſiam non violari in dicto caſu, quia non adeſt effuſio ſanguinis, & homicidium non poteſt ſimplicitér dici fuiſſe in Eccleſia commiſſum. Tamen non eſt recedendum à communi ſententia, docente ſufficere, quod in Eccleſia data ſit cauſa naturalis mortis, ut firmavi *ſuprà ad Inter.* 8. nam poſita ea cauſa in Eccleſia, mors, quæ poſteà illi Sacerdoti evenit, naturaliter evenit. Ergò &c.

738 Inter. 11. Polluiturne Eccleſia, quandò aliquis vulneratur extrà Eccleſiam, & poſteà ſanguinem fudit in Eccleſia?

Reſp. Non polluitur Eccleſia, quià nulla ei facta eſt injuria; nam Eccleſia polluitur per injurioſam ſanguinis humani effuſionem *in ea*, ut habetur *ex cap. Unico de conſecr Eccleſ. in* 6. & docet Bonac. *de Sac. quæſt.* 4. *pun. ult. num.* 20. & alii communiter.

739 Inter. 12. Si in Eccleſia occidatur quis in odium fidei, eſtne cenſenda polluta dicta Eccleſia?

Reſp. Polluta cenſeri debet Eccleſia, nam illa actio, ſeù occiſio eſſet injurioſa, & iniqua, licèt paſſio eſſet grata Deo, cum ille moreretur Martyr. Ità pluribos relatis docet Bonac. *loco cit.* & eſt communis ſententia. Vide Sylveſtrum *verb. Conſecratio* 2. *num.* 5. Victorellum *in Addit. ad* Em. Sà *verb. Eccleſ. ſub num.* 13 & Armillam *verb. conſec. Eccleſia ſub num.* 5. & alios.

740 Inter. 13. Violaturne Eccleſia, ſi in ea ſepeliatur Infans non Baptizatus filius fidelis?

Reſp. Ugolinus *de poteſt. Epiſc. cap.* 19. §. 5. aſſerit Eccleſiam non pollui, quamquam in ea ſepeliri non debeat Infans filius fidelis non baptizatus. Idem docet, ſed cum aliqua formidine de oppoſito Pax-Jordanus *tom.* 1. *lib.* 5. *tit.* 12. *num.* 221. & ratio ipſorum eſt, quia jure cautum non eſt, Eccleſiam in tali caſu violari, cum propriè gentilis, & infidelis non dicatur talis Infans. Verùm dicendum eſt, quod Eccleſia per Sepulturam Infantis non baptizati polluatur: & hæc eſt communis Doctorum ſentent teſte Diana *par.* 11. *tract.* 8. *reſol.* 22. nam talis puer negative ſaltem eſt infidelis, cum non habeat fidem habitualem; ſequitur ergò ſub nomine infidelis comprehendi infantem etiam non baptizatum in caſu noſtro quando tamen ſeorſim ſepelitur, ſecus verò ſi in utero Matris gravidæ jam mortuus ſepeliretur. Undè ſicut polluitur Eccleſia per ſepulturam hominis infidelis, hoc eſt Pagani non baptizati, ità a pari propter eamdem rationem polluitur, ſi in ea ſepeliatur infans filius fidelis recentiſſimè natus, & non bapti-

baptizatus. Ità rectè tradunt Card. de Lugo *de Sac. Eucbar. diſp.* 20. *ſect.* 2. *num.* 27. Franciſcus de Lugo *de Sac. tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 6. *quæſt.* 11. *num.* 72. Facundez. *de pracep. Eccleſ. par.* 1. *lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 57. & Coninchus *de Sac. quæſt.* 83. *num.* 233. quos dat, & ſequitur Diana *loco ſupra cit.*

741 Inter. 14. Quomodò ſe gerere debet Sacerdos quandò inter celebrádum Eccleſia violatur?

Reſp. Debet miſſam inchoatam intermittere, poſito quod nondum inceptus ſit Canon, nam ſi Canon eſt inchoatus, tenetur miſſam abſolvere, quia eſt de jure divino, quod miſſa inchoata perficiatur, cum ſit ſacrificium, & urget præceptum Divinum integrandi illud, quod quidem cenſetur inchoatum incepto Canone, ex eo quod hoſtia tunc proximè preparatur ad conſecrationem. Ità ex Suarez, Reginaldo, Nugno, Conincho, & aliis docet Bonac. *de Sac. quæſt.* 4. *punult. ſub num.* 24. Diana *ubi ſuprà reſ.* 23. *verſ. Nota hic.*

742 Inter. 15. Quam pœnam incurrit Sacerdos celebrans data opera in Eccleſia polluta?

Reſp. Peccat mortaliter, ſed non fit irregularis, quia non celebrat cum ſuſpenſione, ut putant aliqui apud Dianam *par.* 6. *tr.* 6. *reſ.* 28. & *par.* 11. *tract.* 2. *reſ.* 59. quia talis ſuſpenſio ſolùm eſt impoſita contra celebrantes in loco interdicto; Eccleſia autem polluta, non eſt propriè interdicta, ergò non eſt facienda gratis, & ſine fundamento talis extenſio, præſertim cum verſemur in materia pœnali, & odioſa, quæ potiùs eſt reſtringenda, quam amplianda, ut aliis relatis firmat ipſe Diana, & docet etiam Bonac. *de Sacr. diſp.* 4. *pun. ult. num.* 26. & concordat Lezana *tom.* 2. *verb. Eccleſia num.* 11.

743 Inter. 16. Si Sacerdos celebrat in Eccleſia pollura, eſtne iterum reconcilianda, quandò fuit occultè violata, ſi poſtea publicetur?

Reſp. Negat Diana, & alii apud ipſum *loco citato*, ſed nec in praxi tutum, ſed eſſe contrà communem DD. ſententiam, & omninò falſum docet Sayrus *de cenſ. lib.* 5. *cap.* 16. *num.* 11. Dicendum eſt igitur in caſu propoſito eſſe neceſſarium Eccleſiam conſecrare, quia minimè eſt cenſenda conſecrata, ex eo quod, ſivè bona fide (id quod in nullo jure fundatur) ſivè mala fide quis in ea miſſam celebraverit. Auctores pro noſtra ſententia, Vide apud Leandrum *par.* 5. *tract.* 5. *diſp.* 2. qui idem docuerat *par.* 2. *tr.* 8. *diſp.* 7. *quæſt.* 31. Plures rationes affert Card. de Lugo *de Eucbar. diſp.* 20. *ſect.* 12. *num.* 62. quibus omiſſis, hac ſolum ſum contentus, quæ mihi videtur valdè efficax, Ex oppoſita ſententia ſi Eccleſia nondum fuiſſet conſecrata, aut benedicta, dici poſſet, ſemel celebrata miſſa non indigere alia conſecratione, aut benedictione, quia ſicùt dignitas Sacrificii æquivalet reconciliationi, æquivalet etiam, & præponderat conſecrationi, aut benedictioni: Quod tamen aſſerendum non eſt, quia reconciliatio pendet ex certa verborum forma; & ſolemnitate ab Eccleſia inſtituta, & ità ſupponunt omnes Doctores inquit Theſaurus *de pœnis part.* 2. *verb. Sacrilegium cap.* 5. addens ſe vidiſſe in praxi Romæ ſervatam noſtram ſententiam.

744 Inter. 17. Eccleſia polluta à quo debet reconciliari, & Epiſcopus poteſtne dare licentiam ſimplici Sacerdoti illam reconciliandi?

Reſp. Si Eccleſia erat conſecrata, non poteſt niſi per Epiſcopum reconciliari cum aqua per ipſum benedicta, ſcilicet cum ſale, vino, & cinere, nec Epiſcopus licentiam concedere poteſt ſimplici Sacerdoti Eccleſiam conſecratam reconciliandi, ſed ſolus Papa. Lezana *tom.* 2. *verb. Eccleſia nu.* 14. Eccleſia verò non conſecrata poteſt reconciliari per ſimplicem Sacerdotem cum aqua benedicta communi, nec eſt neceſſaria Epiſcopi licentia, licèt

licèt hæc licentia ſit conveniens. Vide Paſqualig. *de Sacrific. qu.* 604. *&* 605. Sylveſtrum *verb. Conſecratio* 2. *num.* 2. Dian. *par.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 91. Em. Sà *loco ſupra cit. num.* 20. qui tamen dicit poſſe Epiſcopum licentiam concedere ſimplici Sacerdoti reconciliandi Eccleſiam conſecratam, ſi fuerit polluta, idem docent alii apud Dianam *par.* 2. *tract.* 15. *verſ.* 6. quos meritò ipſe refellit. Nota tamen petendam eſſe licentiam ab Epiſcopo, vel ejus Vicario Generali ex congruentia ut dixi; Vide Bonac. *ſuprà cit. num.* 27. & Lezanam *ubi ſupra num.* 16. niſi caſus eſſet, quòd Eccleſia pollueretur, dum miſſa incepta eſt.

745 Inter. 18. Epiſcopus poteſtne concedere licentiam, ut in polluta Eccleſia celebretur?

Reſp. Poteſt hanc licentiam concedere, quia poteſt permittere celebrationem in loco non benedicto, ut docet ex Suarez, Victorellus *in Addit. ad Em. Sà verb. Eccleſia num.* 23. Vide D. Thomam *in* 3. *par. quæſt.* 83. *art.* 3. *ad* 2. & Dianam *par.* 11. *tract.* 8. *reſ.* 23. *verſ. Non nego*.

TITULUS LXXVIII.

De Eccleſiis.

Vide tit. de Alienat. &c. tit. de Bannit. Int. 4. 5. *tit. de Canon. Inter.* 1. *tit. de Can. Pœnit. Inter.* 1. *tit. de Capit. Sed. Vac. Inter.* 2. *tit. de Cappellania &c. Int.* 9. *tit. de Cardin. Int.* 1. 2. 3. *tit. de Circumſt. pec. Int.* 22. 23. 24. 26. *tit. de Eccl. Imm. Int.* 19. 20. 21. 23. 24. 30. 31. 33. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 43. 50. 51. 52. *tit. de Epiſcopat. &c. Int.* 6. 57. *tit. de Excom. &c. Inter.* 1. *tit. de Feſt. dieb. Inter.* 13. *tit. de Oblat. fidel. Int.* 1. *tit. de Paroch. Int.* 27. *tit. de Præc. aud. Sac. Int.* 7. *tit. de Regul. &c. Inter.* 12. 14. 15. 33. 34. 35. 36. 91. 99. *tit. de Sacram. Int. ult. tit. de Sacril. Int.* 3. 5. *tit. de Sepul. part. Int.* 4. 5. *tit. de Tabac. Int. ult. tit. de Val. Confeſ. Int.* 22. *tit. de Viſit. Inter.* 1.

746 INter. 1. Poſſuntne licitè fieri Repræſentationes ſacræ in Eccleſia?

Reſp. Affirmat Sylveſt. *verb. Ludus ſub num.* 2. nec eſſe veniale peccatum putat, in Eccleſia repræſentare devota, ſcilicet præſepe Domini, & hujuſmodi. Imò Angelus *verb. Ludus num.* 1. ait quòd Demonſtrationes, quæ fiunt ad honorem Dei, puta Paſſionis Chriſti, & vita alicujus Sancti, non ſunt prohibitæ fieri in Eccleſiis; idem docent Tabiena eodem verbo *quæſt.* 4. & Sanchez *in opuſc. to.* 2. *lib.* 1. *cap.* 8. *dub.* 24. *num.* 23. relati à Dian. *par.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 184. Ubi tamen obſervat alios Doctores oppoſitum docere, ut Gavant. *in Enchir. Epiſ. verb. Repræſentationes ſacræ num.* 1. Barboſ. *de poteſt. Epiſc. par.* 2. *alleg.* 24. *num.* 25. & alii. Verùm hoc intelligendum eſt in caſu, quod Epiſcopus prohibuerit; ſed ut omnis evitetur perturbatio, petenda eſt ab Epiſcopo licentia, quæ matura deliberatione conceſſa, licitè fieri poterunt, aliàs fieri non debent, quia ad Epiſcopum pertinet judicare, an inconvenientia aliqua accidere poſſint, necne; & ideò Zerula *in prax. Epiſcop. par.* 1. *verb. Repræſentationes*, optimè obſervat, non immeritò aliquos Epiſcopos prohibuiſſe nullibi fieri poſſe abſque eorum expreſſa licentia.

747 Inter. 2. Eccleſiæ dirutæ materia, poteſtne licitè converti in uſus profanos, vel requiritur aliqua licentia?

Reſp. Eccleſia præcipuè conſecrata, vel Oratoria, Monaſteria, & hujuſmodi, reverti non debent ad Sæcularem habitationem, & uſus profanos. Sylveſter *verb. Eccleſia* 2. *num.* 7. Requiritur enim licentia Papæ, licèt Emm. Sà *verb. Eccleſia num.* 2. putat ſufficere licentiam Epiſcopi, quòd quidem mihi non placet, quia ſecundum Archidiaconum, & alios, Ordinarius

narius non poteſt concedere, ut partes Altaris, vel Eccleſiæ collapſæ ad uſus profanos vendantur. Vide Navar. *de ſpol. Clericor.* §. 18. *num.* 11. & Victorellum *in addit. ad Em. Sà loc. cit. ſub num. ult.* & Armillam *verb. Confec. Eccleſ. n.* 11. & *verb. Eccleſ. n.* 8.

748 Inter. 3. Quibus ſpectat reficere Eccleſiam vetuſtate collapſam?

Reſp. Si portio redituum fabricæ Eccleſiæ deputata ſufficiat, ex ea reparatio Eccleſiæ fieri debet *c. unic.* 30. *q.* 3. & *cap. decernimus* 10. *q.* 1. Abbas *in cap.* 1. *de Eccleſ. ædific. num.* 3. & alii; Si autem talis portio non ſufficit, ſpectat ad Rectorem, & Beneficiarios Eccleſiæ, ad quam collationem etiam Canonici poſſunt compelli, Quandò verò adeſt conſuetudo, ut Populus reficiat Eccleſiam, ab hoc onere liberatur Rector, ſive Curatus Parochialis &c. Tandem puto poſſe Parochum collectas exigere à Populo, quando Eccleſia redditus ſufficientes non habet, ſed laici ad reparationem Eccleſiæ non poſſunt compelli, niſi adſit conſuetudo; habetur ex Gloſ. *in cap. quatuor* 12. *quæſt.* 2. & docet Em. Sà *verb. Eccleſia num.* 9. Item tenetur Parochus, & quivis alius Beneficiarius illius Eccleſiæ, ſi detractis neceſſariis aliquid eis ſupereſt. Vide Sylveſtrum *verb. Eccleſia* 2. *num.* 6. & Dianam *par.* 8. *tract.* 7. *reſ.* 16. à quibus plura haberi poſſunt ad intentum; & Armillam *verb. Eccleſ. num.* 7.

749 Inter. 4. Eſtne iterum ab Epiſcopo reconcilianda Eccleſia, quæ per longum tempus ſteterit abſque tecto, & janua, & plena multis ſpurcitiis?

Reſp. In Concil. Niceno relato à Gratiano *de conſecr. diſt.* 1. ſic habetur. Eccleſiis ſemel conſecratis Deo, non debet iterum conſecratio adhiberi, niſi aut ab igne exuſtæ, aut ſanguinis effuſione, aut cujuſcumque ſemine pollutæ fuerint. Quare ſi eorum nihil ſit factum, nihil contra Templorum reverentiam ab hæreticis admiſſum, ſatis erit, ſi Epiſcopus, his ejectis, Altaria viſitet, & an ſint integra, fracta, vel polluta, tàm oculis ipſe, quàm aliorum luſtret, luſtrata reconciliet aſperſione aquæ benedictæ, benedictione ſimplici, aut reconciliari per Sacerdotem ſua auctoritate, ac nomine curet. Vide Baucium *in Theol. moral. par.* 1. *tract.* 6. *quæſt.* 18. apud Dianam *par.* 8. *tr.* 7. *reſ.* 93.

750 Inter. 5. Scamna, & Sedilia Laicorum poſita in Eccleſiis pro audiendis concionibus, poſſuntne ab Epiſcopo, vel Superiore Regularium pro ſuo libitu non amplius illa admittere, removere, vel alia eorum loco apponere, Laicis invitis?

Reſp. De tali dubio loquitur Diana *par.* 10. *tr.* 6. *reſ.* 64. & pro utraque parte refert jura, & Doctores, ſed tandem reſolvit, Jus ſedilium in Eccleſia eſſe tantùm jus facti, non juris, conſequenter poſſe à Rectore mutari, & auferri pro libitu, non obſtante quacumque conſuetudine, etiam immemorabili, quià præſcriptio non currit ſine poſſeſſione, & poſſeſſio in his non datur propter ſubjecti incapacitatem. Alia multa, quæ pro hac tuenda ſententia adducit idem Diana, hic ne longior ſim, tranſcribere prætermitto. Unde quando caſus acciderit, ne deſeras videre ipſum; nam reverà rectè concludit, & luculenter etiam ad objecta ſatisfacit. Advertendum tamen eſt, hujuſmodi mutationes non eſſe facilè faciendas; nam ex talibus mutationibus ſolent turbationes, & lites oriri, ſicuti experientia conſtat.

Quær. Quodnam peccatum committat, qui in Eccleſia delinquit, & à quo Judice puniri debeat ſæcularis in Eccleſia delinquens?

Reſp. Qui in Eccleſia delinquit, ſacrilegium quidem committit, ergò cum ſit crimen mixti fori, ſaltem ratione loci, in quo eſt commiſſum, ſequitur poſſe tàm ſæcularem Judicem, quàm Eccleſiaſticum contrà talem delinquentem procedere, & illum, qui

qui in captura prævenit punire, quià in criminibus mixti fori datur locus præventioni. Ità docet Farinacius *in Append. de Immun. Eccleſ. cap. 16. n. 236.* & alii ab eo relati, teſte Diana *par. 4. tract. 1. reſ. 67.* contrà quoſdam, quos ibidem citat idem Diana, qui minùs rectè quidem aſſerunt oppoſitum. Undè notandum eſt pro praxi, quòd crimen mixtum ſpectat ad utrumque forum, ut ſacrilegium, de cujus pœna etiàm Judex laicus cognoſcere poteſt, & illud punire, ut habet *Gloſ. in cap. Fœlicis de pœnis in 6. verb. audivimus.* Vide Sylveſtrum *verb. crimen num. 2.* Verum eſt tamèn, quòd Judex laicus poteſt crimen mixti fori laicè punire, quamvìs fuerit à Judice Eccleſiaſtico canonica pœna punitum, habetur *ex dicto cap. Fœlicis §. præmiſſis*, & tradunt Panor. & Felinus, quos allegat Navar. *to. 1. lib. 12. tit. de judiciis conſ. 1. n. 2.* quæ doctrina procedit, quoties crimen eſt mixti fori, ut ſuprà dixi, & crimen majorem pœnam meretur, nec Judex Eccleſiaſticus poteſt inhibire Judici laico hujuſmodi punitionem, ut videre licet apud Navarrum *loco citato.* Crimen quid dicatur, vide *in c. Apoſtolus 71. diſt. gl. in cap. peccatum de reg. juris in 6.* De multiplici pœna ſacrilegorum, vide *C. de Epiſ. & Cle. & 16. q. 4. per totam*, licèt ad Confeſſarios hoc non pertineat, ſed ad Judices alios.

TITULUS LXXIX.

De Edictis.

Vide tit. de Denunc. tit. de Feſt. dieb. Inter. 14. tit. de Regul. &c. Inter. 84. tit. de Superſt. Inter. 3.

751 INter. 1. Ex vi *Edicti* Inquiſitorum teneturne quis denunciare delictum alterius, ſi ipſe fuerit complex ejuſdem delicti?

Reſp. Doctores communiter docent, quod nemo tenetur denunciare ſeipſum, quia nemo tenetur prodere ſe, ut habetur *ex cap. aliquando de pænit. diſt. 1.* Vide Doctores penes Dianam *par. 1. tract. 4. reſol. 8.* ergo ſicut quis non tenetur denunciare ſe ipſum, ita neque tenetur denunciare alterius delictum, in quo ipſe fuerit complex, aliàs virtualiter denunciarèt ſe ipſum. Ità docet Suarez *de fide diſp. 10. ſect. 4. num. 18.* qui pro ſe citat Pegnam, & Simancham; Idem ſentiunt Megala *in 1. par. lib. 1. cap. 5. num. 30.* & Portellus *in addit. ad dub. Regul. verb. denunciatio n. 10.* Limitant tamen hanc ſententiam in caſu hæreſis formalis, ut benè notat Diana *loco cit. reſol. 9.* quia hæreſis cum ſit Reipublicæ perniciosa, facit, quod quilibet teneatur pro bono communi vitam propriam ponere; Undè Diana *dicta reſ. 8. circa finem*, teſtatur, quod in quadam noſtræ Italiæ nobiliſſima Civitate, doctiſſimi Theologi obligaverunt denunciare quendam Hæreticum dogmatizantem, & docentem alios hæreſim, quamquam ipſi Denunciantes fuerint Diſcipuli ejuſdem hæretici, & conſequenter complices ejus delicti. Sed omninò vide *Int. 7. 8. & 17. tit. 66. de Denunciationibus.*

752 Inter. 2. Qui ignoravit Edictum tempore quo ejus terminus currebat, teneturne denunciare ſtatim, ac habuit notitiam illius?

Reſp. Dicunt quidam poſſe expectare tantum tempus, quantum Edictum deſignaverat, cum non ſit pejoris conditionis, quàm alii. Ità Suarez *loco proximè cit. ſect. 3. num. 15.* Acugna, Sancius *diſ. 11. n. 59.* & Portellus *in dub. Regul. verb. denunciatio ſub n. 3.* apud Lezanam *tom. 2. verb. denunciatio ſub num. 8.* Tamen dico, ſi prævideat ſe habiturum impedimentum ad denunciandum tranſacta ea occaſione, certò teneri prævenire denunciationem ante impletionem termini deſignati per Edictum Inquiſitorum eo modo, quo plures dicunt de obligatione

tione confeſſionis, vel communionis; nàm ſicut qui timet, quod quando obligabit confeſſio, non erit copia Confeſſarii, aut prævidet impedimentum futurum, ut *v.g.* tempore Paſchatis Euchariſtiam recipere non valeat, aut in die feſto audire ſacrum hora nona, tenetur anticipare tempus confeſſionis, communionis, & miſſæ auditionis; ità à pari in caſu noſtro ex vi Juris poſitivi tenetur prævenire denunciationem ante terminum deſignatum *in Edicto*. Et hæc quidem ſententia eſt probabilior, & tutior, quàm aliis relatis ſuſtinet Diana *par.* 4. *tr.* 7. *reſ.* 29. & rectè quidèm.

753 Inter. 3. Contrafacientes Edictis Epiſcopi poſt ejus mortem, vel depoſitionem ab officio, aut translationem ad aliam Eccleſiam, innodauturne Cenſuris in illis contentis?

Reſp. Minimè, quia Edicta ſunt leges ab homine, quæ expirant mortuo, vel amoto Conditore, niſi renoventur, & confirmentur ſub iiſdem pœnis à ſucceſſore, vel à Capitulo Sede vacante, quod in locum Epiſcopi, quoad eà, quæ ſunt juriſdictionis, non dignitatis Epiſcopalis ſuccedit. Ugolinus *de Cenſ. tab.* 1. *cap.* 47. §. 2. *nu.* 1. & 2. Franciſcus Leo *in Theſaur. Fori Eccleſ. par.* 2. *cap.* 10. *num.* 8. & alii plures.

TITULUS LXXX.

De Electione, & Electoribus.

Vide tit. de Abbatiſ. &c. Inter. 4. 5. *tit. de Aetat. &c. Inter.* 1. *tit. de Epiſcopat. &c. Int.* 58. *tit. de Ingr. in Mon. &c. Inter. ult. tit de Regul. &c. Inter.* 102. *tit. de Sigil. Confeſ. Inter.* 15. *tit. de Val. Elect. tit. de Vic. Cap. Inter.* 1.

754 INter. 1. Qui in concurſu omiſſo digniori, eligit dignum, teneturne ad reſtitutionem?

Reſp. Quidquid aliqui dicant, communis opinio, quæ omninò eſt amplectenda, docet obligationem reſtituendi oriri, quia in beneficiis Parochialibus continetur implicitè promiſſio de dando digniori, immò illa expreſſit Tridentinum *ſeſſ.* 24. *cap.* 18. quæ promiſſio, cum oneroſa ſit, habet pactum ultrò, citròque obligatorium, ſine quo Eccleſia non transfert vices ſuas Collatoribus, & diſtributoribus, niſi digniori conferant beneficium, & ſic diſtributor ſi ſic non conferat, meritò cenſetur eſſe in fraude, & dolo, ac proindè tenetur fraudato digniori reſtituere. Ità docet Thomas Hurtadus *tom.* 2. *contrar.* 121. *cap.* 1. §. 12. *num.* 1791. qui fortioribus terminis, & rationibus id rectè probat, ut videre licet ſaltem apud Dianam *par.* 11. *tract.* 4. *reſ.* 35. & hanc ſententiam ſequitur etiam Gerunda de Epiſcopo *tom.* 2. *lib.* 6. *diſp.* 12. *cap.* 4. *num.* 4. quibus adhæret Diana *loco cit.* qui fatetur hanc communiorem eſſe Doctorum, & rectè quidem, nam eam ſequuntur Molina, Barthol. de Medina, Petrus Navarra, Gutierez, Vaſquez, & Fernandez, quos refert, & ſequitur Barboſa *in collect. DD. in Trid. ſeſſ.* 24. *de reformat. cap.* 18. *num.* 127. Concludendum eſt igitur Electores ſub pœna peccati mortalis, & reſtitutionis obligatione teneri digniorem, ſeù meliorem (illum, ſcilicèt qui muneri, cui præficitur ſit aptior) eligere. Cœterum eligentem dignum extrà concurſum relicto digniori ad beneficia curata, ad nullam reſtitutionem teneri ex Amico probabile exiſtimat Idem Diana *ubi ſuprà in principio reſolutionis*: ſed teneri ad reſtitutionem docent, & rectè ſeptè graves DD. quos refert ipſe Diana *par.* 3. *tract. reſ.* 53. dicens eſſe communem Thomiſtarum cum Villalobos, qui etiam citat Arragon. & Covaruviam. Vide etiam Toletum *lib.* 5. *cap.* 78. *ſub n.* 2. *verſ. Secundum etiam eſt*. Sed vide omninò ea, quæ dicam *ad Inter. ſequentem in fine cum D. Thoma* 2. 2. *quæſt.* 63. *ar.* 2. & aliis ibidem relatis.

755 Inter. 2. Peccantne mortaliter, qui conferunt Beneficia Eccleſiaſtica minus dignis, relictis dignioribus? vel illa conferunt indignis?

Reſp. Dico primò, quod conferre Beneficia indignis, illis ſcilicèt, qui non habent qualitates requiſitas ad miniſteria, ad quæ ipſa inſtituuntur, eſt peccatum mortale contrà juſtitiam ſaltem diſtributivam, qua communia debent diſtribui ſecundum merita perſonarum. Pœnæ autem, quæ canonico jure Indigni electioni, & collationi decretæ ſunt, videri poſſunt *in cap. cum in cunctis de elect. cap. grave nimis de præben.* Vide Toletum *lib. 5. cap.* 78. Lezanam *tom. 2. verb. Beneficium num.* 13. *&* *tom.* 1. *par.* 2. *cap.* 11. *num.* 21. & advèrte, quod collatio beneficii facta indigno in utroque foro eſt nulla, ideoque perceptos fructus, & damna ea collatione illata reſtituere tenetur Eccleſiæ, cui damnum dedit, non autem Digno: licèt quidam dicant Eccleſiæ, & Digno reſtituendum eſſe, & hoc mihi magis probatur, ut ex Petro Navarra, & aliis docet Victorellus *in addit. ad* Em. Sà *verb. Beneficium ſub num.* 32. *&* 42. Dico ſecundò. Dare Beneficium ſimplex digno, relicto digniori non eſt peccatum mortale, ſecus ſi ſit beneficium Curatum teſte Em. Sà *ubi ſuprà num.* 24. & alii communiter. Unde in beneficiis habentibus curam animarum eligere dignum prætermiſſo digniori, ſemper eſt peccatum mortale, ex duplici capite, ſcilicet ex defectu debitæ fidelitatis, & ex defectu proportionis, quam requirit juſtitia diſtributiva, ut rectè docet Diana *par.* 11. *tract.* 4. *reſ.* 34. *verſ. Verùm his non obſtantibus*, & hæc eſt ſententia Divi Thomæ 2. 2. *quæſt.* 63. *art.* 2. *&* *quæſt.* 185. *art.* 3. & ibi Cajetanus, & alii Expoſitores. Vide Toletum *loco ſupracit. verſ. ſecundum etiam eſt*, & Lezanam *ubi ſupra eo num.* 13. *citato*, qui bene addit ex D. Thoma *dicta quæſt.* 63. *art.* 2. dignitatem, vel majorem dignitatem perſonæ cenſendam eſſe non abſolutè, ſed in ordine ad Eccleſiæ commoditatem, ita ut qui aptior eſt ad illud, dignior cenſeatur, & qui ineptus, reputetur indignus, licèt in aliis qualitatibus præcellat. Tandem notandum eſt cum Toleto, quod exceſſus percipi debet, nam ſi eſt parvus, aut non benè dignoſcitur, nullum adeſt inconveniens, maximè ſi ſperatur major futura dignitas probabiliter, quam ſit in præſenti. Dico tertiò, probabilius eſt etiam eſſe peccatum mortale dare beneficia ſimplicia, (quæ nullam etiam mediatam habent curam animarum) dignis, omiſſis dignioribus. Ita S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 63. *ar.* 2. & aliis in locis, S. Antoninus, Cardinalis Turrecremata, & Cajet. aliique vigintiquinque Doctores, quos refert, ſed non ſequitur Sanchez *in opuſc. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 23. qui tamen pro ſe allegat novem DD. Ratio noſtræ aſſertionis eſt, quia beneficia, etiam ſimplicia inſtituta ſunt, ſaltem, ut præmia meritorum; ſed contrà juſtitiam diſtributivam operatur, qui ea non diſtribuit pro meritis, ergo &c. Vide Cajet. *in ſum. verb. Perſonarum acceptio, & ad Inter. ſequentem.*

756 Inter. 3. Electores tenenturne ſub pœna peccati mortalis eligere digniores, & electio digni omiſſo digniori eſtne valida? & eſtne idem dicendum de Prælatis Regularium?

Reſp. Certò ſub pœna peccati mortalis tenentur eligere digniores, ſeu meliores, ut alibi me dixiſſe memini. Vide *ad Inter.* 1. *& ad Inter. proximè antecedentem.* Tamen electio de digno facta non eſt irrita ipſo jure, nec venit irritanda, quamvis illicitè peracta ſit, quia multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent. *De reg. juris in* 6. Vide Doctores, quos ad ſatietatem refer Barb. *de offic. Parochi par.* 1. *cap.* 2. *num.* 98. Vide S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 63. *art.* 2. *in corpore*, & ibi Cajetan. *in fin.* Navar. *cap.* 17. *num.* 72. Reginald. *in*

praxi

praxi lib. 30. tract. 3. num. 195. Dianam *par. 2. tract. 5. reſ.* 40. qui plures concordantes adducit, & aſſerit eſſe communem ſententiam. Regulares etiam tenentur ad officia eligere digniores ſecundum communiorem ſententiam; quia Prælatiæ Regulares, & cœtera officia ſunt veluti Beneficia Eccleſiaſtica, ac proindè etiam in illis militat ratio naturalis, & diſpoſitio juris, ut eligantur digniores. Ità Navar. *lib. 2. de reſtit. cap. 2. num.* 159. Rebell. *par. 1. lib. 3. quæſt. 4. concluſ.* 5. Turrianus *tom. 2. in 2. 2. diſp. 22. dub. 4. num.* 1. Portellus *in dub. regul. verb. electio num. 6.* apud Barboſ. *loco cit.* & apud Dianam *par. 2. tract. 15. reſ. 6. & par. 5. tract. 14. reſ. 11. & par. 11. tract. 4. reſ.* 37. quibus addo Pacem Jordanum *tom. 1. præludio* 12. *num.* 27. ubi plura videri poſſunt ad intentum. Vide etiam Lezanam *tom. 2. verb. electio num.* 152. & 153. & *verb. Beneficium ſub num.* 13. & *tom. 1. par. 1. cap. 15. num.* 12. & 13.

757 Inter. 4. Daturne aliquis caſus, in quo liceat dare Beneficium digno, relicto digniori?

Reſp. In duobus caſibus id eſſe licitum affirmat Toletus *lib. 1. cap. 78. num.* 3. dummodò Beneficium curam animarum annexam non habeat. Primus caſus eſt in beneficiis Patrimonialibus, in quibus diſtribuendis non eſt peccatum relinquere digniorem, ſi extraneus ſit, & eligere civem dignum. Secundus caſus eſt de beneficiis, quæ quis de rebus propriis inſtituit, & vult dari iis, qui ſibi ſunt cognati, aut de ejus familia, ut patet *ex capite Monaſterium 16. quæſt.* 7. Talia igitur beneficia licitè poſſunt conferri cognato digno, relicto non cognato digniori. Cœterum tàm in primo, quàm in ſecundo caſu nunquam licitum eſt dicta beneficia indigno conferre, cum ſit intrinſecè malum contra juſtitiam, & rectam rationem.

758 Inter. 5. Poſſuntne Cardinales in electione Papæ ſine ſcrupulo eligere dignum prætermiſſo digniori?

Reſp. Cardinales ſicut cœteri electores tenentur in conſcientia eligere digniorem in Papam, ex Gremio tamen Sac. Collegii, ut latè probat Caſtellinus *in tract. de elect. cap.* 10. teſte Diana *par. 5. tra. 2. reſ.* 85. nam eligendus in Prælatum Eccleſiaſticum duobus debet pollere virtutibus, ut rectè docet Cajet. *in ſum. verb. Electio.* Prima eſt quod ſit bonus, hoc eſt ſine peccato mortali. Secunda quod ſit melior cœteris cognitis, qui poſſit eligi, & haberi; Melior autem non quantum ad bonitatem vitæ: ſed quantum ad illud regimen nunc, & hic reſpectu talium ovium, & reliquis particularibus occurrentiis penſatis: & ſi ſcienter omittantur eſt peccatum; & ratio eſt quia exiſtens in peccato mortali, non eſt dignus Prælatione Eccleſiaſtica, poſtponere digniorem minus digno, non eſt ſine crimine acceptionis perſonarum, dum perſona præponitur cauſæ. Vide S. Thom. 2. 2. *q.* 63. *art.* 3. Banaes *quæſt. 63. in 2. 2. art. 2. col.* 1. Sylveſtrum *verb. Electio 1. num.* 18. & Em. Sà *eodem verb. num.* 8. Verùm eſt tamen, quod quando pars ſufficiens ad electionem vult dignum in Papam eligere prætermiſſo digniori, tunc minor pars tuta conſcientia poteſt ſe conformare cum majori, ut ex Villalobos, Valero, Riccio, Jo. della Crux, & Sylvio, firmat Diana *loco cit.* & de hoc ego non dubito; quia tunc peccatum mortale eſt, quando minor electorum pars concurrit cum majori ad electionem indigni, cum electio indigni ſit intrinſecè mala, ut videre eſt apud Dianam *par. 10. tr. 13. reſ.* 31. Vide infrà *ad Inter.* 9. & Lezanam *tom. 1. par. 1. cap. 15. ſub n.* 14.

759 Inter. 6. Qui jus habent conferendi beneficia per proviſionem liberam, ut Summus Pontifex, & quidam Principes ſæculares ex privilegio, teneнturne eligere digniores?

Reſp. Non teneri eligere digniores niſi in promptu ſint, ſed ſufficere eligere dignos docet Reginaldus *tom. 2.*

Digitized by Google

lib. 30. *tr.* 3. *c.* 34. *dub.* 14. *n.* 197. Sed Leſſius *de juſt. lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 64. probabilius tenet, quod qui liberè conferunt beneficia graviter peccent, ſi digniores prætermittant, ſivè ſit Papa, ſivè Princeps ſæcularis; non enim ſunt Domini Beneficiorum, ſed Æconimi. Ità Leſſius. Hanc ſententiam probabiliorem, ac tutiorem eſſe puto; quia docet S. Thomas 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. *ad* 2. cum Cajet. Aragonio, Salono, & Bannes, ut electio non poſſit impugnari in Foro judiciali, ſufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem, quia ſic omnis electio poſſet habere calumniam: ſed ad conſcientiam eligentis neceſſe eſt eligere meliorem; dimittendo autem digniorem ſine cauſa debita, violatur juſtitia diſtributiva, ex qua beneficia ſunt bona communia, & præmia meritorum, & ſic committitur peccatum acceptionis perſonarum, quod eſt mortale ex genere ſuo. Vied Sylveſtrum *verb. acceptio perſonarum num.* 2. & 4. Unde diſtrubutores Spiritualium dignitatum, ſeù beneficiorum Eccleſiaſticorum, ſemper debent tribuere meliori ad evitandum hoc peccatum. Vide Dianam *par.* 8. *tra.* 7. *reſ.* 83. Quot modis verò quis melior dicatur docet ex D. Thoma idem Sylveſter *loco cit.* & Em. Sà *verb. Electio ſub num.* 13.

760 Inter. 7. Patronus laicus ad Parochialem ſui Juriſpatronatus teneturne præſentare digniorem, vel ſufficit, ut præſentet dignum, & idoneum?

Reſp. Doctores non conveniunt, quidam enim dicunt, Patronum, qui non eſt primus Beneficii fundator, debere digniorem præſentare, quia, & ipſe debet ſervare modum debitum in beneficiis diſtribuendis, quod eſt eligere digniores. Hos Doctores refert Barboſa *in Collect. ad Trident. ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 18. *num.* 152. & Diana *par.* 2. *tract.* 15. *reſ.* 37. Alii verò cum quibus tenent Barboſa, & Diana *locis cit.* putant quod Patronus laicus non teneatur præſentare digniorem etiam quoad Beneficia curata, quia Tridentinum *loco cit.* solùm vult, quod præſentatus à Patrone examinetur, & repertus idoneus admittatur; ergo cum Concilium non arctet Patronum laicum ad præſentandum digniorem, neque nos arctare debemus: Quid ego ſentiam, dicam breviter, ſequendam exiſtimo primam ſententiam; nam hoc jus, quod ipſi Patrono competit à Jure, ea conditione conceſſum eſt, ut ipſi tantùm icumbat, quod Epiſcopo, aut alii Prælato incumbebat, ſicque neceſſarium non erat, ut Concilium Trident. id exprimeret, quia ad conſcientiam eligentis neceſſe eſt eligere meliorem, tùm maximè cum diſcreto Judicio debeant Eccleſiaſtica officia perſonis magis idoneis diſpenſari. Vide Azorium *par.* 2. *lib.* 6. *cap.* 21. *quæſito* 5. & Sylveſt. *verb. Acceptio perſonarum n.* 1. & 2.

761 Inter. 8. Si Elector alicujus Beneficii Eccleſiaſtici inclinet ad eligendum indignum, vel minus dignum, poteſtne licitè dignior pretio redimere hanc vexationem? & quid ſi facta fuerit collatio?

Reſp. Non poteſt, quia eſt ſimonia redimere pecunia vexationem; dum quis tantùm habet jus ad rem. Facta verò collatione Beneficii, ſi quis injuſtè impediretur accipere poſſeſſionem, puto eſſe tunc licitum pecunia hanc redimere vexationem; quia habet jus in re acquiſitum per collationem Beneficii. Vide Sanchez *in opuſc. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 30. *num.* 11. Dianam *par.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 152. & *par.* 5. *tract.* 14. *reſ.* 12. & 13. & Em. Sà *verb. Simonia ſub num.* 2.

762 Inter. 9. Peccatne mortaliter dignus ſi acceptat officium, cognoſcens in electione prætermiſſum eſſe digniorem? & poteſtne licitè retinere officium?

Reſp. Dummodò canonicè fuerit electus poteſt licitè acceptare officium ad quod eligitur, etiamſi credat alium eſſe digniorem. Et ratio eſt quia ipſe

ipſe non eſt Judex in illa cauſa, & debet credere Electores rem benè penſaſſe. Ità Sygiſmundus de Bononia *tract. de elect. dub.* 34. poſt plures alios teſte Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 15. *n.* 12. *in fine*, & concordant alii plures, quos refert, & ſequitur Diana *par.* 5. *tr.* 2. *reſ.* 85. *verſ. Verum &c.*

763 Inter. 10. Qui fuit canonicè electus ad aliquod officium, teneturne illud acceptare? vel debet potiùs illud renunciare?

Reſp. Poteſt quis laudabiliter conſiderans proprium defectum ex humilitate officium Prælationis recuſare: poteſt etiam laudabiliter conſentire, ex charitate fraterna, ut ſalutem proximorum procuret: ſed quia valdè difficile eſt purgatum ſe quemlibet poſſe cognoſcere, prælationis officium tutiùs declinatur; non tamen pertinaciter, cum ad ſuſcipiendum hoc ſuperna voluntas agnoſcitur. Ità docet ex D. Thoma, Sylveſter *verb. electio* 1. *n.* 23. *propè finem*. Quare ſi illi à Superiore præcipiatur, aut aliàs ſequeretur notabile Eccleſiæ, vel Religioni damnum, diſſentire ſine peccatò non poteſt. Em. Sà *eodem verb. num.* 12. Concludendum tandem eſſe puto cum Lezana *par.* 1. *tom.* 1. *cap.* 15. *num.* 23. Quod eo ipſo ſit canonicè electus, debet credere electionem eſſe juxta voluntatem Dei, & ſic melius facit aſſentiendo. Si autem indignum, & inſufficientem ſe exiſtimat, poteſt electioni renunciare: ſed non pertinaciter, ut docet S. Thomas *Quodlib.* 5. *art.* 23. ex mente S. Gregorii Papæ in Paſtorali: & ſi per obedientiam cogatur, omninò acceptare tenetur; etiamſi credat futurum, ut ſæpius peccet; dummodò id non intendat, & procuret, pro poſſe ſemper placere Deo. Ità Lezana ex Valentia *tom.* 5. *diſp.* 10. *qu.* 3. *pun.* 3. *aſſer.* 6. Vide Armillam *verb. Electio nu.* 37. *& verb. Epiſcopus num.* 1. qui citat D. Th. 2. 2. *qu.* 185. *art.* 2.

764 Inter. 11. Poteſtne quis licitè in Capitulis pro ſe, vel pro aliis vota vel ſuffragia procurare?

Reſp. Nequaquam hoc eſt licitum; ideòque cavere debent omnes à directa, vel indirecta vocum, ſeù ſuffragiorum procuratione tam pro ſe ipſis, quam pro aliis; nam ſi ſecus faciant, præter alias pœnas, & cenſuras à Sacris Canonibus contra hujuſmodi ambientes inflictas, in pœnam privationis officiorum, quæ obtinent, eo ipſo incidiunt, & ad futura quæcumque pariter inhabiles habentur, nec ab ullo poſſunt diſpenſari, niſi à Summo Pontifice. Immò ſupradictas pœnas incurrunt complices, & ſimpliciter ſcientes, & non revelantes. Ità habetur *ex decretis Clem. VIII. pro reformat. Regul.* approbatis à S. Congreg. juſſu Urbani VIII. Vide Lezanam *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 15. *à num.* 24. & ea quæ dicam in hoc titulo *ad Inter.* 13. *& in tit.* 180. *de Regularibus, ſeù Religioſis, ad Inter.* 76. *&* 122.

765 Inter. 12. In Electionibus ſi feratur votum album, vel ſub conditione, vel perſonis incapacibus, debetne numerari tale votum, aut haberi debet pro non adjecto, itàut qui à majori parte aliorum votorum fuerit electus, ritè ſit electus?

Reſp. Inter vota eligentium non computantur vota conditionata, vel inutilia, ut ſi perſonæ inhabiles eligerent, & ab activa voce omninò exceptæ, aut ſi in Scrutinio per ſchedulas celebrato reperiatur aliqua ſchedula alba; nam hujuſmodi vota, & ſuffragia haberi debent pro non adjectis, & totum jus electionis remanebit in reliquis electoribus; itàut illud quod ipſorum major pars ſtatuerit erit firmum, & validum, ac ſi alii ex Capitulo, ſeù Collegio nullatenus eſſent. Ità Caſtellinus *de elect. cap.* 5. *num.* 4. Sigiſmundus *de Bononia item in tr. de elect. dub.* 29. Lavorius *tit.* 4. *cap.* 19. *num.* 64. Miranda *in man. Prælat.* apud Dianam, & colligitur *ex cap. in electionibus de elect. in* 6. & conſentit

idem

Digitized by Google

idem Diana *par.* 8. *tract.* 7. *reſol.* 77. Vide etiam Lezanam *to.* 1. *par.* 1. *c.* 15. *num.* 16. & 18. qui alios concordantes adducit.

766 Inter. 13. Poſſuntne licitè Electores ante electionem habere tractatum conſultatorium de qualitatibus eligendorum?

Reſp. Utique poſſunt, quia hoc eſt conforme juri naturali: neceſſarium eſt enim, ut electores noſcant virtutes, & vitia eligendorum; unde eſt licitum interrogare, & reſpondere ſimpliciter de qualitatibus eligendorum; nulla tamen adhibita perſuaſione, aut inductione, ſervata inſuper juſtitia, charitate. & veritate, & cum recta intentione, ſcilicet quod digniores cæteris præferantur. Cæterum ſi quis talem tractatum efficeret per ſe ipſum, aut per alios pro ſua electione, eſſet tractatus ambitioſus, ideòque prohibitus, ut pactionalis, conventionalis, & conditionalis &c. Caveant igitur Religioſi, ne practicas vulgo dictas facere audeant pro ſe, vel pro aliis, ſuffragia, ſeù vota procurando, præſertim precibus, vel donis, aut minis, quibus poſteà nullæ reddi poſſunt electiones; quia ultra peccatum graviſſimum, quod tunc committunt, ſubiiciuntur graviſſimis pœnis, ut dixi ſupra *ad Inter.* 11. Vide Lezanam *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 15. *ſub numer.* 24. & Dianam *par.* 2. *tract.* 16. *reſ.* 35. *præcipuè* §. *Patet igitur*; & *par.* 11. *tr.* 4. *reſ.* 37. *verſ. Vide etiam*, qui alios concordanter referunt.

767 Inter. 14. Poteſtne aliquis ex electoribus eiici à Capitulo ſub prætextu alicujus inhabilitatis, antequam ſententialiter ſit declaratus inhabilis?

Reſp. Dico nullatenus excludi poſſe ſub prætexu alicujus delicti, aut cenſuræ, etiam cauſa pendente, niſi priùs fuerit per ſententiam condemnatus; quia ante ſententiam in foro externo pro habili habetur, ut docent Hoſtienſis, Jo: Andreas, & Felinus *in cap. minimè de accuſat.* Caſtellinus *de elect. can. Prælat. c. ap.* 5. *n.* 1. licèt ipſe mortaliter peccet; quia cum inhabilitate, quamvis occulta, accedit ad electionem non diſpenſatus. Vide Lezanam *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 15. *num.* 5. & *par.* 2. *cap.* 12. *num.* 30. & Leandr. à Murcia apud Dianam *par.* 10. *tr.* 13. *reſol.* 30.

768 Inter. 15. Quinam ſunt ij, qui non poſſunt de Jure communi eligi, aut eligere?

Reſp. Eligi non poſſunt in Prælatos Religionum, qui non ſunt expreſsè in illa profeſſi, nec infames, ſeù notoriè pravi, nec excommunicati excommunicatione majori, nam de excommunicatis minori excommunicatione valet electio ſecundum aliquos, ſed poteſt annullari. Item nec ſuſpenſi, interdicti, aut qui interdictum non ſervaverunt, qui non ſunt legitimè nati, aut debitæ ætatis, vel ſufficientis literaturæ, & tandem neque irregulares: Item eligere non poſſunt excommunicati excommunicatione majori, ſuſpenſi ab officio, nec qui ſcienter celebraverunt in loco interdicto, niſi habeant privilegium, Irregulares, & tandem voce privati. Vide Sylveſtrum *verb. electio* 1. *qu.* 4. Em. Sà *eodem verb. n.* 1. 2. & 3. Lezanam *par.* 1. *tom.* 1. *cap.* 15. *num.* 5. & 25. & *cap.* 18. *num.* 5. & alios, quos citat ipſe Lezana. Et quamvis quidam dicant irregulares non eſſe privatos jure eligendi, ut inter alios docet Bonac. *de cenſ. diſp.* 7. *qu.* 2. *pun.* 4. *nu.* 18. tamen non eſt communis ſententia, ut dicit ipſe; nam Paſſerinus *de elect. cap.* 10. *num.* 102. pro affirmativa ſententia, quam ipſe non ſequitur, ſeptem graves refert Auctores, & reſolvit, quod aliqui irregulares non poſſunt eligere, ut in caſu celebrationis in loco interdicto, & in caſu, quod quis ſit infamatus, vel condemnatus de homicidio: licèt neque in his caſibus privatio activæ vocis ſit ex vi irregularitatis; ſed vi pœnæ adjunctæ, quæ in illis caſibus locum habet. Ità

docet

docet *ibidem num.* 105. *& num. ſeq.* ait, quod dato, irregulares non poſſe validè eligere, hoc eſſe intelligendum de irregularibus denunciatis, & non toleratis: & tandem *num.* 107. concludit, quod in ordine Prædicatorum irregulares ſunt privati activa voce, conſequenter eligere non poſſunt. Quare in caſibus occurrentibus videndus eſt idem Paſſerinus, qui certò optimè tale dubium reſolvit, In noſtra autem Congregatione irregulares non poſſunt eligi, nec alios eligere, ut expreſsè habetur *in Conſt. par.* 3. *cap.*1. *n.* 3. *Vide tit. de Infam. Inter.* 6.

TITULUS LXXXI.

De Eleemoſyna.

Vide tit. de Cleric. &c. Inter. 18. *tit. de Concion. &c. ad quæſ.* 3. *&* 4. *tit. de Hæreſ. &c. Inter.* 10. *tit. de Largit. Mun. Int.* 1. *tit. de Oblat. fidel. tit. de Penſionar. &c. Int. ult. tit. de Regul. &c. Int.* 37. *tit. de Reſt. accep. Inter.* 1. 9. 10. *tit. de Suſp. de Hær. ad quæſ.* 2. *tit. de Vot. Inter.* 18. *tit. de Vxor. Inter. ult.*

769 INter. 1. Peccantne mortaliter Epiſcopi, & alii habentes Eccleſiaſtica Beneficia ſi ſuperflua honeſtæ ſuſtentationi non dant pauperibus?

Reſp. Certò mortalitèr peccant, nam Doctores communitèr docent totum quod ſupereſt Epiſcopo, & Beneficiario poſt ſuam congruam ſuſtentationem expendi debere in pauperes, & alia pia opera. Nam Sac. Cànones Eccleſiaſticorum bona. *Patrimonium Dei appellant*, & ideò in Miniſtrorum Dei ſuſtentatione, & piis operibus inſumenda ſunt, & abſurdum eſt exiſtimare non eſſe contra intentionem, & juſtiſſimam voluntatem Eccleſiæ, quod hæc accipiantur, at prodigè, & vanè inſumantur: Unde ſi graviter peccant Sæculares, qui cum poſſint commodè egentibus non ſubveniunt, multò magis Eccleſiaſtici, qui ſuperflua honeſtæ ſuſtentationi non dant pauperibus, maximè, quia ut inquit Tolet. *lib.* 8. *cap.* 35. *in fine*. ſuperfluum magis invenitur in Eccleſiaſticis perſonis, quæ cum non habeant filios, & filias, non ità indigent, ac Sæculares, & cum ipſorum etiam victus, & veſtitus majorem requirat modum, & modeſtiam. Vide Azor. *tom.*2. *lib.*12. *cap.* 11. *qu.* 1. *in fin.* Em. Sa *verb. Eleemoſina num.* 3. & præſertim Dian. *par.* 4. *tract.* 4. *reſ.* 214. *& par.* 5. *tract.* 8. *reſ.* 31. *& par.* 8. *tr.*7. *reſ.* 12. Nam ut ſemper ſolet, varias refert DD. opiniones. Vide pro hac noſtra ſententia Campionum *par.* 2. *cap.*12. *n.*13.

770 Inter. 2. Peccâtne mortaliter Divites, qui habent ſuperflua, & non præbent eleemoſynam in gravi neceſſitate pauperum?

Reſp. Quod in Sæcularibus, etiam in Regibus vix inveniatur ſuperfluum ſtatui, & vix aliquis teneatur ad eleemoſynam, quando tenetur tantùm ex ſuperfluo ſtatui, ut docuere quidam apud Dian *par.* 2. *tract.* 16. *reſ.* 26. *verſ. Quarto*, *& par.* 4. *tr.* 4. *reſ.*215. jam merito tamquam ad minus ſcandaloſum, fuit reprobatum ab Innoc. XI. Anno 1679. ut patet ex propoſitione 12. ibi damnata: hoc ergo prænotato, dico quod peccant mortalitèr Divites, qui ſaltem ex ſuperfluis non ſuccurrunt pauperibus, non ſolùm in extrema, ſed etiam in gravi neceſſitate exiſtentibus. Ità S. Thom. *in* 4.*diſt.*15. *quæſt.*2.*ar.* 1. *quæſtiunc.* 3. D. Antoninus 2. *par. tit.* 1. *cap.* 24. §. 4. Ricardus, Sylv. Tabiena, Armilla, & Medina, quibus ſubſcribit Tolet. *lib.* 8. *cap.*35. & alios plurimos refert Dian. *par.* 5. *tr.* 8. *reſ.* 14. & teſtatur de communi. Verum eſt tamen, quod non tenèturin quirete pauperes, ſed ſolùm miſereri occurrentibus: Epiſcopi verò, & quivis alius Superior præfer-

ſertim Eccleſiaſticus in ſua ditione, ultra hoc tenentur inquirere neceſſitates pauperum, ut eis ſuccurrant, aliàs non ſatisfaciunt præcepto. Ità Tolet. *loco. cit. in fin.* & alii plures, & præſertim Bonac. *de præcep. decal. diſp.* 3. *quæſt.* 4. *pun.* 6. *num.* 8. & 10.

771 Inter. 3. Teneturne quis in extrema neceſſitate indigenti dare eleemoſynam, non ſolùm titulo charitatis, ſed etiam lege juſtitiæ?

Reſp. Affirmativam partem tenent Spino, Petrus Navarra, Alex. de Ales, Turrecremata, Aragon. Cajet. 2. 2. *quæſt.* 118. *ar.* 3. & alii apud Dianam *par.* 5. *tr.* 8. *reſ.* 2. Oppoſitum tamèn dicendum eſt, nempè in caſibus neceſſitatis proximi ſolùm ex charitate, & non rigoroſa juſtitia teneri quem ad faciendam eleemoſynam, & ità tenet major Theologorum pars; ut teſtatur, & ſequitur Leander *par.* 6. *tr.* 5. *diſp.* 2. *quæſt.* 5. referens pro hac ſententia 28. Doctores. Probatur, quia neceſſitas etiam extrema, non facit, ut hujuſmodi res ſint de dominio indigentis, quandoquidem in tali neceſſitate dominio harum rerum non indiget, ſed uſu, ac proinde res tales non efficiuntur ſuæ in tali caſu, & conſequenter dives non peccabit contra juſtitiam illas denegando in tali indigentia. Immò ex quo jure omnia ſunt communia, fit ut jure naturæ res divitis non ſit propria ipſius pauperis potiùs, quam divitis eam poſſidentis. Alias rationes vide apud Joan. Medinam *Cod. de reſtit. quæſt.* 37. Nec obiices primò, Divites poſſe cogi ad dandam eleemoſynam. Secundò, S. Th. 2. 2. *quæſt.* 114. *art.* 4. agnoſcit debitum legale, ex quo divites obligantur ad ſuperflua pauperibus eroganda. Tertio ex SS. Baſilio, Ambroſio, & Auguſtino, Dives negans neceſſaria extremè indigenti, non aliter peccat, quàm ſi ea furatus eſſet, aut tunc non eſt talium bonorum juſtus poſſeſſor. Nam Reſp. ad primum, cum Adminiſtratores Reipublicæ ſuorum ſubditorum curam habere debeant, Superiorem poſſe compellere ſubditos, ut teneant legem juris naturæ, & charitatis, etiamſi ad eam non obligentur ex juſtitia. Ad 2. Reſp. Angelicum Doctorem ibi per debitum legale, ſolùm intelligere id quod eſt debitū ex lege, quæcumque ea ſit, ut ipſe S. Doctor clarè ſe explicat 2. 2. *quæſt.* 80. *ar.* 1. *in corp.* Voluit igitur ſignificare S. Magiſter in illis caſibus, de quibus loquebatur, eſſe verum, ac propriè dictum debitum, etiam ſub reatu peccati mortalis, quod aliquando non ſignificat ſtrictam obligationem, ſed tantùm decentiā, & honeſtatem, ut docet 2. 2. *q.* 114. *ar.* 2. *in cor.* & *q.* 117. *ar.* 5 *ad* 1. quomodo Amicitia, & Liberalitas attēdunt debitum. Ad 3. dico SS. Patres loqui per exſagerationē, non quià putent non eſſe horum, etiam ſuperfluorum dominos, ſed quià non ſunt domini, niſi cum onere expendendi illa in uſus pauperum. Dicunt ergo divites eſſe ſpoliatores, aut non eſſe juſtos poſſeſſores, quià retinent id quod debetur pauperibus, & quidem ſub mortali, ac proindè verè obligantur illud diſpenſare, & parum refert, unde naſcatur ea obligatio, an ex juſtitia, an ex ſola charitate. Concludendum eſt igitur, eum qui videns pauperem in neceſſitate extrema, non impertitur ei eleemoſynam, cum poſſit, licèt peccet mortaliter contra charitatem, non teneri tamen ad reſtitutionem, cujus obligatio oritur ſolùm ex violatione juſtitiæ particularis, non autem ex violatione juſtitiæ legalis, quæ eſt juſtitia generalis.

772 Inter. 4. Si aliquis in extrema neceſſitate conſtitutus tibi diceret, Ego volo me interficere, niſi mihi des decem aureos, & de facto vult ſe occidere, tenerisne illos aureos ei dare, ut non ſe occidat?

Reſp. Quod iſte talis velit ſe occidere, niſi habeat à me decem aureos, provenit ex culpa ſua, licèt in extrema reperiatur neceſſitate, opus autem

non

non eſt, ut ſe occidat in tali neceſſitate poſitus, ergo non ob id ei dare tenetur, quod petit, ut rectè docet Tolet. *lib.* 8. *cap.* 34. *ſub num.* 2. & alii. Sed vide *in tit.* 55. *de Debito ex contractu, ad Int.* 3. *& in præſenti tit. ad Inter. ſeq.*

773 Inter. 5. Si latro minetur Titio mortem, niſi det ſibi decem nummos aureos, quos non habet, teneturne alter qui habet illos ei dare, ut non occidatur à latrone?

Reſp. Utique ſub mortali tenetur; quià Titius dicitur eſſe in extrema neceſſitate, nam hæc neceſſitas conſtituit eum in periculo mortis probabiliter. Bonac. *de præcep. decal. diſp.* 3. *quæſt.* 4. *pun.* 6. *ſub num.* 4. & favet etiam Dian. *par.* 5. *tract.* 8. *reſ.* 7. *propè finem*.

774 Inter. 6. De neceſſariis ſimpliciter ad vitæ propriæ, aut familiæ conſervationem, teneturne quis alteri ſuccurrere neceſſitate extrema laboranti?

Reſp. Nullus tenetur vitæ alterius ſuccurrere cum diſpẽdio ſuæ vitæ, aut parentum, filiorum, vel familiæ, ut omnes DD. fatentur, teſte Toleto *lib.* 8. *cap.* 34. ſed quilibet tenetur, de ſuperfluis vitæ, naturæ, & ſtatui, facere eleemoſynam proximo, etiam extra neceſſitatem ipſius extremã, vel quaſi extremam. Verùm ſi loquamur de neceſſitate extrema Communitatis, ſeù publicæ perſonæ, valdè neceſſariæ Reipublicæ, à qua bonum commune Civitatis dependet, aut Exercitus, tunc certo potiùs huic, quam ſibi ſuccurrendum eſſet, non ſolum dum extrema, verùm etiã dum gravi neceſſitate laborat, nam bonum publicum præferendum eſt privato, & proprium bonum negligere quiſque tenetur. Ut docet S. Th. 2. 2. *q.* 32. *ar.* 6. & alii, quos refert, & ſequitur idem Tolet. *loco cit.* & aliis relatis tenet etiam Bonac. *loc. prox. cit. ſub num.* 11. *verſ. in Reſp. &c.*

775 Inter. 7. Ex bonis neceſſariis ad decentiam ſtatus, & non neceſſariis ad vitæ conſervationem, teneturne quis facere eleemoſynam in extrema neceſſitate exiſtenti?

Reſp. Plurimos Doctores pro parte affirmativa refert Dian. *par.* 5. *tr.* 8. *reſ.* 7. & hoc procedit etiamſi ex opitulatione patiatur aliquod damnum in dignitate, & faſtu externo, & hanc eſſe communem ſententiam teſtatur Toletus *lib.* 8. *cap.* 34. *num.* 2. & ait, quod potius homo debet facere jacturam decentiæ ſtatus ſui, & minuere ſe, & reſtringere, quàm quod alius moriatur ob defectum eleemoſynæ ab ipſo faciendæ, & hoc mihi videtur tenendum, quidquid alii apud Dian. *ibidem; & par.* 2. *tract.* 16. *reſ.* 26. in contrarium ſentiant, dum dicunt, quod licèt noſtra opinio ſit vera, tamen nullus teneatur ſtatum ſuum abſolutè deiicere, aut deprimere ob proximi neceſſitatem extremam; Nam reſpondetur ipſammet rationem naturalem dictare vitam proximi præferendam eſſe decenti noſtro ſtatui, ergo de bonis neceſſariis ad decentiam ſtatus tenetur quilibet facere eleemoſynam in extrema neceſſitate exiſtenti; agitur enim de vita amittenda, & ſic charitas obligat, ne tantum malum patiatur in proximo ſuo, ut ipſe à ſtatu non cadat. Vide S. Th. *loc. mox adducendo quæſt.* 32. *ar.* 5. Sylv. *verb. Eleemoſyna num.* 2. §. 1.

776 Inter. 8. Teneturne quis facere eleemoſynam in communibus pauperum neceſſitatibus ex bonis omninò ſuperfluis?

Reſp. Diana *par.* 2. *tr.* 15. *reſ.* 32. *& par.* 5. *tr.* 8. *reſ.* 17. pluribus relatis conatur defendere non teneri. Oppoſitum tamen docet S. Th. 2. 2. *q.* 32. *art.* 7. & ibi Cajet. & Bannes, Navar. *in man. cap.* 24. *num.* 5. & alii plures, quos dat, & ſequitur Bonac. *de præcept. decal. diſp.* 3. *quæſt.* 4. *pun.* 6. *n.* 6. *&* 8. & apud eundem Dian. *loco cit.* Pro utraque parte ſunt validæ rationes ut videre licet apud citatos Authores. Mihi tamen placet id quod docet Granadus *in* 2. 2. *contr.* 3. *tract.* 11. *diſ.* 2.

KK *ſect.*

ſect. 4. *num.* 26. ubi inter alia hæc habet: Si in communibus neceſſitatibus dives non elargiatur pauperi eleemoſynam, ut Templum ædificet, vel Monaſterium Religioſorum erigat, vel quid ſimile, ab omni culpa excuſabitur, ut Eccleſiæ praxis perſuadet. Sed vide Tolet *lib.* 8. *cap.* 35. *num.* 2. ubi ſic inquit. Qui ſuperflua habent, debent multum timere, & Confeſſarius debet illis maximè conſulere, ut diſtribuant; nec apud ſe retineant, quia, etſi Doctorum Scholaſticorum communis ſententia eos excuſat, tamen Doctores Sancti, illos damnant: Conſulendum eſt igitur eis ſemper, ut largè Eleemoſynas præbeant.

777 Inter. 9. Peccâtne mortaliter Divites, qui habent ſupeflua, & non faciunt eleemoſynam extrà extremā, vel quaſi extremam neceſſitatem pauperum, ſi habeant intentionem conſtruedi Templa, aut omnia relinquendi pauperibus poſt mortem?

Reſp. Peccant certò mortaliter, quia hæc eorum intentio non tollit obligationem, nec facienda ſunt mala, ut eveniant bona, nam ut ait S. Joan. Chriſoſtom. *homil.* 34. *ad Populum Antiochenſ.* Divites habentes ſuperflua ſunt Æconomi in Dei familia, & ex præcepto tenentur diſtribuere ea in pauperes. Vide Bonac. *loco prox. cit. ſub num.* 9. qui ex Azorio, & aliis communiter, docet, ut dictum eſt ſupra.

778 Inter. 10. In quo caſu quis peccat mortaliter ſi eleemoſynam non largiatur?

Reſp. In duobus caſibus peccat mortaliter; Primus quando habet de ſuperfluo naturæ, & perſonæ: Secundus quando ei apparet pauper in extrema, vel ferè extrema neceſſitate conſtitutus, & hoc intelligendum eſt, non quando pauper emiſſurus eſt ſpiritum, ſed quando ob defectum neceſſariorum apparet, quod ille moritur, niſi ei ſuccurratur de neceſſariis. Ità Cajet. *in Sum. verb. eleemoſyna*; Mihi tamen omninò dicendum videtur teneri etiam ſub mortali, & ex præcepto eleemoſynam erogare, non ſolum dum extrema, ſed etiam dum gravi neceſſitate laborat: Ratio eſt, quia Luc. *cap.* 11. dicitur; Quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Vide Tolet. *lib.* 8. *cap.* 35. *num.* 1. qui inter alios pro hac ſententia citat D. Th. idem tenet Bonac. *de præcept. decal. diſp.* 3. *quæſt.* 4. *pun.* 6. *num.* 8. & alii plures penes ipſum. Notandum eſt tamen, quòd neceſſarium, vel ſuperfluum, non debet conſiderari ſolùm reſpectu præſentis temporis, ſed etiam reſpectu periculorum, quæ probabiliter poſſunt accidere, ut benè obſervat Cajet *loco cit.* Tolet. *ibidem cap.* 33. *ſub num.* 1. & alii communiter.

779 Inter. 11. Qui habet parentes, & filios ad extremam neceſſitatem redactos, teneturne potius ſuccurrere parentibus, an propriis liberis?

Reſp. Dicunt aliqui teneri ſuccurrere filiis. Ita Angelus *verb. Filius num.* 2. & alii. Oppoſitum tamen, & probabilius docet S. Th. 2. 2. *quæſt.* 26. *tr.* 8. *ad* 3. & cum eo cœteri Thomiſtæ, teſte Dian. *par.* 9. *tr.* 9. *reſ.* 60. *verſ. Sed difficultas*, & ratio eſt quia filii totum ſuum eſſe, & vitam, & quidquid habent, à Parentibus habent, ſed parentes nihil habent à filiis, niſi jacula, ſpinas, & curas, quibus maximè anguntur, & ſtimulantur, ut eis vitæ remedium quærant, ut ex Sacra Scriptura benè probat ipſe Diana. Extra verò neceſſitatem extremam dicimus potius filiis, quam parentibus ſuccurrendum eſſe. Vide Sylv. *verb. Charitas num.* 2. & Em. Sà *eodem verb. num.* 10. & præſertim Bonac. *de præcept. decal. diſp.* 3. *quæſt.* 4. *pun.* 4. *n.* 2. & iterum Sà *verb. Parentes num.* 10.

780 Inter. 12. Conjux cui tenetur ſubvenire, ſi habeat Parentes, & Filios in extrema neceſſitate conſtitutos?

Reſp. Maritus, qui non poteſt omni-

omnibus ſubvenire, dicunt quidam, quod potiùs teneatur ſubvenire ſuæ Uxori, quia maritus, & Uxor cenſentur una caro juxtà illud Matthæi *cap.* 19. *Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro, & relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ &c.* ut dicitur in Evangelio. Ità docet Henriquez *lib.* 11. *cap.* 8. *num.* 1. & alii. Sed communis ſententia teſte Bon. *to.* 2. *de legib. diſp.* 6. *q. unic. pu.* 7. *n.* 10. docet, potiùs ſubveniendũ eſſe Parentibus, & Filiis, quam Uxori; nam erga Parẽtes, major quidẽ eſt obligatio, quia ab illis accepimus eſſe, & major cõjunctio eſt, quoad eſſe abſolutè, unde dixit Ariſtoteles: *Diis, Parẽtibus, atque Magiſtris nunquã poteſt reddi æquivalẽs pro beneficiis acceptis.* Sed vide, quæ dixi *in Reſp. ad Inter. antecedentem*, ubi firmavi, teneri quemquam potius parentibus ſuccurrere in extrema neceſſitate redactis, quam propriis Filiis; quia Parentes nihil habent à Filiis niſi jacula, ſpinas, & curas, quibus anguntur, & ſtimulantur, ut eis vitæ remedium quærant. Sed quia in caſu noſtro, major eſt conjunctio, quæ eſt inter Patrem, & Filium, quàm illa, quæ eſt inter Maritum, & Uxorem, ideò dicimus potiùs Maritum teneri ſubvenire Parentibus, deinde Filiis, cum Uxor non ſit aliquid ſubſtantiæ viri, ut Filii, qui ſunt veluti pars Patris ex ipſius viſceribus deciſa. Vide Tolet. *lib.* 5. *cap.* 1. Sanchez *de Matrim. lib.* 9. *diſp.* 4. *num.* 26. & alios plures, quos refert, & ſequitur idem Bonac. *ubi ſuprà*, & Dianam *par.* 5. *tr.* 14. *reſ.* 93.

781 Inter. 13. Poteſtne Parochus, vel Epiſcopus impedire Religioſos ex Ordine Mendicantium, & qui cum eis participant in privilegiis, ne eleemoſynas quærant?

Reſp. Non poſſunt, quia licitum eſt illis ſine præjudicio voti paupertatis mendicare, ſeù ex eleemoſynis mendicatis vivere, prout jam definitum fuit in Concil. Conſtant. *ſeſſ.* 8. & in Bulla Martini V. & à Leone X. contra Errores Luteri. Vide Lezanam *tom.* 1. *par.* 1 *cap.* 6. *num.* 43. qui ibidem *num.* 44. refert declarationem Sac. Congreg. Concilii, quæ ita decidit. Fratres ordinum Mendicantium nequaquam poſſe ab Epiſcopo prohiberi, quo minus per ſe ipſos in Diœceſibus, ubi habent Conventus eleemoſynas quærant, ſed tantum ſi extrà loca, ubi Monaſteria exiſtant, quæritare voluerint, teneri ſuorum Superiorum licentiam Ordinario oſtendere. Peyrinus *tom.* 1. *privileg. Minim. in Conſt.* 4. *Sixti IV.* §. 8. *num.* 40. & hoc etiam eſt verum, licet dicti Regulares habeant bona ſtabilia, quando illis adhuc deſunt neceſſaria ad vitam, aliàs peccant eleemoſynas ſuperfluas quæritando, ſed non contra juſtitiam, & ſic ad reſtitutionem non tenentur, quia nullum pactum ineunt dantibus illas eleemoſynas: Peccant quoque Regulares ſuperfluas eleemoſynas accipientes, ſi id faciunt animo aggregandi opes, vel ut lautè vivant, aut quando reverà talibus eleemoſynis non indigeant. Tamen non videtur admittendum id, quod aliqui dicunt, ut Laurentius de Franchis *in Controver. Epiſc. & Regul. pag. mihi* 39. Matthæuccius *in offic. curiæ Regul. cap.* 16. *num.* 40. *in prima editione*, & alii, nimirum poſſe ordinarios impedire, & prohibere nè Mendicantes ſuperfluas eleemoſynas petant, nam ipſis Ordinariis nullatenus competere poteſt facultas judicandi, an eleemoſynæ, quas petunt, ſint, vel non ſint ſuperfluæ, cum non ſint Judices ipſorum, ut benè obſervat Lezana *tom.* 1. *par.* 2. *cap.* 1. *num.* 5. Imò prohibentes eos mendicare, ſecundum aliquos incidunt in excommunicationem latè ſententiæ, & Inquiſitores hæreticæ pravitatis ad petitionem Fratrum poſſunt, & debent contra illos procedere, ſicut contra alios hæreticos. Vide Lezanam *loco cit. num.* 4. & *tom.* 2. *verb. Quæſtuarii num.* 4. ubi plura privilegia, & Sac. Congregationis De-

Digitized by Google

creta in favorem Regularium adducit & tandem, ne deſeras videre quæ dicam *in tit.* 102. *de Hæreſi, & Hæreticis ad Inter.* 10. *& in tit.* 180. *de Regularibus, ſeù Religioſis, ad Inter.* 37. Sanchez *in Sum. lib.* 7. *tom.* 2. *cap.* 24. *per totum*, Barboſ. *in Trident. ſeſſ.* 21. *cap.* 9. *num.* 4. *&* 5. & Lantuſcam *in Theat. Regular. verb. Eleemoſynam.* 1. *&* 2. *& in Suppl. eodem verb. per totum, ubi plura* ad intentum.

782 Inter. 14. Peccatne mortalitèr Beneficiarius, qui fructus ſuæ ſuſtentationi ſuperfluos non expendit in opera pia?

Reſp. Doctores communiter docent eum peccare mortalitèr, & rectè quidem, nam Beneficium appellatur res Dei, Patrimonium Chriſti, & bona pauperum, conſequenter grave peccatum eſt profanè expendere patrimonium Chriſti, res Dei, & bona pauperum. Ità Bonac. *de oblig. Benefic. diſp.* 4. *pun.* 2. *num.* 9. Armilla *verb. Beneficium num.* 41. & Em. Sà *verb. Eleamoſyna num.* 3. ideòque commune eſt inter Doctores pronuntiatum, totum, quod ſupereſt Beneficiario poſt ſuam Congruam ſuſtentationem expendi debere in pauperes, & uſus pios, nec legi aliquem, qui contrarium doceat. Vide Dianam *par.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 214. *& par.* 10. *tr.* 11. *reſol.* 35. *Verſ. Verùm*, ubi putat certò Beneficiatum peccare peccato Sacrilegii, ſi in profanos uſus expendat fructus Beneficii, & rectè dicit. Legatur Triden. *ſeſſ.* 25. *de reform. c.* 1. & id, quod dixi *ad Inter.* 1. Vide Armillam *verb. Clericus num.* 24. *&* 25. qui teſtatur hanc eſſe mentem D. Th. 2. 2. *quæſt.* 185. quidquid noviſſimè in contrarium ſentiat Rotarius *in Appar. pro exam. Cler. cap.* 8. *ſect.* 5. *per totam*.

783 Inter. 15. Epiſcopus teneturne erogare in uſus pios omne id, quod ſupereſt ex congrua, & decenti ſuſtentatione, vel tantum aliquam partem?

Reſp. Quidam dicunt in communibus neceſſitatibus, Epiſcopum ſatiſfacere præcepto, ſi quartam partem reddituum in uſus pios expendat, vel ſi medietatem ſuperflui. Vide Doctores apud Dianam *par.* 4. *tract.* 4. *reſ.* 214. *& par.* 8. *tract.* 7. *reſ.* 12. ubi tandèm ſic concludit ipſe Diana hic ultimo *loco cit.* ſcilicèt, quod omnes Eccleſiaſtici deberent amplecti ſententiam, Card. de Lugo, viri non ſolum in Scholaſtica, ſed etiam in Moral. Theol. nemini ſecundi. Vide ergò ipſum de Lugo *de juſt. tom.* 1. *diſp.* 4. *ſect.* 2. *num.* 10. *& ſeqq.* qui rectè probat, Epiſcopum, & alios Beneficiarios teneri erogare in uſus pios omne id, quod ſupereſt ex congrua, & honeſta ſuſtentatione, & hæc eſt communis Doctorum ſententia, teſte Diana *ibidem* Vide etiam Campionum *par.* 2. *Inſtr. pro Confeſſ. cap.* 12. *n.* 13. & præſertim Armillam *verb. Beneficiũ num.* 41. ubi rectè ſic inquit. Diſpenſare malè proventus Eccleſiaſticos, mortale peccatum eſt, ut ſi ea, quæ ſuperfluunt neceſſitati naturæ, & perſonæ, diſpenſentur in ditando propinquos, in pompis, & luxibus, vel in aliis exorbitantibus; Non enim ſunt Domini diſpenſatores proventuum Eccleſiaſticorum, quos in pauperes Chriſti diſpenſare tenentur ſi ultra neceſſitatem ſuam ſuperſunt. Idem docet Cajet. *in Sum. eodem verbo*.

784 Inter. 16. Commendatarii tenenturne ex juſtitia eleemoſynas elargiri, & ſuarum Eccleſiarum neceſſitatibus ſuccurrere?

Reſp. Affirmativè reſpondendum eſt, eo quod prædicti redditus ſunt bona Eccleſiaſtica, aliàs defraudatores, & uſurpatores erunt bonorum Eccleſiaſticorum, nam omninò ex juſtia tenentur ad certam fructuum quantitatem in pauperes erogandam, ſeù in fabricam, & ornamenta Eccleſiæ diſtribuendam, pro ut illis à Papa impoſitum fuerit. Vide Bonacinam *de oblig. Benefic. diſp.* 4. *pun.* 2. *num.* 20. & licèt probabile ſit id, quod dicit

Fagn.

Fagn. *tom.* 3. *in prima par.* 3. *decret cap. Si quis ſanè, de peculio Cler. à num.* 28. *uſque ad finem*, ſcilicèt ex juſtitia teneri, quandò redditus abundarent, deductis etiam neceſſariis ad decentem ſtatus ſuſtentationem: idem docet Sylveſt. *verb. Clericus* 4. *num.* 14. ubi ſic inquit: Et intellige, quandò redditus ſuperſunt, detractis neceſſariis. Verùm quià Fagnanus *loco cit. in fine* cum aliqua formidine de oppoſito, concludit Summum Pontificem conſulendum eſſe in tali caſu, ut ambiguitas omnis de medio tollatur, conſequenter res manet ſub dubio, & in dubio tutior pars eſt eligenda ex celebri illa regula juris, quam tradunt Pontifices *in cap. ad audientiam, cap. Juvenis de ſponſ.* Quam regulam multi quidem volunt habere locum non ſolum in dubio facti, ſed etiam in dubio Juris ex rationis æqualitate. Baſilius Legionen. *lib.* 10. *de Matrim. cap.* 10. cum Vaſquez, & aliis; Idem latè probat Sanchez *in Sum. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 10. cui adhæret Rodericus *in Compend. qq. Regul. reſol.* 3. *ſub num.* 25. *fol.* 40. *in princ.* tum maximè quia bona Eccleſiæ, bona pauperum ſunt, Eccleſia namquè aurum non ob id vult, niſi, ut pauperes alat. *cap. Aurum* 46. *diſt.* tum deniquè quià Eccleſiaſticorum victus, & veſtitus majorem, quam Sæcularium requirit modum, & modeſtiam, ut concors Doctorum ſententia tenet. Ergò &c.

TITULUS LXXXII.

De Emptione, & Emptoribus.

Vide tit. de Feſt. dieb. Int. 2. *tit. de Jur. Int.* 7. *tit. de Monopol. tit. de Negot. Cler. &c. Int.* 4. 5. *tit. de Poſſeſ. &c. Int.* 2. *tit. de Simon. tit. de Vendit. &c. tit. de Uſur. &c. Int.* 15.

785. INter. 1. Qui bona fide, v. g. emit equum à latrone, quia neſciebat eſſe latronem, comperto poſteà vero Domino, teneturne in conſcientia vero Domino reſtituere, vel poteſt reddere latroni, à quo Equum bona fide accepit?

Reſp. Non tenetur vero Domino reſtituere, ſed ſufficit, ſi reſtituat illi, à quo bona fide emit, & recuperare ſuum pretium. Navar. *in Man. cap.* 17. *n.* 9. & alii plures, quos refert Diana *par.* 2. *tr.* 17. *reſ.* 4. *in princ.* qui teſtatur de communi; idem aſſerit Bona *de Reſt. diſp.* 1. *q.* 4. *pun.* 2. *n.* 1. Si verò ſuum pretium recuperare non poteſt, tunc reddere Domino tenetur, ut docet Sylv. *in Sum. verb. Reſtit.* 3. §. 7. & Alex. de Ales apud Tolet. *lib.* 5. *cap.* 17. *ſub n.* 7. & alii apud Bonac. *loc. cit. n.* 4. qui hanc ſententiam communem eſſe teſtatur.

786 Inter. 2. Qui mala fide rem emit à latrone, quia ſciebat, rem eſſe furtivam, poteſtne tuta conſcientia, cognito vero Domino, latroni reſtituere, ut pretium recipiat?

Reſp. Multi dicunt poſſe contractum cum fure initum reſcindere, & recuperare pretium, quod pro ea dedit, & conſequenter eidem reſtituere, & pro hac ſententia ſunt D. Antonin. *par.* 2. *tit.* 1. *c.* 12. §. 16. Sylveſt. *verb. Reſtit. q.* 7. Tolet. *loc. ſup. cit.* & alii plures, quos refert, & ſequitur Dian. *loc. prox. cit.* §. *bis verò, & part.* 5. *tr.* 14. *reſ.* 87. Alii verò tenent, vero Domino, & non Furi eſſe reddendam, ut ſunt Bannes, Rebellius, Vaſquez, Molina, Sotus, Medina, & Covaruvias, quos ſequitur Reginald. *tom.* 1. *lib.* 19. *c.* 5. *n.* 40. ut videre licet apud ipſum Dian. *ea reſ.* 4. & quamvis ipſe Diana hanc ſententiam ibi non ſequatur, tamen *par.* 5. *tr.* 14. *reſ.* 87. fatetur hanc eſſe probabiliorem, eique adhærere, & ità eſt omninò tenendum, cum ſit magis tutum in praxi; ſibi enim imputare debet, ſi pretium non recipiat; Cæterum ſi non dat vero Domino, manifeſtè cooperatur furto per continuationem, & perſeverantiam, ut habet Turrianus *in ſelect.*

cent.

Digitized by Google

cent. 4. *cenſuræ Theol. dub.* 36. Vide Bonac. *loc. ſup. cit. ſub n.* 1.

787 Inter. 3. Sciens Theſaurum latere in fundo alieno, poteſtne illum tuta conſcientia emere pretio currente?

Reſp. Theſaurum hunc inter Venditorem, & Emptorem æqualiter dividendum eſſe, nonnulli exiſtimant, aut, ut alii dicunt, dictus Emptor tenetur dare pretium æquivalens Venditori, juxtà valorem Theſauri, deductis expenſis, aliàs facit contra juſtitiam, emens agrum communi pretio, & tenetur ad reſtitutionem. Ità docent Angelus, Armilla, & Tabiena, quos ſequitur Hurtadus *de juſt. & jure diſp.* 1. *diffic.* 35. Tamen oppoſitum docent S. Thom., Bannes, Salonius, Vaſquez, Leſſius, Beccanus, cumulati ab eodem Hurtado, teſte Diana *par.* 9. *tract.* 5. *reſol.* 15. quibus ipſe addit Card. de Lugo, Rebellium, Dicaſtillum, Layman, & alios, & ſolidis rationibus hanc confirmat ſententiam, inter quas unam tantùm hic referam, nempè Dominus fundi, vel agri in iſto caſu, non eſt Dominus Theſauri, quia Theſaurus non eſt fructus agri; & ante manifeſtationem nihil Theſauri ad eum pertinet, etiam ex diſpoſitione juris. Ergo emens Theſaurum, vel ſciens ibi eſſe, nullam facit Domino agri injuriam, non manifeſtans illi Theſaurum; & ideò ſtando in jure naturæ, ſive ex induſtria inveniatur Theſaurus, totus eſt inventoris, ſicut & alia bona communia ſunt primo occupantis, ac per conſequens, qui emit fundum, vel agrum illum communi pretio, juſtè emit, ac proinde ſecurus eſt in conſcientia, ut rectè dicit ipſe Diana loco cit. ad quem te remitto, ſi plura ſcire deſideras. Idem docet Bonac. *tom.* 2. *de reſt. diſp.* 1. *quæſt.* 3. *pun.* 6. *num.* 7. qui citat S. Thomam, & alios. Demum pro Theſauris attendendæ ſunt leges juris communis Civilis, & municipales, quæ vigent in loco, ubi Theſaurus inventus eſt.

TITULUS LXXXIII.

De Epiſcopatu, & Epiſcopis.

Vide tit. de Abſol. à reſer. ad quæſ. 1. *tit. de Ætat. &c. Inter.* 3. 6. *tit. de Canon. Int.* 2. *tit. de Caſ. reſer. Inter.* 3. *tit. de Celeb. Miſſ. Inter.* 11. 12. *tit. de Cenſur. &c. Int.* 3. 4. *tit. de Cler. ad quæſ.* 1. *tit. de Concion. &c. ad quæſ.* 4. *tit. de Confeſſar. ad quæſ.* 2. *tit. de Confeſſ. ſac. Inter.* 18. *tit. de Decr. Int.* 1. 2. 3. *tit. de Diſpenſ. Int.* 10. 12. *tit. de Eccl. Immun. Int.* 41. *tit. de Eccl. pollut. Int.* 17. 18. *tit. de Edict. Interrogat.* 3. *tit. de Eleemoſyn. Interrogat.* 1. 13. 15. *tit. de Exam. quoad ſcie. &c. Int.* 1. 3. *tit. de Exc. &c. Int. ult. de Hæreſ. &c. Int.* 5. *tit. de Ignor. Inter.* 12. 15. *tit. de Ing. in Mon. &c. Int.* 4. *& ſeqq. tit. de Ing. in Relig. Inter. ult. tit de Interdict. Inter.* 5. 6. *tit. de Irreg. ad quæſ.* 1. *tit. de Jubil. Inter.* 5. *tit. de Largit. Mun. Int.* 1. 2. *tit. de lib. probib. Int.* 10. 11. *tit. de Lud. Int.* 4. *& ſeqq. tit. de Novit. Int. ult. tit. de Opin. Int.* 10. *tit. de Orat. priv. Int.* 1. 2. 3. *tit. de Ord. min. Int.* 2. *tit. de Ord. ſac. Int. ult. & ad quæſ.* 2. *tit. de Papa &c. Int.* 3. *tit. de Paroch. Int.* 4. 7. *tit. de Penſionar. &c. Int.* 4. *tit. de Præc. Int.* 4. *tit. de Præl. Reg. Int.* 14. *tit de Quer. Subd. reg. Int. ult. tit. de Regul. &c. Int.* 8. 9. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 31. 32. 34. 35. 36. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 50. 58. 63. 77. 78. 79. 80. 84. 87. 91. 96. 97. 101. 113. 114. 115. *& ad quæſ.* 6. *tit. de Relig. aliq. part. Int.* 5. *tit. de Reſid. Int.* 12. 3. 4. 5. 7. *tit. de Sac. Confir. Int.* 2. 3. 4. 5. 9. 10. *tit. de Sac. Matr. Int.* 7. 9. 23. *& ad queſ. tit de Sacr Ord. Int.* 4. *& ad quæſ.* 3. *&* 4. *tit. de Sigil. Confeſ. Int.* 20. *tit. de Simon. Int.* 22. 26. 27. *tit. de Sollic. Int.* 7. *& ſeqq. tit. de Subdiac. tit. de Subd. Int.* 1. 2. 3. *tit. de Tonſ. Int.* 3. 4. *tit. de Val. abſ. Int.* 1. 8. *tit. de Val. Benef. Int.* 4. *tit. de Val. Confeſſ.*

Digitized by Google

Confeſ. Int. 14. 16. 21. *tit. de Val. Diſpenſ. Int. ult. tit. de Val. Sac. Matr. Int.* 20. *tit. de Val. Vot. Int.* 1. *tit. de Verb. cum Monial. tit. de Viſit. Int.* 1. 2. 6. 8. *tit. de Vot. Int.* 7. 8.

788 INter. 1. Quid ſignificat hoc nomen Epiſcopus?

Reſp. Dico quod hoc nomen Epiſcopus, eſt nomen græcum, & nihil aliud ſignificat, loquendo ſermone latino, niſi ſpeculatorem, ac ſuperintendentem, quia Subditorum mores, & vitam ſpeculatur, & ſuperintendit Laicis, & Clericis, cum ejus officium ſit attendere gregi, nempè hominibus, qui ei ſubſunt, & eorum ſpirituali ſaluti invigilare. Sylveſter *verb. Epiſcopus n.* 1. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 3. *n.* 1.

789 Inter. 2. Eſtne peccatum mortale, honoris, aut divitiarum gratia, Epiſcopatum appetere, aut alium pinguiorem procurare?

Reſp. Quamvis aliquis reverà ſit dignus Epiſcopatu, & habeat qualitates requiſitas pro tali gradu, tamen ſi illum appetit appetitu deliberato propter ambitionem, & cupiditatem principaliter, aut tanquam finem, mortaliter peccat, quia eſt cupiditas periculoſa, & ambitio bono communi repugnans. Ità Sylveſter *verb. Epiſcopus ſub n.* 4. cui ſe ſubſcribit Toletus *lib.* 5. *cap.* 3. *n.* 3. Vide Em. Sà *verb. Epiſcopus ſub n.* 3. & prçſertim D. Thomam 2. 2. *q.* 185. *art.* 1. quem refert Peyrinus *tom.* 2. *de Prelato q.* 1. *cap.* 6. qui ex profeſſo de hac tractat materia. Si verò minus principaliter, non eſt pluſquam peccatum veniale ſecundùm Toletum *loco citato.* Cęterum non valet dicere, quòd, qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat, quia in caſu noſtro, potiùs opes deſiderat, & prçſumptuoſum eſt, hominem appetere talem gradum, nam oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, non iracundum, non vinolentum, non turpis lucri cupidum, &c. ut ait S. Paulus ad Timoth. Vide Doctores ſupracitatos, à quibus plura haberi poſſunt ad hoc propoſitum. Et nota peccare mortaliter Epiſcopum, qui propter bona temporalia, vel ambitum, alium pinguiorem Epiſcopatum procurat, ut docent D. D. apud Dianam *par.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 100. quibus ego etiam calculum meum adjungo. Sed vide Lezanam *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 17. *n.* 22. *per totum.* Et prçſertim Armillam *verb. Beneficium n.* 39. & 74.

790 Inter. 3. Quænam ſunt conditiones, quas debet habere, qui ad Epiſcopatum debet aſſumi?

Reſp. Debet habere ætatem triginta annorum completorum. *cap. cum in cunctis de elect.* Sed in Regno Galliæ ex concordatis inter Leonem X. & Regem Galliæ ſufficit, quòd ſit in 27. anno conſtitutus, ut ritè eligi poſſit. Vide Dianam *par.* 10. *tr.* 16. *reſ.* 86. *verſ. Sed cum pro Epiſcopis.* Item debet eſſe de legitimo Matrimonio natus, moribus, & vita honeſtus, ordine ad minus Subdiaconatus, antea ſex Menſium ſpatio conſtitutus, ac tandem doctrina præditus; unde debet eſſe Doctor, vel ſaltem Licentiatus in Theologia, vel in Jure Canonico, aut publico alicujus Accademiæ teſtimonio idoneus ad alios docendos oſtenſus. Vide Conc. Trident. *ſeſſ.* 7. *cap.* 1. & *ſeſſ.* 22. *de reform. capit.* 7. & Toletum *lib.* 5. *cap.* 3. *ſub n.* 4. addentem præterea, quòd qui aliquid harum conditionum fingit ſe habere, graviter peccat. De tali dubio videndi ſunt Doctores cumulati per Barb. *in Collect. ad Tridentinum locis ſupracitatis.*

791 Inter. 4. Ad Epiſcopatum eſtne præferẽdus Theologus, vel Canoniſta?

Reſp. Eſt quæſtio inter Theologos, & Canoniſtas. qui ſit præferendus. Theologi, pro Theologis ſentiunt, Canoniſtæ pro Canoniſtis, inter quos etiam multi Theologi nominantur. Vide Bonac. *de reſtit. diſp.* 1. *quæſt.* 1. *pun.* 1. *num.* 16. qui Theologis

giſ adhæret. Et ratio horum eſt, quia præcipuum munus Epiſcopi eſt Concionari, docere, fidei veritatem tueri, & multa alia præſtare, quæ ad conſcientiæ forum pertinent, quàm finem litibus imponere. Ultrà quòd Epiſcopus in conſecratione non interrogatur an ſciat jus Canonicum, ſed an ſciat utrumque Teſtamentum. Sed vide etiam Dianam *par.* 7. *tract.* 12. *reſ.* 1. qui pro utraque parte Doctores refert, & tandem concludit, quod pro bono regimine Eccleſiarum melius ſit, ut promoveantur Canoniſtæ quam Theologi in his præſertim partibus, in quibus non vigent hæreſes; quamvis non neget, ſæpius etiam Theologos Epiſcopali dignitate condecorandos eſſe; maximè quia in rigore ſententia pro Theologis eſt probabilior, quam præter alios Doctores egregiè, & ſolidè tuetur Bannes *in* 2.2. *quæſt.* 63. *ar.* 2. *dub.* 3. Verùm, ut ajt ipſe Diana ubi ſupra, eligatur Theologus, vel Canoniſta, dummodo ſit doctior, & dignior, optima erit electio, nam ad hunc effectum luſtrandæ ſunt Academiæ, Collegia, Capitula Eccleſiarum, & Monaſteria Regularium, & èx iſtis digniores, & ſapientiores elegi debent; ſiquidem non minus eſt neceſſaria ſcientia Sacrorum Canonum, quàm Theologia ad Eccleſiæ regimen.

792 Inter. 5. Qui habet votum ingrediendi Religionem, eſtne tutus in conſcientia, ſi adeptus eſt Epiſcopatum?

Reſp. Non eſt tutus in conſcientia, ſed debet reſignare Epiſcopatum, & reddere Altiſſimo vota ſua, ut dixit Innocentius III. in *c. Per tuas, de voto* de tali caſu interrogatus, nam Epiſcopatus non efficit hominem perfectiorem, quàm Religio, ſed ſupponit hominem perfectiorem; & licèt Epiſcopatus ſit ſtatus perfectior ſtatu Religioſo, non eſt tamèn perfectior, melior, ac magis meritorius reſpectu ipſius voventis, quàm ſit Religio, ſed vocatur ſtatus perfectionis, quia ſupponit perfectionem in illo, qui ad Epiſcopatum promovetur, ut rectè oſtendit Bonac. *De Præc. Deca*; *diſp.* 4. *q.* 2. *punt* 7. §. 3. Vide Azorium *lib.* 11. *c.* 22. *q. ult.* Laym. *lib.* 4. *tr.* 5. *c.* 9. *n.* 15. Mirandam *in Man. tom.* 1. *q.* 20. *art.* 9. licèt contrarium dicat Em. Sà. *verb. Ep. n.* 2. & alji, ſi autē Religionis onera ferre diffidat, recurrat ad Sac. Pœnitentiariam Romanam, & petat commutationem in alia opera pia, quę gratis datur, & ſic tutus erit in conſcientia, nàm propria auctoritate non poteſt tale votum commutare in ſuſceptionem Epiſcopatus. Vide Sanchez. *in oper. moral. tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 17. per tot. Sylv. *verb. Religio* 2. *n.* 20. & *verb. Votum* 3. *in fine* & Paſſarinum *de Statib. tom.* 1. *quæſt.* 185. *art.* 5. *n.* 181. & ea quæ dicam *ad Int.* 1. *titul* 232. *De Validitate Votorum.*

793 Inter. 6. Poteſtne Epiſcopus ſibi erigere Baldachinum in quibuſcumque Eccleſiis ſuæ Diœceſis?

Reſp. Quandò Pontificalia exercet, vel in Pontificalibus vult adeſſe etiam in Eccleſiis exemptis, & Regularium cum Mitra, vel ſola Cappa indutus, tenentur Regulares, & debent in loco ad ſolium Epiſcopi conſtituendum opportuno, & congruo, Baldachinum attollere, aliàs poſſunt Fratres ad id pœnis, & cenſuris Eccleſiaſticis cogi ab Epiſcopo, ut patet ex Decreto Sac. Congregationis Epiſcoporum, & Regul. ſub Clem. VIII. de anno 1603. quale per extenſum poſt alios refert Lezana *tom.* 3. *verb.* Baldachinum *ſub. n.* 4. Vide Doctores allegatos *in tit.* 180. *De Regularibus ſeu Religioſis, in Reſponſione ad Inter.* 15.

794 Inter. 3. Epiſcopus ratione majoris doctrinæ, aut nobilitatis, poteſtne licitè ex redditibus Eccleſiaſticis in ſui ſuſtentationem plùs inſumere?

Reſp. Concil. Triden. *ſeſſ.* 25. *de reform. cap.* 1. admonet, ut Epiſcopi modeſta ſupellectili, & menſa, ac frugali victu contenti ſint, & hoc intelligendum eſt de omnibus Eccleſiaſticis, maximè ſi habent Eccleſiaſtica

Beneficia, nam hujuſmodi Beneficia non ſunt inſtituta, ut foveatur nobilitas, & pompa illi debita, ſed ut Miniſtrorum Eccleſiæ honor pro dignitate officii conſervetur. Ideò in caſu prędicto negativè reſpondet Lorca apud Dianam *part.* 2. *tract.* 16. *reſ.* 24. Verùm ipſe Diana cum Molina *de Juſt. tom.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 145. & Conincho *de actibus ſupernaturalibus lib.* 2. *diſp.* 27. *dub.* 11. *num.* 194. probabilius cenſet oppoſitum, ſcilicèt Eccleſiaſticos valdè Nobiles, aut magnæ litteraturæ cæteris paribus, poſſe plus aliis minùs Nobilibus, & minùs doctis in ſui ſuſtentationem inſumere; Debet tamèn talis exceſſus ſuſtentationis eſſe moderatus, ut non excedat decentem Eccleſiaſticorum modeſtiam. Tamèn hęc intelligi debent, dummodò dicti Eccleſiaſtici non negligant Eleemoſynas, quas pauperibus præbere tenentur, ut dixi in *tit.* 81. *De Eleemoſyna, ad Inter.* 1.

795 Inter. 8. Epiſcopus debetne ſubeſſe Principibus, Baronibus, aliiſq; Magnatibus, an potiùs debet præeſſe?

Reſp. Epiſcopus nequaquam debet illis ſubeſſe, ſed omninò præeſſe, quanquam ſit parvæ Civitatis Epiſcopus, nam ex qualitate Civitatis non augetur, vel minuitur Epiſcopi dignitas, & poteſtas. quæ quidem non pendet ex qualitate ſedis, ſed quia ex ſe magna dignitas eſt in Eccleſia. Vide Pacem Jordanum *tom.* 1. *in præludio* 9. *n.* 1. & jura ibi citata; Quarè Inn. III. *in cap. ſolitæ, de Major. & obed.*; ut oſtenderet Epiſcopi dignitatem ad differentiam dignitatis ſæcularis, ſic inquit. *Fecit Deus duo luminaria magna, ideſt duas inſtituit dignitates, Pontificalem ſcilicet authoritatem, & Regalem poteſtatem, ſed illa, quæ præeſt diebus, ideſt ſpiritualibus major eſt, quæ verò carnalibus minor eſt, ut quanta eſt inter Solem, & Lunam, tanta inter Pontifices, & Reges differentia ſit, cognoſcatur*; Vide etiam *cap. in ſcripturis*, *cap. quis*, *cap. duo ſunt*, *cap. ſi Imperator*, *& ſeqq. diſt.* 96. ubi ad hoc propoſitum multa pulchra inveniuntur. A Spiritu Sancto enim poſiti ſunt Epiſcopi regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo, in locum Apoſtolorum ſucceſſerunt, ideòq; eorum dignitas omninò conſervanda eſt, ut decernitur in Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 17: & à Principibus, & cæteris honorandi ſunt, ac eos Paterno honore, ac debita reverentia proſequi neceſſarium eſt, ut obediatur Triden. *loco ſupracit*; cùm maximè, quia Epiſcopatus eſt culmen omnium dignitatum, nam ſunt cæteris Clericis, & Sacerdotibus ſuperiores, Apoſtolis æquales, & Patres Principum ſæcularium, ut ex Suarez & Valboa docet Lezanà *tom.* 4. *conſ.* 54. *n.* 30. Videè Barboſ. *in Triden. ſeſſ.* 25. *de reform. cap.* 17. *præſertim n.* 5.

796 Inter. 9. Epiſcopus feudatarius Regis, cui debet obedire, Regi, vel Papæ, ſeù Metropolitano ſuo?

Reſp. Quidam apud Dianam *par.* 3. *tract.* 1. *reſol*: 6. dicunt, quod priùs debeat obedire Regi, quàm Papæ; ſed hoc aſſertum nullo modo debet audiri à Chriſtifidelibus, nam eſt contra Eccleſiaſticam libertatem. Dicendum eſt igitur debere Epiſcopum priùs obedire Papæ, quàm Regi, nec obſtat juramentum fidelitatis ab Epiſcopo Domino factum, quia ſemper intelligitur excepta ſui Superioris authoritate: Immò ſi Metropolitanus vocaret Epiſcopum, in tali caſu Epiſcopus tenetur magis obedire ſuo Metropolitano, quàm Regi etiam directo Domino feudi; & ratio eſt evidens, cum magis obliget vinculum ſpirituale, quàm temporale, ex eo quia eſt majus, ut habetur *ex cap. ſolitæ de major. & obedien.* & cum Marta docet Diana *ubi ſupra reſol.* 6. *citata*.

797. Inter. 10. Eſtne verum, quòd Epiſcopi in ſuis Diœceſibus poſſunt quidquid poteſt Papa in univerſali Eccleſia?

Reſp. Nonnulli id abſolutè aſſerere non dubitarunt; Alii verò dicunt hoc

 eſſe

eſſe verum, dummodò aliquid à Pontifice reſervarum non ſit, quia Epiſcopi ſunt Paſtores Ordinarii in ſua Diœceſi, ſicut Pontifex in toto Orbe, licèt ſint ipſi ſubiecti, conſequenter, poſſe diſpenſare vi poteſtatis ordinariæ in totam legem Pontificiam, in qua illis expreſsè, jure, aut conſuetudine vetitum non fuerit. Doctores pro hac ſententia refert Diana *part.* 7. *tract.* 10. *reſ.* 36, quos tamen ipſe non ſequitur, nec ullo pacto admittit Epiſcopos poſſe in propria Diœceſi id, quod poteſt Summus Pontifex in toto Orbe, licèt eis aliquid non ſit prohibitum; nam communis, & recepta ſententia docet, Epiſcopos non poſſe ex vi ſuæ poteſtatis ordinariæ, diſpenſare in legibus Pontificiis, niſi expreſsè, vel tacitè hoc eis fuerit conceſſum, cum inferior nequeat diſpenſare in lege Superioris ſui, ut clamant Jura vulgata; & ità eſt omninò tenendum. Qui plura ſcire deſiderat, legat ipſum Dianam *loc. prox. cit.* qui certò rectè concludit, & aliis allegatis docet in quibus caſibus poſſit inferior vi ſuæ poteſtatis Ordinariæ diſpenſare in lege Superioris ſui, & memini me dixiſſe *in tit.* 71. *De Diſpenſatione ad inter.* 12, cum eodem Diana *par.* 8. *tract.* 3. *reſ.* 12. & aliis ibidem citatis. Vide infrà *ad inter* 39.

798 Inter. 11. Poteſtne Epiſcopus ſubditum ſuum citare, ſi in aliena exiſtat Diœceſi?

Reſp. Si non habet aliquod ſpeciale privilegium, aut per conſuetudinem præſcriptam jus acquiſiverit, non poteſt citare ſubditum ſuum in alieno territòrio exiſtentem, prout tùm rationibus, tùm DD. auctoritate egregiè ſuſtinet Doctiſſimus Diana *par.* 5. *tract.* 9. *reſ.* 34. & ad argumenta contraria luculenter ſatisfacit, nam Epiſcopus, vel alius Judex non poteſt exercere juriſdictionem in aliena Diœceſi, vel Territorio *ex cap. fin. de Conſt. cap. Epiſcopum* 9. *qu.* 2. *ex Clem. I. de foro compet. & l. fin. de Juriſd. omnium Judic.* ergò, &c. Vide Dianam *loc. cit.* & non pigebit. Quod poteſtas ferendi cenſuras poſſit conſuetudine, vel præſcriptione acquiri, docet idem Diana *ubi ſupra reſ.* 42.

799 Inter 12. Quo die, & quo tempore conſecrandus eſt Epiſcopus?

Reſp. Conſecrandus eſt Epiſcopus die Dominico, & intrà menſes tres à ſua Confirmatione. Habetur ex Can. *Qui in aliquandò diſt.* 51. *& cap. Quoniam diſt.* 75. Sylveſt. *verb. Conſecratio* 1. *num.* 3. Emm. Sà *eodem verb. num.* 7. & alii communitèr.

800 Inter. 13. Epiſcopus electus, & adhùc non conſecratus, poteſtne approbare Sacerdotes in Confeſſionis Miniſtros.

Reſp. Si eſt electus, & confirmatus, licèt non conſecratus, utique poteſt, quia licèt non poſſit concedere ea, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis, tamen poteſt ea, quæ ſunt juriſdictionis. Ità docent plurimi, quos refert, & ſequitur Barboſ. *in Collect. DD. in Triden. ſeſſ.* 23. *cap.* 15. *n.* 25. & eſt communis ſententia. Vide Sà *verb. Epiſcopus ſub n.* 37. & præſertim Sylveſtrum *verb. Epiſcopus ſub. num.* 9. Vide etiam ad interrogat. ſeq.

801 Inter. 14. Epiſcopus electus, & confirmatus, ſed nondum conſecratus, poteſtne uti facultate abſolvendi, & diſpenſandi conceſſa ei à Trident. *ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 6. in caſibus occultis?

Reſp. Pluribus relatis affirmat Diana *part.* 7. *tract.* 2. *reſ.* 1. quià tali Epiſcopo competunt ea, quæ ſunt juriſdictionis, ſed talis eſt facultas diſpenſandi, & abſolvendi, ergò &c. Immò addit ex Sanchez, & Filliucio poſſe diſpenſare in votis, & juramentis. Verùm Epiſcopi ritulares, qui carent Diœceſi, tali privilegio minimè frui poſſunt, ut bene notat ipſe Diana, & alii penes ipſum.

802 Inter. 15. Epiſcopus electus, & confirmatus poteſtne beneficia conferre, ſi nondum ſit conſecratus. & ſi ipſe

ſe habet aliquod beneficium, valetne illud retinere poſt confirmationem? vel poſt conſecrationem?

Reſp. Poteſt Epiſcopus electus, & confirmatus, quamvis nondum ſit conſecratus, beneficia conferre; quia exercet actum juriſdictionis, non autem actum ordinis conferendo beneficia, ut rectè docet Squillante *de oblig. & priv. Epiſc. par. 3. cap. 3. dub. 5. num.* 30. Dico ſecundo poſſe Epiſcopum electum, & confirmatum, & non conſecratum retinere omnia beneficia, quæ habet, uſque ad conſecrationem licèt ex diſpenſatione ultra tres Menſes conſecrationem non recipiat; quia poſita diſpenſatione dilatio illa nõ erit culpabilis. colligitur *ex cap. cum ex eo de elect. in* 6. ubi definitur Parochum, cum quo erat diſpenſatum, ne intra annum promoveretur, non amiſiſſe beneficium illud; aut aliam pœnam incurriſſe. Vide Sanchez *de matrim. lib.* 8. *diſp.* 1. *num.* 24. Poſtquam verò Epiſcopus eſt conſecratus, & habuit pacificam poſſeſſionem Eccleſiæ, ſi priùs aliqua beneficià habebàt ipſo jure vacant, ut probat Pariſius *de reſignatione benefic. q.* 1. *num* 26. Vide etiam Rodriquèz *in ſum. part.* 2. *cap.* 10. *in fine* idem docentem.

803 Inter. 16. Epiſcopus poteſtne abſolvere ab excommunicatione violantes Eccleſiarum immunitatem?

Reſp. Multi dicunt poſſe Epiſcopum ſupradictos violantes Eccleſiarum immunitatem abſolvere ab excommunicatione, quam incurrunt ipſo facto, ut ſuprà dixi *in tit.* 76. *De Eccleſiæ immunitate, ad Inter.* 48. Nam putant dictam cenſuram non eſſe Summo Pontifici reſervatam, & hi inter alios, ſunt Barb. *de poteſtate Epiſc. p.* 3. *allegat.* 51. *caſ.* 3. *num.* 72. *in impreſſione Romana*, Belletus *in diſquit. Cler. tit. de favore Cler. reali* §. 4. *num.* 39. Bonac, *de legibus diſp.* 3. *quæſt.* 7. *pun.* 11. *num.* 2. Riccius *in praxi par.* 2. *reſ.* 333. *num.* 1. & alii plures cumulati à Diana *par.* 1. *tract.* 1. *reſol.* 41. quos ipſe non ſequitur, ut aſſerunt quidam, & præſertim Lezana *tom.* 2. *verb. Immunitas Eccleſ. ſub. num.* 21. nam ipſe ſolùm refert pugnantes ſententias, ſed ſuam non profert opinjonem, quam poſteà *par.* 6. *tract.* 1. *reſ.* 34. *verſ. Et tandèm pro Coronide* rectè explicat non poſſe Epiſcopum ullo modo à præfata excommunicatione abſolvere violantes immunitatem Eccleſiæ, & refert Epiſtolam quamdam Sac. Congregat. in qua prohibetur Epiſcopis nè abſolvant, cum non pertineat ad ipſos, ſed tantum ad Summum Pontificem Romanum, cui eſt reſervata. Verùm idem Bonac. *ubi ſupra propè finem* hanc noſtram ſententiam putat tutiorem in praxi, & ſequendam conſulit, ſiquidem eſſe dictàm excommunicationem Papę reſervatam in Prætorio Sac. Pœnitentiariæ fuiſſe deciſum teſtatur, & Paulum V. cui hac de re factum fuit verbum, annuiſſè.

804 Inter. 17. Poteſtne unquam Epiſcopus abſolvere ab excõmunicatione Papæ reſervata ſi propter aliquod delictum publicum fuerit contracta?

Reſp. Si excommunicatus habet impedimentum legitimum, quod nequeat adire Pontificem Maximum, vel ſaltem Legatum, vel alium habentem priuilegium ad abſolvendum, tunc certò Epiſcopus poteſt eum abſolvere; Et licèt quidam dicant, quod non teneatur àdire Legatum, vel alium habentem privilegium Papæ, etiamſi poſſit, quià Epiſcopus tamquam Paſtor, poteſtate ordinaria poteſt eum abſolvere, & neque teneatur mittere procuratorem, vel epiſtolam, ut ex Henriquez, Avila, & aliis tenet Diana *par.* 9. *tract.* 4. *reſ.* 62. § *Sed tria*, & §. *Adverte*; Tamen oppoſitum eſt probabilius, & tenendum cum Nav. *in Man. c.* 27. *n.* 90. Bonac *de cenſu. diſp.* 1. *q.* 3. *pun.* 2. *n.* 4. & hanc ſententiam vocat tutiorem, & probabiliorem Nicolius *in Floſ. verb. Abſolutio n.* 7. & pluribus relatis eam docet Caſſianus à S. Elia *in Arb. opin. moral.*

verb. Abſolutio §. 12. *ſub. n.* 127; *verſ. idem dicatur*, nam ceſſat ratio neceſſitatis ob quam ab Epiſcopo poſſit abſolvi, tenetur igitur ſaltem mittere Epiſtolã, ſi periculũ non ſit in mora.

805 Inter. 18. Quiſnam dicitur habere impedimentum legitimum, ut ab Epiſcopo abſolvi poſſit ab excommunicatione publica, & Summo Pontifici reſervata?

Reſp. Legitimum impedimentum quis habere dicitur, quoties abſolutè, aut ſine gravi ſuo, vel aliorum damno, aut periculo Romam venire non valet, & hi ſunt Senes, ſaltem ſexaginta annorum, Ægroti, & convaleſcentes, Religioſi utriuſque ſexus, Pauperes, qui aliàs mendicare non ſolent; Impuberes, Servi, quando Romam venire non poſſunt ſine præjudicio Domini, & Dominus non fuit cauſa quod ſeruus inciderit in excommunicationem; Filii qui ſunt ſub cura parentum: Fœminæ cuiuſcumq; conditionis ſint, Capitales inimicitias habentes, Clerici ſimul viventes; Habentes curam animarum, aut temporale dominium, ſi Subditorum jactura timeatur: Viri delicati nequeuntes incommoda itineris ſuſtinere, & alii hujuſmodi impedimenta habentes, quæ judicio prudentis viri relinquo. Vide Layman. *tom.* 1. *lib.* 1. *tr.* 5. *par.* 2. *c.* 6. *de abſolut. ab excom. ſub. n.* 3. Bonacin. *de cenſu. diſp.* 1. *q.* 3. *pun.* 2. *n.* 4. Navar. *in man. c.* 27. *n.* 88. *&* 89. Dianam *p.* 9. *tract.* 4. *reſ.* 47. *&* 62. Pacem Jordanum *tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 4. *num.* 36. *& ſeqq.* Jacòbum Mancinum *pract.* 4. *dub.* 18. Mendo *Epit. Opin. mor. verbo reſer. caſus ſub n.* 4. Cab. *de caſ. reſ. p.* 1. *reſ.* 98. *per totam*, & alios penes ipſos. Vide ſequentem Reſp. Tolet. *lib.* 1. *c.* 32.

806 Inter. 19. Qui habet ſupredicta impedimenta, & Romam venire pro abſolutione non valet, poteſtne ab Epiſcopo abſolvi, ſi fuerit irretitus aliqua cenſura in Bulla Cænę Domini reſervata?

Reſp. Licèt præfata impedimenta videantur ſolum eſſe admittenda in abſolutione propter percuſſioné Clerici, tamèn generaliter admittenda eſſe puto ob eamdem rationem, ut docent quamplurimi DD. Quarè dicunt hujuſmodi impedimenta adeundi Papã pro abſolutione procedere etiam in cenſuris Bullæ Cœnæ, ad hoc ne quis ob earum reſervationem exponatur damnationis æternæ periculo, & ita contrà nõnullos tradunt Suarez *de Pœnitent. diſp.* 30. *ſect.* 3. *n.* 9. Ugolinus *in Bulla Cœnæ par.* 3. *ſol.* 47. Thomas del Bene *de Offic. Inquiſ. par.* 1. *dub.* 61. *n.* 22. & alii quos dat, & ſequitur Cabrin. *loc. prox. cit. reſ.* 99. quibus addò Paſqualig. *tom. poſthumo in Theorica, & praxi q.* 219. *per totam*, ubi 15. DD. pro hac citàt ſententia, nec diſſentit Bonac. *de cenſu. diſp.* 1. *q.* 3. *pun.* 2. *ſub n.* 4. *prop. fin.* & plures concordantes refert Caſſianus à S. Elia *verb. Abſolutio* §. 12. *ſub. n.* 27. *verſ. Denique*. Notandum eſt tamèn, quod ſi impedimentum eſt perpetuum Epiſcopus abſolutè, & ſine onere præſentandi impoſito Apoſtolicæ Sedi, abſolvere poteſt impeditum, ſi autem impedimentũ eſt temporale, tùnc ante abſolutionem debet exigere ab impedito juramentũ, quod ceſſante impedimẽto Apoſtolico conſpectui ſe præſentare velit pro abſolutione, vel coram Legato, aut aliàs authoritatẽ abſolvendi habente, quod ſi poſtmodum non comparuerit, in ſimilem excommunicationem incidet, juxta textum *in c. eos qui, de ſent. excom. in* 6. & in hoc omnes DD. conveniunt. Tamèn mihi videtur dicendum, ſi periculum non eſt in mora, tutius eſſe mittere Epiſtolam ad Sanctam Sedem, aut Emin. Card. Majorem Pœnitentiarium, & expectare ab eis facultatem abſolvendi ab his caſibus propter ſuperius dicta ad Inter. 17

807 Inter. 20. Titius graviter percuſſit Cajum Clericum, ſed publicè ignoratur Cajum eſſe Clericum, poteſtne Epiſcopus abſolvere ab excommunicatione dictum Titium?

ali-

Reſp. Etiamſi Titius ſciebat Cajum eſſe Clericum, adhùc poteſt ab Epiſcopo abſolvi, quia licèt percuſſio ſit publica in ratione actus, quia facta fuit coram Populo; tamen in ratione delicti, & cenſuræ, dicitùr occulta: ideò integrum erit Epiſcopo vigore Trident. Titium præfatum abſolvere. Cabrin. *de caſ. reſ. p.* 1. *reſ.* 91. *verſ. addo*, & eſt communis ſententia. Vide infrà ad Int. 26.

808 Inter. 21. Poteſtne Epiſcopus abſolvere ſibi Subditos ab excommunicatione contracta ob levem percuſſionem Clerici, ſi delictum ſit ad forum contentioſum deductum?

Reſp. Dico, quòd Epiſcopus in hoc caſu poteſt abſolvere ſibi Subditum in utroque foro, & ità docent Panorm. *in cap. pervenit. de ſent. exc.* & alii communiter, teſte Dian. *par.9. tr.* 4. *reſ.* 47. *in princip.* & colligitur etiam ex *Extravag. Joan. XXII. quæ incipit perlectis*; ſicque noviſſimè fuiſſe deciſum à S. Congreg. 26. Aprilis 1687. refert Illuſtriſs. & Reverendiſs. D. meus de Zaulis Epiſcopus Verulanus, Prælatus quidem morum integritate, ſingulari prudentia, egregiaque doctrina ornatiſſimus, eujus prerogativas maximè patefaciunt ejus editæ obſervationes Canonicæ, Civiles, Criminales, & mixtæ. Vide igitur ipſum *to.* 1. *obſer. ad rubr.* 6. *lib.*4. *gol.* 462. *n.* 14. Sed nota non eſſe concedendam hujus excommunicationis abſolutionem, quin excommunicatus prius parti læſæ ſatisfactionem præſtet, quantũ commodè poſſit.

809. Inter. 22. Poteſtne Epiſcopus abſolvere ab hæreſi externa, & ab aliis caſibus in Bulla Cœnæ contentis, quando ſunt occulti?

Reſp. Dico quòd non, quià abſolutio ab hæreſi, vel aliis criminibus in Bulla Cœnæ contentis prohibetur Epiſcopis, non ſolùm quando publica ſunt, ſed etiam quando occulta; & Summo Pontifici reſervantur. Tolet. *lib.* 1. *c.* 41. *ſub n.* 7. Em. Sà *verb. Epiſcopus n.* 27. & 34. Sanch. *in Sum. to.* 1. *lib.* 2. *c.* 11. *n.* 26. & 27. *in fine*, Diana *par.* 7. *tr.* 2. *reſ.* 23. §. *Sed ego*, & priùs dixerat *par.* 1. *tr.* 5. *reſ.*12. §. *Sed his non obſtantibus.* Mendo *Ep.Op.Mor.verb. abſolvere n.*3. Alloza *ver.Epiſc.ſect.*1.*n.*3. Cabr. *de caſ.re. par.*1.*reſ.*112. Et tandè ità declaravit Ale.VII.die 24.Sept.an.1665. & opinionem contrariam reprobavit, quæ ſic afferebat: *Sententia aſſerens Bullam Cœnæ ſolùm prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, anno* 1629. 18. *Julii in Conſiſtorio Sac. Congregat. Emin. Cardinalium, viſa, & tolerata eſt.* Nam ibi quidem nunquam tolerata fuit; ſed vide ſupra ad Int. 19. Verùm quando hæreſis eſt merè interna, ſeu mentalis tantùm, non ſolùm ab Epiſcopo, ſed etiam à quolibet ſimplici Confeſſario abſolvi poteſt, ut dicam in tit. 102. de Hæreſi, & Hæreticis, ad Inter. 7. quia non habet annexam excommunicationem, ut docent innumeri DD. apud Barb. *in Collect. ad Trid. ſect.* 24. *cap.* 6. *n.* 51. & eſt communis ſententia.

810 Inter. 23. Valetne Epiſcopus abſolvere à caſibus, & cenſuris Summo Pontifici reſervatis; & diſpenſare in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus?

Reſp. Præter crimen hæreſis, & alia quæ continentur in Bulla Cœnæ, non eſt dubium, Epiſcopum abſolvere poſſe, itemque diſpenſare in omnibus irregularitatibus, & ſuſpenſionibus, ex delicto occulto, nec deducto ad forum contentioſum provenientibus, excepta irregularitate, quæ ex homicidio voluntario contrahitur. Ità conceditur ei à Tridentino *ſeſſ.* 24. *c.* 6. *de reform* & tradunt DD. communiter. Vide Sanchez *in Sum. lib.* 2. *c.* 11. *n.* 2. & Barboſ. *in Collect.* DD. in Trident. *eadem ſeſſ.*24. *c.* 6. *n.* 1. ubi adducit Doctores ad ſatietatem, ſed de-

debet hanc facultatem exercere in proprios ſubditos, & intrà Diœceſim, licèt nonnulli teneant, poſſe etiam extra Diœceſim, ut Baſſæus *tom.* 2. *verb. Irregularitas* 11. *ſub n.* 5. Diana *par.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 116. Barboſ. *de poteſt. Epiſc. par.* 1. *alleg.* 39. *n.* 7. *& loc. ſup. cit. n.* 44. Sanch. *ubi ſup. n.* 12. & alii plures penès ipſos, & eſt probabilis hæc ſententia, & tuta in praxi. Hic tamen adverte Paſſerin *de elect. Sum. Pontif. q.* 29. §. *ult.* docere cum Bonac. & Dian. Epiſcopos, virtute prædictæ facultatis Trident. non poſſe abſolvere delinquentes contra formam in eligendo Summo Pontifice præſcriptam à Greg. XV. in Conſtit. *Æterni Patris.*

811 Inter. 24. In quo caſu delictum cenſetur occultum, ut ab eo Epiſcopus vigore Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 6. abſolvere, vel reſpective diſpenſare valeat?

Reſp. Quidam dicunt, tunc delictum cenſeri occultum quouſque per confeſſionem criminis factam in judicio, vel per ſententiam Judicis, vel per facti evidentiam in Civitate, Populo, Collegio, Vicinia, vel loco notorium non ſit aut publicum, vel famoſum. Suarez *de cenſ. diſp.* 41. *ſect.* 5. Sanchez *lib* 2. *moral. c.* 11. *n.* 19. *& lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 34. *n.* 55. Bonacin. *de cenſur. diſp.* 1. *q.* 3. *pun.* 2. *n.* 1. Diana *par.* 7. *tract.* 2. *reſ.* 15. Barb. *de poteſt. Epiſc. par.* 2. *alleg.* 39. *n.* 29. Pax Jordanus *tom.* 1. *lib.* 2. *tit.* 4. *n.* 74. Mendo *Epit. Opin. moral. verbo Prælatus ſub n.* 6. Cabrin. *de caſ. reſer. p.* 2. *reſ.* 111. & alii apud ipſos. Itaque quotieſcunque delictum non conſtat Judicis ſententia, vel clara judiciali probatione, vel Rei confeſſione in judicio, aut non eſt publica infamia proditum, vel viciniæ, aut Collegio cognitum, etiamſi probari poſſit à quatuor, vel quinque perſonis, adhuc cenſetur occultum. Sylveſter *verb. Occultum n.* 4. Navar. *in man. c.* 27 *n.* 255. *& c.* 25. *n.* 68. Em. Sà *verbo Manifeſtum n.* 4. Und. delictum perpetratum coram quinque adhuc dicitur occultum. Vide Bordon. *tom.* 3. *reſ.* 49. *n.* 1. Dian. *par.* 9. *tr.* 4. *reſ.* 65. Et licèt in Vicinia, aut Collegio, ubi ad minus ſunt decem, non ſufficiat, ut quinque ſciant delictum, ut publicum dicatur, quia oportet, ut notum ſit ſex, adhoc ut ſit majori parti notum, tamen in loco ingenti non ſufficit ſex homines ſcire delictum, ut publicum cenſeatur, ſed debet innoteſcere ſaltem decem hominibus. Bonac. *ubi ſup. diſp.* 2. *q.* 2. *pun.* 1. §. 1. *n.* 6. Diana *par.* 2. *tr.* 16. *reſ.* 22. *in fine.* Mendo *loc. cit. verbo Epiſcop. num.* 6. *in fine*, & alii.

812 Inter. 25. Poteſtne Epiſcopus abſolvere, aut diſpenſare, quando delictum non eſt ad forum contentioſum deductum, vel lis conteſtata non eſt?

Reſp. Affirmant nonnulli, & dicunt, quòd Trident. dum concedit Epiſcopo facultatem abſolvendi, & diſpenſandi, utitur his verbis: *Excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis ad forum contentioſum deductis.* Ex quibus verbis probabiliter inferunt Doctores, poſſe Epiſcopum abſolvere, & diſpenſare in omnibus criminibus quamdiù ad forum contentioſum deducta non fuerint, & lis conteſtata non erit. Ità Toler. *lib.* 1. *c.* 89. *ſub n.* 5. Barboſa *de poteſt. Epiſc. par.* 2. *alleg.* 39. *n.* 29. *& in Collect. DD. ad Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 6. *num.* 41. Diana *par.* 7. *tr.* 2. *reſ.* 17. *in Sum. verb. Abſolvere à cenſur. num.* 58. *& verb. Cenſura n.* 45. Baſſæus *tom.* 2. *verſ. Irregul.* 11. *ſub num.* 5. & alii penès ipſos, & hanc ſententiam valdè probabilem appellat Cabrin. *p.* 1. *reſ.* 111. & favet etiam Navar. *c.* 27. *ſub num.* 255. & docet quòd delictum ad judicium non deductum, diverſæ gloſſæ penè occultum appellant. Verùm hanc ſententiam in praxi non amplecterer, cum ſex Auctores apud eundem Dianam doceant cum bonis fundamentis, ad hoc ut Epiſcopus non

poſſit

Digitized by Google

poſſit abſolvere vigore Tridentin. ſatis eſſe, ut denunciatio, vel accuſatio coram legitimo Judice facta ſit, & Reus ratione illius citatus fuerit.

813 Inter. 26. Cajus Sacerdos celebravit Miſſam coram Populo, dum erat excommunicatione irretitus, ideoque contraxit irregularitatem Papæ reſervatam: poteſtne dari caſus quo poſſit ab Epiſcopo diſpenſari?

Reſp. Dico quòd ſi adſtantes neſciebant ipſum Sacerdotem eſſe tali cenſura irretitum, irregularitas quæ contrahitur ab ipſo Sacerdote in excommunicatione celebrante, dicitur occulta, & conſequenter poteſt ab Epiſcopo diſpenſari, quia ut delictum dicatur notorium, non ſufficit, quòd actus externus ſit notorius, & publicus tantùm materialiter, ſed requiritur ut ſit notorius formaliter, & in ratione delicti, & in quantum eſt delictum. Navar. *c.* 27. *n.* 255. Em. Sà *verb. Epiſopus n.* 35. Sanchez *de Mat. lib.* 8. *diſp.* 34. *num.* 56. Bonac. *de cenſ. diſp.* 7. *q.* 5. *pun.* 1. *ſub n.* 5. *verſ. Dixi in provenientibus*, Moronus *Reſp.* 13. *num.* 32. Barboſ. *in Collect. ad Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 6. *num.* 27. *& ſeqq.* Layma. *tom.* 1. *lib.* 1. *tr.* 5. *par.* 5. *c.* 9. *n.* 4. Cabr. *de caſ. reſ. par.* 1. *reſ.* 91. *verſic. Addo*, & alii penes ipſos. Eſt autem regula generalis, quod quoties delictum eſt occultum formaliter, & in ratione delicti: Epiſcopus abſolvere, vel diſpenſare non prohibetur. Vide dicta ſupra ad Inter. 20.

814 Inter. 27. Epiſcopus poteſtne diſpenſare in irregularitate proveniente ex injuſta mutilatione, ſi delictum ſit occultum?

Reſp. Supponendum eſt tanquam certum, quantùm ad irregularitatem contrahendam parem feciſſe jura mutilationem homicidio, undè qui occidit, aut mutilat, ſivè licitè, ſivè illicitè faciat, ſemper irregularitatem incurrit, ut docet Tolet. *lib.* 1. *c.* 76. *n.* 1. & alii communiter. Hoc ergò ſuppoſito, Dico poſſe Epiſcopum diſpenſare in dicta irregularitate, dummodò ex delicto occulto ſit contracta, nam Concil. Trid. Seſs. 24. c. 6. facultatem concedit illi, ut diſpenſare valeat in irregularitate provenientе ex delicto occulto, excepto homic. voluntario. Ità plur. rel. firmat Bonac. *de cenſ. diſ.* 7. *q.* 4. *pun. ult. n.* 11. *&* Diana *par.* 7. *tract.* 2. *reſ.* 28. Vide Barb. *de poteſt. Epiſc. par.* 2. *alleg.* 39. *num.* 49.

815 Inter. 28. Poteſtne Epiſcopus diſpenſare in omnibus irregularitatibus?

Reſp. Non in omnibus, ſed ſolùm in irregularitatibus provenientibus ex delictis occultis, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, aut ex delicto ad forum contentioſum deducto. Em. Sa *verb. Epiſcopus num.* 34. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 58. *num.* 3. Bonac. *loco proximè cit. qu.* 5. *pun.* 1. *num.* 3. & alii ab ipſo relati. Dixi non in omnibus, quia non poteſt diſpenſare in irregularitatibus, quæ non ex delicto, ſed ex defectu contrahuntur ſecundùm communiorem ſententiam.

816 Inter. 29. Epiſcopus poteſtne diſpenſare in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus ut dictum fuit *ad Inter. antecedentem*, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, aut ex delicto ad forum contentioſum deducto, modò ſcire vellem, an ſi reus à delicto deducto ad forum contentioſum fuerit liberatus, poſſit cum illo Epiſcopus uti facultate Concilii *ſeſſ.* 24. *cap.* 6.?

Reſp. Utique poteſt, nam delictum adhuc dicitur occultum, ſi ſententia abſolutoria ſit ſecuta; Moronus *reſp.* 13. *num.* 33. *& ſeq.* & alii ab ipſo relati. Diana *par.* 4. *tract. reſ.* 97. *& par.* 7. *tract.* 2. *reſ.* 18. *verſ. ſed ego*. Cabrinus *de caſ. reſer. par.* 1. *reſ.* 34. & alii plures apud ipſos. Et ratio eſt quia præter alias rationes, quæ videri poſſunt apud cit. Auctores tale delictum adhuc manet occultum, & non poteſt dici deductum ad forum contentioſum cum effectu, eo quià pro-

batum

batum non fuit. Ità docet etiam Bonacina *de cenſ. diſp. 7. quæſt. 5. pun. 1. ſub num. 5.* Imò dicit hoc eſſe verum, etiamſi ſe purgavit veris, & falſis teſtibus, aut quandò fuit abſolutus defectu probationis, quod etiam tenet Pax Jordanus *tom. 1. lib. 3. tit. 4. ſub num. 77.* Cabrinus, Diana, & alii penes ipſos.

817 Inter. 30. Poteſtne Epiſcopus finito judicio, ſi delinquens convictus fuerit condemnatus, & punitus, cum eo diſpenſare ſuper irregularitate?

Reſp. Negat Bonac. *loco ſupracit. num. 6.* Pax-Jordanus *ibidem num. 79.* & alii penes ipſos, & apud Dianam *par. 4. tract. 2. reſ. 97.* qui tamèn alios refert pro affirmativa ſententia, quam ipſe ſequitur. Et reverà probabilis eſt hæc poſterior ſententia propter rationes, & Doctorum auctoritatem, nam finito judicio, & reo punito, ſtrepitus judicialis ceſſavit, ergò ceſſat omnis occaſio perturbationis, & etiam publicum ſcandalum, punitione illa humilitèr tolerata à delinquente. Vide Dianam *loco cit. & par. 7. tr. 2. reſ. 19. & par. 10. tract. 12. reſ. 33. verſ. At aliquis*, ubi plura habentur ad intentum.

818 Inter. 31. Qui occultè, ſed ſpontè fecit ſe caſtrare, poteſtne ab Epiſcopo diſpenſari, ut ad Ordines Sacros promoveatur?

Reſp. Sciendum eſt primò nemini licere ſævire in corpus ſuum, quià nemo eſt Dominus membrorum ſuorum *leg. liber homo 13. ff. ad leg. Aquiliam;* Unde ſi quis, ut caſtus eſſet ſibi amputaret virilia, aut teſtes, eſſet irregularis, item ſi permiſerit amputari cauſa cantus. Colligitur *ex cap. Si quis abſciderit, cap. ſi quis ſe, diſt. 55. & cap. Significaſti, de corpore vitiat.* Bonac. *de irregul. diſp. 7. quæſt. 2. pu. 2. n. 34.* & alii ab ipſo relati. Secus ſi a Medicis ſibi virilia, aut teſtes amputari permiſerit ex juſta aliqua cauſa, vel ab inimicis ſectus ſit, nam in tali caſu non eſſet irregularis, neque, ut falsò putat vulgus, tenetur quis teſtes ſuos gerere ſiccos apud ſe, ut docet Goffredus *in ſum. tit. de corp. vit. n. 4.* Ancaranus, Jo: Andreas, & Gloſſa, quos citat Toletus *lib. 1. cap. 63. n. 7.* Sylveſt. *in Sum. verb. corp. vit. quæſt. 2.* Navar. *in Man. cap. 27. de irregul. num. 100.* Bonac. *loco proximè cit. quæſt. 2. pun. 2. num. 31.* qui teſtatur de communi. Hoc ergò prænotato, dicendum eſt in caſu noſtro poſſe Epiſcopum diſpenſare cum illo, qui fecit ſe caſtrare, modò delictum ſit occultum. Et ratio eſt, quià hæc irregularitas non eſt ob vitium Corporis, ſed ex delicto, ut probat Avila *par. 7. diſp. 3. dub. 1. verſ. contraria ſententia deducta à Canone 22. Apoſtol.* Sà *verb. irregularitas ex illicita deformat. n. 5.* nam quamvis notorium ſit, eum eſſe Eunuchum, tamen id per delictum factum fuiſſe, eſt occultum, & conſequentèr integrum erit Epiſcopo cum eo diſpenſare. Triden. autem *ſeſſ. 24. cap. 6.* concedit Epiſcopo facultatem diſpenſandi in irregularitate provenienꝺte ex delicto occulto. Ità docet Pater Andreas Gerunda *de Epiſcopatu lib. 2. diſp. 5. cap. 3. num. 21.* quem citat, & ſequitur Diana *par. 10. tr. 13. reſol. 28.* ubi perdoctè hanc ſuſtinet ſententiam, licèt oppoſitum teneant Bonac. *loco cit. quæſt. 2. ſub. num. 34.* & Sylveſt. *verb. corp. vitiat. propè finem*, ubi ait, quòd Epiſcopus poteſt diſpeſare cum mutilato, quantum ad membrum occultum, excepto caſtrato; ſed ego priori ſententiæ adhæreo; Verùm qui ſe caſtrat, aut caſtrari permittit eſt irregularis *ex Can. 5. & 11. diſt. 55.* Vide Dianam *par. 9. tr. 7. reſ. 21*

819 Inter. 32. Epiſcopus poteſtne diſpenſare ſuper irregularitate contracta ex defectu lenitatis, ſi caſus ſit occultus?

Reſp. Non deſunt Doctores affirmativam ſententiam tenentes, quos refert, & ſequitur Barboſ. *de poteſt. Epiſc. par. 2. alleg. 39. num. 47.* & alii apud Dianam *par. 4. tr. 2. reſ. 69.*

quos

quos ipſe non ſequitur, cum ſententia negativa ſit probabilior, & omninò ſequenda, quia Conc. Tridentinum *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. ſolùm concedit Epiſcopo facultatem diſpenſandi circà irregularitatem ex delicto contractam; ſed hæc irregularitas, de qua ſit ſermo, non eſt ex delicto; ergo ſequitur Epiſcopum non poſſe ſuper ea diſpenſare, ut ego jam breviter dixi *in hoc titulo ad Interrogat..* 28. & pro hac ſententia ipſe Diana *loco cit.* plures DD. allegat Vide Bonac. *de cenſu. diſp.* 7. *quæſt.* 4. *pun. ult. num.* 13. & iterum Dianam *ubi ſupra reſ.* 70. ubi de tali dubio loquitur incidéter?

820 Inter. 33. Poteſtne Epiſcopus diſpenſare, ut ad Sacerdotium promoveatur, qui caret pede, & ambulat pede ligneo, & an Prælati Regulares poſſint hanc diſpenſationem concedere Religioſo ſibi ſubdito?

Reſp. Antonius Butrius *in cap. ult. de Corp. vit.* aſſerit poſſe diſpenſari cum Religioſo, qui ambulat cum pede ligneo, quia proptèr veſtes longas latet hujuſmodi defectus: Sylveſ. *verb. Corpore vitiatus num.* 5. *in fine ait*, quòd Epiſcopus poteſt diſpenſare cum Religioſo, ut celebret cum ligneo pede, ſed ſi membrum appareat, non poſſit cum eo diſpenſare, niſi Papa, quandò tamèn fuit in culpa vitiationis, Toletus *lib.* 1. *cap.* 63. *num.* 3. citat Antonium Butrium *loco à me ſupracitato*, addens poſſe Epiſcopum diſpenſare cum Clerico laico, qui etiam habet veſtes longas. Tandem quod Prælati Regulares poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis, qui ſunt corpore vitiati (dummodò non ſit notabilis indecentia, ſeù defectus corporis non ſit eſſentialis, neque ſcandalum oriatur) docent Rodericus *in Compend. qq. Regul. dub.* 5. Diana *in ſum. verb. Prælati Regul. num.* 17. & 18. & præſertim tenent poſſe Prælatum Regularem diſpenſare ſuum ſubditum, ſi caret pede, & ambulet pede ligneo. Ego tamèn dico non poſſe Epiſcopum, aut Prælatum Regularem diſpenſare. Ità Cornejo *in* 3. *par. S. Thomæ tom.* 2. *de Irregul. tract.* 51. *diſp.* 12. *dub. unico, quæſtione ult.* Et Andreas à Matre Dei *tract.* 10. *de cenſuris cap.* 9. *pun.* 6. *num.* 75. inquit, Durante defectu Corporis, qui ex culpa propria non emanavit, ſolus Pontifex diſpenſare poteſt, non Epiſcopus, quia ipſi ſolùm conceditur diſpenſare in iis, quæ proveniunt ex delicto. Quarè bene Paſſerinus *de elect. Canon. cap.* 27. *num.* 18. inquit: In multis etiam irregularitatibus, quæ non ſunt ex delicto, Prælati Regulares diſpenſare non valent. Ut contigit in irregularitatibus ex vitio Corporis provenientibus; Licèt enim in levibus vitiis, & deformitatibus non requiratur Papæ diſpenſatio, ſed Epiſcopus diſpenſare poſſit. Rota coram Seraphino *deciſ.* 625. *num.* 5. Tamèn in gravibus Corporis vitiis, & magnis deformitatibus, & membrorum principalium mutilationem ſolus Papa diſpenſat. Pro quo allegat 7. DD. Proſequitur Paſſerinus. At verò Prælati Regulares ſuper hujuſmodi irregularitate non diſpenſant. Deniquè infrà à *num.* 87. Diligentèr examinat 4. Privilegia, quæ videbantur opinioni contrariæ aliquateaùs favere.

821 Inter. 34. Poteſtne Epiſopus diſpenſare quo ad Ordines Sacros, & Beneficia curata cum illegitimo occulto?

Reſp. Quidquid dicant aliqui apud Dianam *par.* 10. *tract.* 11. *reſol.* 24. diſcedendum non eſt à communi ſententia, quæ docet cum illegitimo etiam occulto, non poſſe Epiſcopum diſpenſare, niſi ad Ordines minores, & beneficium ſimplex, utrumquè enim deducitur expreſsè *ex cap.* 1. *de filiis Presby. in* 6. ubi generaliter loquitur de quibuſcũque filiis illegitimis. Vide Dianam *loco cit.* & *par.* 3. *tr.* 13. *reſ.* 30. *per totam*, & *par.* 7. *tract.* 2. *reſ.* 24. & id quod dictum eſt de Epiſcopo, dicendum eſt de Capitulo ſe-

de vacante; Hoc tamèn intelligendum eſt cum duplici limitatione, ut docet Diana *in primo loco cit. verſ. Verum licèt*. Prima limitatio eſt, quòd tale Beneficium ſimplex non fuerit poſſeſſum à Patre talis illegitimi, *ex toto titulo de filiis Presbyter*. Et ex Concil. Triden. *ſeſſ.* 25. *de Refor. cap.* 15. Secunda, quod tale Beneficium non requirat Sac. Ordinem: nam aliàs non poterit Epiſcopus in eo diſpenſare, ſicut nec in ipſo Ordine Sacro, ut pluribus relatis reſolvit Sayrus *lib.* 5. *cap.* 21. *n.* 11. Plura videnda relinquo apud ipſum Dianã, quę quidem ſunt ſcitu, & notatu digna.

822 Inter. 35. Valetne Epiſcopus omnes Ordines conferre Expoſitis, abſq; Summi Pontificis diſpenſatione?

Reſp. An Expoſiti ſint irregulares, vel non, eſt quidem magna quæſtio inter Doctores, ut videre licet apud Dianam *par.* 2. *tract.* 14. *reſ.* 22. ſed ipſe Diana *ibidem* abſolutè, & ſimplicitèr tenet, Expoſitos ſine ulla diſpenſatione poſſe ab Epiſcopo promoveri ad omnes Ordines; Et pro hac ſua tuenda ſententia alios concordantes refert, & ratio eſt, quià quilibet præſumendus eſt legitimus, dum non probetur contrarium; tum quià in dubiis præferenda eſt pars benignior; ideò ſtante dubitatione pręſumendum eſt pro legitimatione; Tum etiã quia tales in nullo jure illegitimi decernuntur, & interdum Parentes filios legitimos ob paupertatem exponunt: Itaq; concludendum eſt, quòd Expoſiti, & omnes illi, de quibus dubitatur an ſint legitimi pro legitimis habendi ſunt, ut de communi teſtatur Alloza *verb. Irregularitas ſectione* 4. *numero* 44. Imò quod Expoſiti habendi ſint pro legitimis, decrevit Gregorius XIV. in gratiam Confraternitatis pro Expoſitis. Vide Dianam *par.* 4. *tr.* 2. *reſ.* 58. *& in ſumma verb. Irregularitas n.* 13. & tandem Moronum *reſp.* 66. *n.* 2. qui ad hoc probandum fortioribus nititur terminis, ac rationibus, & ad argumenta contraria luculentèr reſpondet. Ergò cum non ſint irregulares, Epiſcopus poteſt illis ſicut aliis, abſque ulla diſpenſatione, omnes Ordines conferre.

823 Inter. 36. Poteſtne Epiſcopus transferre jejunium, quòd incidit in aliquod feſtum ſolemne, peculiaritèr in ſua Diœceſi, vel Civitate celebrari ſolitum, & quid de Vigilia S. Matthiæ, ſi incidat in ultimo die Bachanalium?

Reſp. Affirmat Laymàn *libro* 4. *tract.* 8. *cap.* 3. *num.* 9. apud Dianam *par.* 3. *tract.* 6. *reſol.* 66. & alii, tamèn neutrum facere poſſe, eſt probabilius, & tutius, nam non licet inferiori contrà factum Superioris diſpenſando venire. Vide Leandrum *de præcept. Eccleſ. tract.* 5. *diſp.* 10. *quæſt.* 42. & huic ſententiæ adhæret Diana *par.* 10. *tract.* 16. *reſol.* 7. Immò notat Card. de Lugo fuiſſe in voto Innocen. X. non debere dictam Vigiliam S. Matthiæ transferre in alium diem, ac tandem Sac. Cong. noviſsimè memini declaraſſe non poſſe Epiſcopum in alium diem transferre vigiliam S. Matthiæ, & ità tenendum eſt omninò.

824 Inter. 37. Tempore peſtis, poteſtne Epiſcopus diſpenſare, ut in ſua Civitate comedantur carnes in Quadrageſima?

Reſp. Venerus *in Exam. Epiſcop. lib.* 4. *cap.* 46. *num.* 53. Homobonus de bonis *in conſult. ſelect. caſuum Conſcien. vol.* 1. *par.* 2. *reſp.* 57. affirmant Epiſcopum cum Conſilio ſui Capituli, & aliquorum Theologorum, Canoniſtarum, & Medicorum poſſe diſpenſare, ut omnes tempore peſtis carnes comedere valeant ad præſervationem tanti morbi: Oppoſitum tamèn docent Marchinus *de Bello Divino, ſeù de peſtilentia par.* 6. *cap.* 2. *num.* 3. & Paulus Nazarius *tom.* 3. *Opuſc.* 3. *caſ.* 1. *fol.* 319. qui à fundamentis, & Theologicè hanc pertractat quæſtionem, & reſpondet ad argumenta in contrariũ adducta à Venero, & hanc oppoſitam ſententiam ſequitur Diana *par.* 10.

tract.

Digitized by Google

tract. 14. *reſol.* 3. *aliàs* 5. Verum eſt tamèn, quòd Marchinus *loco cit. n. 6.* concedit, quòd in locis ab Urbe valdè remotis, vel ubi periculum ſit in mora, vel ex generali conſuetudine, liceret Epiſcopo, univerſos Cives abſtinentia Quadrageſimali ex cauſa peſtis ſolvere, quod quidem mihi valdè probatur

825 Inter. 38. Poteſtne umquam dari caſus, in quo poſsit Epſcopus diſpenſare in impedimentis dirimentibus matrimonium?

Reſp. Quod Epiſcopus poſsit diſpenſare in impedimentis dirimentibus quæ ſuperveniunt matrimonio jam contracto ad effectū petendi debitum conjugale, eſt in confeſſo apud omnes. Quod autem poſsit in foro conſcientiæ, & dummodò impedimentum ſit occultum, ex urgentiſsima tamen neceſsitate, diſpenſare in impedimento dirimente ante, & poſt contractum matrimonium, eſt magna difficultas; Videtur affirmare Vaſquez, Salas, Henriquez, & Valentia, quos dat, & ſequitur Bonac. *de Matrim. quæſt.* 3. *pun.* 15. *n.* 5. *&* 6. nec diſſentit Dian. *par.* 9. *tract.* 7. *reſ.* 39. & alii apud ipſum, & antè dixerat *par.* 2. *tract.* 16. *reſ.* 17. ubi plures pro hac citat ſentent. *Et par.* 8. *tract.* 3. *reſ.* 96. Sed Barboſ. *de Poteſtate Epiſc. par.* 2. *alleg.* 35. *num.* 4. ſic ait. Communis ſententia videtur tenere, tunc Epiſcopum poſſe diſpenſare in impedimentis dirimentibus, quando matrimonium eſt bona fide contractū, & publicè, ac impedimentū eſt occultū, & ſeparatio conjugū nequit fieri abſq; magna famę jactuta, aut ſcandalo, aut alio magno inconveniente; & neque ad Pontificem iri, neque ad alium habentem privilegium diſpenſandi, aut ſi adiri poteſt, diſpenſatio tamen differri nequit, abſque probabili periculo. Hactenus Barboſ. ex ſex Doctoribus, quos ibi allegat. Vide Em. Sà *verb. Epiſcopus in fine.* Tamen Fagnan. *in cap. nimis, de filiis præsbyt. num.* 27. oppoſitum docet, ſic inquiens. Perperam Navat. poſt Jo. de Lignano, Abb. Angelum & Sylv. quos citat, ſcripſit Epiſcopum poſſe diſpenſare in impedimentis, quæ dirimunt, ſi impedimentum ſit occultum, matrimonium publicum, & ſeparatio magno ſcandalo fieret, & ad Papam, aut ejus Nuncium poteſtatem ad id habentem confugi non poſſet, propter paupertatem, & alia legitima impedimenta, & gloriatur hanc doctrinam ſe primum vulgaſſe Salmanticæ, & propter eam nonnullos Epiſcopos aliquoties diſpenſaſſe, eamque noviſsimè ſequitur Sanch. Etenim quidquid ſit de veritate hujus doctrinæ, profectò illa fuit malè applicata à Navarro in partibus Hiſpaniarum; Undè meritò illius ſententiam reprobavit Sac. Congreg. Concil. Item Congreg. deputata in cauſa Laudicenſi, Ita Fagnan. Vide ergò quæ dicam *in tit.* 108. *ad Inter.* 2.

826 Inter. 39. Poteſtne umquam dari caſus, quod Epiſcopus poſſit diſpenſare in Matrimonio rato, & non conſummato, ſicuti poteſt Papa?

Reſp. Quod Papa poſſit diſſolvete Matrimonium ratum, & non conſummatum, dicam *in tit.* 159. *de Papa, ſeu Summo Pontifice, ad Inter.* 7. & de hoc ego non dubito, dummodo adſit aliqua juſta cauſa; cauſa verò ex qua poteſt Papa diſpenſare in Matrimonio rato, & non conſummato; prima, eſt notabilis in qualitate diſparitas; ſecunda, quando magnum ſcandalum timetur, & magnæ rixæ inter Sponſos, aut conſanguineos eorum oriri poſſunt; tertia, eſt lepra, aut alius gravis morbus ſuperveniens, ratione cujus, numquam poſſit Sponſus ad Sponſam accedere; quarta, impotentia ſuperveniens matrimonio rato; quinta, eſt ut vir maximè conveniens bono communi efficiatur Epiſcopus. Ità ex Sanchez docet Ochagavia *tr.* 2. *de Sac. Matrim. eſſentia quæſt.* 5. *n.* 5. Baunius *in Moral. to.* 1. *tr.* 12 *Theol. m. de impedim. Matrim. quæſt.* 5. Sanch. *de Matrim. lib.* 8. *diſp.* 16. Diana *par.* 8 *tract.* 1. *reſ.* 65. *verſ. Nam inprimis.* & alii.

& alii. Immò ipſe Diana ex Perez *de Matr. diſp. 20. ſect. 7. num. 11.* & aliis, cõtra Pontium reſoluit, poſſe Papam diſſolvere Matrimonium ratum, & non conſummatum, non ſolùm inter magnos Principes, ſed etiam inter alios, quoties adeſt una ex cauſis enumeratis. Vide Dian. *lo. cit. & tr. 3. reſ.* 97. & nota, quod juſta exiſtente cauſa poteſt Papa diſpenſare in caſu noſtro abſque mutuo conſenſu Conjugum, quia poteſtas hæc diſpenſandi, non in gratiam, ac bonum præcipuè privatum ipſorum conjugum, ſed in primis ipſius Eccleſiæ conceſſa eſt. Quòd autem poſſit Epiſcopus in aliquo caſu rarò id facere, aſſerit Baunius *loco ſupra cit.* putans poſſe Epiſcopum in ſua Diœceſi id quod poteſt Papa in tota Eccleſia, niſi ab eo prohibeatur, ſed hanc ſententiam prorſus refellendam eſſe, & carere omni probabilitate exiſtimat Diana, & eam refellit Perez *de Matrim. diſp. 29. ſect. 8. n. 2.* apud ipſum Dianam *ubi ſupra reſ.* 64. & recte reſpondet ad argumentum Baunii. Vide quæſo, quæ dixi ſupra ad Inter. 10. & dic. nullo modo poſſe Epiſcopum, ſine expreſſa Papæ delegatione in quocumque caſu, & quacumque neceſſitate diſpenſare, ſeu diſſolvere Matrimonium ratum.

827 Inter. 40. Poteſtne Epiſcopus diſpenſare in omnibus juramentis? & quid de juramento Caſtitatis, Religionis, & triplicis peregrinationis?

Reſp. Non poteſt in omnibus juramentis, ſed ſolùm in juramentis non reſervatis Papæ, ex lege, vel conſuetudine, ut benè obſervat Bonac. *de præcept. decal. diſp. 4. quæſt. 1. pun. ult. num. 9.* Unde Epiſcopus ſubſiſtente juſta cauſa, & dummodò juramentum non ſit in favorem alicujus tertii, poteſt diſpenſare, & commutare in illis omnibus, quæ ſi vota eſſent poſſet diſpenſare, ut docet Cajet. 2. 2 *quæſt. 89. art. 9.* Tol. *lib. 4. c. 23. n.* 1. & alii. An verò poſſit diſpenſare in juramento Caſtitatis, Religionis, Peregrinationis Romanæ, Hieroſolymitanæ, & Compoſtellanæ, eſt magna difficultas. Affirmat Diana *par. 10. tract. 14. reſ.* 17. Negant tamen probabiliùs alii, ut Bonac. & Tolet. *loc. cit.* & alii apud Em. Sà *verb. juramentum ſub num* 33. & ità tenendum eſt in praxi cum Valentia *to. 3. diſp. 6. punt.* 4. & hanc ſententiam probabiliorem exiſtimat etiã ipſe Diana. Verum eſt tamen, quod ſi juramentum fuit pænale, aut conditionale putant probabiliter quidam, quod etiam in illis quinque juramentis reſervatis poſſit Epiſcopus diſpenſare ante, & poſt impletam conditionem, & pęnam incurſam. Bonac. ibid. & alii. Vide Renzium *in præcept. decal. lib. 2. c. 2. ſect. 5. quæſt.* 15. Et infra *in tit.* 242. *De Voto* ad Inter. 8.

828 Inter. 41. Epiſcopus poteſtne diſpenſare in legibus Synodi?

Reſp. Epiſcopus cum ſit legiſlator, aut legiſlatoris ſucceſſor, equidem poteſt in dictis legibus diſpenſare, nam alii qui interſunt Synodo, tantùm ſunt Conſiliarii, non autem unà cum Epiſcopo legiſlatores. Barboſa *de poteſt. Epiſ. par. 2. alleg.* 24. Verum eſt tamen, quod ſi Conſtitutiones Synodi fuerint a Papa confirmatæ, non valet in eis Epiſcopus diſpenſare, quia per confirmationem Papæ, fiunt propriæ ipſius, & Inferior, ut eſt Epiſcopus, diſpenſare non poteſt in lege Superioris ſui, ſed hoc intelligi debet quando Papa ità confirmat, ut velit illis Conſtitutionibus robur adęre, & illas facere proprias; ſecùs verò ſi ſolum eas confirmat, declarando eſſe laudabiles, & debere obſervari à ſubditis. Salas *de legib. diſp. 20. ſect. 3. n.* 29. Mendo *Epit. opin. moral. verb. Epiſcopus n.* 14. & alii ſed omnino vide Dianam *part. 8. tract. 3. reſ. 73. & par. 9. tract. 6. reſ.* 41. qui luculenter id probat.

829 Inter. 42. Poteſtne Epiſcopus cum conſenſu hęredis tollere qualitates in fundatione beneficiorum appoſitas, & ſaltem pro una, vel altera vice diſpenſare?

Reſp. Affirmant nonnulli, & di-

cunt

Digitized by Google

cunt poſſe Epiſcopũ ex cauſa de conſenſu hæredis diſpenſare, ut detur Beneficium non habenti omnia requiſita à Fundatore, & cum conſenſu Patroni jus habentis, mutare aliquid in inſtitutione Beneficii. Ità docent Navar. *conſ. 3. de Cler. non reſiden.* cui ſubſcrbit Em. Sà. *verb. Beneficium num* 37. & alii plures, quos refert, ſed non ſequitur Caſtropalao *tom.* 2. *tract.* 13. *diſp.* 1. 1. *punt.* 6. *num.* 11. Tamen oppoſitum tenendum eſt omninò, quia Conc. Triden. *ſeſt.* 25. *de reform. cap.* 5. prohibet Epiſcopis tollere etiam cum conſenſu Patroni qualitates in fundatione beneficiorum appoſitas, ut rectè obſervant idem Caſtropalao ubi ſupra num. 22. Barb. *de poteſt. Epiſc. par.* 3. *alleg.* 83. *num.* 14. *&* *in Coll. in Triden. ſeſſ.* 22. *de reform. cap.* 6. *num.* 7. *in fine*, & Diàna *par.* 4. *tract.* 4. *reſ.* 227. *verſ. Et tandem*, qui alios concordantes referunt. Ex quo infert ipſe Diana non poſſe Epiſcopum diſpenſare, etiam ex conſenſu hæredis, quòd Cappellania actu, vel habitu ſacerdotalis, ſaltem una, vel altera vice, conferatur Clerico 1 . annorum.

830 Inter. 43. Qui habet votum nõ contrahendi matrimonium, vel non fornicandi, aut non ſe polluendi, vel non tangendi turpiter mulierem, poteſtne ab Epiſcopo diſpenſari?

Reſp. Si adeſt juſta cauſa, utique Epiſcopus in his votis diſpenſare valet, ſicut in voto virginitatis, aut non non petendi debitum conjugale, & in omnibus votis, quæ non ſunt integræ, & perfectæ Caſtitatis: Reſervatio enim eſt odioſa, eo quod coerceat poteſtatem Epiſcoporum: ideòq; ſtrictè eſt interpretanda. Unde regula generalis eſt, quoties materia voti deffi-cit à materia integra voti Caſtitatis, ab Epiſcopo diſpenſari poteſt, quia eſt votum partialis & imperfectæ Caſtitatis, quod ſub reſervatione non cadit. Bonac. *tom.* 2. *De Præc. Dec. diſp.* 4. *qu.* 2. *punt.* 7. §. 4. *n.* 21. *ver. quinto*. Barbo. *de Poteſt. Epiſc. par.* 2. *alleg.* 37. *n.* 17. Card. de Lugo *in Reſp. Moral. lib.* 6. *dub.* 1. *n.* 2. Andreas à Matre Dèi *in curſ. Theol. moral. tom.* 4. *tract.* 17. *c.* 3. *punt.* 12. *n.* 104. Lezan. *tom.* 2. *verb. Votum n.* 13. *&* 14. Alloz. *verb. Epiſcopus diſp.* 6. *ſect.* 1. *n.* 15. *&* *verb. Votum ſect.* 4. *n.* 10. Em. Sà *verb. Votum n.* 24. Dian. *part.* 1. *tract.* 11. *reſ.* 61. Vide ſupra *in tit.* 42. *de Confeſſariis ad Inter.* 18. *&* *infrà in tit.* 180. *De Regularibus, ſeù Religioſis, ad inter.* 26. & eſt communis ſententia. Verùm non ità facilè debent Epiſcopi diſpenſare in votis non fornicandi; non ſe polluendi, non committendi ſodomiam, & ſimilibus.

831 Inter. 44. Poteſtnè unquam Epiſcopus diſpenſare in voti Papæ reſervatis, & præcipuè in voto perpetuæ Caſtitatis, & Religionis?

Reſp. Quando ob aliquam juſtam cauſam non eſt facilis aditus ad Papam, vel recurſus ad Sacram Pœnitentiariam, puta quià neceſſitas urget, aut timetur tranſgreſſionis periculum, certò Epiſcopus diſpenſare valet, & quoad votum Caſtitatis perpetuæ, aut Religionis, Leander *par.* 7. *tract.* 1. *diſp.* 17. dicit ſibi certiſſimum, & communiter docere à Doctoribus: Quoad alia verò tamen vota, poſtquam allegaverit Sanchez, Palatium, Petrum Ledeſma, & Suarium, optimè advertit cum his Doctoribus, raò, aut nunquam eventurum hunc neceſſitatis diſpenſandi caſum: Verum eſt tamen non poſſe Epiſcopum diſpenſare, niſi quando periculum poſtulat, eoque durante, cum ſolùm ei concedatur ex æquitate diſpenſandi facultas pro neceſſitate, & non aliàs, quia tunc credi poteſt, non eſſe Pontificis mentem, velle urgente neceſſitate, ſibi reſervare caſus, & quod animæ laqueis irretitæ verſentur in tanto periculo. Notandum eſt tamèn, quod diſpenſatus, v.g. ab Epiſcopo, ut matrimonium contrahere poſſit, contra Votum quidem peccaret, ſi extrà matrimonium fornicaretur, vel eo ſoluto ad aliud ſine nova Pontificis diſpenſatione tranſiret, ut docet Lezan. *tom.* 2. *verb.*

Votum

Digitized by Google

ſtat dictam diſpenſationē concedere?

835 Inter. 48. Epiſcopus incidens in caſum reſervatum Summo Pontifici, poteſtne à proprio Cōfeſſario abſolvi, & diſpenſari?

Reſp. Si Epiſcopus habet facultatem abſolvendi, & diſpenſandi alios in eundem caſum incidentes, poteſt quidem abſolvi à Confeſſario ab eo electo, quià non debet eſſe deterioris conditionis aliis, & ſicut alii non coguntur adire Papam in caſibus occultis eidem Papæ reſervatis, ſed poſſūt ab Epiſcopo abſolvi, & diſpenſari, ut patet ex Trident. *ſeſ.* 24. *cap.* 6. Ità & Epiſcopus poteſt deputare ſibi Confeſſarium cum eadem facultate, quam ipſe in proprios ſubditos exercere valet, & ab eo Confeſſario ſic electo abſolvi, vel diſpenſari. Sanchez *in ſu. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 11. *& lib.* 8. *de matrim. diſp.* 3. *num.* 3. Henriquez, Nugnus, Filliucius, & alii, quos dat, & ſequitur Bonac. *de Sac. diſp.* 5. *qu.* 7. *pun.* 5. §. 2. *ſub num.* 7. Immò ſic deciſum fuiſſe à Sac. Cardinalium Congregatione, teſtantur præfati Authores, quibus addo Toletum *lib.* 1. *c.* 89. *ſub num.* 55. & Dianam *par.* 7. *tract.* 2. *reſ.* 14. Vide in tit. 205. ad Inter. 27.

836 Inter. 49. Poteſtne Epiſcopus ſibi eligere Confeſſarium non ſubditum & cum eo confiteri?

Reſp. Epiſcopus, dico quòd extrà Diæceſim, non poteſt confiteri, neque Regulari, qui non ſit ab Ordinario loci approbatus, ità ex Sac. Congregatione refert Nicolius *in flos. verb. Epiſcopus n.* 60. & *verb. Parochus ſub num.* 22. *in fine*, & docet etiam Em. Sà *verb. Confeſſor num.* 5. Undè tenetur eligere Curatum, ſeù approbatū ab Ordinario; Vide Fagnanum *in lib.* 5. *decret. cap. ne pro dilatione, de pœn. & remiſſ. n.*62. Suarez *tom.*4. *de pœnit. diſp.* 28. *ſect.* 6. *n.* 13. apud Bonac. *de Sac. pœnit. diſp.* 5. *queſt.* 7. *pun.* 4. §. 1. *num.* 25. Dianam *par.* 3. *tract.*2. *reſ.* 3. *& par.* 11. *tr.* 4. *reſ.* 13. Gabrielem à S. Vincentio *Var. Reſp. Reſp.* 37. Paſſerinum *de ſtatib. tom.* 2. *q.*187. *n.* 211. & ità pluribus relatis firmat Barboſa *in Coltet. DD. in Trident. ſeſſ.*23. *c.*15. *n.* 30. Vide ad Inter. ſequentem.

737 Inter. 50. Quarè Epiſcopus non poteſt ſibi eligere Confeſſarium non approbatum, ut dictum eſt ad Interr. antecedentem; & poſſunt Superiores Regulares, ac etiam ipſorum ſubditi, ut dicitur infrà in tit. 175. de Prælatis Regularibus ad Inter. 15. & 16. & in tit. 180. de Regularibus, ſeù Religioſis ad Interr. 108?

Reſp. Circà tale dubium vide Dianam *par.* 3. *tract.* 2. *reſ.* 3. ubi ſic inquit: Concilium verè, & propriè nō derogat Epiſcoporum privilegio, quia privilegium expreſsè dicit, ut poſſint eligere Sacerdotem idoneum, & hoc illis integrum manet, neque Cōcilium illud in totum, vel in partem abſtulit, ſed ſolùm ex parte Confeſſoris poſuit conditionem neceſſariam, ut idoneus ſit, nempè approbatus ab Ordinario: & hæc conditio univerſaliter appoſita eſt reſpectu omnium Sæcularium, inter quos Epiſcopi continentur.

Quoad verò Prælatos Regulares, certùm eſt, Conc. Trid. nihil innovaſſe; nàm ſolùm loquitur de confeſſionibus Sæcularium, & ad has approbationem Epiſcoporum in Confeſſariis requirit tàm Sæcularibus, quàm Regularibus. Igitur Prælatus Regularis, vel quilibet Regularis habens abſolutè licentiam eligendi Confeſſarium, poſſunt eligere ſibi in Confeſſarium quemlibet Sacerdotem, etiamſi ab Epiſcopo non fuerit approbatus. Et pro hac ſententia plures concordantes adducit, quos brevitatis gratia citare omitto.

838 Inter. 51. Poteſtne Epiſcopus approbare aliquem Sacerdotem non ſubditum, & ei concedere facultatem audiendi Confeſſiones?

Reſp. Non poteſt, niſi ei ſubdatur ſaltem ad tempus, ex eo quia talis approbatio eſt actus juriſdictionis,

qui

qui debet exerceri tantum in Subditum. Bonac. *de Sac. diſ.* 5. *q.* 7. *pu.* 4. §. 1. *n.* 16. Buſenbaum *lib.* 6. *tr.* 4. *c.* 2. *de approbat. Confeſſar. dub.* 2. & alii.

839 Inter. 52. Poteſtne licitè Epiſcopus abſque cauſa revocare licentiam audiendi Confeſſiones datam alicui Confeſſario notoriè ſufficienti ſinè examine ?

Reſp. Quòd poſſit Epiſcopus ſine examine ad audiendas Confeſſiones admittere quemlibet Sacerdotem ſuæ Diœceſis idoneum, firmabo *in tit.* 86. de Examine quoad ſcientiam, & doctrinam, ad Inter. 1. & præter DD. ibi citatos, nunc addo Dianam *p.* 7. *tr.* 11. *reſ.* 33. qui alios concordantes refert. Item dicam in tit. 180. de Regular. ſeù Religioſis, ad Inter. 23. quomodo non poſſit Epiſcopus revocare licentiam audiendi Confeſsiones datam Regularibus ſine cauſa, eaque Confeſsiones ipſas concernentes, aut ob non ſervatum interdictum ab Ordinario poſitum. His ergo prænotatis, reſpondeo ad præſentem difficultatem, & dico, quòd Epiſcopus licitè poteſt revocare licentiam excipiendi Confeſsiones datam Regulari ſine examine abſque ulla cauſa; & ratio eſt, quià illud fuit privilegium penitùs gratioſum, ſicq; & gratis revocari poteſt. Ultrà quod quia gratificatus nullum per hoc acquiſivit jus irrevocabile; conſequenter poteſt revocari, ut docet Bordon. *in conſ. regular. reſ.* 36. *quæſt.* 2. *num.* 9. Immò ita declaraſſe Sac. Congregationem *die* 31. *Julii* 1615. teſtatur Gavantus *in man. Epiſc. verb. Confeſſarius num.* 21. & ex eo Diana *ubi ſuprà in fine.*

840 Inter. 53. Poteſtne Epiſcopus facultatem diſpenſandi ſibi tributam à Concilio, aliis ſubdelegare; & quid dicendum eſt de facultate abſolvendi an poſſit Epiſcopus aliis ſubdelegare ?

Reſp. Quidquid aliqui in contrariū dicant, puto poſſe Epiſcopum in caſibus occultis non ſolùm per ſeipſum diſpenſare, & abſolvere, ſed etiam per alium ſibi benè viſum; & ratio eſt evidens, nàm qui habet poteſtatem ordinariam, poteſt alteri eam delegare, ut dicitur *in cap. fin. de offic. Ordin.* & habetur quoque ex aliis juribus vulgatis. Concilium autem Tridentinum, non concedit Epiſcopis hanc facultatem tanquàm Sedis Apoſtolicæ delegatis, ut aliquotiès facere ſolet, ſed abſolutè, & ſimpliciter; Undè colligitur, talem facultatem annexam eſſe muneri Epiſcopali, jure ordinario, & conſequentèr ab Epiſcopo delegari poterit. Huic ſententiæ favent Sylveſter *in Sum. verb. Abſolutio* 4. §. 6. Navar. *lib.* 1. *conſ.* 1. *de Conſtit. n.* 48. Toletus *lib.* 1. *cap.* 32. *num.* 7. Bonac. *tom.* 1. *de cenſur. diſp.* 7. *qu.* 5. *pun.* 1. *num.* 8. *&* *pun.* 2. *n.* 6. Moronus Reſp. 13. *num.* 42. *& ſeqq.* & præſertim *num.* 46. Diana *par.* 7. *tract.* 2. *reſ.* 12. *&* 13. *& in Sum. verb. Epiſcopi juriſdictio num.* 22. Suarez, quem refert, & ſequitur Caſſianus à S. Elia. *in Arbor. Opin. Moral. verb. Abſolvo* §. 12. *num.* 127. *verſ. Epiſcopi, &* habetur etiam ex Gloſ. *in cap. de cætero, de ſent. excom.* & faciunt pro ea multa, & validiora fundamenta, ut fatetur Barb. *de poteſt. Epiſc. p.* 2. *alleg.* 39. *num.* 10. *& ſeqq.* licet in hoc opinionum conflictu, ſuam interponere ſententiàm recuſet, ſed tantùm utriuſque partis Aſſeſſores refert: At ego quia libenter ſequor ſententiam, quam etiam tot viri docti, ut tutam in praxi meritò defendunt, ſanè puto, quòd Epiſcopus ſalva conſcientia poſſit cōmittere, & delegare hujuſmodi facultatem, non ſolùm Vicario ſuo, ſed etiam alteri Sacerdoti ſibi benè viſo. Tandem vide Barb. *in Collec. ad Concil. Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de reform. n.* 45. ubi pro hac ſententia, quam ſequor, citat Navar. *conſ.* 11. *num.* 4. *de privil.* Sanchez *de Matrim. lib.* 2. *diſp.* 40. *num.* 17. *verſ. Sed dicendum*, Layman. *lib.* 1. *tract.* 5. *p.* 2. *cap.* 5. *n.* 2. Azorium *Inſt. Moral par.* 1. *lib.* 5. *cap.* 10. *quæſ.* 11. & alios; & in hunc di i numeri

merè ſic habet: Ego tamen ex aliorum mente puto, Concilium in præſenti diſtinguere voluiſſe inter facultatem diſpenſandi ſuper irregularitate, & ſuſpenſione, ac abſolvendi à caſibus reſervatis, & prima poſſit exerceri per quemcunque; ſecunda verò conveniat tantùm Vicario, qui ſpeciatim deputatus ſit per Epiſcopum cum facultate abſolvendi à caſibus reſervatis. Verùm Diana *ea reſ.* 13. *loco ſuprà cit.* ità concludit: Quare dicta facultas, cum ſit ordinaria, ut potè ratione dignitatis, & officii ex juris Privilegio Epiſcopis competens, poterit ſpeciali commiſſione alicui *generaliter delegari*, ſicut quælibet alia ordinaria poteſtas, ex quibus remanèt ſoluta adverſariæ partis fundamenta. Vide etiam Em. Sà *verb. Delegatus num.* 2.

841 Inter. 54. Epiſcopus debetne dictam facultatem exercere ſolùm in ſubditos, & intrà Diœceſim, vel non, ubi Tridentinum non fuit receptum?

Reſp. Dixi ſuprà ad Inter. 23. quòd hanc facultatem exercere debeat in proprios ſubditos, & intrà Diœceſim, licèt ſit valdè probabile, poſſe etiam extrà Diœceſim, ut docent Doctores quos ibi citavi. Vide Dianam *p.* 7. *tract.* 2. *reſ.* 8. ubi aliis citatis probat, poſſe Epiſcopum extrà ſuam Diœceſim exiſtentem hac facultate uti, & ibidem *reſ.* 9. tenet cum Sanchez *in Sum. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 17. poſſe Epiſcopum dicta facultate uti, etſi ſubditi extrà ejus exiſtant Diœceſim, quòd etiam docet Theſaurus *in praxi par.* 1. *cap.* 23. §. 6. Boſſius *de Jubileo ſect.* 1. *caſ.* 10. §. 6 *num.* 166. *& ſeqq.* Quinam autem includantur nomine ſubditorum in dicto Decreto Conc. Trid. rectè docet ipſe Diana *loc. cit. reſ.* 11. Vide ipſum, & non pigebit. Sed nota, quòd ubi Tridentinum non eſt uſu receptum, non poteſt Epiſcopus uti privilegio ei conceſſo per dictum Concilium *ſeſ.* 14 *cap.* 5. *de reform.* Vide Barb. *de pot. Ep. par.* 2. *alleg.* 39. *num.* 3. licèt Diana *ubi ſuprà reſ.* 27. dicat, quòd in Gallia diſpenſant per Canonem *liceat* Concilii Trid. abſque ullo ad Summum Pontificem recurſu. *Sed par.* 12. *tract. de Conſec. Epiſc. reſ.* 104. oppoſitum docet ex Sac. Congregatione eſſe tenendum, & ità ego credo, ſi ſpecialem facultatem non habeant.

842 Inter. 55. Poteſtne Epiſcopus commiſſa ſibi à Papa per verba *oneramus conſcientiam tuam* aliis ſubdelegare, ſeu committere?

Reſp. Menochius docet quòd non, quia cenſetur electa induſtria perſonæ, quando in aliquo Brevi Apoſtolico dicitur ſuper quo tuam oneramus cōſcientiam: Alii verò probabiliùs affirmant, & dicunt quòd ſit ſolùm onerata conſcientia in eligenda perſona apta, & idonea ad faciendum negotium. Ità Moronus *reſp.* 76. *num.* 151. Et rectè quidem, nam illa verba *tuam oneramus conſcientiam* potius videntur poſita in vim monitionis, quàm in vim formæ delegationis, neque per ea cenſetur electam eſſe induſtriam perſonæ; Ideò jure optimo poterit ſubdelegari negocium commiſſum, & per alium expediri, & ità tenet etiam Navar. *lib.* 1. *conſ.* 2. *tit. de poteſt. Judicis delegati*. Rota *dec.* 14. *de Offic. deleg. in noviſ.* Rodericus *in Compend. qq. Regul. reſol.* 82. *ſub num.* 4. Emm. Sà *verb. Epiſcopus num.* 25. Alloza *eodem verb. ſect.* 5. *num.* 7. & Pax Jordanus *tom.* 3. *lib.* 13. *tit.* 6. *num.* 42. *ubi plura ad intentum*.

843 Inter. 56. Si Epiſcopus procedat contrà aliquem in aliquo particulari caſu tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus, teneturne copiam ſuæ commiſſionis parti petenti dare, ſi vult illum excommunicare?

Reſp. Epiſcopus non poteſt procedere ut Sedis Apoſtolicæ Delegatus, niſi in caſibus à Conc. Trid., & aliis Bullis Pontificiis exceptis, ut dicā in tit. 180. ad Inter. 47. Undè ſi alio modo eſt delegatus, tenetur copiam ſuæ

ſuæ commiſſionis parti petenti dare, aliàs non ſolùm erit injuſta, ſed etiã nulla excommunicationis ſententia. Sylveſter *verb. Delegatus qu. 3. num. 4.* Emm. Sà *verb. Excommunicatio n. 10.* qui citat Innocentium, Panorm. & Filinum; & hoc procedit de quocunque alio delegato. Et ratio eſt, ut ait Sylveſter *loc. cit.* quia Delegato non creditur, niſi probet delegationem; nec tenetur quis exequi ſententiam ejus, niſi litteræ oſtendantur.

844 Inter. 57. Poteſtne Epiſcopus mulctis, & pœnis cogere Populum, ut eat ad audiendam Sacram Concionem, & Miſſam in Eccleſia Parochiali?

Reſp. Nequaquam hoc facere valet; & ità cenſuiſſe Sacram Congreg. teſtantur Rodericus *in comp. qq. Regu. reſ. 112. num. 11.* Zerula *in praxi Ep. parte 2. verb. Parochia pagin. 82.* & alii, quibus ſubſcribit Barboſa in Tridentino *ſeſſ. 22. de Sacrificio Miſſæ cap. 8. num. 31. & ſeſſ. 24. de Reform. cap. 4. num. 17.* Sed vide Dian. *par. 10. tract. 13. reſ. 25.* ubi plura haberi poſſunt ad intentum, concludens ſuam reſolutionem his prudentiſſimis verbis: *Conſulo tamen Regularibus, ut cum Reverendis Parochis benè ſe gerant, & ſuos pœnitentes à frequentatione Eccleſiarum Parochialium, minimè diſſuadeant.* Et tandem vide Rotarium *in Appar. pro exam. Cler. cap. 9. ſect. 3. n. 17. & 18.*

845 Inter. 58. Quid debet conſiderare Epiſcopus in eligendis ad animarum curam?

Reſp. Debet conſiderare probitatem vitæ, ſcientiam, induſtriam, & prudentiam in rebus agendis: ſed probitas debet præferri ſcientiæ, & interdum comparativè anteferri debet induſtria, & prudentia, ſuppoſita ſemper ſuffic. & ſcient. Ità docet Ban. 2. 2. *quæſt. 63. art. 2. col. 1.* Itaque Epiſcopus eliget ex probatis ad animarum curam, quos magis idoneos putabit, conſiderata ætate, moribus, ſcientia, & prudentia, ut habetur ex Trident. *ſeſſ. 24. cap. 18.* Vide Barboſam *de off. Parochi cap. 2. num. 122. & in collect. ad Trid. loc. ſup. cit. num. 118. & ſeqq.* ubi plures concordantes adducit. Vide etiam Victorellum *in addit. ad Em. Sà verb. Electio ſub num. 13.*

846 59 Quid debet facere Epiſcopus, ſi in aliquo negotio, aut cauſa Eccleſiaſtica minùs peritum ſe inveniat?

Reſp. Licèt Epiſcopus aliorum doctrina non debeat egere, ut dicitur *in cap. Qui Eccleſiaſticis 36. diſt.* tamen ibi Gloſ. *in verb. Quærant*; ſic inquit: ſi Epiſcopus minùs ſit eruditus, ab alio doceri non contemnat, & habetur *ex cap. Si habes 24. qu. 3.* nam nemo eſt, qui doceri non egeat, dum vivit, licèt defectus ſcientiæ in Epiſcopis ſit omninò reprobandus, nec tolerandus. *cap. inter cætera, de Offic. Ordinarii.* Unde nõ erubeſcat Epiſcopus in tali caſu à Subdito doceri, quia reprehenſibilis foret, ſi edoceri contemnat à ſubdito perito, nam ſic dicitur in dicto *cap. Si habes*, & ibi Gloſ. *in verb. Senex*, ubi S. Pater Auguſtin. magnum Eccleſiæ lumen, ſic ait: *Ego Senex à puero nondum anniculo, paratus ſum edoceri*; & Juris conſultus inquit: *Si unum pedem haberem in ſepulchro, alium extrà, adhuc addiſcere vellem. ff. de Fideicomm. liber. l. apud Julian um*; Siquidem nulla ætas ſera eſt ad diſcendum. *cap. Nullus Epiſcopus 38. diſt. cap. Niſi cum pridem de renunc.* & ibi Glo. *in verb. Plerumque*, Ideoque Epiſcopus literatos viros ſecum habere debet. Gloſ. *in cap. Eſto ſubiectus 95. diſt. in verb. Invideant*, & reprehenditur Epiſcopus, qui malit habere illiteratos, quàm viros doctos circa ſe. Utinam Epiſcopi ante omnia in quovis negotio benè conſulerent, quia qui agunt cum conſilio, reguntur ſapientia. Seneca *Epiſt. 23.* ſed qui de ſua unius ſententia omnia gerit, ſuperbum magis quàm ſapientem judicavit Titus Livius apud Barboſam *de poteſt. Epiſc. par. 1. tit. 2. Gloſ. 6. num. 11.*

ſed

ſed vide queſò Dianam *par.* 12. *in tra. de conſec. Epiſc. reſ.* 71. ubi agit de ſcientia, quam habere tenetur Epiſcopus ante conſecrationem; & Pacem Jordanum *tom.* 1. *tit.* 15. *per totum*, ubi more ſuo egregiè agit de prudentia, quæ in Epiſcopis ſummoperè deſideratur; & hoc quod dictum eſt de Epiſcopis, pari ratione dicendum eſt de Prælatis Regularibus, nam ignorantia non excuſat in his, quæ quis tenetur ax officio inquirere. *cap. ad Falſariorum de crim. falſ.* & docent Doctores apud Fagnan. 2. *par. lib.* 3. *Decret. in cap. Nullus de Regul. n.* 47.

847 Inter. 60. Epiſcopus extrà ſuam Diœceſim, & in aliena exiſtens, poteſtne accedere ad Monaſteria Monialium?

Reſp. Dicam in tit. 235. de Verbis cum Monialibus ad Inter. 2. cum Gratiano, Epiſcopum incurrere excommunicationem alloquentem Monialem ſinè licentia, ſi ibi lata eſt, quia efficitur ſubditus Epiſcopi ferentis cenſuram ratione delicti; Nunc autem dico, talem Epiſcopum non poſſe accedere; & multò minus ingredi Monialium ſepta, ſinè licentia Epiſcopi prohibentis, ne quis accedat ad Monaſteria Monialium; & ità reſolutum fuiſſe à Sac. Congreg. in Jannenſi 10. *Maii* 1631. refert Aldanus *in compend. Canon. reſ. lib.* 3. *tit.* 15. *num.* 8. apud Barboſam *in collect. ad Trident. ſeſſ.* 25. *capit.* 1. *de Regul. ſub num.* 61.

848 Inter. 61. Epiſcopus poteſtne excommunicare Reges, eorumque Miniſtros, & Officiales?

Reſp. De Jure novo, & privilegio à Summo Pontifice obtento, Reges, & Imperator nequeunt ab Epiſcopo excommunicari, ut docent Avila *de cenſur. par.* 2. *cap.* 4. *diſp. unic. dub.* 4. Layman *lib.* 4. *tract.* 6. *c.* 10. *n.* 4. Barboſa *in cap. duo ſunt* 96. *diſt.* Bonacin. *de cenſ. diſp.* 1. *q.* 1. *pun.* 4. *num.* 19. & Emm. Sa *verb. Excomm. num.* 15. Cæterùm poſſe Epiſcopum excommunicare Officiales, Conſiliarios, & Miniſtros Regios perturbantes ejus juriſdictionem, non eſt dubitandum, quia privilegium, quod habent Reges, & Imperator, eſt perſonale, propter eorum reverentiam illis dumtaxat conceſſum. Undè dicendum eſt, poſſe Epiſcopum procedere ad cenſuras cōtra Miniſtros Regios inconſulto Rege, ſeù Prorege: quam ſententiam egregiè tuetur Diana *p.* 3. *tract.* 1. *reſ.* 9. & multi alii penès ipſum.

849 Inter. 62. Epiſcopus participans in crimine crimínoſo cum aliquo à ſe excomunicato, incurritne eamdem excomunicationem?

Reſp. Dico quòd ſic, quia Epiſcopus tenetur ſervare jus commune, & afficitur excommunicatione jure communi lata, traſgrediendo jus commune, quale eſt *cap. Nuper, de ſent. & excom.* & hoc eſt certiſſimum. Vide Bonac. *De Cenſ. diſp.* 2. *q.* 2. *punct.* 6. §. 1. *n.* 3. Sylveſt. *verb. excom.* 5. *ſub nu.* 1.

850 Inter. 63. Poteſtne Epiſcopus adminiſtrare omnia Eccleſiæ Sacramenta ſuis ſubditis, inconſulto Parocho?

Reſp. De hoc minimè eſt dubitandum, cum Epiſcopus ſit propriiſſimus ſuæ Diœceſis Animarum Paſtor, imò ei principalitèr eſt Animarum cura commiſſa, ut colligitur ex *Canon. quecunque*, 10. *q.* 1. & *Can. præcipimus* 12. *q.* 1. Barboſa *de officio Parochi cap.* 20. *n.* 12. Pax Jordanus *tom.* 1. *lib.* 3. *n.* 49. & 81. Imò advertendum eſt, quod nomine Parochi, qui neceſſariò aſſiſtere debet Matrimoniis, intelligi debet etiam Epiſcopus, ac ejus Generalis Vic. ut à Sacr. Congregatione refert deciſum Diana *par.* 11. *tr.* 3. *reſ* 35.

851 Inter. 64. Epiſcopus poteſtne confirmare in ſua Diœceſi ſubditum alterius Epiſcopi? Et ſi hoc faciat inciditne in aliquam cenſuram, aut culpam?

Reſp. Tolet. *lib.* 2. *c.* 24. *ſub n.* 2. Bonac. *de Sacr. diſp.* 3. *q. unica pun.* 2. *n.* 10. & *alii*, docent non poſſe, ſed Genuenſis *in man. Prælat. c.* 45. *n.* 7.

Digitized by Google

Barb. *de poteſt. Epiſc. par.* 2. *alleg.* 30. *n.* 12. Em. Sa *verb. confirmatio n.* 2. Diana *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 24. *verſ. adde etiam*, & *par.* 10. *tr.* 9. *reſ.* 14. *verſ. Adde*; & alii plures penes ipſos ſuſtinent oppoſitum, & nullam cenſuram, aut culpam incurrere dicunt; ſiquidem præſumendum eſt, hoc ratum, & gratum fore proprio Epiſcopo, & ità Ego ipſe pluries practicari vidi; tamen ſecluſa ratihabitione, erit peccatum mortale, ut ajt Diana *par.* 2. *tract.* 17. *reſol.* 17.

852 Inter. 65. Epiſcopus exiens per Villas, & Oppida, ut Sacramentum Confirmationis conferat, poteſtne recipere victualia, vel quid aliud à Laicis, aut Eccleſiarum Rectoribus?

Reſp. Epiſcopum exeuntem non cauſa Viſitationis, ſed ſolùm, ut Sacramentum Confirmationis conferat, Sac. Cong. declaravit à nemine eſſe procurandum. Ità tradunt, ac deciſum referunt Armendarix, & alii apud Barboſ. *in collect. ad Trid. Seſſ.* 24. *de refor. cap.* 3. *num.* 20. & *de poteſt. Epiſ. par.* 3. *alleg.* 13. *num.* 53. & concordat Bonac. *tom.* 3. *diſp.* 3. *quæſt.* 5. *punct.* 4. *num.* 9. qui etiam probabilius cenſet Epiſcopum victualia, vel quid aliud tunc temporis accipientem ligari interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ, niſi duplum infrà menſem reſtituat. Hoc tamen verùm eſſe puto, ſi victualia, ſeù procurationem accipiat, non autem ſi eſculenta; vel poculenta liberaliter donata, & non petita recipiat, quia non accipit prætextu, nec ratione Viſitationis, ut decernunt Jura vetantia munerum receptionem. Ergò dum non militat eadem ratio, in hoc caſu non poteſt eſſe eadem Juris diſpoſitio.

853 Inter. 66. Epiſcopus poteſtne in alterius Diœceſi conferre primam tonſuram ſuis Subditis, vel benedictionem ſolemnem dare, aut canere Miſſam Pontificalem abſque facultate Epiſcopi illius loci?

Reſp. Circà omnia ſupradicta poſſe Epiſcopum, abſque alia licentia facere, docet Henriquez *lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 6. penès Bonac. *de Sac. diſp.* 3. *quæſt. unica*, *punct.* 2. *n.* 12. & ratio eſt, quia nullo jure prohibetur, nam prima tonſura conferri poteſt domi privatim ſine Pontificalibus, ut firmabo *in tit.* 221. *De Tonſura*, *ad Inter. ultimam*, & benedictio, & miſſa ſolemnis, non videtur comprehendi nomine Pontificalium, de quibus loquitur Tridentinum *ſeſſ.* 6. *cap.* 5. Sed de de hac re videndus eſt omninò Diana *part.* 3. *tract.* 6. *reſ.* 36. ubi pro utraque parte Doctorum authoritates refert, & tandem concludit non poſſe Epiſcopum in caſu noſtro, Miſſam celebrare in Pontificalibus, ſeù cum Baculo, & Mitra abſque licentia Ordinarii illius loci. Et hoc ego puto probabiliùs. Vide Dianam *par.* 4. *tract.* 4. *reſ.* 143.

854 Inter. 67. Prima tonſura, & Ordines minores, quo tempore ab Epiſcopo poſſunt conferri?

Reſp. Prima tonſura, quovis anni tempore, quovis die, hora, & loco dari poteſt. Ità docet Vaſquez *in* 3. *part. tom.* 5. *diſp.* 246. *cap.* 5. *num.* 23. & alii. Ordines autem minores poſſunt conferri ab Epiſcopo tres, vel etiam quatuor, non quovis anni tempore, ut dictum eſt de prima tonſura, ſed in qualibet Dominica, aut feſtivo die, dummodo non videatur facere ordinationem generalem, Sic ex Reginaldo, Henriquez, Villalobos, & Vaſquez docet Diana *part.* 2. *tract.* 16. *reſ.* 28. *verſ. Notandum eſt*. Hi verò dies feſtivi debent eſſe de præcepto, quamquam ſatis erit, ſi ſolemnitas diei feſti ſit in ſua Religione, vel Monaſterio, ſi loquatur de Abbatibus conferentibus dictos Ordines, aut ſi loquatur de Epiſcopo, ſufficit quod ſit dies feſtivus in ſua Diœceſi, vel Civitate. Lezana *tom.* 2. *verb. Ordines Sacri num.* 9. qui plures concordantes allegat, Vide Emm. Sà *verb. Ord. n.* 13.

855

855 Inter 68. Peccatne Epiſcopus conferendo primam Tonſuram, vel Ordines minores illi, qui non habent intentionem recipiendi majores?

Reſp. In *tit. 176. De Privilegio Canonis, & fori, ad Inter.* 1. dicam probabiliter non peccare mortalitèr illum, qui recipit minores Ordines, vel primam Tonſuram animo non aſcendendi ultra, ſed gaudendi privilegio fori, & exemptione à tributis, & ità tenet etiàm Bon. *de Matrimon. quæſt. 3. pun. 9. num. 6.* cum Sanchez, Navar. & Filliucio. Ita pariter cum Bonac. *ibid. num.* 7. & aliis ab eo citatis dico non peccare Epiſcopum, ſaltem mortaliter, conferendo Ordines minores illi, qui eos recipit animo non recipiendi majores.

856 Inter. 69. Poteſtne Epiſcopus tuta conſcientia Sacros ordines conferre alicui, qui in ſua Diœceſi habet beneficium, quamvis illud ſit tenue?

Reſp. Licèt DD. communitèr dicant, quatuor modis, aliquem dici poſſe ſubditum Epiſcopo, ut ab eo ordinari queat, nempè ratione originis, ratione Domicilii, ratione Beneficii, & familiaritatis; ut videre licet apud Bonac, *De Sac. diſp. 8. quæſt. unica punct. 4. num. 8. & ſeqq.* Em. Sà *verb. Ord. num. 29.* Dianam *par. 4. tract. 4. reſ.* 148. Tamèn modò poſt Conſtit. Sanctiſſ. D. N. Innoc. XII. quæ incipit *Speculatores*, editam anno 1694 (& eſt 44. inter alias de mandato ejuſdem Pontificis emanata) non omnia, quæ dicunt DD. circa hoc ſubſiſtere valent, & præcipuè poſſe Epiſcopum tuta cōſcientia ordines conferre ei, qui habet in ſua Diœceſi Beneficium quantumvis tenue, ut inter alios aſſerebant Garzias, Henriq. Barboſ. & Sanchez, quos refert, & ſequitur Dian. *part. 4. tract. 4. reſ.* 51. Vide Barboſ. in collect. DD. in Trident. *ſeſſ. 23. de reform. c. 8. n. 22. &* 24. Sanchez *in Opuſculis tom. 2. lib. 7, c. 1. dub. 23. n. 7.* Bonac. *ubi ſup. n.* 14. non enim hoc, inquam, ſuſtiueri poteſt, quia in dicta Conſtit. §. 8. habetur, quòd Clericus non poſſit ab alio promoveri ratione ſubiectionis ex Beneficio abſque teſtimonialibus Epiſcoporum Originis, & Domicilii, & §. 9. habetur ſic. Beneficium ad effectum ſubiectionis pro ordinibus, debet ſufficere ad congruam ſuſtentationem detractis oneribus, ſublata quacumque facultate ſupplendi, quod deficeret fructibus ejuſdem Beneficii cum additione Patrimonii etiā pinguis, quod ipſe ordinandus in eadē, ſeù alia quavis Diœceſi obtineret. Ità igitur ſervari debet, nè contraveniatur præfatæ Conſtitutioni, ad quam brevitatis gratia Lectorem remitto.

857 Inter. 70. Epiſcopus ligatus aliqua cenſura, ſitne irregularis exercendo Ordinem Epiſcopalem?

Reſp. Epiſcopus excommunicatus, vel ſuſpenſus, proculdubio fit irregularis exercendo Ordinem Epiſcopalem, ut cōſecrando Epiſcocopos, conficiendo Chriſma, Ordines conferendo, degradando Clericos, ſolemniter benedicendo, aut alia faciendo, quæ propria ſunt Ordinis Epiſcopalis; & idem dicendum eſt de Abbate conferente minores Ordines. Ità pluribus relatis firmat Bonac. *de cenſu. diſp. 7. quæſt. 3. punt. 5. num. 9.*

858 Inter. 71. Epiſcopus conſecrando Chriſma, vel Oleum, ſeù conferendo Ordines Minores in peccato mortali, peccatne mortaliter?

Reſp. Dico primo quòd Epiſcopus conſecrando Criſma, vel Oleum in peccato mortali, non peccet mortalitèr, ſed venialitèr tantùm, dummodo abſit ſcandalum, & hanc opinionem tanquam probabiliorem docet Diana *par. 3. tract. 4. reſ.* 67. cum Jo: della Crux *in directorio conſcien. part. 2. de Sac. in genere quæſt. 4. dub. 3. concl.* 1. Conincho *de Sac. quæſt. 64. dub. 1. num.* 39. Suarez *in 3. par. diſp. 16. ſect.* 3. & aliis. Dico ſecundo peccare mortalitèr Epiſcopum conferendo Ordines Minores in peccato mortali,

tali, & hoc aſſero cum Layman *lib.* 5. *tract.* 9. *cap.* 4. *num.* 4. Coninch o *de ſac. diſp.* 21. *dub.* 6. *num.* 47. Filliucio *tom.* 1. *tract.* 9. *cap.* 1. *n.* 82. Jo. della Crux *loc. cit. de Sac. Ordinis, dub.* 1. *concl.* 3. & aliis, quos refert, ſed non ſequitur Diana ubi ſuprà, & ratio eſt quia ſecundum communem opinionem DD. omnes Ordines ſunt verum Sàcramentum, & patet, quia quilibet ordo eſt ſacræ rei ſignum: hæc eſt S. Thomæ ſententia, D. Bonaventuræ, Alberti Magni, Majoris, Paludani, & aliorum apud Em. Sà. *verb. ordo num.* 1. Bonac. *de ſac. diſp.* 8. *quæſt. unica, pun.* 2. *num.* 2. & Fornarium *de ſac. Ordinis cap.* 1. *num.* 2. ſed vide S. Thom. 3. *par. quæſt.* 22. *art.* 2. qui eſt unus pro mille exiſtimandus. Sequitur ergò peccare mortalitèr Epiſcopum in dicto caſu, quia adminiſtrat Sacramentum in peccato mortali, & hoc apud me eſt indubitatum.

TITULUS LXXXIV.

De Examinatoribus Synodalibus:

Vide tit. de Simon. Intit. 13.

859 INter. 1. Quot eſſe debent Examinatores Synodales?

Reſp. Ad minus debent eſſe ſex, ut habetur ex Concilio Trid. *ſeſſ.* 24. *capit.* 18. Si verò ſingulis annis Synodus non fit, Examinatores ſemel deputati munus ſuum debent exercere, donec nova Synodus habeatur; & hic notandum eſt, quòd ſi ſolùm ſint ſex, & aliqui ex eis moriantur, officium omnium expirat, prout deciſum à S. Congregatione refert Gallet. *in Margar. caſ. conſc. verb. Examinatores n.* 1. Venerus *in Exam. Epiſc. lib.* 4. *c.* 25. *num.* 8. & 10. Barb. *de poteſt. Epiſ.* 3. *alleg.* 60. *num.* 40. & 49. Diana *par.* 3. *tr.* 5. *reſ.* 64. *verſ. Nota etiam*. Vide ad Inter. ſequ. in fine.

860 Inter. 2. Poteſtne Epiſcopus eligere Examinatores Synodales, qui non ſint Magiſtri in Theologia, aut Licentiati, aut in Jure Canonico Doctores, ſeù Licentiati?

Reſp. Sacra Congregatio Cardinalium Conc. Trid. reſpondit, neceſſariò Examinatores eligi debere, qui ſint Magiſtri, ſeù Doctores, aut Licentiati in Theologia, aut Jure Canonico, ſi extent; alioquin alios Clericos eſſe eligendos, qui ad id videbuntur magis idonei. Vide Dianam *par.* 3. *tr.* 5. *reſp.* 64. Lezanam *tom.* 2. *verb. Examen n.* 2. Quapropter dicendum eſt, non poſſe Epiſcopū eligere Cler. ſecul. aut regul., qui dictis gradibus non ſint inſigniti, niſi ulli viri qualitatis ſuperiùs expreſſæ non extent, Barboſ. *de Offic. Parochi p.* 1. *c.* 2. *n.* 37. Vide Conc. Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 18. Nota hic obiter, quòd Examinator non poteſt præmonere Examinandum de punctis, ſi fiat per concurſum, vel detur juramentum de non præmonendo. Diana *par.* 10. *tract.* 16. *verſ. Notandum eſt, &c.*

861 Inter. 3. Quando fit aliquis concurſus, cum Examinatoribus Synodalibus, poſſuntne ab Epiſcopo, vel ejus Vicario adhiberi alii Examinatores non Synodales?

Reſp. Nequaquam hoc fieri poteſt; & ità deciſum fuit à S. Congregatione Concilii: teſte Diana *par.* 3. *tr.* 5. *reſ.* 65. ſecùs nullus erit concurſus.

TITULUS LXXXV.

De Examine Conſcientiæ.

Vide tit. de Mem. pecc. Inter. 1. *tit. de Val. Conſeſſ. Inter.* 1.

862 INter. 1. Qui nulla præmiſſa diligentia in examinatione conſcientiæ cofeſſioni accederet, debetne à Confeſſario abſolvi?

Reſp. Generaliter loquendo, Confeſſarius non debet, nec poteſt talem pœni-

pœnitentem abſolvere : ſed debet illum dimittere , eique imperare , ut debitam præſtet diligentiam ad excutiendam conſcientiam ; eaque præſtita redeat , nàm ſi à Confeſſario abſolvatur ; non ſolùm peccat Confeſſarius, ſed Pœnitens ; Prætereà ultra peccatum mortale , quod tunc committit, tenetur quoque ad novam ſuorum peccatorum confeſſionem , quamvis ſuam negligentiam aperuerint in confeſſione , & à Confeſſario abſolutionem obtinuerit . Navar. *in Ma. cap. 9. num. 6.* & ex eo Bonac. *de Sac. diſp. 5. q. 5. ſect. 2. pun. 2. §. 1. n. 5.* Tolet. *lib. 3. cap. 9. n. 1.* Victoria *in Sum. de Confeſſione ſub num.* 148. & alii . Vide quod dicam *in tit.* 140. *de Memo. Pec. ad Inter.* 1. Dixi generaliter loquendo , quia ſi Confeſſarius vult ſupplere defectum examinis per interrogationes, optimè faciet , maxime cum teneatur Confeſſarius pænitentem examinare , & interrogare , ut rectè concludit Bonac. *loc. cit. n. 6. & 7.* Vide Sylv. *verb*: *Confeſſio* 1. *n.* 18. *in fin.* Dianam *par.* 10. *tr.* 14. *reſp.* 31. Sed hoc intelligendum eſt , quando pœnitens aliquam diligentiam adhibuit , aliàs abuſus eſt non ferendus ninihil confiteri , niſi inrerrogatum; Tolet. *lib. 3. cap. 18. num.* 1. Emm. Sà *verb. Confeſſio n.* 11. Undè ſi nullam prorſus fecit diligentiam in perſcrutanda conſcientia, & numerũ peccatorum antè Confeſſionem , audiendus non eſt ; modò tamen non adſit periculum , vel articulus mortis Pœnitentis.

863 Inter. 2. Quale examen conſcientiæ requiritur , & ſufficit ad confeſſionem ?

Reſp. Notandum eſt in primis de Jure Divino prærequiri examen conſcientiæ ante Confeſſionem , ut ex Tridentino , & Doctoribus probat Bonac. *ubi ſupra num.* 1. nàm præceptum de examinatione conſcientiæ idem eſt , quod de confeſſione , & de integrè confitendo ; & quia nemo integrè confitetur , ſi non examinaret ſe , ideò prærequiritur examen , ut medium prærequiſitum ad omnia , & ſingula peccata confitenda , aliàs eſt peccatum contra præceptum Confeſſionis, ut docet etiam Chaves *in Sum. Victoriæ num.* 148. Hoc ergo prænotato , dicendum eſt , examen illud requiri , quale permittit humana fragilitas , unde ſufficit mediocrem pręſtare diligentiam in indagandis, & inquirendis propriis peccatis, quantam ſcilicet , inquam , humano , & communi modo ſufficiat ad peccatorum mortalium recordationem , ut ipſemet ſecundùm rectum judicium , quod in ſe eſt , cognoſcat feciſſe . Tolet. *lib. 3. cap. 9. n. 1. Victoria in Sum. de Conf. ſub nu.* 148. Bonac. *loc. prox. cit. num.* 3. & alii apud ipſum : Et quamvis majorem diligentiam adhibere teneatur , qui diutiùs confeſſionem differre conſuevit, & qui negotia exercet periculoſa , quam qui tot negotiis periculoſis non involvitur , & ſæpiùs confitetur , & qui non tàm felici memoria pollet , quàm qui felici ; tamen non tenetur maximam diligentiam adhibere , ſed ſufficit mediocris modo prædicto , quamvis ſi ampliùs examinaſſet per longè prolixius tempus recordaretur aliorum peccatorum ſimilium jam commiſſorum, nam diligentia debet eſſe moralis pro recto judicio cuiuſque , & quanta adhiberetur in negotiis magis arduis , & maximis, ſed vitari debet exceſſus , quia in omni virtute morali peccatur, non ſolùm per defectum, ſed etiam per exceſſum, ut docet S. Thom. *par. 2. qu. 64. ar. 6.* Ità præcitati Doctores ; & eſt communis ſententia ; ſed vide Dianam *par. 2. tr. 17. reſ. 46. verſ. Et alii aſſerunt .*

Digitized by Google

TITULUS LXXXVI.

De Examine quoad Scientiam, & Doctrinam.

Vide tit. de Epiſcopat. &c. Int 52. *tit. de Paroch. Int.* 7. 10. *tit. de Præl. Regul. Inter.* 10. *tit. de Regul. &c. Inter.* 42. 43. 44. 45. *tit. de Val. Confeſ. Int.* 18.

864 INter. 1. Epiſcopus poteſtne examine prætermiſſo concedere facultatem audiendi Confeſſiones Sacerdotibus ſuæ Diœceſis, & Regularibus, vel neceſſariò debet illos examinare quoad ſcientiam?

Reſp. Quando cognoſcit perſonam eſſe idoneam pro excipiendis Confeſſionibus, ſi vult, poteſt eis dictam licentiam concedere ſinè examine, quià Concil. Trid. *ſeſſ.* 23. *de reform. cap.* 15. ſic habet: *Ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus judicetur*; Undè Epiſcopus ſciens, aut prudenter credens aliquem eſſe idoneum, poteſt illum ad audiendas Confeſſiones admittere abſq; examine. Bar. *in Col. DD. in Tri. ſeſ.* 23. *c.* 15. *n.* 32. alios allegans. Vide Dianam *par.* 7. *tr.* 11. *reſ.* 33. qui aliis allegatis idem ſuſtinet contra Novarium.

865 Inter. 2. Doctor, ſeù Licentiatus in Theologia, vel in Jure Canonico, & in publica Univerſitate graduatus, debetne examinari, quando petit provideri de aliqua Eccleſia Parochiali?

Reſp. Certò debent examinari, ut docent communiter Doctores, quos allegat Barboſa *de poteſt. Epiſ. par.* 3. *alleg.* 60. *num.* 86. *& in Collect. Triden. ſeſſ.* 7. *de reſor. cap.* 13. *num.* 28. Immò ità fuiſſe a Sac. Congreg. deciſum teſtantur plures Auctores apud eumdem Barboſam, ut videre licét, ſi lubet.

866 Inter. 3. Epiſcopus cui per litteras Apoſt. commiſſū eſt examen alicujus, poteſtne illud alteri delegare?

Reſp. Quamvis in litteris Apoſtolicis fuerit Epiſcopi conſcientia onerata, nihilominus poteſt alteri examen delegare, quia non cenſetur electa induſtria perſonæ, ut ex Aldano *in compend. canon. reſ. lib.* 2. *tit.* 5. *num.* 10. docet Barboſa *in Collect. ad Trident. loc. proximè cit. à num.* 24. Vide quæ dixi *in tit.* 83. *ad Inter.* 55.

TITULUS LXXXVII.

De Excommunicatione, & Excommunicatis.

Vide tit. de Circumſpec. Inter. 7. *tit. De Concionat. &c. Inter.* 1. *tit. De Confeſſar. &c. int.* 6. 7. *tit. De Confeſſ. ſac. Inter.* 28. *tit. de Differ. Int.* 20. *titul. de Dub. Int.* 9. 10. *tit. de Eccl. Immun. Inter.* 26. *tit. de Elect. &c. Inter. ult. tit. de Epiſcopat. &c. Int.* 56. *tit. de Hor. can. Inter.* 1. *tit. de Ignor. Int.* 2. 7. *tit. de Laic. In.* 3. *tit. de Lud. Int.* 4. *& ſeqq. tit. de Pec. mort. Inter. ult. tit de Præc. aud. ſac. Inter.* 1. *tit. de Sacram. Int.* 10. 11. *tit. de Sac. Euch. Int.* 5. 6. *tit. de Sac. Matr. Inter.* 20. 21. *tit. de Sponſ. Inter.* 3. *tit. de Stup. Int.* 1. *tit. de Suſp. de Hær. Inter. ult. & quæſt.* 1. *tit. de Teſtib. &c. Inter.* 6. 7. *tit. de Val. Benef. Inter.* 1. 2. 3. *tit. de Val. Confeſſ. Inter.* 7. 8. *tit. de Val. Sac. Pœn. Int.* 2. *tit. de Val. Sacram. Inter. ult. tit. de Uxor. Int.* 4.

867 Inter. 1. Quid eſt excommunicatio?

Reſp. Eſt cenſura eccleſiaſtica, qua homo baptizatus privatur aliquibus bonis communibus, videlicet conſortio fidelium, participatione Sacramentorum, & communibus Eccleſiæ ſuffragiis. Navar. *in Man. c.* 27. *n.* 1. & alii plures, quos citat, & ſequitur Bonac. *de Cenſ. diſ.* 2. *quæſ.* 1. *punct.* 1. *n.* 2. Tol. *lib.* 1. *c.* 4. *n.* 1. *&* 2. & alii cōmu. Vide Cab. *de Caſ. reſ. p.* 2. *caſ.* 1. *an.* 1. *n.* 4.

868 Inter. 2. Poteſtne licitè excommunicatus vitandus ingredi Eccleſiā, &

& ibi orare, vel etiam concionem audire?

Reſp. De hoc non eſt dubitandum, quod eſt verum, etiamſi alii fideles in Eccleſia privatim orent, dummodo ſeparatim ille oret; Imò Cajet. *in Sum. cap. de participatione cum Excom. §. illicita autem*, tenet, quòd poſſit orare in eodem Sacello, in quo alii ſimiliter privatim orant cum non ſit communis oratio. Ita etiam poteſt ingredi Eccleſiam tempore, quo Celebrantur ibi divina Officia, nõ ut interſit illis, ſed ſolùm ut tranſeat per Eccleſiam ob commoditatem itineris, etiãſi tranſeundo genufleƈtat, & paululum oret, quia non dicitur ingredi Eccleſiam cauſa orandi, & intereſſendi divinis Officiis, ſed tantùm ad aliquod negotium peragendum, quod ei pariter licere, affirmant plures Doctores, quos refert, & ſequitur Diana *part.* 5. *tract.* 9. *reſ.* 86. qui tandem aſſerit, quod poſſit in Eccleſia cum aliis in communi, etiam audire concionem, & tenet etiam Bonac. *de Cenſ. diſp.* 2. *q.* 2. *pun.* 3. §. 1. *n.* 15. & §. 2. *n.* 10. quia concio non venit nomine divinorum Officiorum. Hæc omnia docet etiam Lezan. *loc. mox cit. ſub num.* 19. & 22.

869 Inter. 3. Excommunicatus vitandus incurritne aliquam pœnam, ſi Miſſæ, aut divinis Officiis aſſiſtat? Et quam pœnam incurrit, qui illum admitteret?

Reſp. Præter Peccatum mortale, nullam pœnam incurrit. Bonac. *ubi ſup.* §. 1. *num.* 6. Diana *loc. cit. reſ.* 95. & alii communiter. Verùm ſi aliquis eum admitteret, excommunicationem minorem incurreret, ut habetur *ex c. is, qui, de Sent. Excom. in* 6. & docet Diana ibidem, ſed ſi eſt exemptus ab Epiſcopo, ut ſunt Regulares, etiam Interdictum incurreret, ut patet *ex c. Epiſcoporum de privil. in* 6. quia ut inquit ipſe Diana, dictus textus non procedit generaliter de omnibus, ſed ſolùm de exemptis ab Epiſcopis. Vide etiam Lezanam *tom.* 2. *verb. Excommunicatio num.* 20. *in fin.* Hic tamen adverte, quòd excommunicatus majori excommunicatione, etiamſi non ſit denunciatus, peccat mortaliter, aſſiſtendo divinis Officiis, neque enim per Concilium Conſtantienſe illi conditur facultas communicandi cum fidelibus, quamvis aliis fidelibus liceat communicare cum excommunicato tolerato, ſeù non vitando, ut docet Diana *par.* 5. *tract.* 9. *reſ.* 117.

870 Inter. 4. In quo caſu participans cum excommunicato vitando, non ſolùm peccat mortaliter ſed etiã ligatur majori excommunicatione?

Reſp. Quando communicat in crimine criminoſo, ideſt quando cooperatur crimini, vel contumaciæ ipſius propter quam lata fuit excommunicatio; Unde ſi lata eſt excommunicatio contrà concubinarium, eo quòd noluerit concubinam domo expellere, præbens auxilium, favorem, vel conſilium concubinario ad retinendam domi concubinam, non ſolùm peccat mortaliter, ſed etiam majorem incurrit excommunicationem, quia participat in crimine criminoſo; Sicut impediens Titium ne reſtituat, incurrit eamdem excommunicationem, quam Titius contraxerit, eo quod noluit reſtituere, & ſic de cæteris, ut videre licet apud Bonac. *de Cenſ. diſp.* 2. *qu.* 2. *pun.* 6. §. 1. *n.* 8. & *habetur ex c. Si Concubinæ &c. Nuper de Sen. Excom.* Vide Tolet. *lib.* 1. *c.* 13. *n.* 1. Syl. *verb. Excommunicatio* 5. *n.* 6.

871 Inter. 5, In quibus caſibus prohibitum nobis eſt communicare cum excommunicatis vitandis?

Reſp. Omnes caſus continentur in hoc carmine, ut docent Doctores communiter. *Os, orare vale, communio, menſa negatur*, Per os intelligitur, quod non licent collocutiones, ſive per verba, ſive per ſigna, ſive per literas. Per *orare*, intelligitur, quòd non licèt Orare ſimul cum excommunicatis vitandis. Per *vale* prohibetur

Digitized by Google

tur omnis honorifica ſalutatio. Per particulam *communio*, intelligitur ſocietas, quæ fit communicando cum excommunicatis in habitatione, vel exercitio, vel contractu. *Per menſam* denique intelligitur, ſimul in una Menſa conveſci, ut accidit, quando quis alterum invitat ad cænam, aut quando aliqui communem, & ſocialem vitam agunt, ſive iiſdem cibis veſcantur, ſive unicuique proprium apponatur obſonium, & denique intelligitur quotieſcunque per modum Societatis comedunt: In his omnibus non licet communicare cum excommunicatis vitandis, aliàs cõmunicando cum eis in aliquo prædictorum, contrahitur excommunicatio minor, & peccatum mortale committitur, ſi in divinis communicatur: In cæteris verò, venialiter tantùm, niſi in contemptum Eccleſiæ id fiat. Vide Sylv. *verb. Excom.* 5. *num.* 2. *& ſeqq.* Navar. *in Man. cap.* 27. *num.* 20. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 3. *&* 4. Bonac. *loc. ſupracit.* §. 2. *num.* 1. *& ſeqq.* à quibus plura haberi poſſunt, quæ brevitatis gratia libenter prætereo.

872 Inter. 6. Daturne aliquis caſus, in quo licitè poſſimus communicare cum dictis excommunicatis vitandis?

Reſp. Utique datur, imò multi ſunt caſus, in quibus licitum eſt participare cum eis; qui caſus continentur in hoc carmine: *Utile, lex, humile, res ignorata, neceſſe*, de qua re latè tractat Bonacina *ubi ſupra à num.* 7. *uſque ad* 63. *incluſivè*; Ego verò breviter me expediam, ut brevitatem amplectar; gaudent enim brevitate Moderni; Dico igitur cum Tolet. quòd per *Utile*, intelliguntur verba ad ſalutem ſpiritualem excommunicati pertinentia, nam licet eum exhortari, ut ſibi conſulat; intelligitur etiam utilitas, tàm ſpiritualis, quàm temporalis ipſius participantis cum excommunicato, aut ipſius excommunicati participantis cum alio, dummodo utilitas ſit vera, & non ficta. Per verbum *lex*, intelligitur Matrimonium, ſeù lex Matrimonialis, qua licet uxori colloqui, conveſci, reddere debitum Marito excommunicato, &c. Per *humile*, intelliguntur omnes, qui ſunt in humilitate ſubjectionis, vel ſervitutis poſiti, ut ſunt filii ſub poteſtate Patris exiſtentes, famuli, ancillæ, & alii hujuſmodi reſpectu Domini ſui; Item Religioſi, reſpectu ſui Superioris excommunicati, quia ſunt quaſi de familia ejus. *Ignorantia, ſeu res ignorata*, eſt quando quis probabiliter ignorat illum eſſe excõmunicatum. Per *neceſſe* tandem intelligitur, quando occurrit neceſſitas gravis, vel conſilii, vel refugii, vel eleemoſynæ, vel petendo, vel dando. In his ergo caſibus licitum eſt participare, ſeù communicare cum excommunicato vitando, ut docet S. Thom *in* 4. *diſt.* 18. *art.* 4. *quæſt.* 1. Sylv. *loc. ſup. cit. num.* 5. Tolet. *ubi ſup. num.* 5. Bonacin. *& alii commun.* Vide etiam Navar. *loco ſup. alleg. num.* 26. *&* 27. Em. Sà *verb. Excommunicatio num.* 44. *& ſeqq.*

873 Inter. 7. Licetne aliquando ſalutare, vel reſalutare excommunicatum non toleratum?

Reſp. Dicunt aliqui, quòd per particulam *Vale* ſolùm prohibetur ſalutatio verbalis, & conſequenter eſſe licitum ſalutare, vel reſalutare excommunicatum abſque verbis, ut aperiendo caput, movendo labia, aſſurgendo, dando locum illi &c. Ità pluribus relatis affirmat Diana *par.* 5. *tr.* 9. *reſ.* 116. & hanc opinionem probabilem vocat Bonacin. *de Cenſur. diſp.* 2. *qu.* 2. *pun.* 6. §. 2. *num.* 4. ſed probabiliorem exiſtimat illam, quæ docet, exhibentem hujuſmodi ſigna, venialiter peccare, & minoris excommunicationis vinculo irretiri; & pro hac ſententia citat Ugolinum, Vaſquez, Henriquez, Suarez, & Reginaldum, quibus addo Navar. *in Man. cap.* 27. *num.* 20. Sylveſt. *verb. Excommunic.* 5. *ſub num.* 3. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 11. *ſub num.*

Digitized by Google

num. 3. & hoc mihi magis probatur, quia dicta ſigna ſunt quædam ſalutatio, non verbo, ſed opere, & communicatio quædam, quæ generaliter prohibetur in pœnam ipſius excõmunicati. Verum eſt tamen, quòd ſi præfata ſalutationis ſigna fierent abſque plena advertentia, vel ad vitandum ſcandalum, & non ad exibendum honorem excommunicato, à peccato, & à minori excommunicatione excuſari poſſunt. Cęterùm non videtur illicitum, imò eſt permiſſum caput aperire, vel aſſurgere perſonæ publicæ, ut Epiſcopo, aut Prætori excommunicato; ut pluribus concordantibus relatis firmat idem Bonacina *ubi ſupra num.* 4. *propè finem*. Imò, ut docet Rodericus *in Compend. qq. Reg. reſ.* 62. *num.* 17. & alii ibi relati, licitum eſt, levato galero aperire caput, inclinando illud excommunicato denunciato, ſi eſt nobiliſsimus, ſeù Miniſter Regis, qui prius urbanitatis gratia ſe diſcooperit.

874 Inter. 8: Qui ſunt illi excommunicati, quos ſtatim vitare debemus?

Reſp. Tenemur vitare illos, qui ſunt denunciari nominatim. Diana *par.* 5. *tract.* 9. *reſ.* 62. *&* *reſ.* 97. ſecundò publicos Clerici percuſſores, quando nulla tergiverſatione celari, aut juris remedio excuſari poſſint, & non credantur eſſe abſoluti, aut dubitatur an ſint denunciati. Sed poſito quòd quis alibi ſit denunciatus, & hic ubi degit neſcitur, non debemus illum hic publicè vitare, ſed benè in privato, Navar. *in Man. cap.*27.*n.*35. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 2. & alii apud Victorellum *in Addit. ad Em. Sà verb. Excommun. ſub num.* 34. idem docentes. Vide Bonacin. *de cenſur. diſp.* 2. *qu.* 2. *pun.* 6. §. 2. *num.* 47. *&* 48. & ſequen. & Lezan. *tom.* 2. *verbo Excomm. ſub num.* 5. & præſertim Dianam *loc. cit. reſ.* 134.

875 Inter. 9. Eſtne vitandus Titius excommunicatus, ſi dubitatur an ab Excommunicatione fuerit abſolutus?

Reſp. Utique eſt evitandus, quia ut docet Bonacin. *de cenſ. diſp.* 2. *pun.* 6. §. 2. *num.* 54. In hoc caſu non dicitur adeſſe dubium juris, vel facti excommunicationis; nam jam de ea conſtat, & pro ea ſtat poſſeſſio; nec jus præſumit abſolutionem fuiſſe collatam, niſi probetur. Itá Sylveſt. *verb. Excomm.* 5. *num.* 26. Navar. *in Man. cap.* 27. *num.* 36. & alii, quos refert, & ſequitur idem Bonacin. *loc. cit.*

876 Inter. 10. Unus Excommunicatus poteſtne licitè communicare cum àlio Excommunicato abſque ulla pœna?

Reſp. Excommunicatus non eſt melioris conditionis ut ſic, quàm non excommunicatus; ergò ſi non eſt excommunicatus non poteſt communicare cum excommunicato: à fortiori idem dicendum eſt de excommunicato, cum per hoc non deſinat eſſe membrum Eccleſiæ per Fidem, nec eſt exemptus à legibus, & præceptis ſui Prælati, nec omninò extrà Eccleſiam, ſicut Ethnici, neque eſt totaliter abſciſſus; conſequenter ſi communicat, & participat cum alio excommunicato denunciato, vel publico Clerici percuſſore, peccat, & minorem excommunicationem incurrit; & ſi participat in crimine crimino ſo, peccat mortaliter, & excommunicationem aliam majorem incurrit. Vide Chaves *in Sum. Victoriæ de Excomm. concluſ.* 14. eſt tamen communis ſententia.

877 Inter. 11. Excommunicatus inſordeſcens per annum in excommunicatione, à quo, & qualiter puniendus eſt?

Reſp. Dico primò, quòd inſordeſcentes per annum in excommunicatione, ſunt de hæreſi ſuſpecti, quia cenſentur malè ſentire de Fide, & poſſunt contra illos Inquiſitores procedere. Colligitur *ex cap. Gravem, de pœnis*, & ex Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 3. Quamvis Souſa *in Aphor. Inquiſition. lib.* 1. *cap.* 27. *num.* 6. dicat ex conſue-

ſuetudine Romana, non procedere contra illos Inquiſitores, niſi in cauſa hæreſis. Oppoſitum docet Genuenſis *in praxi cap.68.num.* 8. Sed quidquid ſit de hoc, certum eſt, tales inſordeſcentes eſſe, leviter ſaltem, de hæreſi ſuſpectos, beneficiiſque privatos, dummodo pro crimine aliquo fuerint excommunicati, & non pro cauſa civili, ut benè obſervat Barboſa, Sanctarellus, Sayrus, & alii, quos ſequitur Diana *par.* 4. *tract.* 7. *reſ.* 18. Et ità fuiſſe deciſum à Rota Romana aſſerit Gonzalez *in Reg.* 8. *Cancell. Gloſ.* 15. *num.* 106. contra Menochium, & Salzedo, quos pro ſe citat Caſtro Palao *tom.* 1. *tract.* 5. *diſp.* 4. *pun.* 2. *num.* 5. qui oppoſitum docet. *Vide in tit.*216.*ad Inter.* 2.

878. Inter. 12. Poteſtne licitè Epiſcopus, vel alius Superior ferre excommunicationem, ſi certò ſciat, vel ſaltem dubitet, illam non profuturam delinquenti?

Reſp. Equidem finis Prælati debet eſſe ſalus, emendatio, & reſipiſcentia illius, contra quem fertur cenſura, juxtà illud Divi Pauli ad Cor. *ut reſurgat à peccato, & ſalvus fiat in die Domini.* Unde quando Epiſcopus certò ſcit, vel dubitat excommunicationem non eſſe profuturam delinquenti, non debet illam ferre; nam excõmunicatio eſt medicinalis, & non mortalis, ut colligitur *ex cap.* 1. *de Sentent. excomm. in* 6. *cap. Notandum* 24. *qu.* 3. *& cap. multi* 2. *quæſt.* 1. ac proindè non eſt adhibenda, niſi quando adeſt ſpes fructus. Tamen quia etiam fertur ad terrorem aliorum, ut exemplo illius ſe abſtineant à crimine; ideò erit medicinalis, cum proſit aliis: & per conſequens licitè fertur ab Epiſcopo in tali caſu, ut ex Abbate, Covarruvia, & Alterio firmat Bonacin. *de cenſur. diſp.* 1. *quæſt.* 1. *pun.ult. n.* 2.

879 Inter. 13. Inquiſitores poſſuntne excommunicare Epiſcopos, & è contra Epiſcopi Inquiſitores?

Reſp. Nec Epiſcopi ab Inquiſitoribus ligari cenſuris poſſunt, cum ſit ipſis Inquiſitoribus generaliter prohibitum, nè contrà Epiſcopos procedant, ut habetur *ex cap. Inquiſitores, de hæret. in* 6. Nec Epiſcopus hanc Juriſdictionem habet contra Inquiſitores, cum ſint Officiales Summi Pontificis, qui cenſuris ligari non poſſunt, ob Extravag. *cum Matthæus.* Ità docet Megalius *in* 3.*p.lib.*1.*cap.* 3. *qu.* 2. *num.* 43. Quamvis Cantera *in qq. Crimin. cap.* 1. *de hæret. num.*65. dicat Inquiſitorem Conquenſem excommunicaſſe Epiſcopum ejuſdem Civitatis. Vide Dianam *par.* 5. *tract.* 9. *reſ.*51. Quod quidem mihi non placet, Quià ut benè probat Diana *par.* 7. *tract.* 1. *reſ.* 15. *verſ.* 5. dicens: Nec propter hæreſim Epiſcopus poteſt ab Inquiſitoribus citari, vel puniri, ſed etiam hæc cauſa Papæ reſervatur, ut ſtatuit Pius IV. in Conſt. 10. quæ incipit *In ſuprema*, de anno 1560. Addens id docere Molinam, Acugnam, Sanchez, Farinacium, Pegnam, Simancham, & alios. Adverto tamen ipſum Dian. *par.* 4. *tract.* 8. *reſ.* 21. poſtquam docuerit Inquiſitores non poſſe procedere contra Epiſcopos, addere ex pluribus Doctoribus: *Niſi Epiſcopus ſit ſuſpectus de fuga, vel aliquid in manifeſtum fidei, & fidelium detrimentum moliretur, quia tunc poteſt capi, & cuſtodiri, donec Summus Pontifex certior reddatur.* Vide ipſum, plura ibi ſcitu digna afferentem.

Quær. Quid requiratur ad incurrendam excommunicationem in foro conſcientiæ propter crimen hæreſis?

Reſp. Tria requiruntur, primò ut hæreticus habeat errorem in intellectu, ſecundò cum pertinacia, & tertiò, ut ejus incredulitas ſubjaceat humano ſenſui; Unde ſi aliquis ſolùm exterius negat fidem, non erit hæreticus in foro poli, ſeù in foro conſcientiæ, quia non habet errorem in intellectu. Item requiritur pertinacia, quarè opus eſt ut teneat aliquid contrà

Digitized by Google

trà Eccleſiam, vel ut alij dicunt, ut quis cognoſcat, & animadvertat ſuam opinionem eſſe contrà ſenſum Eccleſiæ catholicæ, & tamèn neglecta auctoritate ipſius Eccleſiæ in ſua opinione perſiſtat, aut ſaltèm cum conſenſu rationis dubitet, quià etiàm dubitare de articulis, & rebus fidei, eſt hæreſis, nàm dubius in fide dicitur infidelis: Debet igitur Chriſtianus in credendis firmus eſſe, nec dubitare. Quò ad pertinaciam verò, temporis mora, & in errore perſeverantia, non requiritur, quià in quovis temporis ſpatio, & momento, & uno ſolo actu, & aſſenſu inſtantaneo poteſt hæreſis culpa perpetrari: Tandem neceſſarium eſt etiàm, ut ejus incredulitas ſenſui ſubjaceat, quià hæreticus purè mentalis non incurrit in excommunicationem, niſi verbo, aliquo ſigno, vel facto hæreſim interius latitantem explicet, nàm hæreticus ſola mente non eſt excommunicatus, ut alibi dixi, & pluribus relatis docet Sanchez *in ſum. tom. 1. lib. 2. cap. 7. num.* 8. Bonac. *tom. 3. diſp.* 1. *quæſt.* 2. *pun.* 2. *propoſ.* 1. *per totam*, Diana *par.* 1. *tract.* 5. *reſ.* 1. *& par.* 4. *tract.* 7. *reſ.* 241. & eſt communis ſententia teſte eodem Diana *loco cit.*

TITULUS LXXXVIII.

De Excommunicatione minori.

Vide tit. de Val. Confeſ. Inter. 9.

880 INter. 1. In quo caſu contrahitur excommunicatio minor, & à quo poteſt abſolvi?

Reſp. In jure non invenitur caſus alius, in quo propriè contrahatur, niſi communicando cum excommunicatis denunciatis, vel publicis Clerici percuſſoribus; qui enim cum his communicat, minorem contrahit excommunicationem, ſed hæc minor, non afficit alios: Ejus autem abſolutio poteſt dari à quocumque Sacerdote Confeſſario approbato, ut docet Cajet. *verb. Abſolut. ab. excom. & tom.* 1. *Opuſcul.* 7. *contra. nonnullos.* qui putant etiam à ſimplici Sacerdote dari poſſe, quod quidem admitti non poteſt per ea, quæ dixi *in tit.* 5. *ad Inter.* 14. Vide Dian. *par.* 5. *tract.* 9. *reſol.* 3. ſed non omnia, quæ ibi docet, ſubſiſtere poſſunt.

881 Inter. 2. Poteſtne quis abſolvi à peccatis, manente ſaltem excommunicatione minori?

Reſp. Minimè, niſi fuerit prius ab excommunicatione minori abſolutus, & ratio eſt indiſſolubilis, quia ut patet ex definitione excommunicationis, omnis excommunicatus, etiam minori excommunicatione, eſt privatus participatione paſſiva Sacramentorum. Colligitur ex *cap. ult. de Cler. excom. miniſtrante*. Vaſq. *dub.* 4. *de excom. num.* 9. apud Dianam *par.* 5. *tract.* 9. *reſ.* 82. *Vide in tit.* 5. *ad Inter.* 6.

882 Inter. 3. Excommunicatus minori excommunicatione, privaturne illis tribus bonis ſuprà recenſitis?

Reſp. Minor excommunicatio ſolum ſeparat hominem à paſſiva Sacramentorum communione, non enim poteſt ſuſceptioni Sacramentorum accedere, & ſi aliquod Sacramentum ſuſcipit, mortaliter peccat. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 1. & eſt communis ſententia; Tamen validè adminiſtrat Sacramenta, ſed peccat venialiter, ut Dicam *in hoc tit. ad Inter. ultimam.* Sed vide Dianam *par.* 5. *tract.* 9. *reſ.* 3. ubi pro utraque parte DD. refert. Item excommunicatio minor privat paſſiva electione, præſentatione, & collatione beneficii Eccleſiaſtici, & Eccleſiaſticæ dignitatis, ut docent DD. communiter.

883 Inter. 4. Excommunicatus minori excommunicatione, eſtne capax Beneficij Eccleſiaſtici, aut penſionis.

Reſp. Dico primo cum communi ſententia talem eſſe incapacem Beneficij Eccleſiaſtici, ut brevitèr dixi in

Reſp.

Reſp. ad Inter. antecedentem, in fine, licèt non deſint Doctores aliter ſentientes apud Hurtandum *Var. tom. 2. tract. 57. cap. 7. §. 17. num. 963.* quos ipſe ſequitur, teſte Diana *par. 11. tr. 5. reſol. 5.* qui ibidem verſ. Dico ſecundo, aſſerit probabilitate non carere validam eſſe collationem cujuſcunque penſionis excommunicato factam. Sed omninò tenendum eſt collationem penſionis, quæ ſimul eſt temporalis, & ſpiritualis, irritam eſſe, ut docet Bonacina *de cenſuris diſp. 2. pun. 4. quæſt. 2. §. 1. num. 4.* & alij plures apud ipſum Dianam *verſ. Scio, ubi ſupra*.

884 Inter. 5. Excommunicatus minori excommunicatione celebrando miſſam, incurritne irregularitatem?

Reſp. Non incurrit, ſicut incurrit excommunicatus majori excommunicatione; Ita docet Summa Corona *par. 1. tr. de excomm.* & alij.

885 Inter. 6. Ecommunicatus minonori excommuninatione cōferens Sacramenta, peccatne mortaliter, vel venialiter tantum.

Repſ. Secundùm Sotum peccat venialiter tantùm, ſecundùm verò Sylveſt. & Adrianum, mortaliter; ego puto probabilius id quod dicit Sotus. Vide dicta *ad Inter. 3.*

TITULUS LXXXIX.

De Excommunicatione ob Clerici percuſſionem.

Vide tit. de Correct. Int. 3. tit. de Defenſ. vitæ prox. Int. 2. tit. de Eccle Immun. ad quæſ. 3. tit. de Furt. Inter. 9. tit. de Homic. Inter. 3. tit. de Ignor. Inter. 4. 5. 6. tit. de Peccat. Inter. 19. tit. de Præl. reg. ad quæſ. 3. tit. de Privil. &c. Inter. 2. 3. 4. tit. de Puer. Inter. 5. tit. de Regul. Int. 1. & ad quæſ. 4. & 5 tit. de Relig. aliq. part. Inter. 3.

886 INter. 1. Qui percutit Eremitas inciditne in excommunicationem Canonis, *ſi quis ſuadente diabolo*, *17. quæſt. 4.*?

Reſp. Non ſolum Eremitæ gaudent hoc privilegio quando vivunt in communi ſub aliquo Prælato Eccleſiaſtico, ſed etiam quando non vivunt in communi, ſed ſeorſim cum habitu Religioſo alicui loco Sacro ſervientes ſub obedientia Epiſcopi, vel alterius Prælati, ut docent quamplures Doctores apud Dian. *par. 9. tr. 4. reſ. 11.* tenet etiam Lezan. *tom. 1. par. 2. c. 7. num. 6.* Ergo qui percutit hujuſmodi Eremitas, cum ſint perſonæ ſpecialiter Deo dicatæ, incurrit excommunicationem Canonis: licèt oppoſitum ſentiant Caſtropalao *tom. 6. diſp. 3. pun. 23. §. 1. num. 14.* & alii penes Dian. *loco cit.* Sed quod dixi, probabilius mihi videtur cum Sylv. *verb. excommun. 6. ſub num. 3.*

887 Inter. 2. Qui percutit Clericum conjugatum, inciditnè in excommunicationem?

Reſp. Diſtinguo, ſi duxit unam, & Virginem, & incedat in habitu, & tonſura, certò gaudet, & Privilegio fori, & Canonis, conſequenter ipſum percutiens eſt excommunicatus. Si verò plures uxores habuit. vel unam tantùm duxerit, ſed ab alio corruptā, dicitur Bigamus, qui omni Clericali Privilegio privatur; ideò, qui ipſum percuſſerit, nullomodo eſt excommunicatus, niſi ſit Sacris Ordinibus initiatus. Diana *par. 9. tract. 4. reſ. 6. §. An verò.*

888 Inter 3. Qui percutit Clericum non deferentem habitum, & tonſurā, inciditne in excommunicationem Canonis, ſi quis ſuadente? Et quid ſi ſit Clericus conjugatus, qui percutitur?

Reſp. Si ſciat illum eſſe Clericum, certò illam excommunicationem incurrit, nec audiendi ſunt, qui contrarium docent, nam Conc. Trident *ſeſſ 23. cap. 6.* loquitur ibi tantum de privilegio fori, & non Canonis, & ità declaraſſe Sac. Congregationem Concilij aſſerit Gonzalez *in Reg. S. Cancel.*

Cloſ.

Gloſ. 5. §. 5. n. 7. & docet Bellettus *in Diſquiſ. Cler. par. 1. tit. 3. §.8. nu.59.* & hanc ſententiam tuetur Diana *par. 9. tract. 4. reſ. 5.* ubi concordantes adducit, addens præterea hoc privilegio gaudere etiam Clericos conjugatos cum unica, & Virgine, nulli inſervientes Eccleſiæ, *ibid. reſol. 6.* modò habitum, & tonſuram deferant; Tamen non excuſatur quis percutiendo Clericum conjugatum à dicta excommunicatione ex eo quod non deferat habitum, & tonſuram, ubi talis anteà ſolebat illa geſtare, quia neſcit, an animo ipſa non amplius reaſſumendi dimiſiſſet, vel non. Imò nota, quod Clericus conjugatus non bigamus, ſi dimittat habitum, & Tonſuram, & poſtea illam reaſumat, gaudet privilegio canonis, quia nulli auferenda eſt pœnitentia juſta. Vide Dianam *ea par. 9. tract. 4. reſ. 6. verſ. An verò, & infra in tit. 176. De Privilegio Canonis, & Fori ad Inter. 6.*

889 Inter. 4. Eſtnè cenſendus excommunicatus, qui percutit Clerici Uxorem gaudentis privilegio fori, & Canonis?

Reſp. Quamvis uxor Clerici conjugati gaudeat privilegio fori, non ſolùm vivente viro, ſed etiam poſt ejus mortem durante viduitate, ut docent Hoſtienſis, Imola, Panor. Perez, & alii apud Sanchez *in Opuſcul. lib. 6. cap. 1. dub. 3.* & conſequenter debeat conveniri coram Iudice Eccleſiaſtico, non autem corã Judice Sæculari, ſi aliquod delictum commiſerit, ut tradunt etiam alii Doctores, quos citat, & ſequitur Diana *par. 9. tr. 4. reſ. 6.* quo quidem privilegio gaudent quoq; filii Clerici conjugati, dummodo non fuerint emancipati; Tamen dicta uxor non gaudet privilegio Canonis, undè ipſam percutiens non erit excommunicatus, prout ex Perez concludit ipſe Sanchez loco citato; Verùm Diana, & alii ab ipſo relati ubi ſuprà dicùnt, quod ſi Uxor, vel filii Clerici conjugati percutiantur in odium Mariti, vel reſpectivè Patris, tales ſic percutientes, eſſent excommunicati, & hoc ego probabile valdè puto. Circa autem percutientem Clericũ conjugatum, in quo caſu non ſit excommunicatus, jam dixi ad interrogationem 2. quæ ratio militat etiam de ejus uxore, & filiis.

890 Inter. 5. Cajus ex odio, paſſione, & malignitate percuſſit quemdam Clericum mortuum, debetne cenſeri incurriſſe excommunicationem, vel nòn?

Reſp. Excommunicatus cenſeri debet, ut rectè docet Diana *par. 9. reſ. 39.* & alii apud ipſum, idem etiam docet Tolet. *lib. 1. cap. 31. ſub nu. 5. in fin.* & hoc privilegio gaudet in memòriam priſtinæ dignitatis.

891 Inter. 6. Debetne cenſeri èxcõmunicatus, qui proiicit Saxum contra Cajum Clericum, ſed caſu percutit alium Clericum tranſeuntem?

Reſp. Quia non intendebat percuterè alium Clericum, ſed tantùm Cajum, idcò illa percuſſio non fuit voluntaria, conſequenter nec mortaliter peccaminoſa, & licèt fuerit mortalis, quatenus procedat ex prava voluntate percutiendi Cajum, tamen cum effectu non fuit læſiva, ſeu peccaminoſa reſpectu alterius Clerici ex errore percuſſi, ac proindè cenſeri non debet excommunicationem incurriſſe, quia excommunicatio incurritur propter culpam mortalem, & illa percuſſio fuit inculpabilis reſpectu alterius, ut dixi. Pòſito tamen ſufficientem diligentiam adhibitam fuiſſe, nè ille alius Clericus læderetur. Ità rectè reſoluunt Bonac. *de cenſu diſp. 1. quæſt. 2. punt. 1. num. 20.* Diana *par. 11. tr. 5. reſol. 19. propefinem verſ. Et tandem,* & alii plures penès ipſos. Unde dicam *in tit. 106 de Ignor., ad Inter. 4.* non ſolùm in dicto caſu non incurrere excommunicationem, ſed neque irregularitatem, ſi mors ex illa percuſſione ſequeretur, nam idem docet etiam Bonac. loc. cit. Vide Dianam *par. 9. tract. 4. reſ. 31.*

Inter.

892 Inter. 7. Innodaturne excommunicatione, qui credit percutere Sejum Clericum, & percutit Sempronium Clericum?

Reſp. Proculdubio excommunicationem incurrit, quia talis excommunicatio non imponitur ob percuſſionem huius, vel illius, ſed ob Clerici voluntariam percuſſionem; Unde quia in tali caſu percutit voluntariè Clericum, cum habitum, & tonſurã videat, ut ſuppono, & verè Clericus eſt, ergo excommnnicationem incurrit, licèt non ſit ille Clericus. quem percutere intendebat. Ità pluribus relatis docet Diana *par.* 6. *tract.* 4. *reſ.* 27. *prop. ſin.* Et nota, quod hic caſus eſt omnino diverſus ab illo, quem dicã in *Int.* 4. *tit.* 106. *de ignorantia; & dixi in Int. antecedente* nã hic loquitur de percutiente voluntariè Clericum, & in poſteriori caſu, ſicut & in antecedẽte loquimur de percutiente prçter intentionem, caſu, & inculpabiliter alium Clericum, quem non videbat, nec intendebat percutere.

893 Inter. 8. Incurritne excommunicationem, qui percutit Titium Clericum, credens illum non eſſe Titiũ, ſed Socratem ſimiliter Clericum?

Reſp. In Reſp. ad inter. antecedentem docui, excommunicationem incurrere, & idem nunc aſſero cum Bonac. *de Cenſ. diſp.* 1. *q.* 2. *pun.* 1. *n.* 20. Molina, Sanchez, & aliis, quos ipſe ſequitur. Et ratio ipſorum eſt, quia tam intentio, quam opus externum eſt injurioſum ſtatui Clericali, nam propter ejus reverentiam impoſita fuit excommunicatio, tum etiam quia nulla ignorantia excuſat in tali caſu, cũ habeat intentionẽ percutiendi Clericum, & revera percutit Clericum, licet credat èſſe alium Clericum Vide Dian. *par.* 11. *tr.* 7. *reſ.* 19. *in ſin.* qui teſtatur de communi.

894 Inter. 9. Qui percutit aliquem, quem putat eſſe Clericum, ſed reverà non eſt Clericus, ſed Laicus, inciditne in excommunicationem, ac ſi Clericum percuſſiſſet?

Reſp. Dico quòd non, & ratio eſt, quia nemo ligatur ſuo judicio, nec pœnæ ſunt extendendæ ultra propriũ ſignificatum, nec ultra caſus in jure expreſſos, neque ultra id, quod verba legis ſonant. Ità ſentiunt Doctores communiter.

895 Inter. 10. Eſtne excommunicatus qui ſclopum explodit in Clericum, qui ſtatim moritur, non quia pila ipſum attingit, ſed ſolùm ſtrepitu ſclopi perterritus ex hac vita decedit?

Reſp. Bonacina *de cenſ. diſp.* 2. *qu.* 4. *pun.* 1. §. 1. *num.* 12. affirmativè reſpondet, quia cenſetur actio violenta, & injurioſa in Clericum; ſtrepitus enim ſclopi attingit ipſum, eique violentiam infert, & conſequenrer ſufficit ad excommunicationem incurrendam, & hoc eſt valdè notandum.

896 Inter. 11. Porrigens furtivè venenum Clerico, ad ipſum necandum, inciditne in excommunicationem?

Reſp. Maximè, quia licèt furtivè, & ſinè violentia id faciat, tamen dicitur injectio manuum ad ipſum occidendum, nam per violentas manus intelligitur quilibet injurioſus effectus adverſus Clerici Perſonam. Vide Dianam *par.* 9. *tr.* 4. *reſ.* 36. ubi etiam alios adducit id aſſerentes; Verum eſt tamen, quòd excommunicatio nõ incurritur antequam venenum operari incipiat. Diana ibidem ità docet.

897 Inter. 12. Qui capit Clericum vel Religioſum per capillos, aut barbam., vel per caputium dicens: ſi nõ eſſes Clericus, vel Religioſus, te occiderem, vel percuterem, eſtne excommunicatus?

Reſp. Bordonus *in Conſ. Regul. to.* 1. *reſ.* 28. *num.* 38. conatur probare, non eſſe excommunicatum, ſed contra ipſum inſurgit Sperellus *tom.* 1. *dec.* 45. *per tot.* & hanc affirmativam ſententiam docent plures DD. quos refert, & ſequitur Diana *loc. prx. cit. reſ.* 35. & tandem Sylveſter *verb. Excommunicat.* 6. *num.* 10. in caſu propoſito ait, quòd ſi irato animo, & injuriandi id faciat, ſit excom-

excommunicatus, quia licèt non inferat injuriam tantam, quantam tenet in animo, infert tamen aliqualem, & rectè dicit, nàm illa actio videtur ſufficere ad incurrendam excommunicationem, quia etſi contactus phiſicè conſideratus ſit leviſsimus, tamen ſecundùm moralem exiſtimationem ſufficit ad gravem injuriam contra honorem, & reverentiam Clerico, vel Religioſo debitam. Vide Sperell. & Dia. *loc. cit.*

898 Inter. 13. Eſtne eo ipſo excommunicatus, qui mandat percutere Clericum, vel conſilium dat, aut tentat percutere illum?

Reſp. Licèt percuſsionem Clerici conſulens, vel mandans, eamdem excommunicationem incurrat, ut qui illum percutit, tamen huic excommunicationi nullus horum ſubjicitur, niſi effectus ſequatur; Unde qui mandat pertutere Clericum, vel conſilium dat, aut tentat illum percutere, non eſt eo ipſo excommunicatus, quia ad incurrendam cenſuram requiritur effectus prohibitus ſub cenſura; nullus enim incidit in pœnam latæ ſententiæ per ſolam attentationem, niſi ad actum conſummatum pervenerit. Sylveſter *verb. Excomm. 6. num. 2. & verb. excomm. 8. num.* 24. Tolet. *lib. 1. cap.* 8. *num.* 8. Bonac. *de Cenſ. diſp. 2. quæſt. 4. pun. 1. §. 2. num. 1. &* 2. & alii apud ipſos.

899 Inter. 14. Qui mandat percuti Clericum, ſed ante percuſſionem revocat mandatum, inciditne in excommunicationem, ſi mandatarius percutiat?

Reſp. Si revocat mandatum, & revocatio perveniat ad Mandatarium, excommunicationem non incurrit, etiamſi Mandatarius percutiat. Sylv. *in Summ. verb. Homicidium* 1. *ſub numer.* 11. Tolet. *lib. 1. cap. 34. ſub n.* 1. Bonac. *de Irregular. diſp. 7. qu. 4. pu.* 8. *num.* 13. & alii communiter.

900 Inter. 15. Ligaturne excommunicatione conſulens parato occidere Clericum, ut tantùm eum percutiat?

Reſp. Minimè excomunicatione ligatur, quia non dicitur culpabiliter influere in effectum prohibitum ſub cenſura; nam ad illam incurrendam requiritur peccatum prohibitum ſub cenſura, ſed in caſu noſtro, qui conſulit minus malum parato facere majus non peccat, ut pluries me dixiſſe memini, præſertim ad Interr. 1. & 3. tituli 46. de Conſilio, ergò neque ligatur cenſura. Ità Diana *part. 5. tr. 9. reſ. 57. in fine* & alii.

901 Inter. 16. Poteſtne dari caſus, in quo conſulens, vel mandans percuſſionem Clerici, incurrat excommunicationem, & eam non incurrat ille, qui conſultus, vel de mandato percutit?

Reſp. Utique dari poteſt, & eſt quando executor ignorat invincibiliter illum, quem percutit eſſe Clericum, aut invincibiliter ignorat latam eſſe excommunicationem contra percutientes Clericos. Bonac. *de cenſ. diſp. 2. q. 4. pu. 1. §. 2. n. 6. & diſp. 1. qu. 2. pu. 1. num.* 15. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 8. *n.* 5. Jacobus Mancinus *pract.* 4. *dub.* 9. *verſ. Dico ſecundò*, & alii communiter.

902 Inter. 17. Qui ratificat percuſſionem Clerici nomine ſuo factam, inciditne in pœnam excommunicationis?

Reſp. Maximè, quia ſic habetur *ex cap. Cum quis, de ſent. excom. in 6.* Navar. *in Man. cap.* 27. *num.* 76. Diana *par. 9. tr. 4. reſ.* 14. §. *Notandum eſt etiam*. Vide ſeq. Reſp.

903 Inter. 18. Qui ratam habet Clerici necem ſuo nomine patratam, incurritne in excommunicationis pœnam? & ſitne irregularis?

Reſp. Qui ratum habet homicidium in perſonam Clerici ſuo nomine commiſſum, certiſſimè excommunicationem incurrit, ità namque habetur *cap. Cum quis de ſent excomm. in 6. cum ibi annotatis*, & tradunt communiter DD. nam ratihabitio retrotrahitur, & mandato æquiparatur, ut dicitur *in Regul. Jur.* 10. *in* 6. Et hoc

maximè locū habet in maleficiis, Navar. *in Man. cap. 27. ſub num. 76. prope finem*. Diana *par. 9. tr. 4. reſ. 14.* §. *Notandum eſt etiam*; ſed irregularitatem non incurrit, ut *in tit. 103. ad Inter. 2.* dicam, vide infrà Inter. 5. tituli 185. de Reſtit. accepti, neque cęteras juris pœnas, ſicuti neq; reſtituendi obligationem. Cabr. *par. 2. caſ. 2. ſub n. 18.* & alii ab ipſo relati.

904 Inter. 19. Qui ratam habet Clerici necem nomine ſuo patratam quando erat infans, inciditne in excommunicationem?

Reſp. Non incidit, & ratio eſt, quia non dicitur ratum habere, qui non poterat illum actum tunc facere. Navarr. *cap. 27. ſub num. 233.* Tolet. Dia. *par. 9. tr. 4. reſ. 14.* & alii communiter.

905 Inter. 20. Fœmina, quæ percutit Clericum, vel Religioſum de ſtupro, vel ad inhoneſta provocantem, inciditne in excommunicationem?

Reſp. Nequaquam, dummodò tamen tentatio, & provocatio fiat facto, & non ſolo verbo; nam injuria verbalis, verbis repelli poteſt, & ideò non liceret, niſi defenſio verbalis. Navar. *in Man. cap. 27. num. 85.* Tolet. *lib. 1. cap. 33. ſub num. 3.* Dian. *par. 9. tr. 4 reſ. 38.* qui docet, quòd ſi nullo modo poſſit ſe liberare ab hujuſmodi vexatione, niſi percutiat, excommunicationem non incurreret. *Vide ad Inter. 1. tituli 60. de Defenſ. Pudicitiæ.*

906 Inter. 21. Qui invenit Clericū, vel Religioſum inhoneſtè, cum Uxore, Matre, ſorore, filia legitima, aut naturali, ſi ipſum percutiat, mutilet, aut etiam occidat, eſtne excommunicatus?

Reſp. Dico quod non, quia ſic habetur *ex cap. Si verò 1. de ſent. excom.* ſed hoc intelligendum eſt, dummodò id fiat incontinenti, & paſſionis ſubita, aliàs eſſet excommunicatus. DD. communiter. Vide Toletum *lib. 5. c. 8. ſub n. 3.* qui hoc extendit, etiam ſi reperiatur cum Nepte: Semper tamen mortaliter peccat, ut aſſerit Tolet. *loc. cit. & lib. 1. c. 33. ſub n. 1. verſus quartus caſus*, & alii communiter. Vide Diana *par. 9. tract. 4. reſol. 2.* Et ea, quæ dicam *ad Inter. 4. tit. 103. De Homicidio*.

907 Inter. 22. Titius poſt contractū matrimonium cum Berta per verba de præſenti, ſcilicet coram Parocho, & teſtibus, ſed adhuc eo non conſummato occidit quemdam Clericum inventum turpiter agentem cum Berta, quæritur an excommunicationem incurrerit?

Reſp. Docui *in Reſponſione ad Int. antecedentem*, percutientem, ſeu occidentem Clericum, vel Religioſum incontinenter turpiter inventum cum propria Uxore, excommunicationē non contrahere *ex cap. ſi verò 1. de ſent. Excom.* hocque idem aſſero in caſu præſenti; Nam nomine uxoris meritò venit etiam illa, quæ ſolùm contraxit Matrimonium in facie Eccleſiæ, hoc eſt coram Parocho, & teſtibus; Siquidem Matrimonium ratum, & minimè conſummatum eſt verè matrimonium, licèt copula non interceſſerit, ſicut inter Beatiſſimam Virginem, & S. Joſeph fuit verum matrimoniū, quamquā fuerit ratum, & nō conſummatum, cum ſit de fide credere Beatam Virginem ſemper talem fuiſſe, ſcilicet ante partum, & poſt partum, ut docet Bonac. *de Matrim. quæſt. 2. punt. 1. num. 9.* cæterique Doctores; ultra quòd certiſſimum eſt ex matrimonio rato, & non conſummato oriri impedimentum dirimens uſque ad quartum gradum, ut dicam *in tit. 110. de Impedimento publicæ boneſtatis, ad int. 1.* atque eſſe indiſſolubile patet expreſsè, ideoque dicendum eſt peccaſſe mortaliter Titium in caſu noſtro; ſed minimè excommunicationē incurriſſe, quia ut ait Gloſ. *in dict. cap. ſi verò in verb. turpiter* Juſtum talem dolorem compeſcere difficilium eſt; & ſic ab excōmunicatiòne immunem illum facere æquum erit. Verum

eſt

Digitized by Google

eſt tamen, quòd talis doctrina extendenda non eſt ad illum, qui verberaret, vel occideret Clericum inhoneſtè inventum cum ſponſa de futuro, quia ſponſa de futuro verè non eſt Uxor, ſicut eſt illa, quæ in facie Eccleſiæ per verba de præſenti deſponſata fuit, ut in caſu noſtro. Vide Sanchez *de Matrim. lib.* 1. *diſp.* 1. *num.* 6. qui pluribus relatis hoc rectè probat; & idem docet Tolet. *lib.* 1. *cap.* 33: *num.* 2. cū Silveſt. & teſtatur de communi. Vide etiā me ipſum *in tit.* 124. *de Irregularitate, ad Int.* 7. ubi plura haberi poſſunt ad intentum.

908 Inter. 23. Sed poſito, quod non inveniat Clericum, vel Monachum cum prædictis Mulieribus in ipſo opere carnali, ſed ſolum amplexantem, oſculantem, aut in loco ſuſpecto, ſi percutiat, vel occidat; inciditne in excommunicatione?

Reſp. Non incidit, modo tamen abſit fraus, & dolus, ideſt, quod maritus, & uxor non conveniant, ut dolo accerſeatur Clericus, ut afficiatur injuria. Navar. *c.* 27. *n.* 84. Diana *p.* 9. *tr.* 4. *reſ.* 32. *verb.* & *Tandem,* & *reſ.* 32. & *reſ.* 2. §. *Sed ego.*

909 Inter. 24. Si quis ex præfatis Viris invenerit Clericum, vel Religioſum turpiter agentem cum aliis ſuis conſanguineis in remotiori gradu, ſi ipſum percutiat, aut occidat, eſtne excommunicatus?

Reſp. Certè, & ita ſentiunt communiter DD. Vide Tolet. *lib.* 1. *c.* 33. *ſub n.* 1. *verſ.* 4. *caſus,* & hoc procedit etiam, ſi cum filia adoptiva inveniretur. Navar. *cap.* 27. *n.* 83. *propè fin.*

910 Inter. 25. Qui ter percuteret Clericum, quot excommunicationes incurreret?

Reſp. Unam tantum excommunicationem incurreret, ſi uno iræ impetu id faceret. Diana *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 163. & 164. *in fine,* & alii ab ipſo relati, nam moraliter, ſeu in genere moris, unica actio cenſetur. Vide Bonac. de Cenſuris *diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punt.* 5. *n.* 5.

911 Inter. 26. Publicus Clerici percuſſor, eſtne ſtatim evitandus, vel requiritur ſententia Judicis antequam vitetur?

Reſp. Quamplures DD. dicunt, quod non debeat vitari ante ſententiā Judicis, quia requiritur, ut delictum nulla poſſit tergiverſatione celari, quod non habetur niſi poſt ſententiam declaratoriam. Layman. *tom.* 1. *lib.* 5. *part.* 2. *c.* 4. *n.* 2. Dian. *par.* 3. *tract.* 5. *reſol.* 14. *par.* 5. *tr.* 9. *reſ.* 61. *par.* 9. *tract.* 4. *reſ.* 18. & *par.* 11. *tr.* 8. *reſ.* 25. §. *Sed ex his,* Summa Diana *verb. cenſura n.* 14. & *verb. Excommunicationes ſub n.* 4. & 9. Alloz. *verb Clericus n.* 13. & alii penes ipſos. Sed oppoſitum alii cenſent, & ita practicant viri timorati.

912 Inter. 27 Cajus ſcit Titium percuſſiſſe Sempronium Clericum; ſed manet in dubio, an ſit publicus Clerici percuſſor, vel non: teneturne Cajus vitare Titium percuſſorem?

Reſp. Dico, quòd non aliàs faceret ei iniuriam, omnia enim Jura clamant, in caſu dubio, neminem eſſe puniendum, ergò non debet privare illum communione in re dubia; Itaq; dicendum eſt cum Hurtado *de Exc. diſp.* 11. *diff.* 3. *n.* 10. non ſufficere dubium, ut teneamur vitare percuſſorē Clerici, ſed neceſſariam eſſe notitiam moraliter certam notorietatis. Vide Dianam. *par.* 4. *tr.* 3. *reſ.* 71.

Quær. 1. Quando dubitatur percuſſionem in perſonam Clerici factam eſſe gravem, vel levem, an judicanda ſit potius gravis, quam levis, aut è contrà, & quænam dicatur levis percuſſio?

Reſp. Doctores communiter docent, in dubio, percuſſionem potiùs judicandam eſſe gravem, quàm levem, quidquid in contrarium dicat Bordonus *in Conſil. Regul. to.* 1. *reſ.* 38. *n.* 45. Nàm in extravag. Joan. XXII. quæ incipit *Perlectis,* dicitur Prælatum potius debere inclinare, percuſſionem fuiſſe gravem, quàm levem,

ne injuriantes de vicina abſolutione confiſi de facili in atroces prorumpant percuſſiones; Quamvis Bordonus *loco cit.* putat hoc eſſe potiùs conſilium, quàm præceptum, vel ut inquit Diana *par. 9. tract. 4. reſ.* 46. præfatam extravagantem authoritatem non habere, ſed tamèn hanc noſtram ſententiam communem eſſe fatetur, & pro ea plures adducit Auctores, ut Navar. *in man. cap.* 27. *num.* 92. Palaum *to.6. diſp.* 3. *pun.* 23. §. 4. *num.* 2. Molinam *diſp.* 57. *n.* 3. Sayrum *de cenſur. lib.* 3. *cap.* 28. *num.* 8. Suarez *de cenſu. diſ.* 22. *ſect.* 1. *num.* 83. & alios. Et hæc communis ſententia mihi valdè probatur, quia Papa *in cap. pervenit de ſent. excom.* ſolum committit Epiſcopo abſolutionem hujus excõmunicationis quandò levis eſt percuſſio; Sed quando adeſt dubium de gravi Clerici percuſſione, non poteſt dici ampliùs percuſſio levis, ergo non cenſetur Papam ſibi præjudicare velle committendo Epiſcopo abſolutionem, ac ſe ſua juriſdictione privare, in dubio ſcilicet de percuſſionis gravitate, quàm ſibi reſervare intendit: Aliæ rationes videri poſſunt apud prçfatos Doctores. Tandèm quænam dicatur levis percuſſio; Non eſt facilè mihi dare reſponſum, quià licèt generaliter loquendo levis cenſeatur ſi fiat palma, pugno, pede, ligno, aut lapide non relinquente veſtigium, ut habetur *ex dicta Extravagante Perlectis*, & docent Navar. *ubi ſupra n.* 90. Sayrus *loco cit. num.* 35. Em. Sà *verb. Excom. Papæ reſer. n.* 4. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 32. *ſub. num.* 1. Lezana *tom.* 3. *verb. Clericus num.* 11. & alii, tamen, ut notat Toletus, Lezana, & Diana *locis ſupracit. reſ.* 45. hoc non ſemper eſt verum, neque circa hoc poteſt dari certa regula, & ideò judicio viri prudentis, & Judicis periti relinquendum eſt, nàm non ſolùm ex facto, ſed ex aliis circumſtantiis perſonarum, locorum, temporum, & modo percutiendi, ac lædendi, quod leve eſt, poteſt eſſe grave, vel enorme. Vide Armillam *verb. excommunicatio* 1. *n.* 9. & *verb. enormitas num.* 3. Tolet. *ubi ſuprà*, & Dianam *loco proximè cit.* ubi rectè docent quandonam percuſſio Clerici dicatur levis, gravis, & enormis: Itèm vide Bonac. *tom.* 3. *diſp.* 2. *quæſt.* 3. *pun.* 6. *ſect.* 5. *num.* 8. qui ſua auctoritate hanc meam reſponſionem confirmat, & præcipuè Sylveſtrum *verb. abſolutio* 4. *num.* 1. per totum ubi exemplis rem perdoctè explanat.

Quær. 2. An ab excommunicatione contrà Clericum percutientem impoſita excuſetur, qui non per excogitatam malitiam, ſed ex ſubito impetu illum percutit.

Reſp. Supponendum eſt primò in homine eſſe tres motus voluntatis. Primus eſt ità celer, ut nullo modo ſit in poteſtate hominis cohibere: Aliquando enim viſo aliquo malo, voluntas ità citò in odiũ movetur, ut homo nullo modo cohibere potuerit, & iſte dicitur motus primò primus, in quo non eſt peccatum, nec meritum: Alter eſt ità celer, ut homo ferè non poſſit cohibere, licèt aliqua ex parte poſſit, imperfectè tamèn, & non plenè, & in iſto actu poteſt eſſe ratio meriti, & peccati, ſed non plena, non enim ſufficit ad peccatum mortale, ſed ſolùm ad veniale, & talis motus dicitur ſecundò primus. Tertius verò eſt in quo eſt verè libertas, & deliberatio, & in tali motu ſolet peccatũ mortale, eſſe, cum libertas, & deliberatio ſint neceſſaria ad peccatum mortale. Hoc itaque prænotato, dicendum eſt quòd qui ex ſubito impetu, & paſſione, animo non plenè advertente Clericum percutit, nec mortaliter peccet, nec excommunicationem incurrat, nàm calore iracundiæ, non autèm ex cogitata malitiâ cenſetur illum percutere; Unde quia excommunicatio peccatum mortale præſupponit, & in hoc caſu non datur, ideò licèt percuſſio aliàs eſſet gravis, tamen modus, quò contingit, gravitatem diminuit, ne culpam mortalem attingat, nevè

excom-

excommunicationem contrahat. Motus enim primò primus, & ſecundò primus non ſufficiunt ad peccatum mortale, ac per conſequens excuſant percutientem Clericum ex ſubita paſſione, ne excommunicationem incurrat. Ità colligitur *ex cap. 1. de ſent. excom.* & tradunt Suarez *de conſt. diſ. 22. ſect. 1. num.* 50. Molina *tract. 3. diſ.* 51. *num.* 7. & 8. Layman *lib. 1. tract. 5. par. 2. cap. 5. num.* 8. Bonac. *tom. 3. diſp. 2. quæſt. 3. pun. 6. num.* 3. & alii, quos refert, & ſequitur Diana *par. 9. tract. 4. reſ.* 27. §. *Quibus verò* Vide Lezanam *tom. 3. verb. Clericus ſub n.* 4. Armillam *verb. excommunicatio contra percutientes Clericos n.* 6. & Tolet. *lib. 1. cap. 32. ſub num.* 1. idem docentes.

Quær. 3. An ſine metu incurrendi excommunicationem poſſit quis gratia diſciplinæ, vel correctionis percutere clericos in minoribus conſtitutos?

Reſp. Ex cap. cum voluntate de ſent. excom. habetur poſſe licitè, & ſinè metu excommunicationis ſex genera perſonarū percutere, & caſtigare Clericos diſciplinæ, & correctionis gratia, dummodò non excedant modum, & non ex odio percutiant dictos Clericos. Undè tàm Prælati, quàm Præceptores, Parentes, & Propinqui poſſunt ſubditos, & domeſticos ſuos corrigere, & caſtigare; Idem facere poſſunt Domini reſpectu eorum, qui ſunt de familia, ac etiàm ſenioribus Clericis conceſſum eſt leviter in minoribus ordinibus conſtitutos punire ſi divinum officium turbant. Vide Sylveſtrum *verb. excommunicatio 6. num. 6. verſ. octavo* Tolet. *lib. 1. cap. 33. num.* 4. Layman *lib. 5. tract. 5. par. 2. cap.* 81. *num.* 7. Suarez *de cenſu. diſp. 22. ſect. 1 num.* 48. Dianam *par. 9. tr. 4. reſ.* 21. & 23. & alios apud ipſos. Et licèt quandò prædicti excedunt modum percuſſionis relatæ ad correctionem incurrant excommunicationem, tamen nō contrahitur quādo eſt parvus exceſſus, ità ut non ſit peccatum mortale, ſi fiat ex fine corrigendi, & nō ex odio, nàm talis facultas eſt dumtaxat ad corrigendum conceſſa in canone ſuprà relato, & docent DD. communiter. Vide Cajetanum *in ſum. verb. excom. cap. 10. verſ. nota ſexto*, & Em Sà *de excommu. Papæ reſer. ſub num.* 2.

Quæſt. 4. An liceat Prælatis, & Magiſtris titulo correctionis percutere etiam ſuos Clericos in Sacris conſtitutos?

Reſp. Si loquamur de Epiſcopis certum eſt illos non debere aliquem ſuis manibus verberare, quià eorum dignitati non convenit ſuis manibus cædere ſubditos; Oportet enim Epiſcopum non eſſe percuſſorem, ut inquit Sanctus Paulus *ad Titum cap.* 1. & ideò eis prohibetur *in cap. non licet diſt.* 86. tamèn ſi juſta, & rationabili cauſa id facerent, & non ex odio, & vindicta, ſed ſolum correctionis Zelo, excommunicationem non incurrerent, quià, ut ait Toletus *lib. 1. cap. 33. num:* 6. Diana *par. 9. tract. 4. reſ.* 22. & alii, juxta *cap. cum voluntate de ſent. excom.* licet omnibus Prælatis abſque excōmunicatione percutere leviter ſubditos, nec *cap. non licet ſupra relatum* id Epiſcopis prohibet ſub excommunicatione, licèt Bonac. *to. 1. de cenſ. diſp. 2. quæſt. 4. pun. 4. ſub num.* 5. oppoſitum teneat. Dico igitur, quòd licitum eſt Prælatis, & Magiſtris diſciplinæ, & correctionis gratia (ſuis manibus tamèn) non ſolum Clericos in Sacris conſtitutos, ſed etiàm Sacerdotes, ſi opus fuerit, dummodò modum non excedant, aut odio, & vindicta moveantur, moderatè percutere; Si verò leviter tantummodò excedāt, excuſari quidē poſſunt ab excommunicatione, quià excommunicatio ſupponit peccatum mortale. Itaque tàm Prælati, quàm Magiſtri, Submagiſtri, & Pedagogi, ſicut quicumque alius, qui ad honeſtum aliquid docendum, vel in officio Clericos continendos aſſumitur, habent legiti-

Digitized by Google

gitimam facultatem ad percutiendum Clericos ſibi commiſſos, correctionis, & diſciplinæ cauſa, nàm *in cap. Univerſitatis de ſent. excom.* nulla ſit mentio, aut diſtinctio deClerico majoribus vel minoribus ordinibus initiato, ut ſit de illis, qui non ſunt, nec Prælati, nec Clericorum Magiſtri, ſeù Præceptores, ut aſſerit Tolet. *loco cit. ſub num.* 4. Unde Præceptores verberantes Diſcipulos cauſa correctionis, Prælati ſubditos, & Parens filios Clericos, etiam in Sacris, licitè faciunt, nec incidunt in canonem, ſi moderatè faciant, non enim hoc ſit ſuadente diabolo, ſed juſtitia. Vide Armillam *verb. excom.* 1. *contra. percutientes Clericos ſub num.* 4. & *de verberatione n.* 1. Immò licèt de rigore juris non poſsint niſi ſuis manibus, Prælati Epiſcopo inferiores, & Magiſtri percutere Clericos ſibi ſubditos, ſub pœna excommunicationis, ut patet *ex dicto cap. Univerſitatis*, tamèn plures Doctores probabiliter docent, non ſolùm Prælatos, ſed etiàm Præceptores, & Magiſtros poſſe diſciplinæ, & reſpectivè correctionis gratia ſuos ſubditos, & diſcipulos, etiàm per alium, ſivè Clericum, ſive laicum punire, ut rectè notat Diana *ubi ſuprà reſ.* 22. & 23. Vide Sylveſt. *verb. excommunicatio* 6. §. 6. Tolet. & Bonac. *locis cit.* & alios penès ipſos. Quòd autèm poſsit etiam Pater correctionis gratia percutere moderatè filium in Sacris, jàm docui *in tit.* 52. *de correct. ad Int.* 3. ad quam lectorem remitto.

TITULUS XC.

De Falſificatione Litterarum, & Scripturarum.

Vide tit. de Regul. &c. Inter. 49.

913 INter. 1. Eſtne licitum aliquando, juſta exiſtente cauſa, falſificare ſcripturas?

Reſp. Dicũt Doctores benè ſentiẽtes, quamcunque falſificationem ſcripturæ eſſe peccatum mortale, etiamſi ea in nullius perſonæ præjudicium cedat. Unde Em. Sà correctus *verb. Falſarius num.* 2. ſic inquit: *Non licet amiſſæ ſcripturæ de hæreditate, aut nobilitate, etiam ſimilem facere, etiamſi nulli fiat injuria; ſicut neque licet convento ſuper mutuo, quod jam ſoluerit falſum ſolutionis inſtrumentum producere.* Et pro ſe citat Covaruvias *lib.* 1. *variar. reſol. cap.* 2. *num.* 3. & rectè dicit, quia talis falſificatio, licèt non ſit contrà Juſtitiam commutativam, eſt tamèn contra Juſtitiam legalem, & bonum Reipublicæ, utpotè eidem maximè perniciosa, & ideò ſeveris legibus prohibetur; quæ prohibitio, cum juſta ſit, obligat in conſcientia. Ità docent Tannerus *in* 2. 2. *diſp.* 4. *qu.* 6. *dub.* 12. *num.* 332. Layman *lib.* 3. *ſect.* 5. *tract.* 4. *par.* 1. *cap.* 4. *num.* 4. quibus ſubſcribit Diana *par.* 3. *tra.* 6. *reſ.* 56. qui etiam *par.* 9. *tract.* 8. *reſ.* 61. pro hàc ſententia refert Card. de Lugo *de Juſt. tom.* 2. *diſp.* 40. *ſection.* 3. *num.* 27. & Mazuchellum *de caſ. reſer. diſp.* 2. *cap.* 18. *qu.* 2. *num.* 31. licèt *num.* 33. dicat hoc eſſe verum ſolùm de ſcriptura publica, non autem de privata, ſed hoc alii non admittunt; ideò abſolutè dicendum eſt, eſſe illicitum, & peccatum mortale, amiſſa ſcriptura de hæreditate, nobilitate, debito; &c. aliam ſimilem conficere, vel convento de pecunia *v. g.* mutuò accepta, quam legitimè ſolverat, factæ ſolutionis falſum inſtrumentum producere. Peccatur enim contra veritatis virtutem, & quidem cum Reipublicæ pernicie, ut optimè inquit Diana *in primo loco citato.* Vide iterum Dianam *par.* 5. *tract.* 14. *reſ.* 40. ubi quoque aſſerit illicitum eſſe, amiſſa vera ſcriptura, aliã conſimilẽ fingere?

914 Inter. 2. Falſificantes litteras Apoſtolicas, quam pœnam incurrunt, & quid intelligitur nomine falſificationis in caſu noſtro?

Reſp.

Reſp. Falſificantes Bullas, ſeu Brevia, aut Supplicationes Summi Pontificis, aut Vicecancellarii, aut gerentium vices ipſorum; niſi parvitas materiæ excuſet, incurrunt ipſo facto excommunicationem Bullæ Cœnæ, ut patet ex ipſa Bulla *caſ.* 6. & docent Doctores communiter. Vide Bonac. *tom.* 3. *de Cenſ. in particulari tom.* 1. *quæſt.* 7. *per totam*. Nomine autem falſificationis hoc in loco intelligitur additio, ſeu mutatio, vel detractio aliqua à præfatis litteris, vel ſupplicationibus, ut aliquid addendo, ſeù ſcribendo, vel ſubſcribendo, item radendo, ſecando, aut levando ſigillum verum, falſis litteris apponendo, aut fabricando falſas litteras, aut ſignando falſo ſigillo, vel etiam vero, ſed ſine conſenſu illius, ad quem ſpectat. Dixi, niſi parvitas materiæ excuſet; Nam quoties verborum ſenſus non mutatur, licèt aliquis corrigatur, aut mutetur juxta tamen mentem, & intentionem Pontificis, litteræ ſic correctæ cum Pontificis intentione conformes ſint, veræ, & non falſæ ſunt appellandæ. Sed circa hanc materiam plura videri poſſunt apud eumdem Bonacin. *ubi ſupra*, & Dianam *pàr.* 9. *tr.* 7. *reſ.* 15. qui plures DD. referunt, & ad caſus particulares deveniunt. Notant tamen cavendum eſſe, ne talis correctio fiat propria auctoritate, quia facienda eſt per Officiales, ſeu Notarios in Curia deputatos, niſi difficilis ad ipſos aditus eſſet; Sed vide Tolet. *lib.* 1. *cap.* 22. *num.* 6. Navar. *in Man. cap.* 27. *num.* 62. Et Em. Sà *de Excomm. Bullæ Cœnæ num.* 9. à quibus plura haberi poſſunt ad intentum.

915 Inter. 3. Defenſores, & Fautores Falſificantium litteras Apoſtolicas, aut per alios Falſificantes dictas litteras, incurruntne excommunicationem Bullæ Cœnæ?

Reſp. Plures Doctores aſſerunt non ligari pœna excommunicationis Bullæ Cœnæ, ſed excommunicatione in cap. Ad Falſariorum de crimine falſi contenta, quæ tamen nulli eſt reſervata, & ideò ab Ordinario poteſt abſolvi. Ità docent Tolet. *lib.* 1. *c.* 22. *ſub num.* 4. Bonacin. *tom.* 3. *de Cenſur. in particular. diſp.* 1. *quæſt.* 7. *punct.* 3. *num.* 8. Diana *par* 9. *tract.* 7. *reſ.* 15. *in fine*, & alii penès ipſos.

916 Inter. 4. Qua pœna eſt puniendus qui falſis litteris utitur Apoſtolicis?

Reſp. Qui utitur falſis litteris, tamquam falſarius punitur, ut habetur ex cap. ad falſariorum de crimine falſi *in fin. cap. Inter dilectos* §. *Præterea de exceſſ. Prælat. & ex l. falſi nominis ff. ad leg. Cornel. de falſ.* Ideò ultra excommunicationem, quam incurrit; ſi Clericus eſt, qui dictis litteris utatur, etiam officiis omnibus, & beneficiis privatur; ſi verò per ſe ipſum, aut per alios falſificavit, non ſolùm privatur officiis, & beneficiis, ſed degradatur, & Curiæ ſæculari pœnis legitimis puniendus traditur, ut patet ex citato cap. ad falſariorum. Excommunicationem tamen Bullę Cœnę non incurrit, ſi ſolùm utatur falſis litteris Apoſtolicis, poſtquam falſatæ fuerunt, ſed tantùm ſi partem habuit in falſificandis illis, ut dicunt quidam. Vide Toletum, & Dianam *locis cit. ſup.* & Bonacinam *ibidem num.* 7. qui addit, quòd tunc traditur brachio ſæculari, quando frequēter præfatas litteras falſificare auſus fuerit. Vide Lezanam *loco mox citando*.

917 Inter. 5. Falſificantes litteras, ſeù Brevia, aut Bullas Cardinalis Majoris Pœnitentiarii, Epiſcopi, Nuncii, aut Legati à Latere, inciduntne in excommunicationem Bullæ Cœnę?

Reſp. Quamvis hujuſmodi falſificantes, graviter peccent, & tamquam Falſarii debeant puniri, tamen non comprehenduntur ſub nomine falſificantium litteras Apoſtolicas, aut Vicecancellarii, aut eorum Viceſgerentium, quia non expediuntur nomine Papæ, ſeù Sedis Apoſtolicæ, ſed prædictorum illorum nomine, ac proinde di-

de dictas litteras falſificantes, non incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ, quæ ſolùm afficit faſificantes litteras Apoſtolicas, quæ nomine Summi Pontificis expediuntur, ut dictum eſt. Tolet. *ibidem lib.* 1. *cap.* 22. *n.* 2. Bonacin. *ubi ſupra pun.* 1. *num.* 2. Navar. *in Man. cap.* 27. *num.* 62. & alii plures, quos refert, & ſequitur idem Bonac. *loc. cit.* Vide Lezanam *tom.* 2. *verb. Falſarius ſub num.* 1.

TITULVS XCI.

De Falſis Monetis.

Vide tit. De Eccl. Immun. Int. 27.

918 Inter. 1. Qui falſam monetã bona fide accepit, & eam ſcienter expendit peccatne mortaliter, & teneturne ad reſtitutionem?

Reſp. Si ſcienter pro bona eam expendit, peccat mortaliter, & ad reſtitutionem tenetur, ſi moneta ſit alicujus magni valoris; Nam de obulo *v. g.* non poteſt eſſe materia peccati mortalis. Ità docent Sylveſter *verb. Falſarius num.* 8. Angelus *eodem verb.* §. 4. Sed Petrus Navarra *de reſtit. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 312. & Navarr. *in Man. cap.* 17. *num.* 167. dicunt, quod ſi eadem bona fide illam monetam, in aliũ tranſtullit, adhuc teneatur ad reſtitutionem, quia error meus, ait Navarra, nulli nocere debet, ſed error ſuos tenere debet auctores. Vide Dianam *par.* 3. *tr.* 6. *reſ.* 3. & Stephanum à S. Gregorio *lib.* 2. *de contract. cap.* 65. *n.* 14. qui teſtatur de communi.

919 Inter. 2. Monetam falſam cudens, vel exuberantem tondens, diciturne eodẽ modo falſarius? Et quot modis moneta falſificari dicitur?

Reſp. Qui cudit falſam monetam, eſt falſarius, gravitèr peccat, committit crimen læſæ majeſtatis, & tenetur ad reſtitutionem ei, cui intulit damnum. Tondens autem exuberantem monetam, propriè falſarius non eſt, licèt mortaliter peccet, ſed qui juſtum pondus monetæ minuit, proculdubio eſt falſarius; ſiquidem moneta tripliciter falſificari dicitur. Primò, quando cuditur ſine legitima auctoritate, & imponitur illius ſignum, qui eam cudi non facit. Secundò, circa materiam non debitam. Tertiò, quando juſtum pondus minuitur; Nam iſta tria requiruntur de ſubſtantia monetæ, ut docent Sylveſter *verb. Falſarius num.* 9. & 10. Em. Sà *eodem verb. num.* 1. & alii ab ipſis relati; unde tunc tonſores monetarum ſunt falſarii, quando de juſtis monetis juſtum pondus diminuunt, quæ inde remanent leviores. Si verò juſtum pondus ſervetur, & tondeant exuberantem materiam, peccant mortaliter, & tenentur ad reſtitutionem Principi, vel Cõmunitati de materia, quam inde auferunt, quia illa per errorem cenſetur fuiſſe nummis appoſita. Vide Lezanam *tom.* 2. *verb. Falſarius num.* 5. & *verb. Monetarii*, qui multa congerit ad hoc propoſitum. Quod autem Monetarii gaudeant immunitate Eccleſiæ jam dixi *in tit.* 76. *ad Inter.* 27.

TITULU XCII,

De famulis.

Vide ti.. de Cler. ad quæſ. 1., *tit. de Defenſ. vit. prox. Int.* 3. *tit. de Feſt. dieb. Int.* 10. 11. *tit. de Imped. dirimen. Int. ult. tit de irit. Vo. Int. ult. tit de Occaſ. Inter. ult. ti.. de Oper. Inter.* 3. *tit. de Regul. &c. Inter.* 25. 85. 92. 93. *tit de Reſt. ad Int.* 20. 21. 22. 23. 24. *tit. de Sepul. part. Int.* 1; *tit. de Simon. Inter.* 23. *tit. de Val. Sac. Matr. Inter.* 11. *tit. de Viſit. Inter.* 8.

920. Inter. 1. Famulus, cui condignũ ſalariũ non tribuitur à Domino, poteſtne ſuum damnum reſarcire, & ſibi compenſationem facere?

Reſp. Quidam dixere, quòd famu-

li,

li, & famulæ domeſticæ poſſint occultè heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod accipiunt; ſed hoc eſt falſum, & ideo meritò reprobatum ab Innoc. XI. anno 1679. ut videre licet in ſuo decreto, propoſitione 37. reprobata. Nam conventio contrahentium legem parit inter ipſos, & agere contra legem, & pactū, eſt agere contra Juſtitiam, ut docent quamplurimi Doctores, ergò nulla eſt ratio, quæ favet famulis ad conquerendum de Domino, nec de diminutione ſalarii, & conſequenter nullo modo poſſunt licitè ſe compenſare, etiamſi eorum ſervitia ſint grandia, & excedentia pretium conventum, quia ſcienti, & conſentienti nulla fit injuria. Vide Joannem Valerum *in diff. utriuſque fori verb. locatio*, *diff.* 8. *n.*2. apud Dianam *par.* 3. *tr.* 6. *reſ.* 10. *verſ. Hæc omnia*. Vide etiam Bonacinam *de Contract. diſp.* 3. *qu.* 7. *pun.* 4. *n.* 2. *&* 3. & Stephanum à S. Gregorio *de reſt. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 44. ſed tene ut dixi. Advertit tamen Cardenas *in criſi Theol. diſſer.* 23. *cap.* 2. In præfata damnatione non loqui Pontificem de caſibus, in quibus meridiana luce clarius eſt, heros committere injuſtitiam, vel minuendo ſalarium ex juſtitia debitum, vel non ſolvendo mercedem pacto promiſſam. Nam in hac evidenti injuſtitia licet famulis petere in judicio æqualitatem mercedis ſibi debitæ; aut ſi ex aliqua cauſa non poſſint in judicio ſui juris æqualitatem conſequi, poterunt extrajudicialiter ſibi occultè compenſare. Non tamen ſufficit, quòd famulus cenſeat ſibi irrogari evidentem injuſtitiam in quantitate Salarii; Imò neque fidendum eſt judicio Confeſſarii mediocriter docti, ſed dumtaxat judicio hominis valdè docti, & in re morali verſatiſſimi. Vide Campionum *p.*2, *cap.*22. *num.*3.

921 Inter. 2. Famuli poſſuntne compenſationem facere in bonis Domini, quando conventionem fecerut inſerviendi ſine pretio, aut ſalario?

Reſp. Dico, quòd nullo modo hujuſmodi famuli poſſunt ex bonis Dominorum ſibi compenſationem facere, quia cedunt juri ſuo; & volenti, & conſentienti nulla fit injuria. Verùm quando faciunt conventionem tacitam, vel expreſſam inſerviendi cum pretio, tunc poſſunt licitè compenſatione uti, ſi Dominus noluerit ſtare conventioni; nam aliquod pretium, ſeù ſalarium ipſis ex juſtitia debetur. Ità docet Bonac. *de reſt. diſp.* 1. *qu. pun.* 2. *ult. num.* 15. & alii ſuprà citati. Vide Campionum *par.* 2. *capit.* 58. *num.* 7. ubi docet eſſe licitam occultam compenſationem, quando ſine gravi incommodo non poſſit quis implorare authoritatem Superioris, & creditum ſit omninò liquidum, non autem in dubio, & grave damnum ei immineat, ſi petat à Debitore, & alteri in particulari imputari non poſſit ea occulta ſurreptio; & tandem cavere debet, ne bis recipiat ſuum creditum, aut id quod ſibi juſtè debetur. Videatur quæſo Campionus *loc. cit. & ibidem cap.* 22. *num.* 3. Auguſtinus Lucenus *in ſua cautela Confeſſ. lib.* 2. *c.* 21. *num.* 31. *&* 32. Armilla *verb. Familia num.* 10. qui tandem ſic rectè concludit. Ab hujuſmodi acceptionibus abſtinendum eſt propter ſcandala, quæ ſolent oriri ab his, & homo non ſervat ſic ſemper juſtitiæ æqualitatem. item vide Sylveſtrum *verb. Furtum qu.*13. & Em. Sà *verb. Debitum n.*22.92.

922 Inter. 3. Famulis ultroneis, qui ſpontè famulatum offerunt, poſſuntne licitè Domini præbere minus ſtipendium?

Reſp. Dico quòd ſic, juxta tamen communem æſtimationem, & juxta virtutem majorem, quam decurſu temporis in illis experiuntur, & hoc etiam verum eſt, licèt ipſi Domini indigerent dictis famulis. Ità aliis relatis docent Bonac. *de Contra. diſp.* 3. *quæſt.* 7. *pun.* 4. *num.* 6. & Stephanus à S. Gregorio *lib.* 2. *de Contract. c.* 47.

num. 4. qui fuſiori calamo id probat egregiè.

923 Inter. 4. Si Famulus non petat juſtum ſtipendium, ſed intendit obligare Dominum ad ſibi procurandum àliquod Officium, vel beneficium, ad quid tenetur Dominus in tali caſu?

Reſp. Si Famulus id faciat ad alliciendum animum Domini ad aliquod Officium, vel Beneficium ſibi procurandum, Dominus tenetur ſaltem ex charitate illi procurare aliquod officium, vel beneficium; aliàs debet ei dicere non poſſe, aut nolle id facere, ut poſſit famulus uti alio remedio ad ſuam ſpem conſequendam: Si verò hoc non obſtante ſervus vult inſervire gratis, aut cum minori ſtipendio, tutus erit in conſcientia Dominus, quãvis nihil ei tribuat. Verùm ſi famulus tacitè, vel expreſſè intendat obligare Dominum ad ſibi procurandum aliquod officium, vel beneficium, tenetur Dominus facere quantum in ſe eſt ut famulus conſequatur intentum, dummodò ſit idoneus; Poſtquam verò Dominus fecerit quod in ſe eſt, ad nihil aliud tenetur. Advertendum eſt tamen, quòd ſi famulus intendat obligare, vel movere Dominum ad procurandum ſibi beneficium Eccleſiaſticum, aut aliquod officium ſpirituali annexum, nullo modo fieri poteſt, quia eſſet Simonia, ut benè notat idem Stephanus à S. Gregorio *loco ſupr. cit. ſub num.* 2. *verſ. In duobus autem caſibus;* ſed vide, quæ dicam in tit. 106. de Ignorantia ad Interr. 10. & in tit. 205. de Simon. ad Inter. 23.

924 Inter. 5. Quam mercedem, ſeu pretium tenetur Dominus dare famulo, qui ei remittit determinationem pretii?

Reſp. In hoc caſu quidem non poteſt Dominus licitè tradere famulo, quod ſibi placuerit, ſed tenetur ſaltem infimum pretium juſtæ mercedis illi dare, quia mens famuli in dicto caſu eſt, ut Dominus determinet pretium, quod ſibi viſum fuerit ex æquitate, non verò ex mera voluntate, & arbitrio. Ità Bonac. *de Contract. diſp.* 3. *qu.* 7. *pun.* 4. *num.* 10. Stephanus à S. Gregorio *lib.* 2. *de Contr. cap.* 47. *n.* 2. *propè finem*, qui benè addit ex Navar. *in Man. cap.* 17. *num.* 108. & aliis, ſtandum eſſe in tali caſu arbitrio boni viri. Vide Bonacin. *ibidem num.* 9. & Sylveſtrum *verb. Familia num.* 6.

925 Inter. 6. Famulo infirmo, teneturne Dominus præbere ſalarium tempore infirmitatis?

Multi multa dicunt: Quidam ſentiunt enim, quòd Dominus teneatur totum ſtipendium præbere; Alii verò putant ſaltem alimenta, & modicas, & neceſſarias expenſas. Hos Doctores referunt Bonacina *de Contr. diſ.* 3. *qu.* 7. *pun.* 4. *num.* 13. & Stephanus à S. Gregorio *ubi ſup. lib.* 2. *cap.* 47. *num.* 8. Ipſi tamen aliis citatis, abſolutè docent, quod præciſo pacto, vel conſuetudine in contrarium, famulo pro tempore, quo infirmitate detinetur, minimè teneatur ex juſtitia, ejus Dominus ſtipendium ſolvere, quia ſtipendium ſolvitur ob operas quotidianas. Cæterùm ſi famulus exiſteret in extrema, vel gravi neceſſitate, tunc quidem, ſaltem ratione charitatis, tenetur Dominus ei ſubvenire; nam unicuique mandavit Deus de proximo ſuo. Vide Sylveſt. *verb. Familia n.* 4. qui plures concordantes adducit. Vide etiam Em. Sà *verb. Conductio n.* 5.

926 Inter. 7. Poteſtne licitè famulus negotiari inſcio Domino cum illis pecuniis, quas apud ſe conſervandas, vel expendendas habet, & lucrum ſibi retinere?

Reſp. Affirmat Diana *par.* 1. *tr.* 8. *reſ.* 32. & Beja *par.* 1. *caſ.* 42. & ratio eſt, quia tale lucrum eſt fructus induſtriæ concurrente pecunia, tanquam inſtrumento, quod ex ſe eſt infœcundum. Immò affert exemplum de illo, qui vendit alienum frumentum eo tẽpore, quo cariùs valet, & ſatiſfacit emendo, & reſtituendo tantumdem æqualis bonitatis eo tempore, quo minus

minus valet, ſi Dominus illud ſervaturus erat ad illud uſque tempus, quo minus valet. Et ratio eſt, quia ſervar Dominum indemnem, tantumdem æqualis bonitatis reſtituendo, etiamſi retineat ſibi lucrum, quo triticum alienum cariùs vendidit.

927 Inter. 8. Si Dominus tradit famulo pecuniam in auro, ut ſolvat ſuo Creditori, poteſtne licitè famulus illam pecuniam commutare in monetam argenteam, cum lucro, & eam ſolvere Creditori, retento pro ſe illo lucro?

Reſp Multi Doctores dicunt id ei licere, ſi Dominus non prohibuerit famulo, ne aliam monetam creditori tradat, quàm illam auream. Unde ſi Dominus non curat, qua ſpecie pecuniæ ſatisfaciat Creditori ſuo, poteſt licitè famulus, aut alius negotiorum geſtor, illam pecuniam commutare in monetam argenteam cum lucro, eamque ſolvere Creditori, nec tenetur reſtituere lucrum Creditori, neq; Domino ſuo, ſed licitè poteſt illud ſibi retinere. Ità Azorius 3. *par. lib.* 10. *cap.* 4. *qu.* 11. Reginaldus *tom.* 2. *lib.* 25. *cap.* 33. *num.* 450. Molina *de Juſt. tom.* 2. *tract.* 2. *diſp.* 402. *num.* 2. Leſſius, Rebellius, & Salas, quos refert, & ſequitur Diana *loco prox. cit. verſ. Vide, &c.*

828 Inter. 9. Peccatne famulus, aut famuli comitantes herum euntem ad meretricandum? & quid licitè facere, vel facere non poſſunt circa hanc turpem materiam?

Bonacina *de Matr. qu.* 4. *punct.* 14. *num.* 6. *& tom.* 2. *de Legibus diſp.* 2. *quæſt.* 4. *punct.* 2. §. *unic. num.* 26. excuſat famulos in dicto caſu, quia utuntur jure ſuo facientes ex ſe actionem indifferentem, & idem tenet Diana *par.* 2. *tr.* 5. *reſ.* 36. *verſ. Ex dictis.* Tamen hoc intelligendum eſt de ſimplici comitatu cauſa obſequii, prout ex officio ipſis incumbit; ſed non ut Dominum animoſiorem reddant ad meretricandum, vel aliud crimen perpetrandum: nam aliàs eſſet quædam cooperatio ad illud peccatum Heri, & non eſſet actus indifferens, ſed omnino peccaminoſus. Vide ergo quæ dicam in tit. 154. de Operibus ad Inter. 3. Ex illa enī ibi citan. propoſit. dānata ab Innoc. XI. deducitur non ſolùm damnari propoſitionem in caſu expreſso, ſed etiam in cæteris ſimilibus, quod patet ex illis verbis - - *Aut quid ſimile cooperando* - - ut optimè obſervat Franciſcus Maria Piſani *in Gedeonis gladio* loquens de infradicēda propoſitione reprobata, rectè refellit Tāburrinum, & alios *lo. ibi ci. n.* 10. *& ſeq.* & aſſerit peccare famulum, qui ſternit lectum, vel aſſociat concubinam, ducendo ad locum, ubi Dominus ejus peccaturus eſt, aut januam aperit eidem ingreſſuræ; Item nec licere famulo deferre internuncia turpia, & amatoria, aut epiſtolas ad peccatum provocantia, & hoc ex cauſa etiam urgentiſsima, neque ipſi licere referre adulteræ, aut aliæ inhoneſtæ fœminæ, ut in tali hora accedat ad domum heri, vel alterius, ubi ſcit herum eam expectare, ut peccet; Nam quoties hæc ſcienter faciat, certò mortalitèr peccat, quia cooperatur peccato heri. Dicendum eſt igitur peccare famulum ſcientem, herum ire ad meretricandum, quoties illum aliquo modo animoſiorem reddat, aut unam ex actionibus ſupra relatis ſcienter faciat. Cæterùm qui ex officio parat, aut miniſtrat in menſa Concubinæ, & ſimilia, quæ non ſunt media ad peccandum, ut de ſimplici commitatu dictum eſt, poteſt à peccato excuſari. Peccat tamen famulus, vel Coquus, ſi cibos excitantes ad libidinem juſſu heri ſcienter pararet. Itaque cautè legendi ſunt quidam Auctores, quos invenies apud Dianam *loco ſupra cit. & par.* 4. *tract.* 7. *reſ.* 27. 28. *&* 29. Nam nimis laxè loquuntur de tali materia meritò damnata ab Innocen. XI. ſed vide Em. Sà *verb. peccatum num.* 9. Dianam *par.* 7. *tract.* 7. *reſ.* 49.

& præſertim Piſanum in Gedeonis gladio ſupra propoſitionem 51. à præfato Summo Pontifice reprobatam.

TITULUS XCIII.

De Feſtis diebus.

Vide tit. de Epiſcopat. &c. Inter. 36. tit. de Jejun. Inter. 31. 32. tit. de Parv. mat. Inter. 8. tit. de Vot. Inter. 19.

929 INter. 1. Eſtne licitus mercatus in diebus feſtivis, maximè ſi fiat in Dominica ſingulis hebdomadibus?

Reſp. Generalitèr loquendo non eſt licitus, ut patet ex *cap. 1. de feriis* tàmen ſi conſuetudo in aliquo loco contrarium obtinuit, licitè fieri poteſt, dummodò Sacrum audiatur; favet Navar. *in man. cap. 13. num. 8.* Tolet. *lib. 4. cap. 24. num. 10.* Bonac. *de legib. diſp. 5. quæſt. unica pun. 2. n. 10. Sum.* Diana *verb. Feſtum num. 10.* Buſenb. *lib. 3. cap. 1. dub. 2.* Alloza *verb. Feſtum ſect. 1. num. 13.* & habetur ex *cap. final. de conſuetudine*, & rectè quidem, nam conſuetudo legitimè introducta vim legis habet. *cap. cum contingat, de foro compet. cap. duo ſunt de offic. ordin. cap. cum dilectus de conſuet. l. de quibus ff. de legib. §. ex non ſcripto*: Imò, conſuetudo, quæ eſt ſufficientèr præſcripta abrogat, & tollit jus poſitivum. colligitur *ex dicto capite fin. de conſuet.* cum ſimilibus, Navar. *lib. 1. tit. de major. & obed. conſ. 3. n. 3.* Goffred. *in Sum. tit. de conſuet. Summ.* Diana *verb. Conſuetudo n. 11. & verb. Uſus num. 1.* Cabrin. in ſuo Elucidario *caſ. reſer. par. 2. caſ. 1. annot. 2. num. 4. propè finem*; Dicitur autem ſufficientèr præſcripta ſi ad quadragenarium introducta ſit, teſte Cabrin. *loco cit. num. 5.* & eſt communis ſententia. Undè, quod non debeat innovari conſuetudo, ut poſt Miſſam Conventualem omnes vendere poſſint ad beneplacitum, refert deciſum Nicolius *in flos. verb. Feſtum num 22.* & meritò; quia conſuetudo, & praxis multum debet attendi, & minimè mutanda ſunt quæ longam interpretationem habuerunt, juxtà *legem minimè ff. de leg.* Quod autem talis conſuetudo non adverſatur juri divino, aut naturali, non eſt opus pluribus probare, nàm Jus naturale non aſſignat præcipuè tempus, vel diem colendi Deum, ſed vult dumtaxat, ut colatur Deus; Neque Juri Divino adverſatur, quia omnium Chriſtianorum feſta, etiam dies Dominici, ſolùm Jure humano in Eccleſia introducti ſunt, ut docet S.Th. 2.2. *q. 122. art. 4. ad 4.* D. Antoninus *2. par. tit. 9. cap. 7. §. 1.* Turrecremata, Archid. & alii; quos refert, & ſequitur Navar. *in man. cap. 13. num. 1.* Bonac. *loco ſuprà cit. n. 4.* Moronus *Reſp. 13. num. 2. & 3.* & alii apud Sanchez. mox citandum *dub. 1. num. 2.* Tandem quando conſuetudo eſt immemorabilis, non ſolùm habet vim legis, & privilegii, ſed facit etiam præſumi juſtum titulum, ut ex Carbone, & Navar. docet Em. Sà *verb. Conſuetudo n. 2. ergo &c.* Vide Sanchez *in Opuſcul. tom. 2. lib. 5. cap. 2. dub. 25. num. 1. & ſeqq. & præſertim num. 7.*

930 Inter. 2. Eſtne licitum emere, & vendere in die feſto?

Reſp. Vendere, & emere in diebus feſtis vinum, herbas, fructus, carnes, & cætera hujuſmodi ad minutum neceſſaria prò uſu illius diei, licitum eſt, tùm ratione neceſſitatis, tùm ratione conſuetudinis, dummodò Epiſcopus non prohibeat tali hora, vel ante miſſam. Ita docent Sylveſt. *verb. Dominica quæſt. 5. concluſ. 2.* Navar. *cap. 13. n. 6.* Cajet. 2. 2. *quæſt. 122. ar. 4.* Angelus, Tabiena, Tolet. Armilla, & alii, quos refert, & ſequitur Sanchez *in Opuſcul. to. 2. lib. 5. cap. 2. dub. 25. num. 9.* Item licitum eſt vendere calceos, & alia hujuſmodi parvi momenti. Cajet. ibidem, Suar. *de Relig. to. 1. lib. 2. cap. 29. num. 4.* Bonac. *de legib. diſp. 5. quæſt. unica pun. 2. n. 1.* Dian.

par.

Digitized by Google

par. 5. *tract.* 5. *reſol.* 6. Alloz. *verb. Feſtum ſeſt.* 1. *ſub num.* 13. Caſſian. à S. Elia *in Arbor. opin. moral. verb. Ars* §. 4. *ſub. num.* 12. *in fin.* & alii paſſim ſic docent: Secus dicendum eſt, ſi res vendita eſſet magni momenti, & venditio aliqua ſolemnitate celebraretur, etiamſi brevi tempore fieret; nam in hujuſmodi venditionibus ſolemnibus, ſicut, & in operibus forenſibus, & judicialibus, quæ ſunt ſpeciali jure prohibita, materia gravis non deſumitur ex quantitate temporis inſumpti in venditione, & emptione, ſed ex qualitate operis, ſiquidem *in cap.* 1. *de feriis*, prohibentur emptiones, & venditiones, ut ceſſet ſtrepitus Populi. Cœterum vendere, & emere in diebus feſtis ſolùm verbis, & confabulatione contrahendo, non eſſet peccatum mortale, licèt multum tempus in hoc conſumaretur, ut docet Sanch. *loco cit. num.* 17. *&* *dub.* 26. *per tot.* Vide ipſum, & non te pœnitebit legiſſe, quæ ibi docet.

931 Inter. 3. Eſtne licitum piſcari, vel ire venatum in die feſto?

Reſp. Dicunt quidam, quòd tam venatio, quàm piſcatio non ſit opus ſervile, ſed commune liberis, & ſervis, ideoque licere, etiam lucri cauſa, & ex officio venationem, & piſcationem. Alii verò docent ſolum eſſe licitum piſcari, & venari recreationis gratia, & non principalitèr propter lucrum. Ita Sylveſt. *ver. Dominica quæſt.* 5. *concluſ.* 6. & alii, quos refert Sanchez *loco ſuprà cit. dub.* 14. *&* 15. ubi plura videri poſſunt; ſed omiſſis opinionibus aliorum, mihi videtur dicendum cum Filliuccio *tom.* 2. *tr.* 27. *cap.* 9. *num.* 172. *& ſeq.* apud Dianam *par.* 4. *tract.* 4. *reſ.* 222. venationem, & piſcationem recreationis gratia, quæ in induſtria poſita eſt volucrum, & ſimilium, accedere ad opus liberum, minimeque prohibitam eſſe in die feſto, ſecus de piſcatione, & venatione ex officio, & quæ tota poſita eſt in corporis defatigatione; Concludendum èſt tamen licere venari ob recreationem, ac etiam propter lucrum, quia conſuetudo jàm obtinet non eſſe illicitam venationem, ut docet Tolet. *lib.* 4. *cap.* 24. *num.* 3. cum Navar. *cap.* 13. *n.* 12. nec diſſentit Suarez *de Relig. tom.* 1. *lib.* 2. *de feſtis cap.* 28. *num.* 3. ſed negat de piſcatione adeſſe talem conſuetudinem, niſi ob urgentem, & ſpecialem neceſſitatem, ac proinde licita non eſt juxtà *cap. licet de feriis* ubi tantùm conceditur ex occurſu lucri tranſitorii, ut fas ſit piſcari halecia, ideſt *l'Arenghe*, quæ quodam tempore tranſeunt, unde pari ratione non ſolùm alios piſces tranſitorios, ſed etiam quando repentè occurrit aliquod aliud tranſitorium lucrum aggredi licitum eſt, quia hujuſmodi ceſſans, damnum reputatur. Sanch. *ubi ſuprà dub.* 19. Verùm de lucro inde ſequente debet fieri pauperibus portio, aut Eccleſiæ, *ut in dicto cap. licet* & docet Cajet. *in Sum. verb. in feſto licita* & alij. Cæterum arundine piſcari etiam tota die feſto propter lucrum, dummodò miſſa non omittatur, cenſeo non eſſe illicitum, quia parva occupatio cenſetur à viris doctis, ſecus autem puto de piſcatione, quæ magnam habet occupationem, quia eſt opus ſervile, nec ullo modo, niſi propter neceſſitatem licere, docet Sanchez *loco cit. dub.* 15. *num.* 2. *in fine*; Nàm neceſſitas vitæ ſuſtentandæ, & damni vitandi excuſat, ut docet S. Th. ac etiam utilitas acquirendi, quando alio tempore acquiri non poteſt, ſed neceſſaria eſt Epiſcopi diſpenſatio expreſſa, vel ſaltem tacita, ſi tunc facile expreſſa haberi non poteſt ab Epiſcopo, vel ejus Vicario, aut ſaltem à proprio Parocho. Vide Sylv. *verb. Dominica num.* 6. Sanchez *ubi ſupra dub.* 19. *&* 20. & alios, qui tamen non conveniunt, ſed quod dixi, mihi certò probabilius videtur.

932 Inter. 4. Barbitonſores poſſuntne in diebus feſtivis tondere omnes qui ad eos accedunt?

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Si barbam unius, vel alterius radant, certè mortalitèr non peccant, & hoc ratione parvitatis materiæ. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 25. *num.* 1. Navar. *in man. cap.* 13. *num.* 9. Azorius *tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 28. *quæſito* 6. & alij plures, quos refert, & ſequitur Dian. *par.* 2. *tract.* 15. *reſ.* 34. *verſ. Quoad ſecundum.* Si verò ratione conſuetudinis à Prælatis toleratæ, radunt omnes ad ſe accedentes, excuſantur etiam à peccato, quia cum prohibita in die feſto ſint humano Jure introducta, tolli poſſunt per contrariam conſuetudinem. Ita firmat ipſe Diàna, apud quem plura videri poſſunt. Vide infra *ad Inter.* 15. ſed hoc non admittit Sanch. *ubi ſupra dub.* 21. ſed ſolùm propter paupertatem ipſorum, vel ob damnum magnum inde eis eventurum.

933 Inter 5. Peccantne mortaliter ferrantes equos in die feſto?

Reſp. Si equi ſunt agentium iter, non peccant, ut docent Cajet. Navar. Sylveſt. Sotus, & alij communitèr, teſte Sanch. *loc. cit. dub.* 18. *num.* 14. ſed ſi equi ſunt illorum, qui iter non faciunt, non poſſunt ſine peccato ipſos equos ferrare, ut benè docet ipſe Sachez, & alij. Vide Bonac. *de legib. diſp.* 5. *quæſt. unica pun.* 3. *num.* 12.

934 Inter. 6. Peccantne mortalitèr Typographi ſuam artem exercentes in diebus feſtivis, & tenenturne jejunare, vel à jejunio excuſantur?

Reſp. Quoad primum dico, quod Layman. *lib.* 4. *tr.* 7. *c.* 2. *n.* 3. & Homobonus *de Bonis*, quibùs ſubſcribit Diana *par.* 4. *tract.* 4. *reſ.* 62. putant non peccare Typographos, vulgò Compoſitores, ſi poſtquam rei divinæ ſatisfecerunt, artem ſuam ſine ſcandalo exerceant, & quamvis propter lucrum, & mercedem id faciant, ſed hoc negat Paſqualig. *dec.* 194. *n.* 5. Tenentur tamen jejunare in Quadrageſima, & aliis vigiliis, ut docet ipſe Diana *ibid. reſ.* 134. Typographos verò prælum verſantes excuſat à jejunio, ſed non Typos colligentes, ut dixi, non tamen concedit poſſe in diebus feſtis ſuam artem exercere, quia librorum impreſſio ſervile opus eſt; ſed omninò lege ſequentem Reſponſionem.

935 Inter. 7. Pictores poſſuntne licitè pingere in diebus feſtivis ob lucrum?

Reſp. Affirmat Layman *loco ſupra cit.* & propter eamdem rationem excuſat etiam Typographos, ut dixi, ſed alii hoc non dicunt, ſed ſolùm concedunt poſſe picturis inſpiciendis vacare diſcendo, retrahendo, non ut pingant, ſed ut diſcant, ſic etiam excuſant Magiſtros, qui deſignant in Charta, quomodo aliquid ſit faciendum ad inſtruendum aliquem de futuro opere. Cajet. *in Sum. verb. in feſto licita*, Sylv. *verb. Dominica q.* 5. Em. Sa *verb. Fedum n.* 5. *& alii.* Unde ſecundum Sylveſt. ubi ſupra excuſantur Pictores, qui in diebus feſtis retrahunt in Eccleſiis pulchras figuras, quia ad peritiam artis id faciunt, licèt ſequatur lucrum; Et hic Romæ hoc fit paſſim, teſte Em. Sà *loc. cit.* Vide Tolet. *lib.* 4. *c.* 24. *n.* 3. Sanchez *in Opuſc. lib.* 4, *c.* 2. *dub.* 6. *n.* 8. Cæterum id, quod docet Layman, & ex eo Diana in præcedenti reſponſione, non videtur tutũ, ideoque non excuſarem à mortali Pictores, & Typographos ſuam exercentes artem in diebus feſtis, niſi ratione modicitatis temporis, & operis Favet Sanchez *ubi ſupra dub.* 9. *præcipuè n.* 6. *in fine*, *& dub.* 12. loquens de Pictoribus.

936 Inter. 8. Peccantne Notarii, qui in diebus feſtis celebrant Ruſticorum contractus?

Reſp. Quidquid aliqui in contrarium dicant, ſatis probabile eſt eos non peccare ratione neceſſitatis, & conſuetudinis, nam Ruſtici in profeſtis non poſſunt eſſe in Civitate ſine gravi incommodo. Vide Cajet. *in* 2. 2. *quæſt.* 122. *art.* 4. Sanchez. *in Opuſcul. tom.* 2. *lib.* 2. *c.* 2. *dub.* 10. Dian. *par.* 1. *tract.* 15. *reſ.* 34. Navar. *in man. c.* 23. *n.* 14.

num. 14. Itaque dicendum eſt poſſe tuta conſcientia Notarium facere in die feſto ſcripturam donationis, renunciationis, Inſtrumentum ſoluti debiti, vel ſcripturam obligationis illud ſolvendi, & inſtrumentum, in quo datur facultas ad exigenda debita (intellige pro Ruſticis) ut rèctè docet ipſe Sanchez *num.* 3. & alii plures.

937 Inter. *9.* Eſtne licitum in diebus feſtis ſcribere, & tranſcribere pro mercede?

Reſp. Plures Doctores apud Dianā *par.* 2. *tract.* 15. *reſ.* 35. dicunt, quod ſcribere ſimpliciter eſt opus honeſtum, & liberale, ſed tranſcribere pro officio, & mercede eſt mechanicus, & purè corporalis labor; & cum non ſit opus mentis, neque artis liberalis, non ſit licitum. Quod autem ſit licitum ſcribere in die feſto, optimè probat Sanchez *in Opuſc. tom.* 2. *lib.* 5. *c.* 2. *dub.* 8. etiamſi precio fiat, quia ut dixi, ſcribere eſt opus liberale, unde fas eſt Theologo, Juriſperito, vel Medico in die feſto ſcribere lectiones prælegendas, vel conciones habendas ad Populum, vel ad imprimendum, etiam per alium miniſtrum, qui ei ſcribat dato ſibi precio, quia eſt adjuvare alterum ad opus ſpirituale, & liberum, & licitum, ſcilicet ſtudium. Sic etiam Notarii, & Tabelliones poſſunt licitè ſcribere in feſto Inſtrumenta de iis rebus, & contractibus, qui licitè fieri poſſunt in feſtis, & licèt id faciant principalitèr propter lucrum. Ità docet Sanch. *ibid. dub.* 10. *n.* 2. & alii ab ipſo relati, tamen dicit non eis licere tranſcribere chartas ex officio, & mercede pacta, & hujuſmodi ſcripturas, ut illas partibus dent: etiamſi faciant gratis pro amico, vel conſanguineo, quia hoc jam reputatur opus ſervile, non quidem ratione lucri, ſed ratione operis, & officii, & præter Sanchez *ubi ſup. n.* 4. ita quoque docent Cajet. *in* 2. 2. *q.* 122. *ar.* 4. §. *ad* 2. Reginald. *tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 3. *n.* 40. *in fine.* Azorius *part.* 3. *lib.* 1. *c.* 22. *quæſit.* 5. & alii plures quos refert; ſed non ſequitur Diana *loc. ſup. cit.* qui oppoſitum ſuſtinet cū Sayro in Clavi Regis *lib.* 7. *c.* 2. *num.* 25. Galletti, Molfeſio, Medina, Lopez, & Suarez *de Relig. tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 25. *n.* 4. docentes tranſcribere non eſſe opus ſervile, ſed actionem de ſe mentalem, & ſpiritualem, & conſequenter non fieri ſervilem, ſi per accidens ab operante fiat ex officio, vel lucro, ſeu mercede, & ſic tenet etiam Layman *lib.* 4. *tract.* 7. *c.* 2. *n.* 3. & alii ſed prima ſententia mihi videtur probabilior, & tutior cum Sanchez *ubi ſup. dub.* 9. *n.* 4. licèt ſecunda etiam valdè probabilis ſit propter authoritatem tot Doctorum.

938 Inter. 10 Peccatne mortalitèr Dominus qui Servo infideli imperat, ut opera ſervilia diebus feſtis noſtris exerceat?

Reſp. Putant quidam eum peccare mortaliter; tamen quia Infideles non tenentur legibus Eccleſiaſticis, nec peccant eas traſgrediendo, ita nec Dominus peccabit faciens laborare ſervum infidelem, prout optimè aliis citatis ſuſtinet Diana *par.* 5. *tr.* 14. *reſ.* 7.

939 Inter. 11. Servi qui compelluntur à Dominis laborare in diebus feſtis poſſuntne ſine peccato eis obtemperare?

Reſp. Doctores communitèr affirmativè reſpondent. Sylv. *verb. Dominica q.* 5. Navar. *in Man. c.* 13. *num.* 7. Cajet. *in Sum. verb. In Feſto licita.* Tol. *lib.* 4. *c.* 25. *ſub. n.* 3. *verſ. ſexta eſt vis.* Em. Sà. *ver. Feſtum n.* 7. & alii, & ratio eſt quia ſic compulſi, & coàcti laborant ad vitandum damnum in perſona, vel rebus ſuis, unde talis metus eos excuſat: ſed hoc intelligēdum eſt, dummodò non cogantur à Dominis in feſtorum, & Eccleſiæ cōtemptum laborare, nam in tali caſu potiùs moriendum eſſet, quàm eis obedire, ut docent præcitati Doctorrs, & alii communitér. Quod ſi

lum

Digitized by Google

nullum damnum ſervo ex inobedientia ſequatur, tunc communiter Doctores dicunt non poſſe ſeruum exercere ſervilia in feſtis. Ipſi verò Domini mortalitèr peccant. Vide Sanchez *lib. 5. c. 2. dub. 18. in opuſc. tam. 2. n. 16.*

940 Inter. 12. Peccantne Puellæ, & Domicellæ ſuentes, vel alio mòdo laborantes in die feſto ad fugandum otium, & ne ad domus feneſtras ſe conſpiciendas exhibeant?

Reſp. Doctores quidam docent non peccare, ut Sylv. *verb. Domin. quæſt.* 5. & Em. Sà *verb. Feſtum n.* 6. Diana *par.* 3. *tract.* 5. *reſ.* 8. *verſ. Notandum eſt etiam hic, & par.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 62. *verſ. Nota quarto*, & alii ab ipſo relati; ſed oppoſitum cenſet Suarez *de Relig. tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 26. *n.* 4. Comitulus *in Reſp. lib.* 4. *quæſt.* 37. apud Dianam, & hòc quidem mihi videtur probabilius, & tutius cum Sanchez *loco ſupra cit. num.* 13. quia non ſanctificare feſta, ex genere ſuo mortale eſt, cum ſit contra divinum præceptum, quapropter curent fideles diem expendere in divinis laudibus. Vide Sylveſt. *ubi ſup. n.* 8. ſaltem eundo ad prædicationem, & ad veſperas, & quatenus puellis hoc non permittatur, tamen non videtur conceſſum ab operibus ſervilibus non ceſſare debere, & licèt Diana *par.* 6. *tract.* 6. *reſ.* 15. non vult in hoc ſuum interponere judicium, tamen *loc. cit.* docuit poſſe licitè puellas ad fugiendá otioſitatem &c. ſuere, vel alio modo laborare. Cæterum dico cum Sanchez ubi ſupra, quod ad vitandum aliquod peccatum, ſi fortè aliud remedium eis opportunius non occurrat, excuſari poſſint à peccato.

941 Inter. 13. Qui laborat in die feſto propter Eccleſiam, vel Monaſterium, vel ad alendos pauperes, peccatne mortaliter?

Reſp. Puto cum Sylv. *ubi ſup. n.* 7. & aliis apud Sanchez *loc. ſup. cit. dub.* 23. nullum eſſe peccatum, dummodò non fiat in Dominicis, vel feſtis ſolemnioribus, ut Paſchatis, & Pentecoſtes, nec uſque ad ultimam defatigationem, audito tamen Sacro, quia pietas eſt una ex cauſis excuſantibus, dummodò non fiat propter mercedem, ut ſuppono; ſed hoc eſt verum, ſi Eccleſia, vel locus pius ſit tam pauper, quòd non habeat neceſſaria ad cultum divinum, vel ad ſuorum ſuſtentationem, aut pauperes ſint in magna neceſſitate poſiti, ut de communi teſtatur idem Sylv. Vide Tolet. *lib.* 4. *c.* 25. *num.* 2. Cęterùm notandum eſt, non ſemper ſolam pietatem à peccato mortali excuſare laborantes in die feſto, quia opera ſervilia ſunt ex ſe, & jure divino prohibita in feſtis, & ſic licita non ſunt extra neceſſitatem, dum opus Religionis, quale eſt feſtorum obſervatio, non videtur prætermittendum propter pietatem dumtaxat extra neceſſitatis articulum, ut pluribus relatis rectè concludit ipſe Sanch. *ubi ſupra dub.* 23. *ſub num.* 2. Vide etiam Navar. *in Man. c.* 13. *n.* 4. 10. & 11. idem aſſerentem, quod & docet etiam Cajet. 2. 2. *q.* 122. *art.* 4. Azor. *par.* 2. *lib.* 2. *quæſt.* 28. & alii.

942 Inter. 14. Epiſcopus fulminavit excommunicationis ſententiam contra laborantes in diebus feſtivis; Titius verbi gratia contrafecit, cauſa neceſſitatis, imminente pluvia, aut tempeſtate, vel cauſa pietatis pro pauperibus: eſtne cenſendus excommunicatus Titius, vel non?

Reſp. Nullo modo cenſeri debet excommunicatus, & ratio eſt, quia ſi in ſententia excommunicationis expreſſum eſt, ut nullus laboret cauſa neceſſitatis, vel pietatis, aut huiuſmodi, eſt nulla talis ſententia, cum contineat intollerabilem errorem, & expreſsè ſit contra jus canonicum *cap. fin. de feriis*. Si verò in ſententia non exprimatur neceſſitatis, vel pietatis cauſa excepta, debet omninò intelligi & interpretari ſecundum jus commune, ſcilicet, quod non liceat laborare in feſtis exceptis caſibus de Jure

con-

conceſſis, qui ſunt, quando neceſſitas urget, vel pietas ſuadet. Ita docent Sylveſt. *verb. Dominica q.* 7. Navar. *loc. cit. num.* 15. Em. Sà *ver. Feſtum num.* 4. Sanchez *ubi ſup. c.* 2. *dub.* 18. *n.* 20. Alloza *verb. Jejunium ſect.* 3. *n.* 7. & alii communiter.

943 Inter. 15. Quę, & quot ſunt cauſæ excuſantes a peccato laborantes in diebus feſtis?

Reſp. Sunt metus juſtus, neceſſitas, pietas, utilitas publica, vitatio damni corporis, vel animæ, diſpenſatio Epiſcopi, vel Parochi, ubi is diſpenſare ſolet, & conſuetudo legitimè præſcripta. Navar. *loc. cit. n.* 12. Sylveſt. *ibidem n.* 6. Tolet. *lib.* 4. *c.* 25. Em. Sà *ubi ſupra num.* 6. & alii communiter.

944 Inter. 16. Poteſtne quivis tuta conſcientia ex loco ubi eſt feſtum ire ad alium locum ubi non eſt feſtum cauſa laborandi?

Reſp. Navar. *in man. c.* 13. *n.* 5. *in fine*, dicit hoc eſſe licitum ſi prius audiat miſſam in loco ubi eſt feſtum, & ita tenent etiam Em. Sà *verb. Feſtũ n.* 8. Sayrus *in Clavi Reg. lib.* 7. *c.* 12. Suarez *de Relig. tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 15. *n. penult.* Naldus, & Filliucius apud Dianam *par.* 1. *tract.* 10. *reſ.* 14. ſed Sanchez *de Matrim. lib.* 3. *tom.* 1. *diſp.* 18. *n.* 21. dicit non teneri prius Miſſam audire ſi in ipſo mane diei feſti exit, quia non tenebatur audire ſacrum, niſi uſque ad meridiem, ergo ſi intra meridiem exeat non audito ſacro, non peccat, & hanc ſententiam tenet Diana ibidem, & probabilem vocat Leſſius, Malderus, & Facundez penes ipſum, addens præterea hoc eſſe verum, non ſolùm poſt factum, ſed ante factum: idem docet Bonac. *de precep. decal. diſp.* 5. *q. unica punt.* 5. *num.* 18. Verùm puto, quod ſi hoc faciat ſine juſta cauſa, ſed ſolum ad fugiendum præceptum, peccet, quia fraus, & dolus non debet ei patrocinari. Vide Leſſium *lib.* 4. *c.* 2. *dub.* 8. *n.* 60. Sayrum *in Clavi Reg. lib.* 7. *c.* 3. *n.* 14. & alios apud Sanch. & præſertim ea, quę dixi *in tit.* 6. *de Abſolutione à reſervatis, ad Inter* 11. *&* *in tit.* 33. *de caſ. reſ. ad Int.* 4. & dicam infrà in tit. 105. *de Jejunio, ad Int.* 14. *tit.* 94.

TITULUS XCIV.

De Fide.

Vide tit. de Ignor. int. 15. 16. 17. *& ad quæſ.* 1. *tit. de Irreg. ad quæſ.* 3. *tit. de Laic. Inter. ult. tit de Paroch. Inter.* 24. 25. 38. *tit. de Sacr. Matr. Inter.* 25. *tit. de Simul. Inter.* 1. 2. 3.

945. INnter. 1. Chriſtiani adulti, pro eorum ſalute debentne habere fidem explicitam Incarnationis Chriſti, & Sanctiſſimæ Trinitatis?

Reſp. Eſt grandis, & gravis quæſtio inter Theologos, num etiam rudes debeant explicitè omnia fidei myſteria credere, quæ publicè in Eccleſia celebrantur, ut videre licet apud Em. Sà *verb. Fidei num.* 1. & Dianam *p.* 3. *tr.* 5. *reſ.* 46. Hoc autem in primis certum eſt, ſatis non eſſe ſolùm credere, Deum Bonis præmia, Malis pœnas daturum, & credere quidquid credit Eccleſia; nam omnes tenemur ſcire, & credere, neceſſitate medii explicitè, Unum eſſe Deum in Eſſentia, Trinum in Perſonis, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, Creatorem, Salvatorem, & Glorificatorem; Chriſti Incarnationem, Nativitatem, Mortem, Reſurrectionem, Aſcenſionem, & Adventum Judicii: Unde qui hæc ignorat, ſecundùm communem ſententiam, mortaliter peccat, nec illos ignorantia excuſat, quia Chriſtianè vivere non poteſt abſque eorum Myſteriorum cognitione. Vide S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 2. *art.* 7. Sylveſt. *verb. Fides num.* 6. *&* 7. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 4. & Armillam *in verb. Credere num.* 2. Cæterùm verum eſt, nullum teneri ad explicitam [illegible]

quæ credenda ſunt, habendam, ſed partim implicitam, partim explicitam, præter articulos ſupra relatos, qui in Eccleſia publicè ſolemnizantur, quos omnes explicitè ſcire, & credere debent, aliàs mortaliter peccant. Armilla *verb. Credere num.* 2. Sed vide Dianam *ubi ſup. reſ.* 46. & 48. hinc inde plures Doctores referentem, & *infra in tit.* 160. *de Paroch. ad Inter.* 24.

946 Inter. 2. Confeſſarius poteſtne abſolvere illum, qui ob negligentiam culpabilem neſcit Myſteria Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, vel illum, qui hæc Myſteria ſemel credidit?

Reſp. Dico primò, nullo modo poſſe Confeſſarium illum abſolvere, quia eſt incapax abſolutionis, cum ſit in peccato mortali; nec aliter dici poteſt, dum oppoſita ſententia fuit jam reprobata ab Innoc. XI. *an.* 1679. & eſt propoſitio 64. inter reprobatas. Dico 2. non ſufficere illa Myſteria ſemel crediſſe, & oppoſitum fuit reprobatum ab eodem Innoc. XI. eodem anno, eodemque Decreto; ideo Confeſſarius non poteſt abſolvere illum, qui ea ſemel credidit, cum ſit in ſtatu peccati mortalis. Vide Tolet. *lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 5. & *lib.* 4. *cap.* 2. *in fin.*

TITULUS XCV.

De Fidei profeſſione.

Vide tit. de Eccl. pollut. Inter. 12. *tit. de Regul. &c. Inter.* 50. *tit. de Simul. Int.* 1. 2. 3. *tit. de Suſp. de Hær. Int. ult.*

947 INter. 1. Quis tenetur publicè fidei profeſſionem emittere?

Reſp. Qui eſt aſſumptus ad dignitatem in Cathedrali, vel Canonicatum, vel ad curam animarum, etiam Religioſorum, & Magiſtri. Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. *de reform.* & docet Em. Sà *verb. Fides num.* 6. Immò adeſt Conſt. Pii IV. quæ incipit: Injunctum, emanata Idibus Novembris 1564. qua comprehenduntur etiã Religioſorum Prælati, & ità exactè obſervant PP. Carm. Diſcalc. & alii, licèt Sanchez *in Summ. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 3. Sorbo, & alii, dicant hanc profeſſionem fidei jam in uſu non eſſe quoad Regulares; ſed Navar. *conſ.* 2. *de ſumma Trinitate* contrarium probat, & Ledeſma *in Summ. tom.* 2. *tra.* 1. *cap.* 4. *in fine*, refert quandam Religioſorum conſuetudinem non faciendi hujuſmodi profeſsionem, eam tamen improbat, & meritò. Vide Barboſ. *in Trident. ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *de reform. num.* 5. & *eadem ſeſſ. cap.* 12. *num.* 14. & *ſeqq.* ubi latè de fidei profeſſione tractat, & refert Doctores de hac re agentes. Vide etiam Dian. *par.* 3. *tract.* 2. *reſ.* 78.

948 Inter. 2. Infra quale tempus tenentur prædicti emittere profeſſionem fidei, ad hoc ut faciant fructus ſuos?

Reſp. Terminus duorum menſium datus eſt ad faciendum fidei profeſſionem, quod ni faciant intra duos menſes à die captæ poſſeſſionis, non faciunt fructus ſuos, nec illis ſuffragatur poſſeſſio. Ità habetur ex Conc. Trid. *ea ſeſſ.* 24. *cap.* 12. & ibi Doctores cumulati à Barboſ. *loc. prox. cit. num.* 20 & *ſeqq.* & quia dictus terminus non apponitur ad finiendam obligationem, ſed ad terminandam pœnam, ideò elapſis quoque duobus menſibus, adhuc tenetur eam facere. Navarr. *conſ.* 4. *de Summ. Trinit.* & alii apud Barb. *ibid. num.* 22.

949 Inter. 3. Qui adeptus eſt v. g. Parochialem, teneturne ad reſtituendos fructus ob non factam profeſſionem fidei ante bimeſtre?

Reſp. Navar. *conſ.* 3. *de Sum. Trin.* dicit, quòd non, ex eo quia illa lex eſt pœnitentialis, quæ etſi pœnam ipſo jure contineat, tamen in foro conſcientiæ non ligat. Verùm oppoſitum, & rectiùs tuetur Theſaurus *in prax. par.* 2. *verb. Fidei profeſſio cap.* 1. *notabile*

tabile 1. *&* 3. *limita* 2. dicens, quòd pœna privationis fructuum non ſit purè pœnalis, ſed conventionalis, & conſequenter liget in foro conſcientiæ ante ſententiam declaratoriam, & ita puto tenendum.

950 Inter. 4. Sufficitne illam facere coram Vicario Epiſcopi, ſi Epiſcopus non ſit impeditus?

Reſp. Licèt Tridentinum *loco citato ſupra* dicat, quòd debeat fieri in manibus Epiſcopi, vel eo impedito, coram ejus Vicario Generali, tamen plures Doctores tenent ſufficere, ſi fiat coram Vicario, etiam Epiſcopo non impedito, nam ſupponunt, quòd illa verba Tridentini ponantur ad monitionem, & denotationem convenientiæ. Doctores ità ſentientes refert idē Barb *ubi ſup. num.* 23.

TITULUS XCVI.

De Filijs.

Vide tit. de Bannit. Inter. 7. *tit. de Correct. Inter.* 3. *tit. de Deb. conjug. Inter.* 13. *tit. de Denunc. Inter.* 7. 8. *tit. de Eccl. Immun. Inter.* 13. *tit. de Eccl. pollut. Inter.* 13. *tit. de Eleem. Int.* 11. 12. *tit. de Excom. ob Cler. percuſ. Inter.* 21. *tit. de Homic. Int.* 4. *tit. de Illegit. Inter.* 1. *tit. de Imped. publ. hon Int.* 3. *tit. de Infam. Inter.* 2. *tit. de Ing. in Rel. Inter.* 4. *tit. de Irreg. Inter.* 7. *& ad Quæſ.* 3. *&* 4. *tit. de Irrit. Vot. Int.* 3. *tit. de Legat. Inter.* 2. *tit. de Met. Inter.* 4. *tit. de Mutil. Membr. Inter. ult. tit. de Occaſ. Inter. ult. tit. de Ordin. ſac. ad quæſ.* 3. *tit. de Pœn. Int.* 7. *tit. de Regul. Int.* 38. *tit. de Reſt. dam. Int.* 1. *tit. de Sac. Bap. Int.* 1. *tit. de Sac. Matrim. Inter.* 19. 22. *tit. de Sepul. part. Inter.* 1. 2. *tit. de Verb. Inter. ult.*

951 INter. 1. Peccantne mortaliter Parentes, ſi per negligentiam non doceant Filios Symbolum Fidei, docem Dei præcepta, & Pater noſter?

Reſp. Peccare mortaliter docet Navar. *in man. cap.* 4. *num.* 17. aut ſaltem ſi non curant, Pater noſter, Credo, & Dei præcepta, ut diſcant. Vide Em. Sà *verb. Fides num.* 2. *& verb. Parentes num.* 1. & Bonac. *tom.* 2. *de legibus diſp.* 6. *quæſt. unic. pun.* 5. *ſub num.* 2. & alios apud ipſos.

952 Inter. 2. Adultera teneturne in conſcientia manifeſtare ſuum adulterium, ne filij legitimi damnum in hæreditate patiantur?

Reſp. Adultera non tenetur cum periculo vitæ, aut famæ, ſeù honoris prodere, filium eſſe ex adulterio, ad impediendum damnum legitimis hæredibus, quamvis ampla hæreditas inter ipſos, & ſpurium, ſit dividenda; Nam vita, & fama ſunt bona ſuperioris ordinis, & ſunt pretioſiora auro, & divitijs: Unde quando non poteſt ſuum adulterium manifeſtare ſine vitę, vel famæ periculo, debet quantum poteſt damnum hæredibus compenſare, relinquendo filijs legitimis bona paraphernalia ſi habet, vel alia acquiſita ex propria induſtria, vel ſi non habet, tenetur inducere filium illum ad intrandam Religionem, quæ non ſit capax hæreditatis, dummodo filius ad eam aptus ſit, vel ut ſacris initietur, & accipiat Beneficium aliquod Eccleſiaſticum, quo contentus hæreditatem alijs renunciet. D. Antoninus 2. *par. tit.* 1. *cap.* 18. §. 8. *in fin.* & melius *tit.* 2. *cap.* 7. §. 4. Cajet. 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 6. Navar. *in Man. cap.* 16. *num.* 44. *& ſeqq.* Bonac. *de Matrim. quæſt.* 4. *pun.* 15. *num.* 17. *& ſeqq.* Cœterum ſi dicta adultera jam erat de adulterio infamata, & credit probabiliter abſque periculo corporis, & animæ, poſſe id revelare, & quod ſibi adhibeatur fides tam à patre, quam à filio, deberet revelare, ut ex comm. docet Navar. *ubi ſupra num.* 46. Vide Tolet. *lib.* 5. *c.* 11. *num.* 3. Aliquando tamen quidam putant, Adulteram teneri manifeſtare, etiam cum vitæ periculo, quando ſcilicet reditus ſunt ſupra modum pingues, ut Regnum, Imperium; Ducatus magnus &c. maximè ſi bonum Reipublicæ majus illinc proveniat.

Digitized by Google

Ità Tolet. *loco cit. propè finem* Vide Em. Sà *verb. Adulterium num.* 3. Sed ut verum fatear,raró prodeſt detećtio, & manifeſtatio adultcrij;unde ſi ſubeſt periculum mortis in revelando,taceat, quia in non revelando eſt periculum rerum,ſed in revelando eſt periculum Animarum , & Corporum , ut docet Sylveſt. *verb. Adulterium ſub num.* 2. Imò abſolutè loquitur Diana *par.* 3. *tract.* 5. *reſ.* 30. *in fine* , ut non ſe prodat , ſed ſatisfaciat , aut conferendo bona libera filiis legitimis , aut conſulendo ſpurium intrare Religionem. Et hoc mihi magis probatur .

953 Inter. 3. Poteſtne Filius legitimus immediatè beneficium paternum ſine diſpenſatione obtinere ? & poteſt Epiſcopus cum eo diſpenſare ?

Reſp. Licèt Filius legitimus Sacerdotis poſſit obtinere beneficium in Eccleſia, in quaGenitor habuit,vel habet beneficium *ex cap. ad hæc de Filijs præsbyt.* & tradunt Sylveſter *verb. Beneficium* 3. *num.* 10. Barboſ. *de poteſt. Epiſc. par.* 3. *alleg.* 65. *num.* 16. & alij penès ipſos; tamen hoc intelligendum eſt , dummodò non ad illas dignitates, & præbendas , quas immediatè Pater habuit , promoveatur, ut habetur *cap. Conſtitutus eodem tit.* & ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 25. *de reform. cap.* 25. & ibi DD.cumulati à Barb. *in Colle.in Trident. loco cit. n.*10. *&* *ibidem n.* 13. teſtatur fuiſſe deciſum , dictum Filium egere diſpenſatione ad obtinendum immediatè beneficium Paternum, nec poſſe cum illo Epiſcopum diſpenſare reſolvit cum Sanchez *in Opuſcolis to.*1. *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 17. *num.* 3. Vide Em. Sà *verb. Beneficium num.* 25. *&* 26.

954 Inter. 4. Matrimonia , quæ fiunt invitis, & inſcijs Parentibus, ſuntne valida , & peccantne filii in tali caſu ?

Reſp. Utique valida ſunt , ut decernitur in Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *de matrim.* & docent DD. communiter. Sed quidam putant filios mortaliter peccare , ſi contra Parentum juſtam voluntatem matrimonium contrahunt ſine juſta çauſa ; Alij verò dicunt, eos non peccare, quoties abſit ſcandalum, aut gravis aliqua neceſſitas. Vide Em. Sà *verb. filius num.* 34. & præſertim Tolet. *lib.* 5. *cap.* 1. *ſub num.* 6. ubi ſic inqnit . *Ducere Vxorem indignam contra voluntatem Patris, peccatum mortale eſt , ſecus , ſi ſit digna , nan eſt mortale niſi cum multum refert Patri aliam ducere . Cum inimicitiæ paternæ componuntur ex matrimonio , ſi filius nolit duceru Vxorem , quam dat Pater , ſi digna ſit, eſt mortale, licet ducat aliam dignam.* Hactenus Toletus . Cœterum vide DD. quos refert , & ſequitur Barboſ. *in Collect. ad Triden. loco ſupracit.* & Bonac. *de matrim. quæſt.* 4. *pun.* 17. *n.* 18. *& ſeqq.* qui rectè docent filios ex honeſtate teneri contrahere matrimonium cum coſilio Patris , ſecus mortaliter peccare , niſi fotè habeant juſtam cauſam contrahendi abſque ipſius conſilio . Denique notandum eſt, non poſſe Parentes filios exheredare , neque eis dotem denegare , eo quod contrahunt matrimonium ipſis invitis; Immò leges civiles permittentes Patri exhæredare , ſi ſine eorum conſenſu nupſerint, ſunt abrogatæ , ut docent innumeri Doctores , quos refert Barboſa *ubi ſupra num.*3. Vide Bonac. *de legibus diſp.* 6. *quæſt. unic. pun.* 5. §. 3. *per totum* , & Dianam *par.* 4. *tract.* 4. *reſ.* 132. Vide infra *in tit.* 168. *de Pœnis . ad Inter.* 7.

955 Inter. 5. Judex, vel Prælatus Eccleſiaſticus poteſtne licitè impedire filio familias , ne talem uxorem contrà voluntatem Parentum ducat ?

Reſp. Bonac. *de matrim. quæſt.* 4. *pun.* 17. *num.* 16. *&* 17. pluribus relalatis probat poſſe , & debere Judicem Eccleſiaſticum ſuam interponere auctoritatem , quando periculum eſt , ut magnum ſcandalum ex matrimonio oriatur , quia ei incumbit ſaluti ſubditorum conſulere , rixas tollere , & ſcandalum impedire , nam peccat quidem filius ineundo matrimonium in tali eventu,ut aſſerunt Navar. *in man. cap.* 14. *num.* 15. Sayrus *in Clavi Re-*

gia

Digitized by Google

gia *lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 12. & alij communiter; ergo Prælatus debet ſua auctoritate hoc peccatum etiam impedire, præſertim quando ex certis, & vehementibus indicijs, & conjecturis prævidere poteſt, grave inde ſuboriturum ſcandalum, rixas, aliaque mala. Neque hoc eſt impedire matrimonium; quia libertas matrimonij non debet familiæ, aut proximo nocere, nec filius habet jus ad nuptias injurioſas Patri, & cum periculo gravis ſcandali &c. Nec obſtat vinculum ſponſaliorum jam celebratorum, cum ſponſus non teneatur perficere ſponſalia, quando imminet aliquod grave malum, ſeù ſcandalum, nec ſponſalia in tali caſu obligare cenſentur. Vide Bonac. *loco cit.* qui fortioribus terminis, & rationibus id rectè ſuſtinet, & ad objectiones reſpondet.

856 Inter. 6. Poteſtne filius invito Patre contrahere matrimonium cum ea, quam carnaliter cognovit ſub ſpe illam ducendi in Uxorem?

Reſp. Affirmat Bonac. *loco prox. cit. num.* 21. Immò ſi promiſit eam ducere, ut copulam extorqueret, debet ſervare promiſſum, & multo fortiùs ſi juravit, ut docet Sylveſt. *verb. luxuria ſub num.* 5. Em. Sà *verb. Reſtitutio num.* 14. & eſt communis ſententia teſte Diana *par.* 5. *tract.* 14. *reſ.* 32. Et hoc maximè verum eſt, niſi illa potuiſſet conijcere fictionem, ut cum ſunt valdè impares, ut benè advertit idem Sà ubi ſuprà, & alij, quos ego citabo *in tit.* 206. *de Simulatione, ad Inter.* 7. Verùm ſi magnum malum ex matrimonio timetur, aut magnum aliquod ſcandalum creditur proventurum, tunc ſufficit, quod petat promiſſi remiſſionem, & aliter ſatisfaciat ſecundum ſuam facultatem, & mulieris indigentiam, præſertim quando timetur tam grave ſcandali periculum, ut præponderat damno ſponſæ. Ità tradunt Sylveſter *loc. cit.* Navar. *in man. cap.* 16. *num.* 18. Toletus *lib.* 5. *cap.* 11. *ſub num.* 1. Sà *ubi ſuprà*, Bonac. *ſuprà à num.* 27. *in fine*, & alij. Sed vide Dianam *par.* 9. *tract.* 7. *reſ.* 71.

957 Inter. 7. Filius, cujus Pater ob crimen perduellionis fuit comdemnatus, poteſtne ad Ordines promoveri; Et quid de Nepotibus dicendum eſt?

Reſp. Filius ob crimen perduellionis (quod eſt idem, ac dicere crimen Læſæ Majeſtatis) commiſſum à Patre, remanet Irregularis ratione infamiæ quæ ſecum trahit tale delictum, ac nullatenus proindè ad Ordines promoveri poteſt, ante diſpenſationem; Immò neque Nepotes talis perduellionis crimen perpetrantis ad Ordines admitti poſſunt, cum ipſi pariter Infames remaneant; ſicut decernitur *in l. Quiſquis C. ad l. Juliam Majeſt.* & tradunt Em. Sà *verb. Infamia*; Bonac. *de cenſu. diſp.* 7. *quæſt.* 3. *pun.* 1. *n.* 13. Leza. *eodem verbo Infamia num.* 11. & alij communiter. Vide *ſuprà in tit.* 37. *de Clericis, & Perſonis Eccleſiaſticis ad Inter.* 5.

Quær. 1. An liceat filio ſubvenire Patri bannito ſi hoc prohibitum ſit à Papa ſub pœna excommunicationis?

Reſp. Negativam Sententiam docet doctus P. Rotarius *in Apparatu Theol. moral. par.* 3. *cap.* 11. *ſect.* 1. *ſub num.* 48. ait enim, quòd ſi filius in dicto caſu Patri ſubveniat, peccat, & eſt excommunicatus, quià cenſetur Pater condemnatus ad hoc genus mortis, quod licet ob publicam utilitatem, & hoc optime dicit, nàm non relevat ſi dicatur, quòd Bannitum alere teneatur, qui aliàs tenebatur, ſed filius jure naturali, & divino tenebatur Patrem alere, & ſubvenire, ergo eodem modo tenetur poſtquam Pater fuerit proſcriptus, cum ob hanc preciſè cauſam non deſinat eſſe filius, neque amittat obligationem naturalem ergà Patrem, ſiquidèm per excommunicationem, præceptum naturale, & divinum adjuvandi Patrem non auffertur; excommunicatio enim ſupponit peccatum mortale, ſed filius in tali caſu non peccat, ergò neque ex-

com-

communicationem incurrit, quod autem minimè peccet, probatur, quia filius Patris banniti ipſa natura monente, & veluti urgente, ſaluti potiùs conſulere, quàm eundem occidere, neceſſe habet, nàm licèt Pater legum contemptor, & impius, ac bannitus ſit, tamen Pater filij eſt. Non relevat, certò id, quod dictum eſt, quià ſi Pater proſcriptus ſit nimis nocivus Reipublicæ, & illi nocumento nequeat aliter obviari, tenetur quidem filius propter bonum commune præceptum Superioris obſervare, aliàs ratione inobedientiæ peccat mortaliter, & excommunicationem incurrit, nàm Doctores ferè communiter docent, quòd filius poſſit accuſare Patrem de hæreſi, vel proditione, & cœteris, quæ vergunt in commune damnum, quamvis certò ſciat inde Patrem fore occidendum; Ità Navar. *in man. cap.* 14. *num.* 12. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 8. Em. Sà *verb. Filius n.* 32. Dicaſtillus *de juſt. & jure lib.* 2. *tr.* 1. *diſp.* 10. *dub.* 1. *num.* 16. & alij. Ergo quando non eſt aliud remedium avertendi damnum commune, licitè poteſt Papa prohibere etiam filijs ne ſubveniant Patri bannito, cui præcepto ſi filius non obediat, peccat mortaliter, ut dixi, & excommunicatione ob id lata innodatur; bonum enim commune præferendum eſt bono privato, præſertim quandò Pater eſt maximè nocens, & Reipublicæ pernicioſus, ut in præſenti ſuppono, & ſupponere videtur etiàm præfatus P. Rotarius, cui libenter adhæreo; Banniti enim ſunt hoſtes civitatis, & favere hominibus criminoſis, ſine culpa eſſe non poteſt, cum illis audaciùs peccandi præſtetur occaſio.

Quær. 2. An parentes mittentes, ſeù exponentes filios ad hoſpitale, peccent mortaliter, & ad quid teneantur?

Reſp. Patres tenentur alere filios etiàm naturales, & eis providere per totum tempus vitæ eorum ſi poſſunt & filii indigeant. Ità S. Thomas 2.2. *quæſt.* 167. *ar.* 2. *ad* 1. Sylveſter *verb. filij num.* 24. Navar. *in Man. cap.* 14. *num.* 7. & primò triennio alendi ſunt apud Matrem. Undè exponentes filios abſque urgente neceſſitate, mortaliter quidem peccant, ut aſſerunt Tolet. *lib.* 5. *cap.* 1. *ſub num.* 9. Em. Sà *verb. Parentes ſub num.* 3. & alij communiter. Immò mittentes filios ad hoſpitale, ſivè legitimos, ſivè naturales, tenentur ad omnes expenſas, quas hoſpitale fecit in eis alendis, niſi ob notabilem paupertatem excuſentur, *ut dico in tit.* 187. *de Reſtitut. Dam. ad Inter.* 4. cum Sylveſt. Navar. & Bonac. quibus nunc addo Zeccum *de caſ. reſer. caſu.* §. *mittentes quoque* & P. Auguſtinum Lucenſem *in ſua Cautela Confeſſ. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 15. Siquidem Parentes jure naturæ tenentur filios alere, & hoſpitalia ſolùm propter pauperes facta ſunt, prout magis communis Doctorum ſententia tenet.

TITULUS CXVII.

De Fornicatione.

Vide tit. de Deſid. Inter. 3. *tit. de Famul. Int. ult. tit. de Legat. Int.* 5. 6. 7. 8. *tit. de Peccat. Inter.* 26. *tit. de Sacr. Matr. Int.* 3. *tit. de Uſu. Conjug. Int.* 2.

958 INter. 1. Chriſtianus, qui habet copulam cum fœmina infideli, committitne adulterium, vel ſimplicem fornicationem?

Reſp. Si habet copulam cum fæmina conjugata, committit adulterium, ut per ſe patet; ſi verò cum fæmina ſoluta, erit ſimplex fornicatio, præciſis tamen aliis circumſtantiis; nam ſimplex fornicatio eſt concubitus ſoluti cum ſoluta, ut docent communiter DD. Vide Bonacin. *de Matrimon. qu.* 4. *pun.* 15. *num.* 7. ſed etiam com-

mit-

mittit Sacrilegium, ut dixi *in tit.* 36. *de Circumſtantiis peccatorum ad Interr.* 8. cum Diana *par.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 138.

959 Inter. 2. Alter Conjugum, qui certò ſcit adeſſe inter eos impedimentum annullans Matrimonium, poteſtne ſine peccato mortali reddere debitum, ſi aliàs ei mortis periculum, vel infamiæ immineat, vel cenſuris ab Eccleſia compellatur?

Reſp. S. Thom. *in* 4. *diſt.* 27. *q.* 1. *art.* 2. *in fin.* Sotus ibi *art.* 3. Navarr. *cap.* 16. *num.* 39. Barboſ. *collect. in* 5. *lib. Decretalium tit.* 39. *cap.* 44. & plurimi alii communiter, dicunt nullatenus poſſe ſine gravi peccato reddere debitum, & colligitur etiàm *ex cap. Inquiſitioni, de ſent. excom. & cap. Litteras. de reſtit. ſpol. &* ratio eſt, quia talis redditio debiti eſt fornicatio, cum ſit acceſſus ad non ſuam; fornicatio autem eſt intrinſecè mala, jure naturæ prohibita, ut aſſerunt DD. communiter, teſte Diana *par.* 9. *tract.* 9. *reſ.* 59. nec aliter affirmari poteſt poſt Decretum Innoc. XI. in quo propoſitio 48. fuit reprobata, quæ oppoſitum aſſerebat, ac proinde in nullo eventu licitè fieri poteſt, etiam ad evitandum majus malum; nec timendum eſt de excommunicatione, quæ quidem ſemper ſupponit peccatum mortale, quod non eſt in præſenti caſu, nam ſuperior, qui ſub pœna excommunicationis id præcipit, præſumptione falſa de valore Matrimonii innititur; præſumptio autem cedit veritati, undè in hoc caſu optimè concludit Em. Sà. *verb. Matrimon. numer.* 27. ſic inquiens: Compulſus à Judice, aut alio quopiam habitare cum Uxore illegitima, aliò migret; Sed vide Bonacin. *de Matrimon. q.* 4. *pun.* 4. *num.* 17. *& ſeqq.* & Dian. *par.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 48. à quibus plura ad hoc propoſitum haberi poſſunt, & infrà *in tit.* 146. *de Moribundis & morti proximis ad Inter.* 8.

TITULUS XCVIII.

De Furto.

Vide tit. de Circumſ. pec. Inter. 24. 25. *tit. De Confeſſ. ſac. Inter.* 20. *tit. de Deſen. ben. temp. tit. de Differ. Inter.* 13. *tit. de Eccl. Immun. Inter.* 30. 31. *tit. de Infam. Int.* 4. *tit. de Paruit. mat. Inter.* 2. 3. 4. 5. *tit. de Regul. &c. Inter.* 6. 51. 52. *tit de Reliq. ſac. Inter.* 1. 2. 3. *tit. de Reſt. accep. Int.* 4. *tit. de Reſt. Da. Int.* 23. 26. 28. *tit. de Revel. ſecr. Int.* 6. *tit. de Sacril. Int.* 2. 3. *tit. de Socerim. Inter.* 11. *tit. de Superſt. Int.* 14. *tit. de Vot. Int.* 20. 21.

960 INter. 1. Quid eſt furtum?

Reſp. Furtum eſt iniuſta ablatio rei alienæ invito Domino. Tol. *l.* 5. *c.* 15. *n.* 1. & alii commun.

961 Inter. 2. Quænam obligatio oritur ex furto?

Reſp. Oritur obligatio reſtitutionis, tàm in fure, quam in concauſis.

962 Inter. 3. Peccatne mortaliter, qui furatur minima animo furandi ſucceſſivè majora, vel accedit animo furandi notabilem quantitatem, ſed quia parvam invenit, parvam rapit?

Reſp. Mortaliter peccat, tam in primo, quàm in ſecundo caſu, & in primo caſu toties, quoties furatur minima, ratione mali animi, & pravæ voluntatis: Peccata enim voluntatis, oris, & operis ejuſdem ſunt ſpeciei. S. Thom. 1. 2. *quæſt.* 72. *art.* 7. Sed gravius eſt opere peccare, quàm ore, & ore quàm corde; Quoad primum probat S. Th. 2. 2. *quæſt.* 66. *ar.* 6. *ad tertium*, communiter receptùs, teſte Bonac. *de Reſt. diſp.* 1. *q.* 8. *pun.* 2. *n.* 1. quoad ſecundum aſſerit Toletus *lib.* 5. *cap.* 16. *n.* 8. & eſt cõmunis ſententia. Vide Cajet. *loc. prox. cit.*

963 Inter. 4. Peccatne mortaliter, & teneturne ad reſtitutionem, qui minima, & levia paulatim furatur ab una, eadem-

eademque perſona animo ſurripiendi in quantitate notabili?

Reſp. Peccat mortaliter toties quoties, quamvis minima furetur, ratione mali animi. Cajet. *in Sum. verb. Furtum.* At verò quando pervenitur ad eam quantitatem, quæ mortale peccatum conſtituit, etiam ad reſtitutionem tenetur, nam licèt illa modica furta, ſecundum ſe conſiderata, non ſufficiant ad conſtituendam materiam reſtitutionis peccati mortalis, ſufficiunt tamen, ſi collectivè, & ſimul ſumantur: Undè quia infert damnum notabile, quando pervenit ad eam quantitatem notabilem, mortaliter peccat, & ſub mortali ad reſtitutionem tenetur, & oppoſitum èſt omninò improbabile, & damnatum ab Innocent. XI. ànno 1679. & eſt 38. propoſitio ab eodem in ſuo Decreto reprobata: Non tamen totam quantitatem ablatã reſtituere tenetur ſub culpa mortali, ſed ſolùm illam, quà reſtituta, non dicitur amplius detinere notabilem quantitatem. Bonac. *loc. ſupracit. ſub. n.* 2. & alii plures apud ipſum. Navar. *in Man. cap.* 13. *n.*139. Em. Sà *verb. Furtum ſub n.* 8. & alii. Vide Toletum *lib.* 5. *cap.* 16. *num.* 3.

964 Inter. 5. Qui ſæpiùs minima furatur abſque animo, & intentione ſurripiendi majora, peccatne mortaliter, & teneturne ad reſtitutionem?

Reſp. Navar. *loc. proximè cit.* putat non peccare, niſi venialiter, quamviſ temporis decurſu notabilis fiat quantitas, & ità etiam tenet Toletus *ubi ſup. num.* 3. & Bonac. *ibidem ſub. v.* 2. *verſ. dixi*, & alii plures penès ipſum: Sed hoc intelligendum eſt, modò non advertat, ſe præcedentia furta commiſiſſe, nam ſi advertit, peccat mortaliter poſtquam pervenit ad quantitatem notabilem: Cæterum ſemper ad reſtitutionem tenetur ſub culpa mortali, quando pervenitur ad quantitatem notabilem, etiamſi abſque animo perveniendi ad talem quantitatem ſurripuerit; Ità firmat Navar. & Bonac. *loc. ſupr. cit.* & alii apud Em. Sà *verb. Furtum ſub.* 8. & oppoſitum eſt reprobatum ubi ſupra in Decreto Innocent. XI.

965 Inter. 6: Peccantne mortaliter Indigentes, qui tempore meſſis, aut vindemiæ notabilem quantitatem Tritici, vel Uvæ ſurripiunt, auferendo à ſingulis modicam quantitatem?

Reſp. Dicunt quidam, eos, ſi revera ſint indigentes, non peccare, nec ad reſtitutionem teneri, quia ſi Domini noſſent conditionem, & paupertatem Auferentium non eſſent rationabiliter inviti. Bonac. *de Reſt. diſp.* 2. *quæſt.* 8. *punt.* 1. *ſub num.* 1. quem ſequitur Nicol. *in Floſ. verb. Furtum num.* 4. Tamen quia permiſſum non eſt furari in gravi neceſſitate, ut dicã *ad Inter. ſequentem*, ideò dicendum eſt, eos peccare, & ad reſtitutionem teneri, ut melius conſtat *ex Reſponſione ad Inter. antecedentem, & infrà ad Inter.* 1. *tituli* 233.

966 Inter 7. Peccatne qui in gravi neceſſitate poſitus, occultè ſurripit à divitibus, & Opulentis ea, quæ ſibi neceſſaria ſunt ad grave damnum avertendum?

Reſp. Multi, cum quibus ſentit Diana, dicunt, quod non peccet. Diana *par.* 2. *tract.* 17. *reſ.* 29. *& par.* 5. *tract.* 8. *reſ.* 23. Tamen affirmativa ſententia eſt communis, ut ipſemet Diana fatetur *ea reſ.* 29. Bonac. *de reſt. diſp.* 2. *q.* 8. *punc.* 3. *n.* 1. *& ſeqq.* Nav. *in Man. cap.* 17. *num.* 119. cum Div. Thom. *quod lib.* 8. *art.* 12. & ratio eſt, quia gravis neceſſitas non facit res cõmunes, ut facit extrema, nec tribuit Jus in aliena. Cajet. 2. 2. *q.* 66. *art.* 7. cum Salonio ibidem *concluſ.* 2. Imò *in c. ſi quis, de furtis*, imponitur pœna accipienti res alienas tempore neceſſitatis: quod intelligendum eſt extrà caſum neceſſitatis extremæ, in quo omnia ſunt communia, ſecus dicendum eſt in caſu gravis neceſſitatis, in quo certè non licet furari aliena occultè, & oppoſitum tamquam impro-

babile

babile, ac ſcandaloſum meritò fuit reprobatum ab Innoc. XI. & eſt propoſitio 36. ab eodem damnata, quæ ſic aſſerebat: Permiſſum eſt furari non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi: Nam ſaltèm debet eſſe graviſſima, & ferè extrema, ut docet Tolet. *lib.* 5. *c.* 15. *n.* 3. quam neceſſitatem P. Cardenas in Criſi Theologica *diſſert.* 23. 17. vocat neceſſitatem evidenter urgentem, & affert hoc exēplum, v. g. cum inſtat periculum graviſſimi damni, putà ſi Petro evidenter immineat à Mauris periculum captivitatis, & Petrus videat equum alienum, ſibi proximum, poteſt enim illum ſibi uſurpare ad fugam, & ſic in ſimilibus: Hæc enim non eſt neceſſitas gravis, de qua loquitur decretum: Etenim potius reducitur ad neceſſitatem extremam: Hactenus Cardenas, & rectè quidem.

967 Inter. 8. Quænam eſt quantitas notabilis? quæ ad furtum mortale cōſtituendum ſufficit? Et quid in Furtis Religioſorum eſt dicendum?

Reſp. In hoc dubio quidèm, quot ſunt capita, tot ſunt ſententiæ aſſerit Diana *par.* 2. *tract.* 6. *reſ.* 36. & *par.* 2. *tract.* 17. *reſ.* 57. ubi plures Doctorum opiniones refert, taxantes parvitatem materiæ in dicto caſu, ideoque non eſt facile tradere certam regulam in particulari, ſed ſolùm in generali dici poteſt, quòd requiratur quantitas notabilis, quæ tamen judicari debet arbitrio Prudentum, pro variarum locorum, tùm perſonarum conditione, quia quod reſpectu unius cenſetur notabile, reſpectu alterius erit exiguum: Ita Marchantius apud Dianam *par.* 5. *tr.* 5. *reſ.* 34. ſed Tolet. *lib.* 5. *cap.* 6. *ſub num.* 16. ait duplicem eſſe quantitatem, altera ſecundum ſe, & hæc eſt quæ ab omnibus cenſetur mediocris, aut grandis valoris, ut eſt quantitas unius, vel duorum Juliorum, hanc enim à quacumque etiam ditiſſimo furari mortale eſſet: àltera eſt notabilis quantitas reſpectu ejus, à quo furatur, ſicut eſſet quarta pars Julii reſpectu cuiuſdam pauperis, hanc enim furari mortale eſſet, ità Toletus, nec diſſentire videtur Navar. *in Man. c.* 17. *n.* 4. ſed Em. Sà *verb. Furtum, propè finem,* putat eſſe mortale furari unum Julium viro neque diviti, neque admodum pauperi, quod tamen non eſſe indiviſibiliter intelligendum, Vir prudens videbit. Bonac. verò *de Reſt. diſp.* 2. *quæſt.* 8. *pun.* 1. *num.* 7. *in fine* concludit, quantitatem duorum, aut unius, vel dimidii Regalis, nempè Julii, non eſſe abſolutè quantitatem notabilem ſufficientem ad peccatum mortale, quia Reipublicæ, aut Illuſtri perſonæ non infert damnum notabile, neque notabilem impedit utilitatem, licèt tamen poſſit eſſe reſpectu unius pauperis mendicantis: Denique, ut omnia unico verbo concludam, dico, quod illa quantitas furti peccatum mortale conſtituit, quæ Domino rei notabile damnum ſimpliciter inferre poteſt, & in hoc omnes Doctores conveniunt: De furtis verò Filiorum, & Religioſorum, non eſſe philoſophandum, ut de cæteris furtis; major enim quantitas in illis, quàm in iſtis requiritur, maximè ſi furtum ſit de rebus comeſtibilibus, quæ ſumuntur à Communitate, vel particulari Religioſo: Parentes non ſolent ægrè ferre, quod Filii ipſis res furentur comeſtibiles, non magni valoris, ergo idem dicendum eſt reſpectu Religioſorum, nam Religioſi ſunt addicti Religioni, ut Filius Patri, & non ut ſeruus Domino, & comparantur cum ſuis Prælatis, veluti Filii cum Parentibus, ut probat Lezan. *tom.* 2. *verſ. Furtum ſub n.* 3. *ergo &c.* Undè non perperam dicā in titulo 180. de Regularibus, ſeù Religioſis, cū Alloz. *in Reſ. ad Int.* ſi non peccare mortaliter Religioſum, qui à Communitate ſui conventus unam furaretur gallinam: Non enim hìc, aut ibi aſſero cum Soto, & Rodriquez *in Summ. tom.* 3. *cap.* 118. *num.* 27. & 29. Religioſum non committere furtum, quando aſcēdit ad ſummam duorum aureorum.

quia ſolùm probabile puto cum Diana, & aliis, id, quod docet Sanchez: *in Summ. tom. 2. lib. 7. cap. 2. num. 3. & 6.* nempè materiam notabilem in furtis Religioſorum, eſſe ſummam quatuor argenteorum, quamvis ſciam Bonac. & alios, docere, eàm quantitatèm ſufficere, quæ ſufficit in Sæcularibus ad conſtituendam materiam peccati mortalis; Sed hæc opinio ab aliis meritò non admittitur: Vide Doctores apud Dianam *par. 1. tr. 6. reſ. 36.* ubi plura ad inteutum invenies.

968 Inter. 9. Qui furatur crumenam Sacerdoti, vel Clerico dormienti, vel aliàs non ſentienti, poteſtne à ſimplici Confeſſario abſolvi, vel tanquàm Excommunicatus debet abſolvi ab habente facultatem?

Reſp. Secundum Sententiam Sylv. *in Summ. verb. excomm. 6. ſub n. 11.* à ſimplici Confeſſario non poteſt abſolvi, quia putàt ipſum Furem incurrere excommunicationem latam *in c. Si quis, 17. queſt. 4.* contra tangentes perſonam Clerici injurioſè, & hoc ipſe cenſet tutius, & verius. Tàmen mihi videtur oppoſitum eſſe multò probabilius cum Dian. *par. 9. tr. 4. reſ. 37.* ubi plures alios citat, quia in caſu noſtro nullatenus violenter tangitur Sacerdos, aut Clericus, imò modica, vel nulla fit injuria Perſonę non ſentienti, ut aſſerunt tres Canoniſtæ apud Sylv. *loco citato.* Dicendum eſt igitur, quod tàlis rei ablatio non àd violentiam, ſed ad furtum pertineat. Cenſura verò non ob furtum, ſed ob violentiam manuum iniectionem incurritur, ergò poterit à ſimplici Confeſſario abſolvi, ubi furtum non ſit caſus reſervatus, & ità etiam docet Em. Sà *verb. excomm. Papæ reſ. num. 2.* & alii plures.

969 Inter.. 10. Qui habet propoſitū firmum furandi centum nummos aureos, eſtne licitum ei ſuadere, ut furetur tantùm quinquagintà?

Reſp. Eſt licitum, ſi nulla deſignetur Perſona, à qua debeant furari, & ratio eſt quia non inducitur ad furandum, quod eſt peccatum, ſed tantùm ei ſuadetur minus malum, ut majus vitetur. Diana *par. 5. tract. 7. reſ. 19. §. Nota tamen*; & alii ab ipſo relàti. Cabrinus *de caſ. reſ. par. 2. caſ. 7. in Corollario.*

TITULUS XCIX.

De Gabellis.

Vide tit. de Regul. &c. Inter. 53. 68. tit. de Uxor. ad quæſ.

970 INter. 1. Fraudantes vectigalia, ſeù gabellam, peccantne mortaliter, & tenéturne ad reſtitutionem?

Reſp. Eſt magna controverſia inter Doctores, ut videre eſt apud Bonac. *de Contr. diſp. 2: quæſ. 9. pun. 1. num. 3.* Dianam *par. 1. tr. 10. reſ. 19.* & alios: Quidam enim dicunt, non peccare mortaliter, neque ad reſtitutionem teneri, quia lex purè pœnalis non obligat in conſcientia, & quod imputandum eſt ementibus prædictas gabellas, ſi fraudentur, ſi non invigilent; nam ſub tali conditione illas emunt, & ſi cum uno amittunt, cum alio lucrantur, propter pœnam conventionalem. Ità pluribus citatis tenet Diana *loc. cit.* Probabilis eſt hæc opinio; Tamen probabilior videtur oppoſita, quam inter alios ſuſtinet Suarez *de leg. lib. 5. cap. 18. num. 7.* Sanchez *in Sum. tom. 2. lib. 6. cap. 4. num. 62.* Bonac. *loc. ſup. cit.* & alii plures penès ipſos, & eſſe opinionem communem, aſſerit Em. Sà *verb. Gabella num. 6.* & ratio eſt, quia quod juſtè exigitur, non poteſt abſque injuſtitia defraudari; alioquin poſſet dari bellum juſtum inter Principem & Subditos, quod eſt abſurdum, ſed vectigalia juſtè exigunrur, ergò nnn poſſunt fraudari abſque injuſtitia, tenemur enim reddere Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, & quæ ſunt Dei,

Deo

Deo. Vide Bonac. *ubi ſup.* Tol. *lib.* 5. *cap.* 75. Sylveſt. *verb. Gabella qu.* 8. & alios plures, quos citat ipſe Diana *loc. ſup. cit. in principio reſolutionis*: Cæterùm ſi aliquis ſine ulla fraude merces ſuas vehat paratus ſolvere gabellam, ſi à Gabellario non exigatur, non tenetur ipſum quærere, nec peccat, nec ad reſtitutionem tenetur, ut docet Toletus *loco cit. num.* 2. ex Tabiena, & Soto, limitans, quando eſt conſuetudo in illis Terris exigere, & cuſtodias ponere. Quod ſi conſuetudo eſſet, quòd ipſemet præſentaret merces, utique teneretur hoc facere in gabella juſta, aliàs à peccato non excuſarem illum, nec ab onere reſtituendi. Vide Steph. à S. Greg. *de Reſt. lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 19. & 20. & Armillam *verb. Gabella num.* 6.

971 Inter. 2. Clericus negotiator, teneturne ſolvere gabellam, ſi non fuerit ter monitus ab Epiſcopo, ut à negotiatione deſiſtat?

Reſp. Eſt ſententia valdè probabilis, Clericum negotiatorem non teneri ſolvere gabellam, niſi fuerit ter monitus, ut deſiſtat à negotiatione. Doctores pro hac ſententia refert Diana *par.* 1. *tract.* 2. *reſ.* 47. & *par.* 3. *tract.* 1. *reſ.* 44. *ubi verſ. notandum eſt* docet ex Acugna in Decretum Gratiani *par.* 1. *diſt.* 88. *cap.* 2. *num.* 6. ut perdat Clericus negotiator immunitatem gabellarum requiri tres monitiones, & non ſufficere unam, quæ inſtar trium ſit. Vide iterùm Dianam *par.* 3. *tract.* 1. *reſ.* 28. Oppoſitum tamen docet Lezan. *tom.* 2. *verb. Gabella ſub num.* 19.

972 Inter. 3. Clericus conducēs agros alienos, teneturne ſolvere gabellam ex fructibus inde perceptis?

Reſp. Trullench. *in decal. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 12. *dub.* 5. *num.* 14. & *cap.* 20. *dub.* 19. *num.* 8. putat, talem Clericum de rigore non poſſe dici negotiatorem; ac proinde non teneri ſolvere gabellam in caſu noſtro; ſed Bonac. *tom.* 2. *de reſtitut. diſp.* 2. *quæſt.* 9. *pun.* 2. *num.* 4. oppoſitum docet; ait enim, quòd, licèt Clericus non teneatur ad ſolvenda vectigalia emendo vinum, panem, & alia hujuſmodi ad ſui, vel familiæ ſuſtentationem, & idem ſit, ſi vendat fructus perceptos ex propriis agris, tamen ſi eos percipit ex alieno agro, quem conduxit, & coluit per operarios, ſecùs dicendum eſſet, quia hoc eſt genus negotiationis vetitum Clericis. Verùm dato, quòd hoc etiam non ſit proprie negotiari, ut docet Trullenchus, attamen eſt expreſſè interdictum Clericis, ut patet *Can.* 1. & 3. 21. *quæſt.* 3. *ut* ex Vuigeres obſervat Diana *par.* 6. *tr.* 7. *reſ.* 11. ergo, &c.

973 Inter. 4. Gabella à Clerico, vel Religioſis debita, poteſtne licitè peti coram Judice laico, ut ab ipſo eam ſolvere compellantur?

Reſp. Petendam eſſe coram Judice Eccleſiaſtico, docet Paulus Squillante *de privil. Clericorum cap.* 8. *dub.* 1. *num.* 33. qui citat Berthachinum, Nattam, Carolum de Graſſis, Surdum, Molfeſſium, & Dianam, qui Diana hanc ſuſtinet ſententiam *par.* 1. *tr.* 2. *reſ.* 42. & *par.* 3. *tract.* 1. *reſ.* 44. & plures rationes, & Auctoritates refert. Undè dicendum eſt, non poſſe Judicem ſæcularem compellere Eccleſiaſticos ad ſolvendam gabellam, etiamſi in aliquo caſu teneantur ſolvere illam; Nam ut docet etiam Bartholomeus à S. Fauſto *in Specul. Conf. diſp.* 33. *quæſt.* 21. quando Clerici nolunt ſolvere, Judices Eccleſiaſtici debent illos ad ſolvendum compellere, & non ſæculares. Vide Lezanam *to.* 2. *verb. Gabella num.* 19. & 22. idem docentem.

974 Inter. 5. Quare Clerici, & Religioſi non tenentur ſolvere pedagia, gabellas, & vectigalia?

Reſp. Quia non ſubduntur ſæculari poteſtati, ideòque ſunt immunes, & exempti à Datiis, gabellis, vectigalibus, & aliis quibuſcunque contributionibus, ſeù oneribus, tàm realibus,

Digitized by Google

quàm perſonalibus, & tàm impoſitis, quàm imponendis à Principibus ſæcularibus; nam hujuſmodi tributa ſunt ſignum ſubiectionis; & Eccleſiaſtici, ut dixi, non ſunt ſubiecti ſæculari poteſtati. Ità Juribus, & Doctoribus relatis docet Lezana *loc. prox. ci. num.* 5. Vide Tamburrinum *de Jure Abbat. tom.* 1. *diſp.* 15. *qu.* 21. *num.* 3. *&* 4. *& in tit.* 180. *de Regular. ſeù Religioſis ad Inter.* 68.

TITULUS C.

De Gaudiis de morte Alterius.

Vide tit. de Deſider. Int. 7.

975 INter. 1. Peccatne mortaliter, qui dicit, ſi Cajus moreretur, ego maximè gauderem?

Reſp. Certò mortaliter peccat, quia deſiderat ei malum abſque ullo bono motivo, ut ſuppono. Bonac. *de Matrim. qu.* 4. *pun.* 9. *num.* 26. Vide etiam ad Inter. ſequentem.

976 Inter. 2. Sempronius optabat mortem Titii, qua ſecuta, etiam gaviſus eſt valdè, non ut malum proximi, ſed quatenus conſecutus eſt quoddam emolumentum, commiſitne peccatum mortale Sempronius, vel tantùm venialiter peccavit?

Reſp. Caſtropalao *tr.* 6. *diſp.* 4. *pu.* 1. *num.* 11. cui aſtipulatur Diana *p.* 3. *tract.* 9. *reſ.* 84. aſſerit, minimè peccaſſe mortaliter, ex eo quia ipſius non fuit deſiderium, & gaudium de malo Proximi, ſed tantùm de bono inde ei ſecuto: Verùm alii communiter contrarium docent, Teſte Navarr. *in Man. cap.* 15. *num.* 10. quia charitas obligat præferre vitam Proximi divitiis, & emolumento temporali, & ità eſt omninò tenendum, cum opinio Caſtropalai profligata fuerit in Decreto Innocentii XI., ex quo patet, talem propoſitionem, quæ eſt 13. inter damnatas, nullam habere probabilitatem, ſed ſcandaloſam, ut minimum eſſe.

TITULUS CI.

De Gula.

977 INter. 1. Qui comedit, vel bibit ſolùm propter delectationem, quam ſecum affert potus, aut ipſa comeſtio, peccatne, vel non?

Reſp. Certò, & indubitatè peccat, ſaltem venialiter, quia comeſtionis, vel potionis finis, & ordo à natura inſtitutus, non eſt delectatio, quę habetur ex cibo, & potu, ſed ſuſtentatio naturæ; Qui autem comedit non propter ſuſtentationem vitæ, ſed propter ſolam voluptatem, pervertit finem, & ordinem naturæ, ac proindè peccat, ſaltem venialiter; Quæ ratio eſt D. Thom. 2. 2. *qu.* 141. *art.* 6. quem ſolum totum per legeſ, & non pœnitebit legiſſe: Ideoque dicendum eſt in caſu noſtro, quòd peccet ſaltem venialiter. Vide Victoriam *in Summ. de Matrim. num.* 252. Nec aliter affirmari poteſt, cum ſit reprobatum ab Innoc. XI. in ſuo Decreto Edito anno 1679. & eſt propoſitio 8. inter alias ab eo damnatas, maximè ſi comedit, & bibit uſque ad ſatietatem ob ſolam delectationem; Undè non eſt audiendus Sancius, quem refert Dian. *par.* 3. *tr.* 5. *reſ.* 6. qui aſſerebat comedere, vel bibere abſque neceſſitate, ob ſolam voluptatem captandam, nullum eſſe peccatum.

978 Inter. 2. Peccatne mortaliter qui edit, & bibit uſque ad vomitum?

Reſp. Diana *par.* 5. *tr.* 13. *reſ.* 40. tenet cum Jo. Henriq. quòd non peccet mortaliter, ſed venialiter tantùm; Similiter non audet peccati mortalis damnare Layman *lib.* 3. *ſect.* 4. *num.* 2. Mihi tamen videtur peccare mortaliter, dummodò voluntariè, & advertenter hoc faciat, & graviter obſit valetudini; Nam licèt gulæ peccatum, ut do-

ut docet S. Thom. 2. 2. *qu.* 148. *ar.* 1. ex ſuo genere non ſit mortale, tamen quando ſcienter ex voluptate comeditur uſque ad vomitum, vel bibitur uſque ad ebrietatem, eſt peccatum mortale: Vide Sylveſt. *verb. Gula ſub n.* 2. ubi dicit, ſemper eſſe mortale: Idem docent Angelus, & alii recentiores relati à Molfeſio *tr.* 8. *cap.* 8. *num.* 170. quos tamen ipſe non ſequitur, citans pro ſe Cajetanum, Navarr. & Reginaldum: ſed noſtram ſententiam tenet etiam Armilla *verb. Gula num.* 3.

TITULUS CII.

Dd Hæreſi, & Hæreticis.

Vide tit. de Deſid. Int. 7. *tit. de Dub. Int. ult. tit. de Eccl. Immun. Int.* 33. *tit. de Epiſcopat. &c. Int.* 22. *tit. de Excom. ad quæſ. tit. de Ignor. Int.* 18. *& ad qu.* 2. *&* 3. *tit. de Infam. Int.* 2. 8. *tit. de Irreg. ad qu.* 3. *tit. de Jubil. ad qu. tit. de Laic. Int. ult. tit. de lib. prob. Int.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. *tit. de Parv. mat. Int. ult. tit. de Præl. Reg. Int.* 33. *tit. de Sigil. Confeſſ. Int.* 19.

979 INter. 1. Quid eſt Hæreſis?

Reſp. Eſt error voluntarius contra aliquem Fidei veritatem, cum pertinacia aſſertus ab eo, qui fidem receperit. Irà docent Doctores communiter. Vide Bonac. *de Cenſ. diſp.* 2. *qu.* 5. *pun.* 1. *num.* 1. Dianam *par.* 4. *tr.* 7. *reſ.* 6. & alios *in verb. hæreſis.*

980 Inter. 2. Si quis errat circa res fidei culpabiliter, ſed non eſt pertinax, eſtne cenſendus hæreticus?

Reſp. Bonac. loco ſupracit. aſſerit, quòd non ſit cenſendus hæreticus, & optimè dicit; nam nulla hæreſis eſt ſine pertinacia, & hoc clarè habetur *ex cap. Dixit Apoſtolus* 24. *qu.* 3. *cap. in Eccleſia, eadem quæſt. & cauſa,* & pater expreſsè *in Clem. unica de Summa Trinit. & fide Catholica,* & etiam colligitur ex aliis Juribus, *ut ex cap. Damnamus de Summa Trinitate, & cap. cum contumacia de hæret.* & docet S. Tho. 2. 2. *quæſt.* 11. *art.* 2. *ad* 3. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 2. & eſt communis ſententia.

981 Inter. 3. Quænam pertinacia requiritur ad hoc, ut quis cenſeatur hæreticus in utroque Foro?

Reſp. Communis Theologorum opinio aſſerit ad pertinaciam ſufficere, quòd ſciens quis, aliquid eſſe de fide, deliberatè illud non credit, ſeù ut quis animadvertat, ſuam opinionem eſſe contrariam ſenſui Eccleſiæ Cath. & tamen neglecta authoritate Eccleſiæ perſiſtit in ſua opinione. Ità tradunt Cajetanus 2. 2. *quæſt.* 11. *art.* 2. Layman *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 13. *num.* 2. Caſtropalao *tom.* 2. *tract.* 4. *diſp.* 3. *pun.* 2. *num.* 1. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 1. *qu.* 11. *pun.* 1. Azorius *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 9. *quæſito* 1. Sanchez. *in Summa. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 4. & alii multi apud Dianam *part.* 4. *tract.* 7. *reſ.* 36. Vide etiam Cajet. *in Summ. verb. hæreſis.* Et licèt quidam dicant minimè eſſe hæreticum pertinacem, ſaltem in foro externo, qui priùs non fuerit admonitus; tamen recedendum non eſt à communi ſententia, quæ docet, non ſolùm in foro animæ, ſed etiam in foro externo poſſe decerni pertinaciam ſine aliqua prævia monitione; undè rectè Lorca *in* 2. 2. *D. Thom. quæſt.* 11. *art.* 2. *diſp.* 41. *num.* 8. ſic habet: Per ſe, & ex natura rei non eſt neceſſaria admonitio, ut Homo hæreticus ſit pertinax; nam in his, quæ manifeſta ſunt, qui errat ex electione, & deliberatè, etiamſi à nullo ſpeciatim admonitus ſit, & priuſquam admonitus ſit, pertinax eſt hæreticus. Vide Dianam *loc. cit.*

982 Inter. 4. Cajus in angulo domus, nullo preſente, & ſubmiſſa voce dixit hæreſim, & quod dixit pertinaciter tenet, poteſtne ſimplex Confeſſarius eum abſolvere, ſi pœnitens factus, ad Confeſſionem acceſſerit?

Reſp.

Reſp. Non poteſt Confeſſarius quilibet eum abſolvere, nam ipſe Cajus, ut hæreticus externus contraxit excommunicationem in Bulla Cœnæ, contra hæreticos latam. Cajet. *in ſum. verb. Hær.* Sylv. *in ſum. verb. Exc.* 7. §. 3. Tolet. *lib.* 1. *c.* 19. *n.* 4. & alii commun.

983 Inter. 5. Poſſuntne Epiſcopi, & Prælati Regulares abſolvere ſuos Subditos ab hæreſi externa occulta? & quid de Inquiſitoribus dicendum eſt in hoc caſu?

Reſp. Quòd non poſſint Epiſcopi, jam ſatis me explicavi in tit. 83. de Epiſcopatu, & Epiſcopis ad Int. 22. & ità tenendum eſt omninò. Ità etiā dicendum eſt, non poſſe Prælatos Regulares abſolvere ſuos Subditos, (excepto articulo mortis) ab hęreſi occulta, vigore privilegiorum, ut aſſerit Baunius *in Theologia Morali par.* 2. *de Cenſ. diſp.* 3. *tract.* 2. *qu.* 26. quē refellit Diana *par.* 8. *tract.* 7. *reſ.* 50. afferens Decretum Sac. Congreg. ſub Clem. VIII. anno 1602. quo prohibetur Regularibus cujuſvis Ordinis Prælatis, ut nec intrà, vel extrà Italiam in vim privilegiorum, aut Confirmationis ejuſmodi, poſſint quemquam abſolvere à caſibus in Bulla Cœnæ Domini, aut Ordinario loci reſervatis, quale Decretum, quod per extenſum refert Diana ubi ſupra, fuit approbatum ab eodem Clem. VIII. mandavitque ab omnibus, ad quos pertinet, inviolabiliter obſervari. Vide Lezanam *tom.* 1. *par.* 1. *c.* 18. *n.* 38. & Paſſerin. *de Elect. can. cap.* 26. *à n.* 51. efficaciſſimè probat, nec Prælatos Regulares, nec Epiſcopos poſſe his temporibus ſuos ſubditos validè abſolvere ab hæreſi, & ab aliis caſibus in Bul. Cœnæ. *Vide in tit.* 6. *ad quæſt.* 1. Revocentur quoq; in memoriā propoſitiones 3. & 4. damnatæ a b Alex. VII. Undè nec Epiſcopus, nec Inquiſitores poſſunt ab his caſibus abſolvere quemquam, ut obſervat etiam ipſe Diana loco cit. qui ſe explicat, dum alicui videbatur contrarium docuiſſe *par.* 1. *tract.* 5. *reſ.* 3. ſic inquiens: Cum dixerim, poſſe Inquiſitores ab hæreſi abſolvere, intellexi ſecundum Fraitam à me adductum, de Inquiſitoribus Hiſpaniæ; ſecùs autem de noſtris, & ità me intellexit noviſsimè Carena. Hactenus Diana. Idem docet Bonacina *de Cenſ. diſp.* 2. *q.* 5. *pun.* 2. *num.* 11. loquens de Epiſcopis, & alii penès Lezanam *tom.* 2. *verb. Hæreſis num.* 12. ubi loquitur tam de Epiſcopis, quàm de Inquiſitoribus.

984 Inter. 6. Quid facere debet ille, qui fuit hæreticus occultus, ut poſſit abſolutionem impetrare? Et interim an poſſit celebrare, ſi eſt Sacerdos, vel communicare, ſi ſit Laicus?

Reſp. Quia non poteſt, ut dixi in præcedenti Reſp. abſolutionem obtinere, nec ab Epiſcopo, nec ab Inquiſitore; Ideò veniat Romàm ad Summum Pontificem, vel ſaltem mittat Romam Epiſtolam ad Cardinālem majorem Summi Pontificis Pœnitentiarium, & ſcribet eo modo, quem tradam in fine hujus operis. Et interim dum talis expectatur facultàs, ſi Sacerdos ſit; celebret, vel ſi Làicus, communicet, ſi periculum ſit infamiæ, aut ſcandali, nàm à quocumque Confeſſario poterit pro tunc indirectè abſolvi ab hæreſi, & directè ab aliis peccatis, & in tali caſu obſervare poteſt ea, quæ de occulto excommunicato, docentur à me *in tit.* 194. *de Sacramento Euchariſtiæ, ad Inter.* 5. & docet etiam Navar. *cap.* 27. *num.* 239. Henriquez, & àlii, quos ſequitur Diana *par.* 1. *tract.* 5. *reſ.* 4. Vide iterum Dianam *par.* 7. *tract.* 2. *reſ.* 13. *verſ. Notandum eſt*, ubi concordantes adducit. Et tandem vide ea, quæ docet Dicaſtillus apud ipſum Dianam *par.* 11. *tract.* 8. *reſ.* 2. quæ ſententia mihi non placet. Sed dico quod licèt adſit legitimum impedimentum adeundi Papam pro abſolutione, veram ſententiam eſſe, non poſſe hæreticum occultum ab ullo alio abſolvi, ideò ſcribat, ut dixi, ad Sac. Pœnitentiariam

riam

Digitized by Google

riam, aut roget Parochum, vel alium Confeſſarium, ut pro eo ſcribat. Vide Granadum *in* 2. 2. *D. Thom. contr.* 1. *tract.* 15. *diſp.* 16. *ſect.* 4. *num.* 18. apud Dianam *par.* 4. *tract.* 3. *reſ.* 242, Et præſertim Serra *in* 2. 2. *D. Thom. quæſt.* 11. *art.* 4. & Lezanam *tom.* 2. *verb. Caſus reſervati num.* 24. Sed id quod dixi de ſcribendo ad ſummum Pœnitentiarium, adverte hunc habere facultatem abſolvendi hæreticum externum occultum, ſolum in caſu, quo actus externus (licèt factus fuerit coram aliis) nullus tamen ad talem actum advertit, vel in aliis caſibus, in quibus non eſt neceſſe complices, vel conſcios denuntiare, ſcilicet quando iidem complices, vel conſcii mortui ſunt, ſeù ſunt ex Regionibus palam infectis, & in illis degunt, ſecus autem ſi ex illis Regionibus eſſent, in quibus viget auctoritas S. Officij, ut ex Bulla ſuper facultatibus M. Pœnitentiari §. *Eos tamen, &c.* expreſsè conſtat.

985 Inter. 7. Confeſſarius ſimplex, poteſtne abſolvere Titium, qui ſolum mentaliter habuit errorem in itellectu cum pertinacia?

Reſp. Si Titius ſit ad cor reverſus, & cognoſcat errorē, eumque deteſtari firmiter promittat, cum propoſito non peccandi de cætero, utique poterit ſimplex Confeſſarius eum abſolvere, quia hæreticus mentalis, ut fuit Titius, non incidit in excommunicationem, nam Eccleſia non judicat de occultis, ideò nec punit actus internos. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 3. Diana *par.* 4. *tract.* 4. *reſ.* 240. & eſt communis ſententia. *Vide dicta in titul.* 83. *de Epiſcopatu, & Epiſcopis, ad Inter.* 22. *in fin.*

986 Inter. 8. Ad hoc, ut hæreticus in foro interno incurrat excommunicationem Papæ reſervatam, quid requiritur, & quid in foro exteriori dicendum eſt?

Reſp. Dico quòd in foro poli, ſeu conſcientiæ tria requiruntur, primum, ut habeat errorem in intellectu 2. cum pertinacia 3. ut ejus incredulitas ſubjaceat humano ſeſui, & nō ſit purè mētalis. Ità docet Diana *par.* 1. *tract.* 5. *reſ.* 1. *in princ.* Sed quoad forum externum, etiamſi non haberet errorem in intellectu, tamen ſi aliquid perpetraret, quod poſſet in ſuſpicionem hæreſis devenire ex indicijs, etiam levibus, ab Inquiſitore, aut Epiſcopo puniretur tanquam hæreticus, quia ex ſignis externis prudenter poſſunt, & debent præſumere peccatum hæreſis. Diana *loco cit.* & alij.

987 Inter. 9. Poteſtne ſimplex Confeſſarius abſolvere Cajum, qui coram aliquibus feriò, & pertinaciter aſſerebat Chriſtum non eſſe riſibilem?

Reſp. Nequaquam poteſt ipſum abſolvere, quia ut hæreticus externus contraxit excommunicationem in Bulla Cœnæ contra hæreticos inflictam; Qui enim negat propoſitionem, quæ evidanter deducitur ex una propoſitione de Fide, & altera naturali, eſt hæreticus, & quia Chriſtum eſſe riſibilem deducitur ex una propoſitione naturali, ſcilicet omnis homo eſt riſibilis, & ex alia de fide, nempè Chriſtus eſt homo, & conſequenter riſibilis: Ideò Cajus, ut hæreticus excommunicatus, licèt ſit ad cor reverſus, non poteſt à quolibet Confeſſario abſolvi: Vide Bonac. *de cenſur. diſp.* 2. *quæſt.* 5. *pun.* 1. *n.* 5. qui refert Sanch. & alios multos recentiores. Vide etiam *in hocmet titulo ad Interr.* 4.

988 Inter. 10. Qui dicit, & credit nullū extare præceptum largiendi eleemoſynam ſub mortali, poteſtne à quolibet confeſſatio abſolvi?

Reſp. Minimè, quia eſt hæreticus, qui hoc pertinacitèr credit, ſiquidem elemoſyna eſt in præcepto, & obligat aliquando ſub pœna peccati mortalis, ut deducitur ex pluribus Sacræ Scripturæ locis, & ità rectè docet Tolet. *lib.* 8. *cap.* 34. *num.* 1. & eſt communis Catholicorum ſententia: Siquidem ex præcepto divino, & naturali tene-

tenemur per eleemoſynam ſuccurrere proximo, ut rectè probat Bonac. *de præcept. decal. diſp. 3. q. 4. pun. 6. n. 2.*

989 Inter. 11. Qui dicit non eſſe licitum jurare, & hoc pertinaciter credit, poteſtne à quocumque Confeſſario abſolvi?

Reſp. Non ſolùm mortaliter peccat, ſed etiam eſt hæreticus, qui pertinaciter id credit, nam eſt contra Sacram Scripturam credere juramentum eſſe malum, & nunquam licere; patet ex Deuteronomio *cap. 6. Pſalm. 62. ubi dicitur, laudabuntur omnes qui jurant in eo.* & ex alijs ſcripturæ locis apud Valentiam 2. 2. *diſp. 6. quæſt. 7. pun. 3.* Vide D. Th. 2. 2. *q.* 89. *ar.* 2. *& in 3. diſt. 39. ar.* 2 Navar. *in man. cap.* 12. *num.* 4. ergo non poteſt à quolibet Confeſſario abſolvi, licèt ſit ad cor reverſus dictus peccator.

990 Inter. 12. Qui uſuram aſſerit non eſſe peccatum, poteſtne à quolibet Confeſſario abſolvi?

Reſp. Si pertinaciter ita tenet, & aſſerit, nequaquam poteſt abſolvi, quia eſt hæreticus, & per conſequens excommunicatus, nam aſſerere uſuram non eſſe peccatum, eſt contra doctrinam univerſalis Eccleſiæ, ut docet Sylv. *verb. Hæreſis* 1. *quæſt.* 4. & aſſignat rationem cur ſit hæreticus, dicens, quòd non ſolùm hæreticus eſt male ſentiens de articulis Fidei, & Eccleſiæ Sacramentis, ſed etiam qui perverſum habet dogma, vel falſas, aut novas opiniones gignit contra doctrinam Eccleſiæ. Vide jura ibi cit.

991 Inter. 13. Hæretici, vel Apoſtatæ à fide quando ſunt occulti, incurruntne irregularitatem? & poſito quòd ſic, poſſuntne ab Epiſcopo diſpenſari?

Reſp. Dicunt quidam, quòd licèt ſint eo ipſo excommunicati in Bulla Cœnæ, tamèn irregularitatem non incurrant. Ità expreſsè docet Diana *par. 4. tr. 2. reſ. 49. & in ſumm. verb. Irregularitas ex delicto ſub num. 27. cum* Filliucio, & Azorio; idem tenet Mendo *Epit. Opin. moral. verb. Irregularitas num.* 18. & pro ſe citat Sotum, Medinam, Cordubam, Cornejum, Sayrum, Sà, Avilã, & Dian. quibus ego addo Andreã à Matre Dei *in curſu Theol. moral. tom. 2. tract. 10. cap. 7. pun. 8. n.* 79. qui allegat alios, & hanc ſententiam probabilem vocat Bonac. *de cenſu. diſ. 7. q. 3. pun. 7. n. 2.* & ratio horũ eſt, quia nulla irregularitas contrahitur, niſi ſit in jure expreſſa, ut habetur *ex cap. Is qui, de ſent. excom. in 6.* ſed nullo jure habetur præfatos eſſe irregulares quando ſunt occulti; Ergo &c. Nam hæretici, & Apoſtatæ à fide quando publici ſunt, ideò fiunt irregulares, quia eo ipſo efficiũtur infames ratione notorietatis criminis; At infamia non contrahitur, quando delictum eſt occultum, ergo minimè cenſendi ſunt irregulares, ſi erunt occulti. His tamèn non obſtantibus, ſententia affirmativa eſt probabilior, & ſequenda, & illam amplectitur præter Bonac. *loco cit.* Theſaurus *in praxi par. 2. verb. Hæreſis exter. cap. 1. n. 1.* Leander *par. 5. de Irregul. tra. 2. diſp. 24. quæſt. 3.* & Sacra Pænitentiaria Romana. Verum eſt tamen, quòd Epiſcopus poteſt cum eis diſpenſare, licèt ab excommunicatione eos abſolvere nequeat. Ità Mendo, & Leander *locis cit.* Boſſius de Jubilæo *ſect. 1. caſ. 10.* §. 8. Diana *par. 7. tr. 2. reſ. 25.* & alij communiter.

992 Inter. 14. Proptèr hæreſim, incurriturne irregularitas ſi fuerit occulta? & poteſtne Epiſcop. ſuper illã diſpẽſare?

Reſp. Docui *in Reſponſione ad Inter. antecedentem,* affirmativam ſententiam tanquam probabiliorem eſſe tenendam, & iterum eam doceo cum Doctoribus, quos citat Diana *par. 9. tract. 15. reſ.* 24. nec ſententia declaratoria requiritur ad irreglaritatem, nam ipſo jure incurritur. Ità etiam docui ibidem poſſe Epiſcopum ſuper illa diſpenſare, & hoc etiam nunc aſſero cum ipſo Diana, quia Bulla Cœnæ tantùm revocat facultatem abſolvendi ab excommunicatione, quæ ob

hære-

hæreſim contrahitur, at de diſpenſatione nullum verbum facit, & ſic non eſt facienda deductio ex una ad alteram. Vide ipſum Dianam *loco cit.* & *par.* 7. *tract.* 2. *reſ.* 25. qui alios id aſſerentes refert. Vide etiam Bonac. *de Cenſu. diſp.* 7. *quæſt.* 3. *pun.* 7. *n.* 3.

993 Inter. 15. Hæreticus non denunciatus poteſtne Eccleſiaſtica ſepultura privari, & ſi in Eccleſia ſepeliatur, polluiturne Eccleſia, & quam pœnam incurrit hæreticum ſepeliens?

Reſp. Quoad primam partem dico, quòd non deſunt Doctores aſſerentes hæreticum non denunciatum, præſertim ſi notorius non ſit, poſſe tradi ſepulturæ ſacræ. Doctores id aſſerentes refert, & ſequitur Lezana *to.* 4. *conſ.* 49. *num.* 22. & *ſeqq.* alios citat Diana *par.* 9. *tract.* 8. *reſol.* 1. Ipſe tamen cũ Filliucio, & Trullench tenet, ut Hæreticus ſit privatus Eccleſiaſtica ſepultura, neceſſarium non eſſe, ut ſit nominatim denunciatus, ſed ſatis eſſe manifeſtè conſtare ipſius hæreſim, quia hoc ſpecialiter cautum eſt in hæreticis propter criminis notorietatem, tamen debet ita notoriè decedere, ut nulla tergiverſatione ejus malitia celari poſſit, alias privari non debet ſepultura Eccleſiaſtica: Verùm ſi non obſtante notorietate, quis illum in loco ſacro ſepeliret, excommunicationem incurreret, & ſuſpectus de hæreſi redderetur, ut habetur *ex cap. Quicumque de hæreticis in* 6. & ibi Gloſ. Quod autem pertinet ad ſecundam partem quæſiti, nempè ſi Eccleſia, in qua ſepelitur hæreticus non denunciatus, remaneat polluta, dico cum communi quòd non; quia Eccleſia non polluitur, niſi per ſepulturam excommunicati vitandi, ut rectè probant, alijs citatis, Diana, Lezana *ubi ſupra*. Et ratio eſt, quia non debemus communicare mortuo, cui non communicamus vivo, ideoque non debemus celebrare miſſas, & divina officia, ubi ille jacet mortuus, & tumulatus, ſicut non debuimus celebrare, ubi ille extitit vivus. Secus autem dicendum eſt de excommunicato, non denunciato, cum quo poſſumus communicare in vita, & in morte, ut patet eo Concilio Conſtantienſe, quod incipit, *Ad evitanda*.

994 Inter. 16. Quinam ſunt, qui tanquam hæretici debent condemnari propter expreſſam Dæmonis invocationem, aut ex pacto expreſſo inito cum illo?

Reſp. Quoties quis latriæ, vel duliæ cultum Diabolo exhibet ad divinandum, aut aliquod ſortilegium, ſeù maleficium perpetrandum, ut dicam *infrà in tit.* 215. *de Superſtitionibus, ad Inter.* 17. eſt de hæreſi vehementer ſuſpectus, & tanquã hæreticus eſt denunciandus Inquiſitoribus, & ab ipſis poteſt, & debet puniri; Nam vanæ obſervationes, ſortilegia, & divinationes, quæ fiunt cum pacto expreſſo cum Dæmone, hæreſim ſapiunt manifeſtam, ut docent Doctores communiter. Undè quoties in divinationibus, ſortilegiis & alijs ſuperſtitioſis actibus latriæ cultus Dæmoni exhibetur, eidem thura adolendo, ſacrificia offerendo, candelas accendendo, genua flectendo, proſtratione faciendo, preces effundendo, ſe illi devovendo, obedientiam promittendo, per certum Dæmonem jurando, laudes Dæmonum cantando, certis veſtibus ſe induendo, per characteres, ſigna, & ignota nomina obſecrando, Aves, aliaque ſimilia Animalia immolando, ſanguinem ex ſe emittendo, eſt ſignum manifeſtum hæreſis, & tanquã hæretici ſunt puniendi, qui ita agũt; Imò ſufficit ad hoc, ut quis Hæreticus cenſeatur, quòd ſolum cultum duliæ Dæmoni exhibeat. Vide Carenam *de Offic. S. Inquiſ. par.* 2. *titul.* 12. §. 4. *num.* 28.

995 Inter. 17. Quid eſt abjuratio?

Reſp. Abjuratio non eſt aliud quã recedere ab aliqua re cum Juramento de non redeundo ad illam. Diana *in Sum. verb. Abjurare num.* 1. Undè abjurare idem eſt, ac penitùs renun-

Digitized by Google

tiare malum cum juramento, ut habet Gloſ. *in cap. Accuſatus* 8. *in figuratione caſus de hæreticis in* 6. Vel ut probat Navar. *lib.* 5. *conſ. tit. de hæret. conſ.* 18. *num.* 1. Abjuratio propriè loquendo, eſt receſſio ab hæreſi cum juramento de non redeundo ad illam'*&* *num.* 6. docet duplicem eſſe abjurationem unam, quæ fit ad hoc ut reus miſericordiam conſequatur, alteram verò ad hoc, ut ſuſpectus da hæreſi ſe purget, & innocentiam oſtendat.

Quær. An Clericus, vel Sacerdos, qui lapſus eſt in hæreſim poſſit poſt pœnitentiam, & abjurationem, ſuſceptos Ordines abſque diſpenſatione exercere, & quis poſſit cum eis diſpenſare?

Reſp. Certum eſt quòd qui lapſi ſunt in hæreſim, vel Apoſtaſiam à fide, ſicuti eorum fautores, receptatores, & defenſores fiunt irregulares, ut patet *ex cap. Presbyteros diſt.* 50. *c. qui in qualibet, cap. Saluberrimum* 1. *quæſt.* 7. *&* *cap.* 2. *de hæreticis in* 6. ideò omninò indigent diſpenſatione, ſed cum hac differentia, quòd Clericus poteſt diſpenſari ab Epiſcopo quoad uſum Ordinum ſuſceptorum, quià textus allati id ei permittunt. Quoad uſum verò Sacerdotij in Sacrificio Miſſæ, Solus Papa diſpenſare poteſt, nam Sanctarellus *in tract. de hæreſi cap.* 25. *dub.* 1. *num.* 3. *&* 6. Pegna *in Direct. Inquiſit. par.* 3. *comment.* 175. aſſerunt B. Pium V. anno 1567. Prohibuiſſe Inquiſitori Generali Hiſpaniarum, ut non poſſit cum Sacerdotibus hæreticis pœnitentibus diſpenſare, ut Miſſam celebrent: Idem docet Suarez *de cenſu. diſp.* 43. *ſect.* 1. *num.* 6. Vide Lezanam *tom.* 3. *verb. Irregularitas ſub num.* 62. Dianam *par.* 4. *tract.* 2. *reſ.* 48. §. *Notandum*, & alios penès ipſos, & ità omninò tenendum eſſe puto, quià cum celebratio Miſſæ ſit res graviſſima, videtur Pontifici Maximo reſervata; Quarè nec Epiſcopi, nec Inquiſitores diſpenſare poſſunt quoad uſum Sacerdotij in Sacrificio Altaris, benè tamen quoad uſum inferiorum Ordinum ſuſceptorum: Unde qui abjuravit hæreſim, & de formali, non poteſt ſuſceptos ordines abſque diſpenſatione Epiſcopi, vel Papæ exercere ſed reſpectivè, ut dixi, nec audiendi ſunt, qui oppoſitum docent. Vide igitur Armillam *verb. Irregularitas num.* 83. Em. Sà *verb. Hæreſis num.* 5. *in addit.* & iterum Dianam *par.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 38.

TITULUS CIII.

De Homicidio.

Vide tit. de Confeſſar. Inter. 20. *tit. de Deb. ex Contrac. Inter.* 3. *tit. de Defenſ. bon. temp. tit. de Defenſ. bon. Inter.* 2. 3. 4. *tit. de Defenſ. pudic. Inter.* 1. *tit. de Defenſ. vit. prox. Inter.* 1. 2. *tit. de Duell. Int.* 5 *tit. de Eccl. Immun. Int.* 7. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 18. 20. 21. 22. 23. 24. 33. *tit. de Eccl. pollut. Inter.* 8. 9. 10. 12. *tit. Eleem. Inter.* 4. 5. *tit de Excom. ob Cler. percuſ. Inter.* 11. 18. 19. 21. 22. 23. 24. *tit. de Infam. Int.* 3. *tit. de Injuſt. Inter.* 1. *tit. de Irregul. Inter.* 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 21. 22. *tit. de Mandat. Inter.* 1. 3. 4. *tit. de Paroch. Inter.* 11. *tit. de Peccat. Inter.* 19. 20. 26. *tit. de Pœn. Inter.* 8. *tit. de Puer. Int.* 7. *tit. de Reſt. dam. Int.* 5. 6. *tit. de Revel. ſecr. Inter.* 3. *tit. de Satisf. pœn. Inter.* 12. *tit. de Val. Sac. Matr. Inter.* 8. 9. 10. *tit. de Uxor. Inter.* 3.

996 INter. 1. Quodnàm dicitur homicidium proditorium, quod privat immunitate Eccleſiæ?

Reſp. Illud dicitur homicidium proditorium, quandò occiſus non potuit præcavere, vel quià nulla inimicitia, aut rancor præceſſerat inter ipſum, & proditorem, vel quià cum, ipſo amicitiam ſimulabat, vel tandem quià doloſè ſeductus fuit, ut occideretur. Undè qui alterum, cui ſe tanquàm ſocium, & amicum in via adjuxerat, nulla rixæ cauſa interveniente, occidit, eſt proditor, nec immunitate Eccleſiarum gaudet. Bonac. *de Legibus, diſp.* 3. *quæſt.* 7. *pun.* 6. §. 3. *num.*

num. 2. *&* 3. Lezana *tom.* 2. *verb. Immunitas Eccleſ. num.* 12. Diana *par.* 1. *tract.* 1. *reſol.* 5. & alij communiter.

997 Inter. 2. Qui ratum habet homicidium nomine ſuo factum, contrahitne irregularitatem ex homicidio provenientem?

Reſp. Minimè quia hoc jure cautum non eſt, ſicut de excommunicatione contra illum, qui ratificat necē in perſonam Clerici nomine ſuo factam, & ſic non ſolum non incurrit irregularitatem, ſed neque cæteras juris pœnas. Diana *par.* 4. *tr.* 2. *reſ.* 13. & alij ab ipſo relati, licèt Nav. *c.* 27. *ſub n.* 233. & alii apud Dian. *loc. cit. oppoſitū teneant.*

998 Inter. 3. Eſtne cenſendus reus homicidij Pater, vel Dominus, qui injuriam ab aliquo recepit, & dixit Filio, aut Famulo, Domum ne redeas, donec, aliquid novi de te audiam?

Reſp. Si Filius, aut Famulus hoc audito, occidit eum, qui Patrem, vel Dominum injurijs affecit, certiſſimum eſt Patrem, vel Dominum eſſe reum homicidij, & irregularitatis, & ratio eſt quia cenſetur tacitè mandaſſe homicidium Filio, vel Servo ſuo: Eſt communis Sententia teſte Bonac. *de irregul. diſp.* 7. *quæſt.* 4. *pun.* 8. *num.* 16. Immò ſi tale homicidium ſequatur in perſonam Clerici, non ſolum irregularitatē, ſed etiam excommunicationē incurrit, ut cōmunis ſententia docet.

999 Inter. 4. Licetne Marito occidere Uxorem, aut Patri Filiam adulteram?

Reſp. Occidere in Adulterio deprehenſam Uxorem, vel Filiam, itéque Adulterum in foro conſcientiæ non licet. Navar. *in Man. c.* 15. *n.* 4. *v. Addimus item* Em. Sà *verb. Homicidiū n.* 14. Bon. *de Reſtit. diſ.* 2. *q. ult. ſect.* 1. *pun.* 2. *n.* 5. & alii pluresp enes ipſum. Vide quę *dicam tit.* 89. *Inter.* 21. de excōmunicatione ob Clerici percuſſionem. Imò nota, eſſe excommunicatū, qui dicit, & defendit non peccare maritum occidentem propria auctoritate Uxorem in Adulterio deprehenſam; nam eſt propoſitio 19. damnata in Decreto Alexand. VII. emanato anno 1665 Siquidem mortaliter peccat, niſi tradatur illi à Judice occidenda juris ordine ſervato. Sa, *ubi ſupra num.* 13. Bonac. ibidem, & dummodo id faciat non ex odio, ſed zelo juſtitiæ, Vide Tolet. *lib.* 5. *c.* 6. *n.* 10. *in fine & n.* 13. & ea, quæ dicam *in tit.* 228. *de Validitate Sacramenti Matrimonii ad Inter.* 8.

1000 Inter. 5. Eſtne licitum Marito ſecundum Jus civile occidere Uxorē in adulterio deprehenſam?

Reſp. Caſſianus à S. Elia *in Arbor. opin. moral. verb. Adulterium* §. 1. *n.* 19. aſſerit, quod ſecundum Jus Codicis non datur Marito facultas occidendi coniugem, ſed adulterum, & quod Uxorem accuſet; Imò adulteram Uxorem occidens amittit bona, quæ ob adulterium lucratus fuiſſet, & etiam tenetur ad damna hæredùm ipſius Occiſi, ut docet Victorellus in addit. ad Emm. Sà *ver. Homicidium ſub num.* 14. ſed vide infrà *in tit.* 185. *de Reſtitutione accepti, ad Int. ultimam.*

1001 Inter: 6. Eſtne licitum occidedere falſum Accuſatorem, falſoſque Teſtes, à quorum falſa accuſatione, & teſtimonio apud Judicem tibi imminent Vitæ. vel Famæ jactura, ac etiam Judicem, à quo inquam tibi metuis capitis ſententiam?

Reſp. Bannes 2. 2. *quæſt.* 64. *art.* 7. *dub.* 4. Sanchez *lib.* 2. *moral. c.* 39. *n.* 7. Petrus Navar. Rodriquez, & ălii dicunt eſſe licitum, modò alius modus ſe defendendi non ſuppetat, quia hæc non dicitur invaſio, ſed juſta defenſio, nam vim vi repellere licet: Verùm ad hoc, ut quis licitè poſſit alium occidere in ſui defenſionem, duo præcipuè requiruntur: Primò, quòd occiſio fiat in ipſo actu defenſionis, & dum actu vis ſit, & non ante, aut poſtquam vis facta eſt. Secundò, quod ſervetur moderamen, quòd in caſu noſtro non ſervatur, cum ſtatim ad occiſionem diſcendatur; ideoque jure merito tan-

quam falſum, & ſcandaloſum reprobatum fuit oppoſitum ab Alexandro VII. anno 1665. & eſt 18. propoſitio inter ab eodem reprobatas: Vide Leſſium *lib. 2. c. 9. dub. 8. num.* 47. ubi aſſerit præfatam ſententiam nunquam in praxi fuiſſe licitam, neque à Theologis admiſſam, & approbatam: Vide Cabriel. à S. Vincentio *de remed. ignoran. diſp.* 12. *dub.* 18. ubi ſolvit obiectiones: Cabrinum *par.* 2. *caſ.* 1. *annot.* 8. *num.* 36.

1002 Inter. 7. Licètne occidere falſum teſtem euntem ad teſtificandum falſum contra aliquem, ob quam atteſtationem pœna mortis puniretur Innocens?

Reſp. Non deſunt Doctores affirmativam ſententiam tenentes, ut videre licet apud Dianam *par:3. tract.5. reſ. 97 & part. 5. tract. 4. reſ. 7.* Sed in hoc quidem errant, quia ut docent Turrianus, Salonius; Corduba, Sotus, Sylvius, Malderus, & multi alii, dictus teſtis non poteſt dici invaſor, licèt contra ius faciat falſum deponendo; ſed non contra ordinem juris; eſt enim de ratione aggreſſionis, ut contra ordinem Juris iniuriam inferat, ideſt propria auctoritate. Iſte autē non propria actoritate, nec ut privata perſona, ſed per Iudicem Juris ordine ſervato occidit, licèt iniquè; ergo non licet eum occidere prætextu defenſionis, nam oppoſitum, ut dixi in Reſponſione ad Inter. antecedentē. Fuit damnatum ab Alexand. VII. Vide igitur, præter Doctores, quos ibidem adduxi, Coninchum *de actibus ſupernat. diſp.32. dub 2. num.* 12. & Sylvium *n.* 2. 2. *D. Thomæ quæſt.* 64. *art.* 7. *quæſito* 6.

1003 Inter. 8. Eſtne licitum occidere innocentem ad poſtulationem inimici, qui minatur Urbi excidium niſi talis ei tradatur, vel occidatur?

Reſp. Nunquam licet innocentem directè occidere, ut docet S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 74. *ar.* 6. Tamen quia in ca u prædicto non cooperatur directè, ſed ſolum indirectè ad mortem innocentis, ideo communiter docent Doctores licere Reipublicæ ad ſe liberandam tradere innocentem Tyranno, qui eum petit ad necandum, & non vult deſiſtere ab obſidione; Imò tenetur ſe ipſum tradere Tyranno id poſtulanti pro ſalute Patriæ, ſi alia ratione ſalva eſſe non poſſit. Tolet. *lib.* 5. *c.* 6. *n.* 5. *verſ. ſecundus eſt*, & hoc etiam ei à Republica præcipi, & ad hoc cogi poteſt, quia bonum commune ita exigit: Cui autem ſi contumaciter reſiſtat, an poſſit à Republica occidi, non conveniunt Doctores; Quidam enim affirmant, quia talis reverà non eſt amplius innocens, ſed maximus nocens; Alii verò probabilius negant, ut videre licet apud Bonac. *de Reſt. diſp.* 2. *quæſt. ult. ſect.* 1. *pun.* 7. *n.* 1. Dian. *par.* 5. *tr.* 4. *reſ.* 23. cum homicidium innocentis ſit res intrinſecè mala, & ex obiecto, conſequenter peccaminoſa: nam in Exodo *cap.* 23. dicitur. Inſontem, & juſtum, non occides, ergò propriis manibus illum interficere non licet. ſed debet ab Urbe expelli, quod eſt actus ex ſui natura indifferens, quo Tyrannus poteſt benè uti ſi velit. Vide Molinam *tom.* 4. *tract.* 3. *diſp.* 10. *n.* 1. quidquid in contrarium dicat Diana *loco cit. in fine*, dum putat, quòd poſſit occidi.

1004 Inter. 9 Eſtne licitum occidere Sagam, vel Maleficum, ſi tollere maleficium nolit, quando non ſuppetit alia via?

Reſp. Nullus privata auctoritate poteſt Maleficum occidere; quia occiſio ipſius Sagæ, aut Malefici, non eſt medium ad illud maleficium tollēdum; unde non valet illa regula vim vi repellere licet; licebit tamen tunc verberibus illum, & metu mortis afficere, ut maleficium tollat, nam hoc eſt uti Jure defenſionis, ut ab injuria ceſſet: dummodò tamen putetur poſſe maleficium ſolvere ſine novo maleficio, ut dicam in tit 215. de Superſtitionibus, ad Int. 6. & docet Card. de Lugo *de juſt. tom.* 1. *diſp.* 10. *ſect.* 7. *n.* 162. Sed

162. Sed

162. Sed hoc intelligendum eſt quando non patet recurſus ad Judicem, aut aliud remedium, & Malefica, ſeu Maleficus aſſiduè proſequitur in damno inferendo. Cæterum cogi poſſe Maleficum, & debere à Judice, docent Sanchez *lib. 2. moral cap. 41. n. 24.* & Suarez. *tom. 1. de Relig. lib. 2. de Superſt. cap. 18. num. 7. & 8.* Teſte *eodem* Card. de Lugo *loco ſupra cit.* Vide Dianam *par. 8. tract. 7. reſ. 53.* Stephanū à S. Gregorio *de Contr. lib. 1. cap. 8. num. 13.*

1005 Inter. 10. Eſtne licitum occidere Tyrannum, qui tyrannicè gubernat Provinciam, vel Civitatem, & bona aliena uſurpat?

Reſp. Licèt, quòd occupantem tyrannicè poſſit quivis de populo occidere, ſi aliud non ſit remedium, cum cenſeatur publicus hoſtis, quidam affirment; Tamen quatuor Conditiones requiruntur. Prima, ut non pateat recurſus ad Superiorem; Secunda ut conſtet eſſe Tyrannum titulo Imperii; Tertia, ut conſtet de voluntate ſaltem præſumpta Reipublicæ cupientis mortem; Quarta, ut non timeatur majora mala ab ejus ſucceſſoribus. Cæterum non licet homini privato interficere legitimum Principem, qui ſolo regimine, & adminiſtratione eſt Tyrannus, ut pluribus citatis, & de communi firmat Bonac. *de Reſt. diſp. 2. q. ult. ſect. 1. pun. 3. num. 1. 2. & 3.* Quare in Conc. Conſtantienſi *ſeſſ. 5.* publicè damnatus fuit articulus iſte. Quilibet Tirannus poteſt, & debet meritoriè occidi per quemcumque Vaſſallū ſuum, & Subditum, etiam per clanculares inſidias, & ſubtiles blanditias, vel adulationes, non obſtante quocūque præſtito juramento, ſeu confœderatione factis cum eo non expectata ſententia, vel mandato Judicis cujuſcumque. Ità refert Nicolius *in Floſ. verb. Occiſio nu. 5.* Vide etiam Em. Sà *verb.* Tyrannus, & alios Summiſtas, & præſertim Dian. *par. 5. tr. 4. reſ. 21.* & Tolet. *lib. 5. c. 6. num. 10.*

TITULUS CIV.

De Horis Canonicis, & Officio Divino.

Vide tit. de Attent. tit. de Beneficiar. &c. Int. 13. 14. 15. 16. tit. de Benef. plur. Int. 5. tit. de Confeſ. Sacr. Int. 21. tit. de Diſpenſ. Int. 10. tit. de Excomm. &c. Int. 3. 4. & 5. tit. de Infirm. ad quæſ. tit. de Mat. Int. 1. tit. de Peccat. Int. 17. 27. tit. de Præt. aud. Sacr. Int. 6. tit. de Præl. Reg. Int. 4. tit. de Regul. &c. Int. 9. 62. tit. de Reſt. accept. Int. 6. 7. 8. 9. 10. tit. de Suſpenſ. Int. 5. tit. de Verb. Inter. 2. 3:

1006 INterr. 1. Qui recipit Beneficium per Simoniam, vel exiſtens excommunicatus, aut irregularis, teneturne perſolvere Horas Canonicas?

Reſp. Sanchez *in Opuſc. tom. 1. lib. 2. cap. 2. dub. 73. num. 5.* apud Dianam *par. 9. tr. 9. reſ. 22. verſ. nota hic obiter*, docet non teneri, quia non habet titulum verum Beneficii, nec facit fructus ſuos; & ità fuiſſe reſolutum Salmanticæ à Patribus Societatis Jeſu teſtatur. Et benè advertit, quòd ſi hic deberet petere in tali caſu revalidationem, & fructuum compoſitionem, ſi non recitavit, deberet etiam explicare illam conditionem in compoſitione, aliàs teneretur iterum componere ſe de fructibus ob illam cauſam. Nota tamen, quòd licèt non teneatur recitare officium divinum, ratione beneficii, tenebitur nihilominus ratione Ordinis Sacri, ſi quos haberet, prout eſt in confeſſo apud omnes ſcribentes.

1007 Inter. 2. Clerici Sacris Ordinibus initiati, qui tempore Litaniarum, & Rogationum non interſunt Proceſſionibus, quæ publicè fiunt, tenenturne privatim Litanias ſub mortali recitare?

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Dicunt quidam, cum quibus ſentit Diana *par.* 2. *tr.* 12. *reſ.* 42. non teneri ſub mortali, ſed hoc ab aliis non admittitur, & benè quidem, nam litaniæ ſunt pars divini Officii eo die recitandi, & ob alias rationes, quas refert Bonac. *de Hor. Can. diſp.* 1. *q.* 3. *pun.* 2. *num.* 13. & ità docet etiam Suarez *de Relig. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 25. *num.* 7. Tannerus in 2. 2. D. Thomæ *diſp.* 5. *qu.* 1. *dub.* 5. *num.* 148. Gavantus *in comm. ad Rubr. Miſſ. tom.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 16. *num.* 3. & Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 23. *cap.* 8. *num.* 243. Imò qui tenetur ratione Beneficii perſolvere Horas Canonicas, ſi hujuſmodi Litanias, & preces non recitant, tenentur etiam ad reſtitutionem pro rata Divini Officii, ſaltem poſita materia gravi, ut docet ipſe Bonacina *loco cit.* Vide quæ dicam infrà in hoc titulo ad Int. 11. in fin. & in tit. 185. de Reſtitut. accepti ad Int. 7.

1008 Inter. 3. Religioſi profeſſi, qui non habent Sac. Ordines, & Moniales, peccantne mortaliter ſi non perſolvunt Horas Canonicas extra Chorum?

Reſp. Dico, quòd tam Religioſi profeſſi, quàm Moniales deputatæ ad chorum, ſi a choro abſunt, tenentur ſub onere peccati mortalis, privatim horas Canonicas perſolvere, etiamſi ex vi Regulæ, vel voti ſpeciale præceptum non habeant, quia conſuetudo, quæ vim legis habet, ad culpam mortalem illos, & illas proculdubio obligat, ut concors Scholaſticorum, & Canoniſtarum ſententia docet, teſte Peyr. *in comm. ad regul. Minim. cap.* 4. §. 12. *qu.* 1. *num.* 3. & hæc eſt ſententia communis, ut videre licet apud Dianam *par.* 2. *tr.* 12. *reſ.* 17. & *par.* 9. *tr.* 6. *reſ.* 7. & *par.* 10. *tr.* 11. *reſ.* 45. à qua non eſt recedendum, nec audiendi ſunt qui oppoſitum tradunt; nam qui contra omnes loquitur, non benè loquitur, ut ait ipſe Diana. Vide Bonacin. *de hor. Can. diſp.* 1. *qu.* 2. *pu.* 2. *num.* 1. & *ſeqq.* Em. Sà *verb. Hor. Canon. ſub num.* 1.

1009 Inter. 4. Concionatores quotidiani, & Confeſſarii, qui per unum integrum diem, vel per plures dies defatigantur in excipiendis Confeſſionibus, excuſanturne à recitatione horarum Canonicarum?

Reſp. Dico primò, Officium Divinum, cum ſit maximè proprium Clerico in Sacris conſtituto, non eſt prætermittendum, niſi gravi urgenti neceſsitate, ut aliud fieri non poſsit. Urgens autem neceſsitas illa dicitur, ſi in aliquo, v. g. die feſto, vel in obitu alicujus perſonæ inſignis eſſet concionandum: Si autem non ſit talis neceſſitas, ſed electio, puta quia voluntariè Concionator ſuſcipit tale munus, excuſari non poteſt, quia non neceſſitate, ſed voluntariè impeditur, ac proinde volens hujuſmodi munus, & officium, implicitè cenſetur velle omiſsionem Horarum Canonicarum; ideòque peccat mortaliter ſi non perſolvit Officium Divinum. Ità contra Bordonum cum Suarez *de Relig. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 28. *num.* 33. Filliucio *to.* 2. *tr.* 23. *cap.* 9. *num.* 24. Perſico *de Horis Can. cap.* 12. *cauſa* 3. *dub.* 1. *num.* 5. & aliis firmat Diana *par.* 10. *tr.* 11. *reſ.* 32. Vide quæ dixi ſupra in tit. 40. de Concionatoribus, & Concionibus ad Int. 5. loquens, an Concionator excuſetur à jejunio. Dico 2. quòd ipſe Bord. *in Conſiliis Regul. tom.* 2. *reſ.* 70. *qu.* 6. *num.* 18. licèt excuſet Concionatores à recitatione Canonicarum precum, tamen non excuſat Confeſſarios, & hoc rectè dicit, nam Confeſſarius qui ſummo mane prævidet, ut toto ſequenti tempore detinendus ſit in Confeſſionibus audiendis, tenetur Officium anticipatè recitare, vel in nocte, cum Sacramentum pænitentiæ ſolùm de die adminiſtrari poſſit & ſoleat, præcipuè mulieribus; ergò quoties viget obligatio præcepti recitandi Officium, & poteſt adimpleri, adimplenda eſt. Vide Bonacinam *de Hor. Can. diſp.* 1. *qu.* 4. *pun.* 2. *n.* 2. Concludendum eſt igitur cum Perſico lo-

co *loc. cit.* quòd licèt Officium docendi, concionandi, & audiendi Confeſſiones non ſit alienum à Sacerdote, vel Religioſo, ſi tamem propter incapacitatem perſonæ non poſſit Officium recitare, ut illi muneri ſatisfaciat, peccet mortaliter, illud voluntarie ſuſcipiendo.

1010 Inter. 5. Qui dubitat an recitatio Divini Officii valde nocitura ſi valetudini, quid facere debet in tali caſu?

Reſp. Dico, quòd debet Medicũ conſulere, quia ad ipſum pertinet judicium levitatis, aut gravitatis morbi, nam Peritis ſtandum eſt in rebus ſuæ peritiæ, Layman *lib.* 4. *tr.* 1. *cap.* 6. *n.* 1. Bonac. *de Hor. Can. diſp.* 1. *qu.* 6. *pu.* 1. *num.* 4. & alii quos ipſe citat, & ſequitur: Verum eſt tamen, quòd fugiendi ſunt Medici parùm timorati, & hujuſmodi diſpenſationes facilè concedentes, ut in ſimili docet Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 12. *num.* 29. cum Miranda, & Rodriquez.

1011 Inter. 6. Si verò Medicus ipſe dubitat, an morbus gravis ſit, vel levis, & an recitatio Officii Divini nocitura ſit valetudini, vel non, teneturne in tali caſu ipſe Ægrotus perſolvere horas Canonicas?

Reſp. Quidquid alii ſentiant in hoc caſu, mihi certò ſatis probabile videtur, non teneri, quia non debet ſe periculo gravis damni exponere. Ita Bonac. *loc. cit. num.* 5. cui etiam ſubſcribit Diana *par.* 2. *tr.* 12. *reſ.* 28. Tamen ad tollendos ſcrupulos, dico, quòd meliùs ſit recurrere ad Superiorem pro diſpenſatione, ut docent Filliuc. Malderus, & Villalobos apud Dian. *loc. cit.* Nam, quando cauſa eſt dubia, Prælatus diſpenſando facit juſtam, prout de jejunio tradunt Navar. *cap.* 21. *num.* 22. Lezana *tom.* 3. *verb. Jejunium num.* 12. Diana *in Sum. verb. Jejun. num.* 38. *& alii*: Imò ad diſpenſandum ſufficit, putare cauſam eſſe rationabilem, ut inquit Em. Sà *verb. Diſpenſ. num.* 4. & ità Prælatus facilè diſpenſare poteſt, & Subditus tuta conſcientia illa diſpenſatione frui: Vide Dianam *par.* 1. *tr.* 9. *reſ.* 15. ubi idem docet.

1012 Inter. 7. Qui propter infirmitatem, vel aliam juſtam cauſam non poteſt recitare Matutinum cum Laudibus, vel totum Officium, teneturne ſaltem illam partem recitare, quam commodè poteſt?

Reſp. Rodriquez, Molfeſius, Garzias, & alii penès Bonac. *de Hor. Can. diſp.* 1. *qu.* 6. *pun.* 2. *ſub num.* 6. & alii apud Dian. *par.* 2. *tr.* 12. *reſ.* 29. abſolutè tradunt, non teneri, quia licèt Matutinum cum Laudibus non ſit major pars Officii Divini, nihilominus eſt pars illius præcipua: Undè qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad ſe minorem, ſic aſſerit Caſtropalaus allegatus per Dian. *par.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 225. Vide etiam Dian. *par.* 7. *tr.* 11. *reſ.* 13. Verùm hæc opinio nullam habet probabilitatem, quia, qui totum Officium recitare nequit, ſaltem tenetur ad illam partem, quam commodè poteſt, ut rectè docet Suarez *de Rel. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 28. *num.* 22. *&* 27. Lezana *de qq. Reg. tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 12. *num.* 27. & alii, nec aliter affirmari poteſt poſt Decretum Innoc. XI. editum anno 1679. in quo fuit condemnata propoſitio 54. quæ ſic aſſerebat: Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad ſe minorem.

1013 Inter. 8. Canonicus, vel Religioſus, qui tenetur Choro aſſiſtere, ſatisfacitne præcepto recitandi Divinum Officium, ſi audiat ſocios canentes ſuam partem, & ipſe ſuos verſiculos ſubmiſſa voce recitet?

Reſp. Certè ſatisfacit, nam ipſe recitat ſuam partem, & communicat in parte ſociorum communicantium ſibi ſuam partem, quamvis ipſe ſubmiſsè recitando, non communicet ſuam partem ſociis. Ità docent Suar. *de Rel.*

Rel. tom. 2. *lib.* 4. *cap.* 12. *num.* 6. *& ſeqq.* Navarr. *de Orat. cap.* 10. *num.* 47 Tabiena, Molfeſius, Petrus Navarra, Leſſius & Filliucius, quos refert, & ſequitur Bonac. *de Horis Can. diſp.* 1. *qu.* 3. *pun.* 2. §. 1. *num.* 16. & eſt communis ſententia, teſte Diana, *par.* 2. *tr.* 12. *reſ.* 33. *in princ.* Si verò ipſe, ſaltem ſubmiſſa voce, ſuos verſiculos non recitat, utiquè ſatisfacere non videtur. Verum eſt tamen, quòd licèt Canonicus, vel Beneficiarius hoc modo ſatisfaciat obligationi Divini Officii, tamen debito Chori ſervitio non ſatisfacit, & conſequenter, niſi mediam partem diſtributionum percipere poteſt, ſed vide Bonac. *ubi ſupra num.* 17. *per totum*, & Dianam *loco citato*.

1014 Inter. 9. Canonicus, vel Religioſus Surdus, qui aſſiſtit Choro, & cum aliis Divinum Officium recitat, ſatisfacitne obligationi recitandi Officium, ſi partem, quam alter Chorus recitat non poteſt percipere, quamvis attendat?

Reſp. Duplex eſt DD. ſententia, una enim affirmat, altera verò negat, & dicit non ſatisfacere, ſed teneri ſupplere, & poſtquam ſuppleverit; non ſolùm poſſe fructus Beneficii percipere, verùm etiam diſtributiones. Rationes pro hac ſententia refert Bonac. *de Horis Canon. diſp.* 1. *qu.* 3. *pun.* 2. *num.* 20. Bordonus *in Conſ. Regul. to.* 2. *reſ.* 77. *num.* 39. Caſſianus à S. Elia *in Arbor. opin. moral. verb. Audiens* §. 4. *num.* 39. *&* 43. & alii penès ipſos, & reverà probabilis eſt iſta ſententia: Sed probabilis eſt etiam altera, quæ docet ſatisfacere, nec teneri ſupplere, nam verè canit cum aliis, ut ſuppono, & quòd non poſsit percipere quæ ab aliis dicuntur, eſt per accidens, & per ipſum non ſtat quin in Choro recitet quantum poteſt, alioquin nimis gravari videretur, cum per ipſum non ſtet, quin Horas Can. perſolvat quantum poteſt, & non videtur ad quidquam aliud ex rigore obligandus. Ità docet Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 28. *num.* 18. Eſcobar à Corro, & Rocafulla, quos refert, & ſequitur Dian. *par.* 9. *tr.* 9. *reſ.* 28. Tamen primam ſententiam puto probabiliorem in praxi. Vide Rotarium *de Exam. Cler. cap.* 4. *ſect.* 3. *num.* 33.

1015 Inter. 10 Quot Canonici, aut Regulares debent eſſe in Choro pro cantandis horis Canonicis, ut ſuis ſatisfaciant obligationibus?

Reſp. Debet adeſſe in Choro numerus competens, qui conſtituitur ſaltem ex quatuor, nam quatuor ſufficiunt ad conſtituendum Chorum, ut docet Carolus Macignus *in tract. de hor. Can. cap.* 56. *num.* 24. quem ſequuntur Bonac. *de hor. Can. diſp.* 2. *quæſt.* 1. *pun.* 2. *ſub num.* 1. Diana *par.* 2. *tr.* 12. *reſ.* 31. *in fin.* & Lezana *tom.* 2. *verb. Officium Divinum ſub num.* 7. Immò Diana *par.* 6. *tr.* 8. *reſ.* 12. *propè fin.* aſſerit ex Bordono *in Conſ. Regul. reſ.* 30. *qu.* 4. *num.* 8. quòd in parvis Conventibus ad minus requiruntur quatuor pro cantandis horis Canonicis in Choro, addens ex ipſo Bordono, quòd ut plurimum excuſantur etiã quatuor, aut quinque reſidentes, ex eo, quia obligatio, quam habent Regulares recitandi horas canonicas in Choro, non ità ſtrictè obligat illos, ſicut Beneficiarios, quamquam ipſe Diana ibidem teſtetur, nonnullos alios Auctores docere Regulares quando ſunt quatuor in Conventibus parvis, teneri ad Divinum Officium perſolvendum in Choro, & ità puto tenendum in praxi, & multò magis, ſi in aliquo Conventu ex Fundatoris voluntate, teſtamento, pacto, legato, Eleemoſyna, ſeù Cappellania ad id ſe obligarunt; Nam licèt ibidem numerus quaternarius quandoque non reperiatur, ratione tamen pacti, vel promiſsionis tenentur juxta eorum poſsibilitatem ſuis obligationibus ſatisfacere ſub pœna peccati mortalis, atque obligatione reſtitutionis, ut rectè docet idem Lezana

loco

loco ſupra citato. Cæterùm in Conventibus, ſeù Monaſteriis, in quibus numerus Religioſorum competens adeſt, minus quàm quatuor non ſatisfaciunt obligationi canendi horas canonicas in Choro, quia *quatuor* conſtituunt Chorum, & non duo, vel tres, ut dicunt quidam; Nam ſi quatuor ſufficiunt ad conſtituendum chorum, ut dixi ſupra, ſequitur profectò, quòd minus quàm quatuor non ſufficiant, licèt ſatis ſint in parvis Conventibus propter paucitatem Religioſorum ibidem exiſtentium, ne ſupra vires graventur; & ità puto eſſe intelligendum Dianam *par.* 11. *tr.*2. *reſ.*10.*propè fin. verſ. Et tandem*. Denique notandum eſt, hanc obligationem, quam habent Religioſi, canendi quotidie publicè in Choro, eſſe ſub onere peccati mortalis, ut de communi Theologorum ſententia teſtatur idem Diana *par.* 10. *tract.* 14. *reſ.* 3. ſed vide in tit. 175. de Prælatis Regularibus ad Inter. 29.

1016 Inter. 11. Peccatne mortalitèr qui non recitat Officium Defunctorũ die 2. Novemb.

Reſp. Quilibet Sacris Ordinibus initiatus, vel obligatus ex alio capite ad perſolvendas Horas Canonicas peccat mortaliter ſi præfata die 2. Novembris Officium Defunctorum non recitat, nam eſt Officium proprium illius diei, & ita docent DD. communiter, ut videre licet apud Dianam *par.* 4. *tract.* 4. *reſ. ult.* Imò ipſe Diana *par.* 9. *tract.* 7. *reſol.* 29. probabiliter putat omittentem Officium Defunctorum, & Officium octavæ Omnium Sanctorum duo peccata committere, quià ſunt diverſa præcepta, ut potè de Officijs diverſis. Dicit tamen, quòd ſi Beneficiarius relinquat illa die Officium Defunctorum, non teneatur ad reſtitutionem, & aſſignat rationem, quam apud ipſum videbis, ſed oppoſitum eſt tenendum. Vide *ſupra in hoc titulo ad Inter.* 2. *&* *infrà in tit.* 185. *de Reſtitutione accepti, ad Inter.* 7.

1017 Inter. 12. Peccatne mortalitèr qui v. g. recitat Primam, ante Matutinum, aut Veſperas antè alias Horas, & non ſervat ordinem ab Eccleſia præſcriptum?

Reſp. Em. Sà *verb. Horæ. Canon. num.* 14. ſic inquit. Ordo Officij poteſt privatim ex cauſa mutari, nempè priùs dici quod poſteriùs dicendum eſt quod ſi ſine cauſa mutetur mortale non eſt; Eſt tamen peccatum veniale: Si autem ex juſta cauſa facit, nullum peccatum committit, nec tenetur repetere, etiamſi abſque cauſa non ſervat ordinem ab Eccleſia præſcritum, quià adimplet præceptum quoad ſubſtantiam. Bonac. *de Horis Canon. diſp.* 1. *quæſt.* 3. *pun.* 4. *num.* 2. Diana *par.* 2. *tract.* 12. *reſ.* 16. qui teſtatur de communi. Vide Toletum *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 1.

1018 Inter. 13. Peccatne mortalitèr qui Divinum Officium recitat cum notabili interruptione inter Pſalmos ejuſdem Horæ, vel Nocturni, vel inter ipſos Pſalmos?

Reſp. Quidam dicunt peccare mortaliter, & præcepto Eccleſiæ non ſatisfacere, ſi notabilis, & longa fiat interruptio ſine juſta cauſa. Unde juxtà hanc ſententiam ſi nolit peccare, tenetur repetere Officium. Alij verò docent non peccare mortalitèr, ſed ſatisfacere præcepto Eccleſ. quoad ſubſtantiã, ſivè adlongũ, ſivè adbrevetẽpus interrumpat, & quamvis ſine juſta cauſa. DD. pro utraque parte referunt Bonac. *ubi ſupra diſp.* 1. *quæſt.* 3. *pun.* 2. §. 1. *num.* 27. *& ſeqq.* & Diana *par.* 2. *tr.* 12. *reſol.* 6. Et hanc poſteriorem ſententiam vocat Bonac. veriorem, & probabiliorem, & reſpondet ad objecta. Unde non audeo illam improbare. Verùm ſi abſque juſta cauſa fiat, non caret culpa veniali, niſi interruptio ſit valdè modica. Vide ergo Bonac. ubi plura invenies ad hoc propoſitum.

1019 Inter. 14. Satisfacitne præcepto recitandi Officium Divinum, qui il-

 lud

lud recitat dum ſe veſtit, vel ſpoliat, vel ambulat, aſpicit campum, aut dum faciem abluit, vel ſternit lectum, aut menſam?

Reſp. Ut Divinum Officium devotè recitetur, requiritur attentio juxtà dicta *in tit. 16. de Attentione, ad Inter.* 1. & 3. qualis attentio eſt duplex, actualis, & virtualis. Actualis dicitur quando actu advertit; Virtualis cum incipit animo dicendi Officium, & attendendi, & poſtea non mutat animum, quamvis non attendat: Ille autem mutat animum, qui advertit ſe non attendere, & vult adhùc ad alia advertere. Hinc fit quòd non poſſit quis dicere Officium, & vacare alijs negotijs, quibus attentio auffertur, puta ſi inter recitandum ſcribat, vel pingat, aut aliud legat, vel incumbat Officijs, & rebus, quibus diſtrahi neceſſe eſt: Tamen quia ea omnia ſupradicta in hoc quæſito fieri poſſunt abſque eo, quod auferatur attentio ad Officium, cum non ſint incompoſſibilia cum attentione interna, ſequitur ſatisfacere præcepto, qui ſcit illas actiones facere poſſe ſine diſtractione ab Oratione, vel non advertit ſe ab Oratione diſtrahi. Vide Sylveſtrum *verb. Hora num.* 13. & 14. Tolet. *lib.* 2. *cap.* 13. *ſub num.* 6. Cajet. 2.2. *q.* 83. *ar.* 13. & præſertim Bonac. *de Horis Canon. diſp.* 1. *q.* 3. *pun.* 2. §. 2. *n.* 12. qui alios concordantes refert. Laudabile tamen eſt, ut quilibet ſe recipiat in aliquem ſecretum locum, aut Oratorium, ibique nihil aliud faciendo, horas perſolvat, ut cum attentione, & reverentia majore illas dicere valeat. Nota etiam neceſſarium non eſſe quando privatim dicitur Officium, illud nudo capite recitare, aut genuflexo, quamvis ſi fiat, decenter fieret, ut docet Toletus, Bonac. *ibidem pun.* 6. *num.* 1. & alij communiter.

1020 Inter. 15. Qui recitat unum officium pro alio, peccatne mortaliter, & ſatisfacitne præcepto recitandi Horas Canonicas? Et quid ſi hoc inadvertenter faciat?

Reſp. Abſolutè, & abſque ulla limitatione reſpondet Dian. *par.* 2. *tract.* 12. *reſ.* 3. mutationem officij, etiam data opera, non eſſe peccatum mortale, quia per talem mutationem non violatur ſubſtantia præcepti, ſed tantùm accidentaliter, & pro hac ſententia alios id aſſerentes adducit. Verùm ſi hæc opinio eſſet vera ſequeretur illum non peccare mortaliter, qui recitat officium valdè breve, relicto alio multo longiori proprio illius diei, puta ſi in die Palmarum recitat Officium Paſchale, ſed hoc eſt falſum omninò, ut patet ex 6. propoſitione reprobata ab Alexan. VII. anno *1666.* Ergo, & id undè ſequitur. Dicendum eſt igitur mutantem ſpontè officium unius diei, in officium alterius, peccare mortaliter, conſequenter præcepto non ſatisfacere, & ratio eſt quia B. Pius V. præcepit officium dici juxtà formam ab ipſo præſcriptam, ſed ad formam illam pertinet diſtributio officij ad tempora, feſtivitates, ſeù ſolemnitates, & dies, ergò tota illa forma de ſe ſub præcepto cadit, & proindè, qui voluntariè illam omittit peccat mortaliter, & non adimplet præceptum. Ità pluribus relatis docet Bonac. *de Horis Can. diſp.* 1. *quæſt.* 3. *pun.* 1. *num.* 17. Cœterum qui inadvertenter recitat unum Officium pro alio non eſt opus omnia repetere, modò eſſet æquivalens in quantitate, vel ferè. Vide Suarez *de Relig. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 23. *num.* 11. ſed ſolum quod fuit, particulare feſti, vel feriæ, ut Hymnos, Atiphonas, Oratines, Tertiam Lectionem, ſi fuit Matutinum, vel Orationem in alijs horis. Tolet. *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 2. ſed qui Officium brevius recitavit, ut ſi de Sancto, cum recitare debuiſſet de Dominica, tenetur compenſationem facere dicendo v.g. novem Pſalmos primi nocturni, nè tanta detur inæqualitas. Layman. *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 5. & ita puto tenendum in caſu quo quis advertat errorem antequam elapſus ſit dies,

quod

Digitized by Google

quod ſi facit, ſatisfacit præcepto, & conſequenter non peccat; ſed vide Bonac. *loco cit. pun. 4. num. 6.*

TITULUS CV.

De Jejunio.

Vide tit. de Caſ. reſer. Inter. 4. tit. de Concionat. &c. Inter. 5. 6. tit. de Delect. mor. Inter. ult. tit. de Diſpenſ. Inter. 10. 13. 14. tit. de Epiſcopat. &c. Inter. 36. tit. de Feſt. dieb. Inter. 6. tit. de Ignor. Inter. ult. tit. de Infirm. Inter. 1. 2. tit. de Jubil. Inter. 3. tit de Parv. mat. Inter. ult. tit. de Peccat. Inter. 11. 12. 14. 15. 16. 17. tit. de Præl. reg. Inter. 5. tit. de Regul. &c. Inter. 55. 56. 57. tit. de Tabac. Inter. 1.

1021 INter. 1. Quotuplex eſt jejunium, & quale jejunium requiritur pro recipienda communione?

Reſp. Duplex eſt Jejunium, ſcilicèt naturale, & Eccleſiaſticum; naturale importat abſtinentiam à qualibet re etiã modica per modum comeſtionis, aut potus. Eccleſiaſticum verò eſt illud, quo præcipitur unica comeſtio in die. Bonac. *de Sac. diſp. 4. q. 6. pun. 2. num. 6.* & alii communiter. Tandèm pro communione, jejunium naturale requiritur, excepta communione pro viatico, quę poteſt ſumi à non jejuno.

1022 Inter. 2. In die jejunii eſtne licitum comedere mala maſſilica, & medica, vuam recentem, & ſimilia extra prandium ad ſedandam ſitim?

Reſp. Affirmant Paſqualigus *in praxi de Jejunio deciſ. 135. num 5. & dec. 138.* Vidal *in Arca Theol. moral. tract. de Jejunio inquiſ. 1. num. 154.* Verùm Paſqualigus locutus eſt cum aliqua formidine; nam reliquit Lectoribus judicium de tali opinione, ſed Vidal ore rotundo illã probabilem eſſe exiſtimat, ut inquit Diana *par 10. tract. 14. reſ. 56.* Dicendum eſt igitur, talé opinionem non eſſe tutam in praxi, ac proindé non eſſe licitum ſine fractione jejunii comedère mala maſſilica, vulgo *Limoni*, & mala medica, vulgo *Aranci*, neque in notabili quantitate vuas recentes ad ſedandam ſitim, quia ut rectè probant Pellizarius *in Man. Regul. tom. 1. tract. 5. cap. 5. num. 8.* & Leander *de præcept. Eccleſiæ tract. 5. diſp. 4. quæſt. 7. & 8.* hæc omnia non habent rationem potus, ſed cibi, conſequenter niſi parvitas materiæ excuſet, frangitur jejunium, & peccatum mortale committitur. Vide Dianam *loco cit. & par. 9. tract. 5. reſ. 14.* qui latè, & perdoctè hanc ſuſtinet ſententiam, & meritò.

1023 Inter. 3. Frangitne jejunium, qui ad ſedandam ſitim in die jejunii ſumit poma, pyra, vel vuam, ſi ſolùm deglutiat ſuccum dentibus expreſſum, rejecta ſubſtantia ſolida ab ore?

Reſp. Non frangere jejunium putat idem Paſqualigus *ubi ſup. deciſ. 135. n. 4.* ſed meliùs Leander *loco ſupracit. quæſt. 9.* reſolvit tale dubium, inquiens videri impoſſibile, quòd quis poſſit ità dentibus conterere poma, pyra, & vuas, ut poſſit deglutire eorum ſuccũ, & non ſubſtantiam àliquam habentem rationem cibi; item conterere poma, pyra, & vuas dentibus, eaque maſticare, & declutire ſuccum ex illis expreſſum, nil aliud eſt, quàm manducare aliquid per modum cibi, ſed hoc eſt, quod frangit jejunium Eccleſiaſticum: ergo non poteſt quis hoc facere ſine fractione jejunii. Quoties igitur ſumantur poma, pyra, vuæ, & ſimilia in quantitate notabili, etiamſi rejiciatur ſubſtantia ſolida ab ore, frãgitur jejunium, & ità tenendum eſt omninò; nam qui contra omnes loquitur, non benè loquitur, ut optimè docet Baldus teſte Diana *par. 10. tr. 14. reſol. 56. verſ. Sed quid.*

1024 Inter. 4. Quænam quantitas cibi in die jejunii licitè ſumi poteſt, ad hoc ne potus noceat? & quid ſi ſæpius modicum cibi ſumatur in die jejunii?

Reſp. Quamvis Paſqualigus *in praxi de jejunio deciſ. 116. num. 6.* dicat, quod

quod regulariter loquendo ſumi poſſit quantitas cibi circa unciam unam; tamen nullatenus eſt ei adhærendum, quia in hoc nimis laxè loquitur, ubi rectè putavit de chocolata non licere, niſi ad ſummum ſextam partem unciæ, deinde concedit ex quocumque alio cibo unciam ferè. Dicendum eſt itaque cum Leandro *de præcept. Eccleſ. tract.* 5. *diſp.* 2. *quæſt.* 19. generaliter loquendo non eſſe licitum ſumere, niſi quantitatem cibi infra dimidiam unciam, quia ut inquit Diana *par.* 10. *tr.* 14. *reſ.*59. *in fine*, hæc quantitas regulariter loquendo, videtur neceſſaria, & ſufficiens, ut potui in ſtômacho commixta impediat ipſius nocumentum. Cavendum tamen eſt, ne ſæpiùs in die jejunii modicum cibi ſumatur ſine juſta cauſa; nam multa modica continuari poſſunt, ut unam notabilem quantitatem ſufficientem ad mortale peccatum conſtituant, ut ex aliis benè advertit Bonac. *de leg. diſp. ult. quæſt.* 1. *pun.* 3. *ſub n.* 4. Gabriel. Beatus *quæſt.* 60. *de peccatis num.* 17. Undè non toties quoties, quis bibit, ei licebit aliquid ſumere, nè potus noceat, ut ex Facundez inquit Diana *part.* 1. *tr.* 9. *reſ.* 24. nam hæc ſententia fuit reprobata ab Alexandro VII. in ſuo decreto *de anno* 1666. & eſt prima propoſitio ibidem condemnata.

1025 Inter. 5. Potus, qui vulgò dicitur chocolatæ ſi ſumatur extra horam prandii in diebus jejunii, frangitne jejunium?

Reſp. Ardua quidem, & difficilis quæſtio eſt iſta, cum pro utraque parte ſint rationes, & auctoritates Doctorum; ut videre eſt apud Dian. *par.* 4. *tract.* 4. *reſ.* 194. Ipſe tamen fatetur adhærere illis, qui docent potionem chocolatæ frangere jejunium, quamvis oppoſitum damnare non audeat; ſed *pa.* 5. *tract.* 5. *reſ.* 11. *verſ. Notandum*, abſolutè tenet potionem in Hiſpania dictam chocolatam, frangere jejunium, niſi excuſetur ex parvitate materiæ; Et hanc affirmativam ſententiam mordicùs ſuſtinet Doctiſſimus Lezan. *tom.* 4. *conſ.* 48. *à num.* 88. *uſq; ad* 96. *incluſivè*, ubi ex profeſſo de hac tractat materia; Imò abſolutè, & luculenter quidem probat videri ſibi improbabilem, ac falſam eſſe opinionem oppoſitam, tum maximè quia potio ex chocolata confecta, non eſt verè potus, ſed potius verè cibus ſubſtãtialiſſimus, & maximè contrariatur fini Eccleſiæ, quæ intendit macerationem corporis: Videatur quæsò Lezana, nam pro ſua tuenda ſententia optimas affert rationes. Puto igitur potionem chocolatæ frangere jejuniũ, niſi in parva quantitate ſumatur, quia ex ſui natura nõ eſt inſtituta ad ſedãdã ſitim, ſed ad expellendã famẽ; licèt ad inſtar potus ſumatur; dixi niſi in parva quantitate, nã etiam in fractione jejunii datur parvitas materiæ, quare Eſcobar *in Theolog. moral. tr.* 1. *exam.* 13. *c.* 3. *num.* 104. tantum unciam unã admittit ne jejunium frangatur, dato quod ſit cibus, ut ego teneo cum Joanne à S. Thoma in Doctrina Chriſtiana *par.* 2. *c.* 10. *pag. mihi* 119. qui hanc ſententiam amplectitur.

1026 Inter. 6. Si prandium multum differatur, poteſtne quivis licitè ſumere aliquid ante illud ad ſublevandam debilitatem ſtomachi?

Reſp. Non ſolum quis ſine fractione jejunii poteſt licitè ſumere modicum cibi, ut ajt Diana *par.* 10. *tr.* 14. *reſ.* 63. *aliàs* 61. ſed etiam, qui legit, & miniſtrat ad menſam, poteſt parum cibi ſumere ad bibendum, ut docent Navar. *in man. c.* 21. *n.* 14. Tol. *lib.* 6. *c.* 2. *ſub n.* 5. Bonac. *de legib. diſp. ult. quæſt.* 1. *pun.* 3. *n.* 10. *verſ. Hinc poteſt*. Diana *par.* 10. *tr.* 14. *reſ.* 61. *Sum.* Diana *verb. Jejun.* Alloza *verb. Jejunii ſect.* 2. *num.* 13. & alii plures penes ipſos. Imò poteſt quilibet per quartam partem horæ ante prandium ſumere cibum ex quocunque genere, & quantitate, dummodo non ſit cibus vetitus. Diana *locis prox. cit.* & ratio eſt, quia illa comeſtio eſt pars unius integræ

græ comeſtionis cum ipſo prandiò, & veluti inceptio ipſius, & ſic cenſetur unica actio moralitèr continuata. Vide infrà in hoc titulo, ad Inter. 8.

1027 Inter. 7. Peccatne mortaliter, qui in diebus jejuniorum notabilitèr anticipat horam comedendi?

Reſp. Quamvis ſæculares non citius, quam paulò ante meridiem debeant prandere, tamen ſi aliquis anticiparet mediam horam, nequaquam mortaliter peccaret imò nec venialiter ſi aliqua, ſubſiſtente cauſa id faceret, ut ſi v. g. facturus eſt iter, vel hoſpites habet, vel negotia expectat, quæ impedient horam prandii; Ità Tolet. *lib. 6. c. 2. ſub num.* 5. Bonac. *de legib. diſp. ult. qu.* 1. *pun.* 4. *n.* 3. Layman *lib.* 4. *tr.* 8. *c.* 1. *n.* 11. Dian. *par.* 1. *tr.* 9. *reſ.* 27. & alii ab ipſo relati. Imò aliqui putant, nec per horā peccare Laicos mortaliter, ſi anticiparent in die jejunii comeſtionem, teſte Diana *par.* 5. *tr.* 5. *reſ.* 10. quia talis anticipatio eſt ſolùm mutatio accidentalis, & conſequenter non poteſt eſſe culpa mortalis; licèt eſſet culpa venialis tantò gravior, quantò à meridie longè receditur, præſertim ſi abſque rationabili cauſa id fieret. Oppoſitum tamen cenſet Sanchez *in Opuſc. tom.* 2. *lib.* 5. *c.* 1. *dub.* 28. *nu.* 4. *&* 8. Paſqualig. *dec.* 143. *num.* 3. docet omnes Doctores communiter modò convenire in hoc, ſcilicèt, ut comeſtio ſumatur circa meridiem, & allegat pro hac ſententia 24. doctores. Dixi ſupra *quamvis ſæculares &c.* nàm Religioſi privilegiati, ſine ullo peccato poſſunt prandere in diebus jejuniorum per unam horam, & dimidiam ante meridiem, ut docet Diana *ſup. reſ.* 27. *citata in fine*, cui ſubſcribit Alloza *in Sum. verb. Jejunium ſect.* 4. *num.* 11.

1028 Inter. 8. Qui è medio prandio ſurgit ad aliquid peragendum, & poſtea redit, poteſtne licitè comeſtionem continuare?

Reſp. Si ſurgit à prandio animo cōtinuandi, licitè poteſt prandium reaſſumere, & illud continuare, dummodò redeat intra quadrantem horæ plus, vel minus, ſic enim non frangeret jejunium, quia moraliter reputatur una comeſtio: Cæterum quando adeſt modica interruptio, etiamſi non habuerit animum repetēdi prandium, poſſe licitè prandium repetere ſine fractione jejunii, pluribus relatis docet Diana *par.* 1. *tract.* 9. *reſ.* 32. & de hoc ego non dubito: Spatium verò mediæ horæ non eſſe magnam interruptionē putat Portellus *in Addit. ad Dub. Reg. verſ. jejunium n.* 10. dummodò, quod manducavit, non fuerit ſufficiens ad ſuſtentationem jejunii, aliàs non poſſe iterum commedere abſque fractione jejunii inquit ipſe Portellus, quod mihi valdè probatur.

1029 Inter. 9. Licetne collationem ſerotinam mane ſumere, & nocturno tempore cænam capere?

Reſp. Si hoc fiat ex aliqua juſta cauſa, licet, nec ullum peccatum committitur, ſi verò ſine ulla rationabili cauſa fiat, eſt peccatum tantùm veniale. Tolet. *lib.* 6. *c.* 2. *ſub n.* 5. Layman *lib.* 4. *tr.* 8. *c.* 1. *n.* 10. Diana *par.* 1. *tr.* 9. *reſ.* 33. & ratio eſt, quia non violatur ſubſtantia jejunii, ſed tātùm circumſtantia mutatur, quod eſt quid accidentale. Sanchez. *in opuſ. t.* 2. *lib.* 8. *c.* 1. *dub.* 27. & alii communiter.

1030 Inter. 10. Quænam qualitas, & quantitas ciborum poteſt licitè ſumi in collatione ſerotina?

Reſp. Dico primo, quòd circa qualitatem ciborum, multi multa dicunt, ut videre licet apud Dianam *par* 1. *tr.* 9. *reſ.* 1. *par.* 9. *tr.* 6. *reſ.* 8. *& par.* 10. *tr.* 14. *reſ.* 58. Tamen omiſſis hujuſmodi opinionibus, mihi videtur debere eſſe ex fructibus, aut herbis, vel ex bellariis, quę ſunt fructus ſaccharo, vel melle conditi. Poteſt etiam fieri collatio cum herbis coctis, cum biſcotto, ſed non poteſt licitè edi panis biſcottus ovis confectus, quia qualitas cibi graviter mutaretur. Leand. *de præcep. Eccleſiæ tr.* 5. *diſp.* 3. *q.* 18. quem citat, & ſe-

& ſequitur Diana *par. 10. tr. 16. reſ. 17. verſ. Nota verò*. Cæterum qui comederet unum tantùm biſcottum, putat Diana. *par. 10. tr. 14. reſ. 57.* quòd non peccaret graviter propter parvitatem materiæ, parvitas enim materiæ in die Jejunii excuſat etiam in eſu carnium, ut docet Tannerus apud Dianam *par. 1. tract. 9. reſ. 43.* ſed non ſunt laxandæ habenæ. Item quod collatio fieri poſſit cum pane cocto cum acqua, & oleo, dummodò non excedat octo uncias, ſuſtinet Diana *par. 9. tr. 6. reſ. 29. verſ. Quid ego ſentiam, & par. 10. tr. 14. reſ. 58. verſ. ſed quia*; Contrarium dicit Bon. *de leg. diſp. ult. quæſt. 1. pun. 3. n. 5.* & hoc minimè concedit, niſi aliud ferat iuſta cauſa. Sumere legumina cocta, etiam in quantitate licita unciarum octo, nullo modo licet. Diana *par. 5. tr. 14. reſ. 14.* & alii apud ipſum. Dico ſecundo circa quantitatem refectiunculæ, ſeù collationis ſerotinæ non dari certam menſuram; tamen, ut inquit Mendo *epit. opin. mor. verb. Jejun. num. 3.* Infirmi, Senes, & qui multum laborant poſſunt majorem ſumere quantitatem, & de hoc ego non dubito, quia tales licitè excuſari poſſunt a Jejunio; ut dicam in Reſponſione ad Inter. 23. Denique quantitatem unciarum octo licitam eſſe puto cum Diana *par. 1. tr. 9. reſ. 1.* & aliis pluribus, nam ut plurimum octo unciæ, parum, vel minus, videtur quantitas parva, ſed ſufficiens pro unaquaque perſona. Vide Mendo ubi ſupra, Allozam *loco cit. ſect. 3. n. 14.* Dianam *par. 1. nu. tr. 9. reſ. 1. & par. 5. tract. 5. reſ. 11. & par. 9. tr. 6. reſ. 8. verſ. Nota hic*. Immò ibidem *reſ. 15. verſ. Sed hic obiter.* docet, & malè, excedere duas uncias eſſe peccatum tantùm veniale, & pro ſe allegat alios. In vigilia Nativitatis Domini poteſt ſumi collatio duplo major ſolito; Vide Dianam *par. 5. tr. 14. reſ. 12. §. Notandum eſt*, & id prius docuerat *par. 1. tr. 9. reſ. 35. per totam* ſed hæc opinio videtur nimis laxa, & contra formam jejunii præſcriptam ab Eccleſia, nam omnes ſentiunt eſſe illa die jejunandum, ſexdecim autem unciæ, in noſtra ſententia, quæ concedit octo uncias pro collatione ſerotina, æquivalere videtur integræ cenæ. Unde mihi dicendum videtur cum Jo. à S. Thom. *in Doctrina Christiana par. 2. circa 4. præcept. Eccleſ.* & multis aliis Doctoribus apud Paſqualig. *de Jejunio deciſ. 92. n. 21.* poſſe ſumi refectiuncula in majori quantitate conſueta, ubi cõſuetudo invaluit, neque Prælati reclamant; Hanc tamen conſuetudinem extare apud Religioſos negant Villalobos, & Ledeſma, quos refert, & ſequitur Diana *par. 1. tr. 9. reſ. 35.*

1031 Inter. 11. Eſtne licitum in diebus ieiuniorum extra Quadrageſimam comedere ova, & lacticinia, & uti ſaginine, & lardo?

Reſp. In Quadrageſima iam eſt definitum, quòd conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia obliget ſub mortali, cum oppoſitum ſit reprobatum ab Alexandro VII. & eſt propoſitio 4. in ſuo Decreto reprobata anno 1666. die 18. Martii. Difficultas igitur conſiſtit, an in diebus ieiuniorum extra Quadrageſimam eſus dictarum rerum prohibeatur ex conſuetudine, nam de Jure communi *c. denique diſt. 4.* ſolùm in Quadrageſima ova, & lacticinia prohiberi videntur, & docet D. Thoma 2. 2. *q. 147. ar. 8. ad 3. & in 4. diſtin. 15. quæſt. 5. ar. 4. q. 2. ad 4.* apud Sanchez *in Opuſc. tom. 2. lib. 5. c. 1. dub. 20. ſub n. 2.* & alii ab ipſe relati. Tolet. *lib. 6. c. 2. n. 2.* Sanchez *lib. 4. in Decalog. c. 11. nu. 50. & 52.* Azor. *tom. 1. lib. 7. 2. 10. quæſt. 2. in fin.* Roderic. *in Compend. qq. Regul. reſ. 75. num. 13.* Dian. *par. 1. tr. 9. reſ. 5. 6. & 41.* & iterum *par. 3. tr. 6. reſ. 80. §. Notandum ſecundo, & par. 5. tr. 14. reſ. 13. §. Nota.* Auſon. *in Summa Dian. verb. Jejunium n. 54.* qui teſtatur de cõmuni. Unde ſi nullum adeſt præceptum, aut conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in ieiuniis

extra

Digitized by Google

extra Quadrageſimam, neceſſariò ſequitur poſſe quemvis licitè uti etiam ſagimine, & lardo, quia pinguedo juxta ſententiam Ariſtotelis, non eſt caro, ſed unà cum ſagimine, & lardo inter ova, & lacticinia computatur: favet *Gloſ. in c. Præsbiter diſt. 82. in verb. Sagimine, & in cap. admonere, 32. q. 2. verb. carnem*, & docet Hoſtienſis, & Panorm. apud Sylveſt. *verb. Jejunium quæſt. 5. num. 16.* Vide etiam Dian. *par. 1. tr. 9. reſol. 21. §. Quod verò*, ubi alios refert: Dicendum eſt igitur, ubi adeſt conſuetudo legitimè præſcripta comedendi ova, & lacticinia in vigilia, & quat. temp. extra Quadrageſimã licitè veſci poſſe, ac uti ſagimine, & lardo, quia horum uſus de iure non eſt prohibitus, ſecùs dicendum eſt ubi huiuſmodi conſuetudo non adeſt, ut in Pontificiis ditionibus, immò in tota ferè Italia, teſte Nicolio *in Floſ. verb. Jejunium num. 2.* Apud nos adeſt ergo conſuetudo in contrarium, quæ communiter ità obſervat, ideoque obligat ſub mortali, nam de eius tranſgreſſione, Populus ſcandalizatur, & timorati non benè ſentiunt, ipſique tranſgreſſores pœnã reportant, quæ ſecundùm Suar. ſunt ſigna ſufficientia, quòd talis conſuetudo, quæ apud nos viget non comedendi prætera, obliget ſub mortali. Sylv. *loco cit. num. 16.* Mendo *Epit. opin. moral. verb. Jejunium num. 6. & verb. Lacticinia num. 1.* Ludovic. à Crux *in Bulla Cruciatæ diſp. 1. qu. 5. dub. 12. num. 17.* & alii plures. Itaque eſus ovorum, lacticiniorum, & pinguedinum interdictus eſt apud nos, non ſolùm in Quadrageſima, ſed etiam in aliis Jeiuniis, & uſus ſagiminis, etiã in diebus Veneris, & Sabbati, in quibus eſt licitum comedere ova, & lacticinia; & hoc ratione conſuetudinis legitimè præſcriptæ, quæ quidem vim legis habet obligãtis ad mortale, ut dictum eſt ſupra. Item nota, quòd illi, cui conceſſum eſt comedere ova, & lacticinia, non propterea conceſſum eſt comedere ſanguinem animalium. Vide Dianam *par. 10. tr. 16. reſ. 77.* neque ſagimen addo ego cum Diana loc. cit. reſ. 37. in fin. ubi tandem ſe retractat.

1032 Inter. 12 Qui habet manifeſtas vires, & ſalutem ad jejunandum, ſed ſolùm eſt diſpenſatus ad edendas carnes ad præſervandum ſe ab aliqua infirmitate, ſi aliqua die non comedit carnes, teneturne tunc jejunare?

Reſp. Ego dixi in tit. 71. de Diſp. ad Int. 13. quòd diſpenſatus dumtaxat quoad comeſtionem carnis, eo quod piſces, legumina, oleum, &c. illi noceant, teneatur jejunare, ut docet Bonac. *de Leg. diſp. ult. qu. 1. pun. 2. n. 3.* & alii ab ipſo relati, quidquid in contrarium dicant alii, quos citat & ſequitur Diana *par. 1. tr. 9. reſ. 25.* Ità à fortiori hoc idem dico in caſu præſenti, & favet huic reſponſioni Sanch. *in opuſc. tom. 2. lib. 5. cap. 1. dub. 30. num. 1. & 3.* alia tamen ratione ductus. Vide igitur Dianam *par. 4. tr. 4. reſ. 179. & par. 10. tr. 13. reſ. 43. verſ. Notandum eſt hic*, ubi ait, quòd ſi quis habet manifeſtas vires, & ſalutem ad jejunandum, ſed ab aliqua infirmitate ſe præſervandum edit carnes, jejunare tenetur, ſi aliqua die tunc carnes non comedit, licèt oppoſitum doceat Turrianus apud Dianam *par. 5. tr. 14. reſ. 12. in fin.* ſed quod dixi, mihi, & aliis tutius videtur, & in praxi ſequendum.

1033 Inter. 13. Ille qui abeſt à ſua Patria, teneturne jejunare illa die, in qua nullum eſt præceptum jejunandi, niſi in Patria ſua?

Reſp. Statuta Territoralia, Diœceſana, ſeù localia, extra Territoriũ, Diœceſim, & locum, non obligant, nàm hujuſmodi ſtatuta, & conſuetudines locales, affixæ ſunt loco, & ſolùm obligant exiſtentes in eo; ſequitur ergo, quòd qui eſt abſens à Patria, jejunare non teneatur. Ità docet Sanchez *de Matrim. tom. 1. lib. 3. diſp. 18. num. 18.* Reginaldus *tom. 1. lib. 4. c. 12.*

num.

num. 136. Villalobos, Leſſius, & Filiucius, quibus ſubſcribit Diana *par.* 1. *tr.* 9. *reſ.* 18. licèt oppoſitum ſentiat D. Antoninus *par.* 2. *tit.* 7. *cap.* 2. §. 2. *in fin.* Sylv. *verb. Jejunium num.* 7. Paludanus, Roſella, & alii, ſed primam ſententiam probabiliorem exiſtimat Diana, cui ego libenter adhereo.

1034 Inter. 14. Qui eſt obligatus in ſuo loco jejunare, poteſtne licitè tranſire ad alium locum propinquum, ubi non ſervatur jejunium?

Reſp. Dicunt aliqui, quòd hoc licitè minimè facere poſſit, quia adeſt malitia, & fraus, quæ ipſi patrociuare non debet; Ità Medina, Roſella, Leſſius, & Sylv. *verb. Jejunium q.* 2. apud Dianam *par.* 1. *tr.* 9. *reſ.* 19. Idem tenent omnes ii, qui putant non licere, ad fugiendam obligationem legis, tranſire ad locum, ubi lex non obligat. Ità Ledeſma, Rodriquez, Rebellius, Suarez, & Layman; & hæc ſententia mihi placet, licèt oppoſitum dicat Dian. ex Facundez, eſſe probabile; ſed vide ſupra in tit. 93. de Feſtis diebus ad Int. 16.

1035 Inter. 15. Qui accedit ad aliquem locum ubi jejunatur, animo permanendi ibidem per duos, vel tres dies, teneturne obſervare jejunium?

Reſp. Diana *loc. ſup. cit. reſ.* 2. utriuſque partis Aſſertores refert, ſed ipſe negativam ſententiam amplectitur; Tamèn mihi dicendum videtur, ad jejunium teneri, quia tenetur ſe conformare aliis, ac etiam ſcandalum removere; Imò ad jejunium ab Epiſcopo compelli poteſt, & puniri; conſequenter peccat non jejunando, pœna enim ſupponit culpam; Ultrà quòd conſuetudo communis Chriſtifideliū, ità obſervat; habetur namque ex D. P. N. Auguſtino *relato in cap. illa, diſt.* 12. *Ad quamcumque Eccleſiam veneris, ejus morem ſerva*: Quamvis autem negativa ſententia ſit probabilis, ſi citra ſcandalum fiat, ut docet Sylv. *verb. Jejunium in fin.* cui ſubſcribit Tolet *lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 2. *propè fin.* tamen hanc, quam ſequor, probabiliorem, ac tutiorem eſſe non dubito, & quòd ſit valde probabilis, jam fatetur ipſe Diana, ubi ſuam ſolùm probabilem vocat. Sed circa tale dubiū vide Caſsianum à S. Elia *in arbor. op. moral. verb. Audiens* §. 5. *num.* 54. qui pluribus relatis, hanc ſuſtinet ſententiam, & meritò.

1036 Inter. 16. Excuſanturne à jejunio Equitantes, ſi iter ſolùm ſit unius diei? & quid ſi ſit iter plurium dierum?

Reſp. Leander *de præcep. Eccleſiæ tract.* 5. *diſp.* 8. *num.* 105. docet, Equitantes non teneri ad jejunium, caſu quo iter ſit aut plurium dierum, aut nimis longum, etiamſi non ſit plurium, ſed ſolùm unius diei; & poſtea *quæſt.* 102. magis individualiter tenet, eum qui unico die decem, aut octo leucas cōficit, excuſari à jejunio. Idem docet Mendo *in Bulla cruc. diſp.* 13. *c.* 1. *num.* 4. ſiquidem damnare non audet peccati illum, qui etiam equitans facit iter, ſi non jejunat, dum die jejunii viam unius diei perambulet, hos Doctores refert, & ſequitur Diana *par.* 10. *tr.* 14. *reſ.* 2. & *par.* 11. *tr.* 2. *reſ.* 57. Tamen advertendum eſt, quòd non omnes abſolutè excuſantur à præcepto jejunii, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & licèt iter unius diei conficiant, nec aliter dici poteſt, cum ſit reprobatum ab Alexand. VII. *anno* 1666. *die* 18. *Martii*, & eſt tertia propoſitio ab eodem Pontifice reprobata in ſuo Decreto. Dicendum eſt igitur, regulariter equitantes, non eſſe immunes à jejunio, quando iter eſt breve, putà unius diei, quia licèt tunc interveniat aliquis labor, non cenſetur tamen ſufficiens ad eximendum à præcepto jejunii; nam poteſt tolerari à jejunante, abſque gravi incommodo, præſertim ſi equus ſit placidus, & obtemperans, atque greſſu facilis, itaut ſine magna agitatione incedat, & iter neceſſarium non ſit,

& com-

& commodè transferri poſſit. Si verò iter ſit plurium dierum, & neceſſariū, puto equitantes excuſari poſſe à jejunio; nam attendendus eſt non ſolùm præſens ſtatus itinerantium, ſed etiam futurus; undè quia valdè defatigantur, & laxantur ex agitatione equi, & longitudinis itineris, meritò excuſari poſſunt à jejunio. Vide Paſqualigum *in praxi de jejun. deciſ.* 316. *num.* 6. Bonac. *de legib. diſp. ult. quæſt.* 1. *pun. ult. num.* 11. Filliucium apud ipſum Bon. & alios, & reſponſiones ad Inter. 18. & 19.

1037 Inter. 17. Itinerantes cum curru, excuſanturne à jejunio?

Reſp. Qui curru, aut lectica iter peragit, excuſatur à jejunio, ſi currus valdè eum concutiat, aut iter ità longum ſit, ut probabiliter dubitari poſsit de ſuperventura debilitate, ob magnam itineris defatigationem. Ità ex Filliucio docet Bonacina *de præc. Decal. diſp. ult. quæſt.* 1. *pun. ult. ſub num.* 11. Idem docent Trullench. *in decal. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 2. *dub.* 7. *n.* 12. & ex eo Diana *par.* 10. *tr.* 12. *reſ.* 39. ſed mihi magis placet ſententia Paſqualigi in prax. de jejun. deciſ. 316. num. 5. ubi ſic rectè loquitur: Certum videtur, quòd itinerantes in curru non excuſentur, niſi jejunent, regulariter loquendo, non enim ut experientia cōſtat intervenit labor conſiderabilis, cum ſedentes trahantur. Nec illa agitatio cauſat laſsitudinem; cum non ſit neceſſe eos, qui vehuntur, contra ipſam niti; ſolùm per accidens poſſet aliquis excuſari, ſi nimirùm ex illa agitatione per plures dies continuata debilitaretur, quia nimirùm caput debile habet; nec poſsit una refectione in prandio tantum cibi ſumere, quantum ſufficiat, & ſi ſolum jentaculum pro prandio ſumat, nequeat ob debilitatem capitis reſiſtere. Ità ille, cui libenter adhæreo. Ergo non eſt audiendus Diana *par.* 8. *tr.* 7. *reſ.* 4. oppoſitum docens.

1038 Inter. 18 Quando excuſantur à jejunio, qui faciunt iter pedeſtre?

Reſp. Quando iter eſt longum, putà quindecim, aut viginti milliarium, cenſetur enim gravis labor, & incompatibilis cum jejunio, ideoque ab illo excuſat, ut docet S. Thom. 2. 2. *qu.* 147. *art.* 4. Toletus, Reginaldus, Filliucius, & alii communiter, teſte Bonacin. *de legib. diſp. ult. quæſt.* 1. *pun. ult. num.* 11. quamvis Leander *de præcept. Eccl. tr.* 5. *diſp.* 8. *qu.* 95. putat iter pedeſtre novem milliarium, à jejunio excuſare: Diana verò vult, requiri iter ad minus duodecim milliarium, & licèt iter ſit merè voluntarium. Vide Dianam *par.* 10. *tr.* 14. *reſ.* 2. Verùm Azorius 1. *par. lib.* 1. *cap.* 28. *qu.* 8. & Leſsius *lib.* 4. *de juſt. cap.* 2. *dub.* 6. *num.* 44. excuſant ſolùm quando iter, ſeu peregrinatio non poteſt commodè in alium diem transferri, & dummodo, addo ego, non fiat in fraudem jejunii, ſeu cum intentione violandi præceptum. Nam Tolet. *lib.* 6. *cap.* 4. *ſub num.* 4. ſic inquit: Circa peregrinationem autem omnes notant, non licere peregrinari tempore jejunii, & jejunium ſolvere, niſi cum voto peregrinatio eſt, nec poteſt commodè differri in aliud tempus. Ità etiā docent Sylvius *in* 2. 2. *D. Thom. loc. ſup. cit.* Villalobos *in Sum. tom.* 1. *tr.* 23. *dub.* 4. *num.* 16. & Fernandez *in exam. Theol. par.* 2. *cap.* 8. §. 2. *num.* 12. quos refert, ſed non ſequitur Diana *par.* 1. *tr.* 9. *reſ.* 46. Concludamus ergo cum D. Thom. *loco ſup. cit.* *eo art.* 4. *ad* 3. ubi docet, quòd ſi immineat neceſsitas ſtatim peregrinandi, & magnas dietas faciendi, & ſimul cum hoc non poſſint jejunia Eccleſiæ obſervari, non obligatur homo ad jejunium. Videatur omninò S. Thom. ibidem. Dieta autem dicitur iter unius diei, ut legitur in *cap. Nonnulli de reſcript.* & *in cap. Quamvis* §. 1. *de offic. Ordin. in* 6. Et ſecundùm Juris civilis conſtitutiones, vicena millia paſſuum in ſingulos dies dinumerantur, Teſte Jureconſulto *in lege* 3. *de verb. ſignificat.* & *in l.* 1.

Si quis cautio. Licèt aliter dividant ſingulæ quæque regiones. Vide quæ dicam in tit. 175. ad Inter. 17. ubi dicitur quid intelligatur per unam Dietam.

1039 Inter. 19. Excuſaturne à jejunio, qui labore aliquo defatigatur, ſi in alium diem commode differre poſſit, aut data opera, ut non jejunet hoc agat?

Reſp. Non deſunt Doctores pro affirmativa ſententia, ut videre eſt apud Dianam *loco ſup. cit. reſ.* 52. Sed nimis laxè quidem loquuntur tales Doctores in caſu noſtro, & præſertim Sancius *in ſelectis diſput.* 4. *n.* 10. & 14. Ideò vide Azorium, qui timoratè loquitur *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 17. *qu.* 9. & concordantes refert docentes, non excuſari à jejunio, qui labore aliquo defatigatur, ſi illum in alium diem commodè differre queat, & data opera, ut non jejunet, hoc agat; nam licèt non diſpliceat Dianæ ſententia Sancii, tamen fatetur in fine dictæ reſolutionis, non eſſe recedendum ab opinione Azorii, & rectè dicit.

1040 Inter. 20. Qui in die Judicii dat operam ludo pilæ, venationi, &c. vel ad quærendum amaſiam, longum iter facit, ſi non jejunat, peccatne contra tale præceptum?

Reſp. Quidquid dicant nonnulli apud Bonac. *de legib. diſp.* 2. *qu.* 8. *pun.* 1. *ſub num.* 16. & alii quos allegat Dian. *par.* 1. *tr.* 9. *reſ.* 40. & *par.* 10. *tr.* 14. *reſ.* 11. Ità oportet diſtinguere, vel talis prævidit, aut prævidere debuit, quòd ex illo impedimento, voluntariè à ſe poſito, non valebit jejunare, vel non prævidit, aut expertus eſt, ex illo impedimento ſequi neceſſitatem non jejunandi. In primo enim caſu peccat mortaliter in ſua cauſa, ſi non jejunat; In ſecundo caſu verò non peccat in ſe, nec in cauſa, ut rectè docet Jo. de la Crux *in dir. conſc. par.* 1. *præc.* 3. *art.* 4. *dub.* 9. *concl.* 3. Homob. *de Exam. Eccl. par.* 2. *tr.* 7. *qu.* 23. & *tr.* 9. *qu.* 74. Rodr. *in Sum. tom.* 1. *cap.* 23. *n.* 6. & alii. Dico igitur, qui in die jejunii abſque ulla honeſta cauſa, ſed merè voluntariè, & ſua culpa ob laborem ſuſceptum agendo iter, vel venando, vel inſequendo amicam, ità fatigatus eſt, ut jejunium ſervare nequeat, & prævidit, vel facilè prævidere potuit, & debuit profectò prævidere, aut expertus eſt, quòd ex tali labore, omninò voluntariè, vel ad malum finem ſuſcepto, ſecutura erat impotentia ad jejunandum illa die, peccare contra præceptum jejunii, quia dat cauſam proximam omiſſionis jejunii, ſeù apponit proximum impedimentum ad implendum ieiunii præceptum.

1041 Inter. 21. Advocati, & Procuratores tenenturne ieiunare, vel ſunt immunes à ieiunio?

Reſp. Quidam abſolutè tenent, illos non eſſe immunes à ieiunio, conſequenter teneri ieiunare in Quadrageſima, & in aliis diebus ieiuniorum. Vide Ledeſmam *in Summ. tom.* 2. *tr.* 17. *cap.* 2. *concl.* 5. *dub.* 3. Joan. de la Crux *in direct. conſc. par.* 1. *præcept.* 3. *art.* 4. *dub.* 9. *concluſ.* 2. Reginaldum *in prax. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 17. *num.* 216. apud Dianam *par.* 1. *tract.* 9. *reſ.* 12. Et ità puto tenendum, niſi aliud ferat iuſta cauſa. Unde rectè docet Facundez *præcept.* 4. *lib.* 1. *cap.* 8. *n.* 19. non omnes eſſe excuſandos, ſed tantùm illos, quorum labor improbus: vel quia ità debiles ſunt, ut ſufficienter ſtudere non poſſunt, ut poſteà cauſis Clientium ſatisfacere valeant. Vide Dianam *loc. cit.* Concludendum eſt igitur, quòd qui nequit officio ſuo fungi cum jejunio, excuſetur ab illo, & hoc valet, ſive opus ſit corporis, ſive ingenii; non enim attenditur, an labor ſit corporis, àn animi, ſed attenditur impotentia moralis jejunandi ſuſcepto ſervili opere, ut docet Leſſius *lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 6. *num.* 43. dummodò non fiat in fraudem jejunii, addo ego,

1042 Inter. 22. Excuſanturne à jejunio

nio omnes Artifices, qui in Republica laborant, vel ſolùm quidam?

Reſp. Facundez, Ledeſma, Machadus, & alii, putant Eugenium IV. omnes Artifices indiſcriminatim excuſare, ſive eis concedendo privilegium non jejunandi, ſivè declarando, eos non comprehendi in lege jejunii, & hanc opinionem non improbant Filliucius *tom.* 2. *tract.* 27. *par.* 2. *cap.* 6. *num.* 117. & Bonac. *de legib. diſp. ult. quæſt.* 1. *pun. ult. num.* 12. Immò Trullech *in decal. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 1. *dub.* 7. *num.* 9. & Diana *par.* 8. *tr.* 7. *reſol.* 55. *propè finem*, fatentur non eſſe improbabilem; ſed reverà, ut improbabilis, & ſcadoloſa merito reprobata fuit ab Alexand. VII. *die* 18. *Martii* 1666. Unde dicendum eſt, non omnes Artifices, qui in Republica laborant, à jejunio excuſari, ſed eos dumtaxat, quorum labor eſt gravis, & incompatibilis cum jejunio; Neque in contrarium urget Privilegium Eugenii IV. quia ipſum nihil habet, per quod cenſeri poſſit, omnes Artifices indiſcriminatim comprehendi, ut patet conſideranti illius tenorem, & benè obſervat Reginaldus *in praxi tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 17. *num.* 216. Vide Dianam *loco cit.* & *par.* 1. *tract.* 9. *reſol.* 8. & ita tenendum eſt omninò.

1043 Inter. 23. Quænam ſunt illæ Perſonæ, quæ meritò excuſari poſſunt à Jejunio?

Reſp. Primò excuſantur omnes Artifices, qui corporalitèr laborant, dummodò labor ſit incompatibilis cum jejunio, & ut plurimum ſunt Foſſores, Meſſores, Aratores, Seminatores, Ferrarii, Fabrilignarii, Cæmentarii, & hujuſmodi Artifices, qui valdè laborant; & in hoc omnes Doctores conveniunt: de Sutoribus eſt difficultas, Tolet. *lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 2. eos non excuſat, ſed Azorius *par.* 1. *lib.* 7. *cap.* 17. *quæſt.* 8. Bonac. *de legib. diſp. ult. quæſt.* 1. *pun. ult. num.* 10. Layman *lib.* 4. *tract.* 8. *cap.* 3. *num.* 3. & alii quibus aſtipulatur Diana *par.* 1. *tr.* 9. *reſ.* 7. excuſant illos à Jejunio, & rectè quidem, nam dicta ars eſt laborioſa, & incompatibilis cum jejunio, imò etiam facientes calceos molles excuſat Diana *par.* 10. *tr.* 16. *reſ.* 77. *verſ. Nota etiam*, ſed hoc mihi minus placet; quoad alios verò ſutores, dico cum Sanchez, non excuſari illos, qui ſolum ſcindunt calceos, ſeù præparant materiam officialibus; Cæterum Sartores, Pictores, Barbitonſores, & ſimiles, quorum labor compatibilis eſt manifeſtè cum jejunio, non excuſantur, ut docent Layman, & Bonac. *num.* 12. *ubi ſupra*, & alii plures, quos refert, ſed non ſequitur Diana *loco ſupra cit. reſol.* 8. nec eos excuſat Tol. *lib.* 6. *cap.* 4 *ſub num.* 2. *verſ. Tertia cauſa*, Mendò *Epit. opin. moral. verb Jejunium ſub num.* 1. & alii. Denique notandum eſt, quòd non omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione jejunii, ut quidam putabant, nàm Alex. VII. in ſuo Decreto edito annò 1666. hanc propoſitionem damnavit, quæ eſt ſecunda in ſuo Decreto reprobata. Unde debent ſe certificare an labor ſit compatibilis cum jejunio, necne, petendo declarationem, vel à Confeſſario, aut à viro docto, & pio. Secundò excuſantur à Jejunio mulieres prægnantes, & lactantes, quamvis robuſtæ ſint, prohibentur tamen veſci carnibus. Tolet. *loco cit. n.* 1. *in fine*, Em. Sà *verb. Jejunium num.* 9. Diana *par.* 1. *tr.* 9. *reſ.* 14. & *par.* 4. *tract.* 4. *reſ.* 126. Mendo *ubi ſupra n.* 11. Alloza *in ſum. verb. Jejunium ſect.* 4. *num.* 5. & alii plures. Tertio excuſantur etiam conjuges, qui non poſſunt reddere debitum uxori, item & uxores, quæ ad vitandas lites, & rixas cum marito, cœnant cum eo. Tolet. *ubi ſupra num.* 4. & alii communiter; Imò dicit Cajet. *in ſum. verb. Jejunium*, ſi uxor non poteſt ſe gratam viro ſervare, putà, quià propter jejunium macilenta, aut pallida deſpicitur à viro, non tenetur jejunàre. Quartò

Xx 2 excu-

excuſantur à jejunio Debiles, infirmi, Convaleſcentes, & Senes, nam debilitas, infirmitas, & ſenectus ſunt inter ſe affines, & quod de una aſſeritur de alia etiam aſſerendum eſt. Vide Sylveſt. *verb. Jejunium num.* 8. & 9. Tolet. *loc. cit. num.* 1. Quintò excuſantur qui ex vacuatione ſtomachi notabilè capitis dolorem, vel vertiginem patiuntur, ſicuti, & alii, qui tota nocte calefieri, aut dormire non poſſunt. Navar. *in man. cap.* 21. *num.* 16. Bon. *loc. ſupra cit. num.* 2. Buſenbaum *lib.* 3. *tract.* 4. *dub.* 2. Alloza *ubi ſupra n.* 6. Summa Diana *verb. Jejunium num.* 22. nec tenentur comedere ſerò, & collationem mane ſumere, quia habent jus conformandi ſe communi hominum conſuetudini, ut docet Diana *par.* 1. *tract.* 9. *reſ.* 51. Oppoſitum tenent Sanchez, Filiuc. & Boſſius; quos refert, ſed non ſequitur Paſqualig. *de Jejunio deciſ.* 265. Sextò excuſantur Pauperes, qui unam comeſtionem ſufficientem non habent, & ſic poſſunt cœnare, & interdiu comedere. Tolet. *ſupra num.* 2. & alii communitèr. Septimò, ut inquit Tolet. *ibidem ſub. n.* 1. Adoleſcentes ante vigeſimum primum annum completum excuſantur à jejunio, quia tunc indigent cibo ad nutritionem, & augumentum, eſt tamen ſaluberrimum conſilium aſſuefieri Juvenes hos aliquibus jejuniis: Hæc igitur eſt regula generalis, quæ traditur à Doctoribus circa præſentem Interrogationem. Sed vide Sanchez *in Opuſcul. tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 1. *dub.* 14. & 15.

1044 Inter. 24. Qui bona fide putat ſe planè excuſari à Jejunio, peccatne ſi jejunium non obſervat?

Reſp. Si juſtam habet cauſam, vel non jejunandi, vel carnes in diebus vetitis comedendi, & illa cauſa ſit certa; nulla eget diſpenſantione, quia obligatio legis tollitur ſuperveniente neceſſitate. Bonac. *de leg. diſp. ult. quæſt.* 1. *pun.* 2. *num.* 5. Carena *de offic. SS. Inquiſ. par.* 2. *tract.* 15. §. 2. *n.* 5. Lezan. & alii, niſi ratione ſcandali, aut alterius circumſtantiæ petenda ſit licentia, quia cũ ſcandalo nihil licet: ſi verò bona fide ſolũ putat ſe habere cauſã ſufficientem, licèt verè non ſit ſufficiens, non peccat, ſaltem mortalitèr. Navar. *in man. cap.* 21. *num.* 20. Roderic. *in Compend. qq. Regul. reſ.* 75. *num.* 17. Em. Sà *verb. Jejunium n.* 14. Bonac. *ubi ſupra diſp. ult. quæſt.* 1. *pun. ult. num.* 20. Buſenbaum *lib.* 3. *tract.* 4. *dub.* 2. *fol. mihi* 344. Luc. Fenech. *de Jejun. num.* 15. *Dixi ſaltem mortaliter quia* Tolet. *lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 5. *verſ. alterum eſt*, putat peccare venialiter, ſed dicit etiam, referens S. Antoninum, Palud, & Caiet. non debere Confeſſarium illum à ſua bona fide, & conſcientia deponere, ſed ſolùm exhortari, ut experiatur ieiunare; Imò addo ego debere illum ad petendam diſpenſationem inducere ſi viderit magnam in ieiunando difficultatem habere; ſiquidem iuſta diſpenſandi cauſa, eſt magna in ieiunando difficultas, ut docent Em. Sà *verb. Jejunium num.* 10. Buſenb. *loco ſupr. cit.* Alloz. *verb. Jejunium ſect.* 4. *num.* 22. & favet etiam Sanchez *in opuſc. tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 1. *dub.* 2. *num.* 3. & alii.

1045 Inter. 25. Quid facere debet, qui dubitat an teneatur ieiunare, vel an licitè carnes comedere poſſit?

Reſp. Dicunt Doctores recurrendum eſſe ad Superiorem, & poſcendam diſpenſationem in ieiunio, vel in eſu carnium; Unde ſæculares recurrere debent ad Epiſcopum, vel eo abſente ad Parochum, Religioſi verò ſaltem ad ſuum Superiorem immediatum, & in ea concedenda ipſi Superiores non debent eſſe nimium ſcrupuloſi, quia quamvis cauſa ſit dubia, ipſi diſpenſando iuſtam efficiunt, nec ullo modo id ſubditorum conſcientiis remittere debent. Cajet. 2. 2. *q.* 147. *ar.* 4. Navar. *in man. cap.* 21. *num.* 21. & 22. Tolet. *lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 5. Lezan. *tom.* 2. *verb. Jejunium num.* 10. Dian. *par.* 1. *tract.* 9. *reſ.* 25. & alii ab ipſo relati. Summa Dian. *verb. Jejunium*

nium num. 38. Allozza *verb. Prælatus num.* 4. & alii communiter. Vide id, quod dixi *in præcedenti titulo de Horis Can. & offic. div. Inter.* 6. & Sanchez *ubi ſupra dub.* 5. *n.* 19. *& ſeqq.*

1046 Inter. 26. Qui dubitat an expleverit viginti, & unum annos, teneturne ieiunare?

Reſp. Si facta debita diligentia dubius adhùc remaneat an expleverit dictam ætatem, dicunt multi Doctores, quòd non teneatur ad ieiunium, quia tunc non ſtat poſſeſſio pro præcepto ieiunii, ſed pro libertate illius, qui dubitat, & pro hac ſententia ſunt Sanch. *de Matrim tom.* 1. *lib.* 2. *diſ.* 41. *num.* 28. Layman *lib.* 1. *tr.* 1. *cap.* 5. §. 4. *num.* 33. & alii plures, quos dat, & ſequitur Dian. *par.* 4. *tr.* 3. *reſ.* 21.

1047 Inter. 27. Juvenis teneturne ieiunare in die, qua complet ætatem vigeſimi primi anni?

Reſp. Non tenetur, etiamſi compleat mane, eſt enim exemptus per totam diem. Diana *par.* 1. *tract.* 9. *reſ.* 49. & alii plures.

1048 Inter. 28. Quiſnam dicitur ſenex adhoc, ut immunis à Jeiunio cenſeri poſſit, & eſtne eadem ratio de Religioſo ſene?

Reſp. Doctores in hoc non conveniunt, nam Gabriel, Sylv. Roſella, Tabiena, Lopez, & alii docent, ætatem ſeptuagenariam eſſe terminum, in quo ceſſat obligatio ieiunii: Unde in hac ſententia ſolùm ſeptuagenarii à ieiunio regulariterexcuſantur Alii verò putant excuſandum eſſe ſenem ſexagenarium, ſed attendēdum eſſe robur corporis, & ipſius naturæ complexionem, unde ſi viribus polleat, non excuſant illum à præcepto ieiunii, ideò relinquunt hoc arbitrio viri prudentis, & hæc ſententia eſt communis, pro qua Paſqualig. *de Jejunio deciſ.* 256. refert 26. Doctores: Et hanc opinionem in praxi ſequendam conſulo. Alia tandem extat ſententia, quam Paſqualigus probabiliſſimam dicit, quamquā doctiſſimi Recentiores amplectuntur, quos ipſe ſequitur, docet ſexagenarium, quamvis robuſtum viribus, excuſari a lege ieiunii, quia ætas ſexagenaria ex ſe eſt proſternatrix virium, ac tenax infirmitatum nutrix, natura enim in ſexageſimo anno langueſcit, & ad interitum properat, & licèt aliqui validi, & fortes videantur, tamen ſanitas in eis firma non eſt, & conſtans, ſed falſa, & incerta, ideoque ſexagenarius non debet ſa exponere periculo gravis damni, ad quod Eccleſia, cum ſit pia Mater, non videtur obligare. Vide Doctores, quos refert, & ſequitur Dian. *par.* 1. *tr.* 9. *reſ.* 20. Tolet. *lib.* 6. *cap.* 4. *ſub num.* 1. Em. Sà *verb. Jejunium ſub num.* 9. Roderic. *in Compend. qq. Regul. reſ.* 75. *num.* 10. Alloza *verb. Jejunium ſect.* 2. *num.* 5. Imò hic Author *ſect.* 4. *num.* 23. ait, quòd ſenes ſexaginta annorum, licèt ſint obligati ratione Conſtitutionum ſui Ordinis, tamen excuſantur à Jejunio, non ſolùm Eccleſiæ, ſed ſui Ordinis, idem tenet etiam Marcant, & ex eo Dian. *par.* 9. *tract.* 6. *reſ.* 16. & alii plures. Cæterum Navar. *in man. cap.* 21. *num.* 16. teſtatur ſe octogeſimum annum agentem ieiunare potuiſſe. Non eſt igitur recedendum à ſententia (quam ipſe Diana fatetur eſſe communem) docente Regulares profeſſos ſexagenarios non poſſe licitè frangere Jeiunia ſuæ Regulę; Sed vide, quæ dicam *in tit.* 180. *de Regularibus, ſeù Relig. ad Inter.* 55. nam militat eadem ratio.

1049 Inter. 29. Fœmina gravida ad ſuperandas carnis tentationes teneturne ieiunare cum periculo prolis?

Reſp. Certum eſt fœminas prægnantes excuſari à ieiunio, quià unica refectione tantum alimenti ſumere non poſſunt, ut pro ſe, & prole ſufficiat, ultra quod fœminæ gravidę appetunt ferè ſemper aliqua, & niſi deſiderio ſuo ſatisfaciant, periculum eſt, ne fœtus proiiciatur, ut pluribus citatis reſolvit Diana *par.* 1. *tr.* 9 *reſ.* 14. Hoc ergo prænotato, dicendū eſt cum

Homo-

Homobono de bonis *in Exam. Eccleſ. par.* 2. *tr.* 8. *cap.* 7. *quæſt.* 17. ubi ſic inquit. Non eſt audiendus Fernandez, qui dicere auſus eſt, fœminam gravidam, quæ carnis ſtimulis ad incontinẽti am laceſſentibus urgetur, teneri, etiam cùm prolis, vel fœtus diſcrimine, & extinctione ieiunare, ſi exiſtimat, ſe eos, nonniſi abſtinentiæ macie, & debilitatione, ſuperaturam; Nam cum alia remedia, ut orationem, Sacramentorum frequentiam, pia conſilia, & alia hujuſmodi adhiberi poſſit, non debet tantæ jacturæ ipſam prolem exponere. Ità Homobonus *ubi ſuprà*, cui ſe ſubſcribit Diana *citata par.* 1. *tr.* 9. *reſol.* 30. & Ego huic ſententiæ adhæreo.

1050 Inter. 30. Excusaturne à Jejunio qui magis vexatur tentationibus carnis ieiunando, quàm non ieiunando?

Reſp. Quod ieiunium ſit optimum remedium ad ſuperandas carnis tentationes, & ad vitanda luxuriæ peccata, Doctores communiter docent. Dico igitur in caſu noſtro non excuſari; nam hujuſmodi tentationes ſequuntur per accidens, nec eſt malũ pati tentationes carnis, ſed abillis vinci; vincere autẽ eas poſſumus aliis mediis, quàm omiſſione jejunii, ut rectè ex Medina, & Filliucio firmat Bonac *de legib. diſp. ult. q.* 1. *pun. ult. num.* 15. *Vide antecedentem reſpoſionem.*

1051 Inter. 31. Vovens jejunare in feſto alicujus Sancti, teneturne ad hoc ſi eveniat in Dominica?

Reſp. Ità in hoc caſu reſpondet Sylv. *verb. Votum* 2. *quæſt.* 16. vel Votum fuit de jejunio afflictionis, ſcilicet ad ſatisfaciendum prò peccatis, & ſubiugandi corpus, vel de jejunio exultationis, ut ſcilicet eſſet diſpoſitior ad gaudiũ, cõtẽplationẽ divinorũ, aut de neutro, quia ſcilicet nõ cogitaverit, aut de utroque. In primo caſu jejunandum eſt Sabbato præcedenti, quia debet ſe conformare Eccleſiæ, quæ tale jejunium transfert. In 2. verò ieiunet in Dominica, quia eſt votum virtuoſum, & ligans. Can. *utinam* 77. *diſt.* In 3. verò iterum in Dominica, quia præſumitur ieiunium exultationis. In 4. denique in Sabbato, quia cæteris paribus debet ſe conformare univerſali Eccleſiæ, Hactenus Sylveſt. ex Jo:de Neap. ſed de hoc puncto vide Bonac. *de Præcep. Decal. diſp.* 4. *q.* 2. *pun.* 6. *num.* 26. ubi plura ad intentum refert.

1052 Inter. 32. Qui vovit ieiunare die Sabbati, vel ſexta feria, teneturne ad id votum, ſi dies Natalis Domini venerit in his diebus?

Reſp. Magna quidem difficultas eſt iſta; Affirmat Sylveſt. *verb. Jejunium num.* 27. Suarez *de Relig tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 20. *num.* 7. Bonac. *de Legib. diſp.* 4. *q.* 2. *pun.* 6. *num.* 9. & alii plures, quos refert, ſed non ſequitur Diana *par.* 1. *tract.* 9. *reſ.* 22. *in princip.* nam ipſe Diana pro contraria ſententia citat Molinam, Azorium, Facundez, & Rodriquez, & ad fundamenta ſententiæ affirmativæ reſpondet; ſed prior ſententia eſt tenenda, quia videtur clarè haberi *in cap. fin. de Obſerv. Jejun.* ibi: *Qui nec Voto, Nec Regulari obſervantia* ſunt adſtricti, in 6. feria, ſi feſtum Nativitatis Dominicæ die ipſo venire contingerit, carnibus propter feſti excellentiam veſci poſſunt. Vide Em. Sà *verb. Jejunium num.* 6. & Armillam *eodem verb. num.* 13.

Quær. 1, An in diebus jejuniorum liceat pro collatione ſerotina loco fructuum piſciculum, vel piſcis grandioris particulam ſumere? & an ſit de hæreſi ſuſpectus, qui dictis diebus comederet ova, & lacticinia, ubi legitima conſuetudo non adeſt?

Reſp. Certiſſimum eſt, collationem ſerotinam fuiſſe per conſuetudinem in Eccleſia introductam, ne potus noceat, tamen quamvis alendi cauſa ſumatur, licita eſt, & ſine peccato fieri poteſt, quia conſuetudo, ut alibi dixi, eſt alterum ius poſitivum; Quænam autem qualitas, & quantitas

tas ciborum licitè ſumi poſſit in collatione ſerotina ? ſatis me explicavi *in hoc tit. de Jejunio, ad Int.* 10. & quoad quantitatem dixi, licitam eſſe quãtitatem unciarum octo, quod intelligendum eſt ſecundùm communem complexionem ; ſed quia complexio poteſt variari, & habere minorem indigentiam, præſertim ubi bonis cibis, & magna quantitate utitur ad prandium, ideò in tali caſu non poteſt quis licitè uti quantitate unciarum octo. Quoad qualitatem verò, dixi debere eſſe ex fructibus, vel herbis, aut ex bellariis, qui ſunt fructus ſaccharo, vel melle conditi : ſed nunquam aſſerui, ut quidam putant, poſſe quem licitè, & ſine peccato piſciculum, vel particulam aliquam piſcis maioris ſumere, dũmodò non excedat quãtitatem unciarũ octo; nam hęc ſententia, quam nonnulli docent, ut Bonacin. *tom. 2. de Præc. Eccleſ. diſput. ult. qu.* 1. *pun. num.* 3. Franc. Gheſius, Moſcentius, Petrus, & Jacobus Marchantius, Joannes Vuigeres, Zambellus, Paſqualigus, aliique, quos meritò impugnat Diana *par. 9. tr. 6. reſ.* 8. non eſt communis, ut videre licet apud ipſum Dianam *loco citat. & par. 1. tr. 9. reſ.* 1. immò noſtram ſententiam communem eſſe teſtatur, & oppoſitam falſam dixit Joan. Henriquez *in qq. practicab. ſect.* 16. *q.* 4. ac etiam ipſe Diana *locis ſupracit.* ideo peccare mortaliter, & ieiunium frangere puto cum eodem Diana, qui ad praxim talem opinionem deducit. Dicendum eſt igitur ſub onere peccati mortalis quantitatem licitam non poſſe ſumi in piſcibus, ovis, & aliis lacticiniis, ſeu cibis ſubſtantialibus in cœna manducari ſolitis, juxta conſuetudinem Regionum, ſed ſolùm licere collationem facere cum modico pane, & fructibus, vel herbis, aut electuariis, & ſimilibus levioribus cibis, nec aliud conſuetudinem permittere, ſed eſſe corruptelam, & ratio eſt quia conſuetudo bonorum, ac timoratæ conſcientiæ Virorum, non ſolùm præſcripſit, & præſcribit quantitatem, ſed etiam qualitatem ciborum, & nunquam introduxit piſces, ova, legumina, aut alia, quæ inter fercula, ac pulmenta numerantur, aut communiter ad nutriendum valent, conſequenter talia manducare illicitum, & peccatum erit. Aliquibus quidem hanc meam reſponſionem non fore gratam reor, quia ut ait pſalmiſta, *ſi non fuerint ſaturati murmurabunt*, at ſi hominibus placerem, ſervus Chriſti non eſſem, unde melius eſt pro veritate pati ſupplicium, quàm pro adulatione recipere beneficium, ut habetur *ex cap. Nemo peritorum* 11. *qu.* 3. Itaque verbis Facundez huic meę reſponſioni finem imponam; ſic enim *de præc. Eccl. tr.* 4. *lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 18. rectè inquit. Conſuetudine ubique receptum eſt, ut in refectiuncula ſoli fructus cum modico panis capiantur. Et hanc conſuetudinem excedere non eſt licitum: Et ſi aliqui non nihil piſcis adhibere ſolent, id quidem per corruptelam faciunt, non per conſuetudinem legitimam. Communis enim conſuetudo eſt, ut fructus modici, & modicum panis in collatione adhibeatur, non piſciculi parvi, nec tantillum magni piſcis; non enim quantitas materiæ, ſed materia prohibetur. Tandem hanc ſententiam, veluti tutiorem amplexi ſunt Villalobos, Azorius, Filliucius, Reginaldus, Laym. Sancius, Joſeph Angles, Vivaldus, Petrus Ledeſma, Jacobus Graffis, Vega, Antonius de Litteratis, Molfeſius Sylvius, Medina, Rodriquez, & alii multi, quos dat, & ſequitur Diana *locis cit. & par.* 10. *tr.* 14. *reſ.* 58. ubi citat contra Paſqualigum, Leandrum *de præcep. Eccleſ. tr.* 5. *diſp.* 4. *quæſt.* 41. quibus addo Lezanam *tom.* 3. *verb. Jejunium ſub num.* 4. Denique non eſſe licitum in diebus ieiuniorum comedere ova, & lacticinia, aut uti ſagimine, & lardo, ubi non adeſt conſuetudo legitima, iam dixi *in hoc titulo*

ad In-

ad Interogation. 11. Nunc autem dico, quod ſecus facientes, non ſolùm peccarent mortaliter, ſed etiam eſſent de hæreſi ſuſpecti, ut docet Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. Dandinus Prælatus admirabili doctrina conſpicuus, & patet ex eiuſdem libro, cui titulus *de ſuſpectis de hæreſi tom*. 1. *c*. 3. *ſect*. 3. *ſubſec*. 3. *ſub num*. 17. edito hic Romæ *anno* 1703. ad quem lectorem remitto, ſiquidem in hac ſcribendi materia nemini eſt profectò ſecundus. Vide ſequentem Reſponſionem.

Quær. 2. An in collatione ſerotina jeiuniorum, poſſit quis licitè ſumere octo uncias panis dumtaxat ſine fructibus, aut herbis?

Reſp. Hanc quæſtionem pertractat Diana *par*. 9. *tr*. 6. *reſ*. 15. & contra Pellizzarium reſolvit id eſſe licitum, & pro ſe refert Jacobum Marchantium *in qq. Paſtor par. cap*. 5. & Trullench. *in Decal. tom*. 1. *lib*. 3. *cap*. 2. *dub*. 3. *num*. 8. ubi docet, licitè ſumi poſſe in collatione ſerotina ea, quæ communiter in ientaculis, & poſt prandium ſumi ſolent, ut ſunt arborum fructus, herbæ, & cibi leviores, ut ficus, amigdalæ, uvæ paſſæ, nuces, pyra, poma, olivæ, bellaria, vel alia ex ſaccharo, aut melle cõfecta electuaria: Item & panis, vel ſolus, vel cum aliquo ex dictis. Puto igitur poſſe aliquem licitè ſumere octo uncias ſolius panis, ſicut poteſt etiam ſumere quantitatem unciarum octo, aut nucum, vel amygdalarum, aut aliorum fructuum, quia eo ipſo, quòd conſuetudo introduxit talia obxonia pro ientaculo, liberum rèmanet de ipſis ſumere, quæ magis placuerit, vel conjunctìm, vel ſeparatim in quantitate, ut dixi, unciarum octo, quæ ſanè probabiliter cõceditur à Doctoribus, cum limitatione tamen in præcedenti reſp. adducta, nam ſufficit quòd ſit cibus à conſuetudine introductus, ut non dicatur frangi jejunium ratione qualitatis cibi, ergò quoties quis non excedit quantitatem à Doctoribus permiſſam, & utitur qualitate cibi à conſuetudine introducta, non cenſetur frangere jejunium, & ullo modo peccare, ſi ſumat totam collationem in pane tantùm, vel cum aliquo ex dictis fructibus. Vide Dianam *loco cit*. qui fortioribus terminis hanc ſuſtinet ſententiam, quam quidem tutam in praxi exiſtimo, nam etiam Cajetanus *in ſumm. verb. Jejunium* dicit, poſſe fieri cum pane, & Navar. *in Man. c*. 21. *num*. 12. addit, poſſe ſimiliter cum pane ſumi vinum, aut duo genera fructuum, dummodò non excedatur quãtitas unciarum octo, addo ego. Vide Tolet. *lib*. 6. *cap*. 2. *ſub num*. 3. *propè fin*. Tandem puto itidem eſſe licitum ſumere totam quantitatem panis unciarum octo, & ipſam vino imbuere, quamvis ex hoc creſcat in pondere, quia hujuſmodi augumentum ponderis eſt omninò per accidens: Secus autem dicendum eſt de pane cocto, ut in ſequenti quæſito oſtendam, quia actione ignis mutatur cibus, & novum generatur ferculum. Vide ſequentem reſponſionem.

Quær. 3. An liceat in diebus jejuniorum, in collatione veſpertina veſci pane cocto, aut herbis elixatis cum aqua, ſale, & oleo?

Reſp. Quòd jentaculum licitè fieri poſſit in diebus jeiuniorum, cum pane cocto cum aqua, ſale, & oleo, modò octo uncias non excedat, aliis relatis, affirmat Diana *par*. 9. *tr*. 6. *reſ*. 29. *verſ. Quid ego ſentiam, & par*. 10. *tr*. 14. *reſ*. 58. *verſ. Sed quia*. Verùm ego hanc ſententiam non admitto, niſi aliud ferat iuſta cauſa, ut docui *in hoc titulo ad Interrogationem* 10. nec eam admittit Layman *lib*. 4. *tr*. 8. *cap*. 1. *num*. 9. Filliuc. *tom*. 2. *tract*. 27. *qu*. 6. *num*. 31. Bonac. *de legib. diſput. ult. qu*. 1. *punct*. 3. *ſub num*. 5. & alii: Ratio eſt, quia valdè mutatatur materia ſubiecta, & ex ea ſit alius cibus magis nutritivus, ac magis pondus acquirit, undè generatur ferculum, quod ſolùm adhiberi licet in prandio, &

cœna

cœna, non autem in colla ione ſerotina; ideo talis conſuetudo haud viget apud timoratæ conſcientiæ viros, neq; eſt uſu recepta, ſiquidem communiter Theologi non permittunt iuſcula in collatione veſpertina, immò Leander *de præcept. Eccl. tr.* 5. *diſp.* 4. *qu.* 30. *& ſeqq.* rectè probat, non ſolùm minimè licere piſces fumo ſiccatos, & ſale conditos, ſed nec cibum album, vulgo bianco mangiare, ſi vice carnis conficiatur ex piſcibus; nec legumina cum iuſculo, & ſimilia: Neſcio igitur quo pacto quidam, & præſertim Diana, concedant iuſculum panis cocti, abſque peculiari indigentia, & neceſſitate: Unde puto iuſcula non eſſe in collatione introducenda, veluti introducta non ſunt à conſuetudine Doctorum, & proborum hominum, quorum conſuetudini in hoc ſtandum eſt, nec facilè carpenda. Itaque firmum remaneat licitum non eſſe ſine iuſta aliqua cauſa veſci pane cocto aqua, ſale, & oleo condito, quia huiuſmodi cibus potius habet rationem pulmenti, quàm obſonii permiſſi à communi conſuetudine, & à Doctoribus piis, ac timoratæ conſcientiæ. Secus autem dicendum eſt de herbis elixatis, dummodò per modum acetarii ſumantur cum ſale, & oleo, quia minimè mutatur materia, nec augetur cibi ſubſtantia in ordine ad nutritionem, nec maius pondus acquirunt, ac per conſequens non generatur pulmentum, ut fit ex pane cocto. Ità videtur ſentire Leander *ubi ſupra qu.* 37. *&* 38. Layman, & alii, quibus ſubſcribit Diana *par.* 10. *loc. ſupracit.* & ego pariter ità ſentio pro veritate, & conſcientia, cum non ſint laxendæ habenæ, niſi ubi adeſt magna ponderis ratio; nam ſumere aliquid in ſero, vel ultra prandium, ad ſuſtentationem naturæ, eſt bis comedere, & conſequenter frangere ieiunium, ut ex D. Tho. docet Armilla *verb. Jejunium ſub n.* 1. *verſ. Tertio*; Undè dicendum eſt, quòd in collatione ſerotina neque eſt licitus cremor amygdolinus, aut triticeus, vulgò Mandolata, ſecundùm Leandrum, & alios, cum ſit valdè nutritivus, & contra finem præcepti, qualis eſt refrænare carnis concupiſcentias. Vide Tolet. *lib.* 6. *cap.* 2. *n.* 1.

TITULUS CVI.

De Ignorantia.

Vide tit. de Bigam. Inter. 3. *tit. de Debit. conjug. Int.* 2. *tit. de Differ. Int.* 3. *tit. de Elect. &c. Int. ult. tit. de Epiſcopat. &c. Int.* 20. 59. *tit. de Fid. Int. ult. tit. de Fil. Int.* 1. *tit. de Paroch. Inter.* 24. 25. 26. 36. 38. *tit. de Regul. &c. Int.* 58. *& ad queſ.* 1. *tit. de Sponſal. Int.* 3. *tit. de Tonſ. Int.* 3. *tit. de Val abſ. Int.* 3. 4. 5. 6. *tit. de Val. Benef. Inter.* 4. *tit. de Val. Confeſ. Int.* 1. 5. 8. 12. *tit. de Val. Sac. Pœnit. Int.* 2.

1053 INter. 1. Quotuplex eſt ignorantia?

Reſp. Alia dicitur Juris, alia facti, & alia pœnæ. Ita quoque ignorantia alia eſt Juris communis, alia Juris particularis; præterea ignorantia, ſive Juris, ſive facti ſubdividitur in probabilem, quæ dicitur invincibilis, & inculpabilis, & in improbabilem, quæ vincibilis; & culpabilis appellatur: Ignorantia vincibilis, alia dicitur craſſa, & ſupina, alia verò affectata; Tandé ignorantia vel dicitur antecedens, vel concomitans, vel conſequens voluntatem, antecedens idem eſt ac probàbilis, & invincibilis, concomitans dicitur illa, quæ ſi non adeſſet, actus nihilominus fieret, conſequens denique eſt quando ignoratur aliquid, quia voluntas vult illud ignorare. Vide D. Thom. 1. 2. *q.* 6. *art.* 8. Bonac. *de Cenſ. diſp.* 1. *q.* 2. *pun.* 1. *num.* 1. *& ſeq. & de legib. diſp.* 2. *q.* 8. *pun.* 3. *per totum.*

1054 Inter. 2. Ignorantia Juris excuſatne contrafacientem ab excommunicatione à jure impoſita, ſive ſit juris

particularis Epiſcopi, ſivè univerſalis Eccleſiæ, ſcilicèt Papæ?

Reſp. Eſt quidem magna controverſia inter Doctores: De ſententiis autem latis à jure particulari Epiſcoporum, ſeu Ordinariorum, omnes conveniunt dicentes, ignorantiam, præſertim invincibilem talis Juris, excuſare contrafacientes ab excommunicatione, & aliis cenſuris, & pœnis, ut patet *ex cap. Ut Animarum de conſt. in 6.* ſed de ſententiis à Jure latis à Papa eſt difficultas; Nam dicunt quidam, quòd Papa *in d. cap. Ut Animarum,* in favorem animarum inſtituit non incurrere excommunicationē, qui ſciens factum, ignorat jus, ſed præcepit id ſolum obſervari in ſtatutis Ordinariorum inferiorum, cum nullam mentionem faciat de ſtatutis Papæ; conſequenter, qui ignorat jus Papæ, non ſit immunis ab excommunicatione, & aliis cenſuris, & pœnis, ſi contrafecerit: Hanc ſententiam aliis relatis tenent Chaves *in Summ. Sac. de Excom. quæſt.* 8. Alii verò, cum quibus ego ſentio, tenent id locum habere ne dum in Conſtitution. Ordinarii Inferioris, ſed etiam Summi Pontificis, quia non videtur differentia inter utrumque jus, niſi quòd Lex præſumit aliquem magis, & facilius ignorare jus privatum, quàm publicum, ut notant DD. *in d. cap. Ut Animarum*; unde cum ſimus in foro poli, in quo ceſſat præſumptio, & ſola veritas attenditur, non videtur poſſe conſtitui differentia inter utrumque Jus, & ità docent Panor. *in cap. A nobis de ſenten. Excomm.* S. Antoninus 3. *par. tit.* 25. *cap.* 33. Sylveſ. *verb. Ignorantia ſub num.* 16. Navar. *in man. cap.* 27. *num.* 16. Zecus *de Caſ. reſer. caſ.* 1. *pag.* 28. Dian. *par.* 3. *tract.* 6. *reſ.* 41. Alias rationes. & difficultates, vide apud præfatos Auctores, & præſertim Sanchez. *tom.* 3. *de Matrim. lib.* 9. *diſp.* 32. *num.* 31. Et Bonac. *de Cenſ. diſp.* 1. *quæſt.* 2. *punct.* 1. *num.* 6. Ego enim more meo brevitati ſtudeo.

1055 Inter. 3. Ignorantia vincibilis juris, vel facti excuſatne ab incurſione cenſurarum?

Reſp. Jam ſuppono, quòd Ignorantia vincibilis, hic ſumatur pro culpabili, quæ eſt quando quis audit, vel dubitàt de cenſura Juris, vel facti, adhibet diligentiam, ſed non moraliter neceſſariam pro qualitate rei, & ideò eſt mortaliter culpabilis. Dico igitur eſſe valde probabile, hanc ignorantiam excuſare ab incurſione cenſurarum, & aliarum pœnarum, cum non ſit neque craſſa, neque ſupina, ut eſt, quando quis ex tædio, aut pigritia, modicam, aut nullam adhibet diligentiam. Undè quia *ex cap.* 2. *de Conſt. in 6.* habètur, quòd ignorantia, quæ non eſt craſſa, neque ſupina, excuſat ab omnibus ſententiis Ordinariorum, remanet probatum, ignorantiam purè vincibilem, ſeu mortaliter culpabilem, excuſare ab incurſione cenſurarum, aliarumque pœnarum. Ita tradunt Portell. *in addit. ad dubia Reg. verb Ignorantia num.* 25. Sanchez *tom.* 3. *de Matrim. lib.* 9. *diſp.* 32. *n.* 31. Bonac. *de Cenſ. diſp.* 1. *quæſt.* 2. *pun.* 1. *num.* 10. & alii plures, quos refert, & ſequitur Diana *par.* 3. *tr.* 5. *reſ.* 13. *& par.* 4. *tract.* 2. *reſ.* 85. *verſ. Notandum eſt igitur & par.* 9. *tract.* 4. *reſ.* 42. Et hæc ſententia mihi non diſplicet, quia non quodlibet peccatum mortale ſufficit ad incurrendas cenſuras, ſed requiritur peccatum mortale, quòd habet rationem contumaciæ, quæ contumacia non datur, quando quis fecit aliquam diligentiam, licèt non moraliter ſufficientem; ergo non poteſt incurrere pœnas, quæ imponuntur ſolùm contra contumaces, ſeu inobedientes. Vide Dian. *par.* 5. *tr.* 9. *reſ.* 17. *& par.* 9. *tract.* 6. *reſ.* 13.

1056 Inter. 4. Qui ex feneſtra proiicit lapidem, ut Clericum percutiat, ſed caſu, & invincibiliter ignorans percutit alium Clericum illac tunc tranſeuntem, inciditne in excommunicationem?

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Minimè, quia qui cædit caſu prætereuntem, non intendit cædere illum, nec alium Clericum in perſona illius; unde cum præter intentionem ſequatur talis percuſſio, excommunicationem non incurrit. Sanchez apud Moronum *reſp.*80.*n.*43.Molina *de Juſt. tract.* 3. *diſp.* 53. *num.* 3. & ex eo Diana *p.* 9. *tr.* 4. *reſ.* 31. ubi præterea aſſerit, quòd ſi mors quoque ſequatur, irregularis non fiat. Vide ipſum, & nõ pigebit, *& in titulo* 89. *ad Inter.* 6.

1507 Inter. 5. Qui probabiliter ignorat Titium eſſe Clericum, ſi eum percutiat, incurritne excommunicationem, ſi reverà ſit Clericus?

Reſp. Si tonſuram, & habitum non videat, & credat non eſſe Clericum, non incurrit, quia ignorantia invincibilis excuſat à cenſura. Diana *par.* 9. *tr.* 4. *reſ.* 42. *& reſ.* 27. propè finem.

1058 Inter. 6. Titius percuſſit percuſſione gravi Cajum Clericum, ſed neſciebat illum eſſe Clericum, quia incedebat in habitu laicali, & ſine tonſura, comamque nutriebat, quæro an Titius ſit excommunicatus, & quomodo in foro externo poſſit ipſe probare ignorantiam?

Reſp. Dico primo, quòd ignorantia invincibilis excuſat ab incurſione cenſuræ, & de hoc nulli dubium eſt, ut dicam ad Inter. 10. hujuſmet tituli de Ignorantia, & teſtatur Diana *par.* 9. *tr.* 4. *reſ.* 42. *in princ.* Vide Bonac. *de cenſ. diſp.* 1. *q.* 2. *pun.* 1. *ſub num.* 16. Dico ſecundo quod ignorantia iuris, vel facti, etiamſi ſit vincibilis, poſito quod non ſit craſſa, & mortalis, excuſat tranſgreſſorem à mortali, & conſequenter ab incurſione cenſuræ. Diana *part.* 3. *tr.* 6. *reſ.* 51. & melius id dixit ibidem tract. 5. reſ. 13. *& in Sum. verb. Cenſura num.* 17. *& verb. irregularitas ſub num.* 5. Alloza *verb. ignorantia num.* 24. Mendo *Epit. C. n. Moral. eodem verb. num.* 17. *&* 18. Ex his ergo apparet Titium ob ignorantiam excuſandum eſſe ab incurſione cenſuræ, dum percutiendo Clericum arbitratus eſt eſſe laicum, quia habitum, & tonſuram non geſtavit; nam ignorantia invincibilis, & etiam vincibilis, dummodo non ſit craſſa, & ſupina, aut mortaliter culpabilis, excuſat ab incurſione cenſuræ, ut habetur *ex cap.* 2. *de Conſt. in* 6. Quando denique allegatio ignorantiæ in caſu noſtro dubia ſit, in foro exteriori probari debet per iuramentum ipſius. *Cap. Si verò de ſent. excom.* Et latè probat Diana *par.* 10. *tract.* 12. *reſ.* 4. *verſ. Confirmatur hæc doctrina*, Moronus *reſp.* 60. *num.* 44. Ignorantia igitur, non ſolùm excuſat in foro poli, ſed etiam in externo iudicio, quando iuramento probatur; Si verò iurare non vult, præſumptio eſt contrà illum, & tanquam excommunicatus vitari debet. Vide dictum *cap. Si verò, de ſent. excom.* & ibi Gloſ. *in verb. Propria, & verb. noluerit*, ac etiam Bonac. *tomo* 2. *de peccatis diſp.* 2. *quæſt.* 8. *pun.* 3. *num.* 13.

1059 Inter. 7. Qui ex ignorantia invincibili de excommunicatione committit aliquod peccatum, cui eſt annexa aliqua excommunicatio reſervata, poteſtne abſolvi à Confeſſario non habente facultatem abſolvendi ab excõmunicatione?

Reſp. In excommunicationem reſervatam non incidit, qui ignorantia invincibili laborat, ſive hæc ſit ignorantia Juris, ſive facti, quia ad incurrendam excommunicationem requiritur contumacia, ideſt inobedientia contra legem, quæ contumacia non datur ubi adeſt invincibilis ignorantia, ut docent S. Thom. 2. 2. *q.* 65. *ar.* 3. D. Antoninus 3. *par. tit.* 25. *c.* 33. Sylv. *verb. Ignorantia* §. 16. Tolet. *lib.* 1. *c.* 8. *n.* 4. 5. *&* 6. Navar. *in man. c.* 23. *n.* 44. *& ſeq.* Em. Sà *verb. Ignorantia*, & alii communiter; Ergo dicendum eſt, quod licèt quis peccet faciendo aliquid contra præceptum divinum, tamen excommunicationem, vel aliam cenſuram (poſita ignorantia invincibili de cenſura) non incurrit, & conſequenter à quolibet Confeſſario poteſt ab-

abſolvi; Vide Bonac. *de Cenſ. diſp.* 1. *quæſt.* 2. *punt.* 1. *num.* 6. 7. *&* 8. qui citat Doctores ad ſatietatè. Dian. *pa.* 3. *tr.* 6. *reſ.* 41. Sylv. *verb. Excomm.* 10. *quæſt.* 3. Imò Dian. *par.* 4. *tr.* 2. *reſ.* 85. ex Portello dicit hoc eſſe verùm etiam de ignorantia vincibili, dummodò non ſit craſſa, & ſupina, ita quoque tenent Navar. Sanchez, & Caſtropal. quos ſequitur Moron. *reſp.* 23. *ſub num.* 11: Layman *tom.* 1. *lib.* 1. *tract.* 5. *c.* 5. *n.* 7. Bonacin. *de Legibus diſp.* 2. *quæſt.* 8. *pun.* 3. *n.* 10. & alii plures.

1060 Inter. 8. Qui commiſit peccatum reſervatum, ſed neſcit, & ignorat eſſe reſervatum, poteſtne à Confeſſario non habente facultatem ſuper reſervatis abſolvi?

Reſp. Negativè reſpondent quamplurimi Doctores, quia peccati reſervatio directè impedit Confeſſarium, ne abſolvat; Itaque pœnitens ſivè ſciat, ſivè neſciat peccatum eſſe reſervatum, non poteſt per ſimplicem Confeſſarium abſolvi; Nam reſervatio ligat etiam ignorantes reſervationem, neque in reſervatione caſuum requiritur ſcire illos eſſe reſervatos. Ità Mazuch. *de caſ. reſerv. diſp.* 2. *quæſt.* 2. *difficul.* 6. Jacobus Mancinus *in Append. ad pract.* 3 *dub.* 18. Merolla *t.* 1. *diſp.* 1. *c.* 2. *diffic.* 11. *num.* 642. & alii. Oppoſitum tamen ſuſtinent Joſeph de Januario apud Diana *par.* 10. *tr.* 14. *reſ.* 63. Gabriel à S. Vincentio *par.* 3. *de Sac. pœnit. diſp.* 9. *quæſt.* 3. *dub.* 3. nec diſſentit Navar. *in man. c.* 27. *n.* 16. *&* 80. Graffius *de Caſ. reſer. lib.* 2. *c.* 40. *n.* 29. & alii, ſed prima ſententia ſequenda eſt in praxi.

1061 Inter. 9. Titius cum duabus Sororibus carnaliter peccavit, ſed neſciebat illas eſſe Sorores, accedit ad Confeſſarium, in cuius Diœceſi Inceſtus eſt caſus reſervatus; poteſtne ſimplex Confeſſarius illum abſolvere?

Reſp. Licèt ignorantia reſervationis non tribuat facultatem abſolvendi pœnitentem, qui reſervationem ignorat, ut dixi *in antecedenti Reſp.* & præter Doctores ibidem citat. docet Sanchez *tom.* 3. *lib.* 9. *de Matrimon. diſp.* 32. *num.* 18. & communem ſententiam fatetur eſſe Dian. *par.* 6. *tr.* 6. *reſ.* 42. *verſ. His tamen non obſtant &c.* Verùm in caſu noſtro Titius poteſt à ſimplici Confeſſario abſolvi, quia licèt non excuſetur à peccato fornicationis, excuſatur tamen à peccato inceſtus; & ità caſus non eſt reſervatus, cum probabiliter ignoraverit, illas fœminas eſſe Sorores. Ità Zeccus *de caſibus reſ. caſ.* 1. *fol. mihi* 27. Et de hoc ego non dubito.

1062 Inter. 10. Titius ignorabat neminem poſſe abſque labe Simoniæ Epiſcopo inſervire animo obtinendi Beneficium in pretium ſervitii, quare ſervivit cuidam Epiſcopo eo animo, & intentione, poteſtne Titius à quolibet Confeſſario abſolvi?

Reſp. Si Titius invincibiliter id ignorabat, excuſatur quidem à peccato, & ab excommunicatione; nam ignorantia, dummodò non ſit affectata, & craſſa, excuſat etiam ab excommunicatione, ut docent plures Doctores quos ſequitur Sà *verb. Ignorantia.* Imò addo Simoniacum per ignorantiam invincibilem, excommunicationem non incurrere, iuxtà ſententiam Navar. *in Man. cap.* 17. *num.* 16. Lopez, Victoriæ, & Soti apud eumdem Sà *verb. Simonia num.* 13. Vide igitur id quod ego dixi *in titul.* 89. *ad Inter.* 16. *& in preſenti tit. ad Int.* 7. & dic poſſe Titium abſolvi à quocunque ſimplici Confeſſario, quia nullam excommunicationem contraxit. Vide Allozam *verb. Cenſura ſect.* 6. *n.* 6. & præſertim Dianam *par.* 5. *tract.* 9. *reſ.* 17. ubi concordantes refert.

1063 Inter. 11. Confeſſarius qui novit Pœnitentem ob Impedimentum latens invalidè contraxiſſe Matrimonium, quomodò poteſt in dicto caſu cognoſcere, an Pœnitens laboret ignorantia vincibili, vel detineatur errore invincibili?

Reſp. Debet prudenter intelligere à Pœ-

à Pœnitente, an credat ſe eſſe in bono ſtatu, vel aliquo ſcrupulo agitetur, hoc tamen prudenter agendum eſt, nè ex interrogatione, vel interrogandi circumſtantiis Pœnitens ſe detineri dubia fide incipiat: Si pœnitens nullis agitatur ſcrupulis, & credit ſe eſſe in bono ſtatu, certum eſt, quòd ignorantia invincibili laborat, ſi verò dubiam conſcientiam habet, culpata laborare ignorantia cenſetur. Bonac. & præſertim Cabrin. *par.* 2. *caſ.* 6. *pag.* 129. ita rectè tradunt.

1064 Inter. 12. Peccantne mortalitèr Epiſcopi, Superiores, Confeſſarii, Medici, Advocati &c. qui neſciunt ea, quæ ad eorum munus pertinent?

Reſp. Certò mortalitèr peccant, primò quia officia talia non debent aſſumere, niſi ſint ad talia exercenda ſufficienter inſtructi, aliter eis imputatur; Imperitia enim in rebus ad proprium officium pertinentibus non excuſat à mortali, maximè quando gravis intercedit negligentia in quærenda veritate circa ea, ad quæ quis eſt obligatus ſcire, ut concors Doctorum ſententia docet. Secundò qui tenetur ſcire, & poteſt ſcire conſulendo libros, vel viros doctos, & negligit hoc facere, peccat ex ignorantia craſſa, & ſupina, & conſequenter ſi fecerit contra legem prohibentem aliquid ſub pœna excommunicationis ipſo facto, talem non evaderet pœnam, nam ignorantia non excuſat in iis, quæ quis tenetur ex officio inquirere: Colligitur ex *cap. ad Falſariorum, de crimine falſi*, & nonnullis relatis docet Fagnan. in *cap. nullus, de Regul. num.* 47. Vide Sylveſt. *verb. Ignorantia ſub num.* 10. & 13. Jacobum Mancinum *pract.* 4. *dub.* 9. *verſ. Dico tertio*. Allozam *in Sum. verb. Ignorantia num.* 5. & 6. & alios.

1065 Inter. 13. Penitus illitteratus, ſeù Idiota, poteſtne ab Epiſcopo promoveri ad Ordines minores, vel ſaltem ad primam Clericalem tonſuram?

Reſp. Talis proculdubio irregularis eſt, nam irregularitas oritur etiam ex defectu ſcientiæ, ut docent communitèr Doctores, teſte Diana *par.* 2. *tract.* 16. *reſ.* 29. & expreſsè patet *ex cap. Illiteratos* 1. 36. *diſt. ex cap. præcipimus diſt.* 34. *cap.* 1. & *cap. fin. de tempore ordinan. in* 6. *cap. omnes pſallentes, cum pluribus ſeqq. diſt.* 38. habetur etiam ex Concil. Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 4. Vide Navar. *cap.* 27. *num.* 205. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 64. Mirandam *in man. Prælat. tom.* 2. *quæſt.* 8. *art.* 7. *concl.* 1. *in princ.* Conſequentèr nec ad Ordines, nec ad primam tonſuram promoveri poteſt. Ut docet etiam Pax-Jordanus *tom.* 1. *lib.* 1. *tit.* 19. *num.* 5. ubi plures concordantes refert; & demum Diana *par.* 4. *tr.* 2. *reſ.* 74. *in princ.* & eſt communis ſententia.

1066 Inter. 14. Poteſtne Epiſcopus licitè Ordinare, ſeù Ordines conferre alicui Clerico Sęculari, ſi minùs ſit literatus, & ſcientiam ſufficientem non habet?

Reſp. Pax-Jordanus *to.* 1. *lib.* 3. *tit.* 6. *num.* 243. affirmativè reſpondet, modo tamen ordinetur dumtaxat ad inſerviendum Choro, & Divinis Officiis, & ad Sacrum peragendum, & non ad curam Animarum habendam, nam inquit ipſe Doctor, minorem ſcientiam, & literaturam in illo ſufficere, maximè in aliquibus Diœceſibus, attenta maximè paupertate, Magiſtrorum paucitate, & quod peiùs eſt, animis à ſtudiorum laboribus abhorrentibus, & pro ſe citat Gloſ. *in cap.* 1. *diſt.* 36. *verb. Illiteratus*, ubi dicitur. *Scientia mediocris ſufficit*, & probatur *cap. cum nobis olim*, iuncta Gloſ. *de elect. verb. literaturæ*, ubi agitur de literarum ſufficientia in Epiſcopis requiſita. Imo Gloſ. *in dicto cap.* 1. 36. *diſt.* dicit quòd in clerico non requiritur ſumma perfectio, & id probat *ex lege ſciendum*, §. *illud, de ædilit.* & *l. ſi qui: venditor, eodem tit.* Advertit tamen idem Pax Jordanus *ubi ſuprà num.* 248. *in fin.* quod ſobriè, & magna

Digitized by Google

gna cum circumſpectione Epiſcopus ſe gerere debet in dicto caſu, ideoque non niſi quando adeſt ſpes proficiendi & non aliter debet ordinare illum, quem minùs peritum invenerit, ne à Concil. diſpoſitione recedatur in totum, nam ut plurimum Clerici Sæculares ſemèl ordinati, nil ampliùs addiſcunt, nec ſtudere ultrò procurant, ut faciunt Regulares, ut ipſamet experientia comprobatur, cum ex continuo convictu, & communicatione cum doctis in Religione ſatis inſtructi evadant, quam rationem etiam ſufficientèr ad ordinandum Clericum Sæcularem, docet Innocen. *in cap. cum in cunctis de elect. num.* 1. *Vide in tit.* 213. *de Subdiaconis, ad Inter.* 1. Ego tamèn me remitto ad ea, quæ dicam *in tit.* 180. *de Regularibus, ſeù Religioſis ad Inter.* 58. *in fine*.

1067 Inter. 15. Poteſtne Epiſcopus, vel Parochus à matrimonio arcere, qui fidei rudimenta neſciunt?

Reſp. Statuere impedimenta matrimonii, non ad Epiſcopum, ſed ad Summum Pontificem ſpectat, conſequenter non poteſt Epiſcopus, præſertim ad longum tempus id prohibere, ſeù à matrimonio contrahendo arcere qui Chriſtianam doctrinam ignorant, aut ſaltem orationem Dominicam, Angelicam Salutationem, Symbolum Fidei, & Decalogi præcepta, ob ingenii tarditatem, memoria non retinent, nam hoc eſſet novum impedimentum inducere. Expedit tamen illos ſuaviter abſque vi, bono modo, & prudenti ratione ad breve tempus impedire, ut ſic addiſcendæ doctrinæ curam habeant. Vide Sanchez *de Matrim. tom.* 1. *lib.* 3. *diſp.* 15. *num.* 19. Homobonum *de bonis in Exam. Eccleſ. par.* 3. *tr.* 13. *c.* 11. *q.* 33. *reſol.* 2. quibus adſtipulatur Diana *par.* 4. *tr.* 4. *reſol.* 85. & etiam ego libenter adhæreo.

1068 Inter. 16. Poſſuntne ſalvari illi homines, qui cum nihil audierint de fide Evāgelica invincibilitèr ignorant legem Baptiſmi, & alia Chriſtianæ Religionis myſteria, quæ debent ſciri neceſſitate medii?

Reſp. Dico primò ſecundum fidem catholicam neminem ſalvari poſſe ſine Baptiſmo re, vel voto ſuſcepto: Nam Conc. Trident. *ſeſſ.* 6. *de juſtificatione cap.* 4. definivit, quod prima juſtificatio impii, poſt Evangelium promulgatum, ſine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non poteſt. Damnatum quoque Pelagii dogma fuiſſe docentis parvulos ſine Baptiſmo habere vitam æternam, liquet ex Epiſtolis 89. 90. 91. & 92. apud S. P. Auguſt. & *in lib. primo de peccatorum meritis cap.* 20. Dico 2. juxtà doctrinam D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 1. *in corp.* illos, qui nihil audierunt de fide, ac proinde invincibiliter ignorant legem Chriſti, damnari non propter legem Chriſti ignoratam, ſed propter alia peccata ab ipſis cōmiſſa contra legem naturæ, quæ ſine fide Chriſti remitti non poſſunt. Dico 3. cum Navar. *in Man. cap.* 11. *num.* 22. peccare mortalitèr, qui deliberatè credit quemcumque infidelem, ſi benè moraliter vixerit, poſſe in ſua ſecta ſalvari: Imò addo ſic credentem eſſe hæreticum, ut conſtat ex principio, & fine Symboli S. Athan. & in Concil. Generali Lateranen. celebrato tempore Innoc. III. (ut habetur *in cap. firmitèr, de Sum. Trinit. & fide Cathol.*) definitur ſic; *Vna eſt fidelium Vniverſalis Eccleſia, extra quam nullus omninò ſalvatur*.

1069 Inter. 17. Qui errant in fide, & in foro externo allegāt ex ignorantia erraſſe, eſtne ei credendum?

Reſp. Nequaquam eſt illi credendum, præſertim ſi error commiſſus ſit circa illa, quæ quis ex officio, vel quæ paſſim, & communiter illius conditionis homines ſcire tenentur. Unde Souſa *in Aphor. Inquiſit. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 14. Caſtropalao *tom.* 1. *tract.* 4. *punt.* 5. *num.* 5. & alii penès ipſum dicunt, quod Sacerdos, & alii viri docti errantes in articulis fidei, & præceptis

Digitized by Google

ptis Decalogi, ex malitia præſumuntur errare, non autem ex ignorantia. Concludendũ eſt tandem cum Simãca apud Dian.*par.4.tr.7.reſ.36.verſ.prima opin.* quòd nullus Chriſt.excuſari poſſit pretextu ignorantiæ, ſi erraverit in Articulis fidei, vel in præceptis Decalogi, vel in aliis veritatibus diuulgatis, & quas quis ſcire debet: ſed longè magis inexcuſabiles ſint peritiores, & acutiores. Sed de tali dubio vide omninò Dianam, qui rectè plura congerit ad intentum.

1070 Inter. 18. Quænam ignorantia excuſat ab hæreſi, & conſequenter à pertinacia?

Reſp. Jam docui in tit. 70. de Differentiis ad Inter. 3. quænam ſit ignorantia culpabilis, ſeu voluntaria, ac etiam talem ignorantiam triplicem eſſe, ſcilicet craſſam, ſupinam, & affectatam. Dico hìc igitur, quòd ignorantia affectata contingit, quando quis ex induſtria vult aliquid ignorare; craſſa verò, & ſupina, quando quis non ex induſtria, & propoſito, ſed ex quadam negligentia ignorat ea, quæ poteſt, & debet ſcire; Prior ignorantia eſt directè, & formaliter volita; poſterior autem indirectè, & virtualiter, ſed utraque eſt vincibilis, & culpabilis. Hoc ergò prænotato, reſpondeo ad præſentem difficultatem, & dico, quòd Doctores inter ſe decertant in aſſignando quænam ignorãtia excuſet ab hæreſi, & per conſequens à pertinacia; Aliqui enim putant ignorantiam craſſam, & ſupinam non excuſare, quia ignorantia culpabilis non excuſat ab aliis peccatis, ergò neque ab hæreſi. Ità docent Lorca *in* 2. 2. D. Thom. *qu.* 11. *art.* 2. *diſp.* 41. *num.* 15. Toletus *lib.* 1. *c.* 19. *num.* 2. & alii plures, quos refert, ſed non ſequitur Diana *par.* 4. *tract.* 7. *reſol.36. verſ.prima opinio*; nam ipſe ibidem *verſ. tertia opinio*, pluribus relatis, tenet non ſolùm ignorantiam craſſam, & ſupinam, ſed etiam affectatam excuſare ab hæreſi: ſed hoc intelligit, quando quis affectet, ſeu eligat neſcire res Fidei, non ut liberiùs erret in fide, ſed ex tedio, & negligentia addiſcendi, vel ob aliam cauſam, quæ tamen non ſit error voluntarius cum pertinacia, ità ut velit errare in fide, nec velit obedire Eccleſiæ; nàm ignorantia affectata poteſt contingere etiam ex falſa opinione contra Eccleſiam, & eſt, quando quis putat parvi momenti eſſe ea, quæ in Eccleſia creduntur, & proponuntur: & hoc modo non excuſaretur ab hæreſi, cum ex illa falſa opinione affectaret ignorantiam; conſequenter poſtquam commiſit aliquem errorem contra fidem, proculdubio eſſet hæreticus. Vide Bonac. *de cenſ. diſp.* 2. *qu.*5. *punct.* 1. *num.* 7. Dianam *ubi ſup. & in hoc tit. ad qu.* 3.

1071 Inter. 19. Ignorantia craſſa, ſupina, vel affectata, poteſtne unquam excuſare à pœnis à lege impoſitis contrà tranſgreſſores ejuſdem legis?

Reſp. Quando pœnæ ſunt impoſitæ contra ſcienter aliquid facientes, vel præſumentes facere; plures Doctores dicunt, ignorantiam craſſam, ſeù ſupinam excuſare tranſgreſſorem à pœnis, quia verè non dicitur ſcire, vel præſumere, qui facit aliquid ex ignorantia craſſa, vel ſupina. Ignorantia enim excludit ſcientiam, & præſumptio importat dolum, & temeritatem; & ità docent Pontius *de Matrimon. lib.* 10. *cap.* 6. *num.* 10. Sanch. *tom.* 3. *de Matrim. lib.*9. *diſp.*32. *n.*31. Avila *de cenſ. par.* 2. *cap.* 6. *diſp.* 10. *dub.* 6. Molina, & alii, quos refert, & ſequitur Diana *par.* 3. *tract.* 5. *reſ.* 13. *verſ. Notandum eſt; & par.*5. *tract.*9. *reſ.* 17. Imò Bonac. aliique plures dicunt hoc eſſe verum, etiamſi quis operetur cum ignorantia affectata, ſcilicet quando nullam diligentiam adhibuit ex malitia ad liberiùs peccandũ. Vide Bonacin. *de Cenſur. diſp.* 1. *qu.*2. *pun.* 1. *num.* 11. *&* 12. *& diſp.*2. *qu.*5. *punct.* 4. *num.* 9. *& tom.* 3. *de Cenſ. in Bulla Cœnæ, diſp.* 1. *qu.*2, *punct.*4. *n.*9.

Dian.

Digitized by Google

Dian. *par.* 3. *tract.* 6. *reſ.* 7. & alios apud ipſos. Vide etiam quæ dixi *in tit.* 6. *de Abſol. à reſer. ad Inter.* 4. ubi hoc non approbavi, ſed limita hanc ſententiam, niſi ignorantia craſſa non ſit conjuncta cum ingenti temeritate, quia tunc cenſetur adeſſe ſcientia, & non excuſat tranſgreſſorem à pœna, quod quidem eſt valdè notandum.

3072 Inter. 20. Cajus quadam die in itinere dubitabat, utrum adeſſet præceptum de Jejunio, & poſt longum examen, perſeverante dubio, comedit carnem; poſt hoc idem Cajus incidit in Titium, qui rogatus affirmavit, (ſub dubio tamen) adeſſe præceptum. Cajus verò hoc idem negans, invitavit Titium ad ludum hujuſmodi: Eamus, inquit in Urbem, & ſi adeſt præceptum Jejunii, ego dabo tibi centum: ſciebat tamen Cajus latam fuiſſe legem, aliquando prohibentem hujuſmodi ludos; ſed credebat in præſenti eſſe abrogatam; & quidem lex illa vetabat tales ludos ſub pœna pecuniaria, quod tamen Cajus id nunquam ſciverat. Quæritur ergò primò peccavitne Cajus non obſervando Jejunium? ſecundò fecitne Cajus contra legem, quam putabat per ignorantiã abrogatam? tertiò teneturne ad pœnam, cum nihil ſciret de illa?

Reſp. Primò, Doctores docent, quòd ſi facta debita diligentia quis adhuc dubitat, an hodie ſit dies jejunii, non teneatur jejunare, cum poſſeſſio non ſit pro præcepto jejunii, ſed pro libertate illius dubitantis; Tamen hoc eſt intelligendum, ſi practicè, & cum ratione ſufficienti hic, & nunc deponat dubium, cum ad rectè operandum requiratur judicium practicum moraliter certum, ut benè obſervat Laym. *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. §. 1. *num.* 3. & alii, aliàs non erit tutus in operando, ac proindè peccat, cum ſe exponat periculo peccandi. Vide Lezanam *tom.* 2. *verb. Dubia Reg. num.* 3. Bon. *de legib. diſp.* 2. *qu.* 4. *pun.* 7. *num.* 3. Unde quia Cajus, perſeverante dubio comedit carnem, ideòque mortaliter peccavit operando practicè cum dubio de peccato, quod quidem nunquam licet. Vide Cajetan. *in Summ. verb. Periculum peccandi*. Reſp. 2. non feciſſe contra legem, niſi materialiter, quia ignorantia excuſavit eum, dum bona fide credebat, legem fuiſſe abrogatam, vel non uſu receptam, nec de hoc dubitabat, quamvis in foro contentioſo, talis ignorantia non præſumatur, niſi probetur. Reſp. 3. In foro conſcientiæ ad pœnam illam nõ teneri, neque in foro fori ante Judicis ſententiam; nam ſicut ignorantia legis excuſat à tranſgreſſione, ita etiam excuſabit à pœna; res enim, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit. Imò juſta credulitas à pœna legis humanæ excuſat, ut inter alios docet Emm. Sà. *verb. pœna num.* 11. Ergo Caius in foro poli ad illam pœnam non tenetur; immo neque in foro fori, ſi aliquo modo, vel ſaltem iuramento eius ignorantiam probaverit; dummodo præſumptio aliqua contra illum non urgeat; quia tunc eius non crederetur iuramento, ſed coniecturis, ſi aliquæ eſſent in contrarium. Quod autem ignorantia in foro externo iuramento probari poſſit, docet Sylv. *verb. Lex. num.* 7. & aliis allegatis probat etiam Diana *par.* 9. *tr.* 4. *reſ.* 42. *ſub verſ. Unde ex his;* & *par.* 10. *tract.* 12. *reſ.* 4. & ego obiter dixi *ad Int.* 6. *hujus tituli*; & concordat Bonac. *tom.* 2. *de legib. diſp.* 2. *q.* 8. *pun.* 3. *num.* 13. Cæterùm in foro conſcientiæ ſtandum eſt dicto pœnitentis, tam pro ſe, quàm contra ſe, ut firmavi *in tit.* 42. *de Confeſſariis ad Int.* 10.

Quær. 1. An qui per ignorantiam invincibilem dixit, aut fecit aliquid contrà fidem, ſi cognito errore accedat ad ſimplicem Confeſſarium, poſſit ab eo abſolvi?

Reſp. Ignorantia invincibilis ſine dubio excuſat ab hæreſi, & pertinacia, quia cum illa involuntaria ſit, imputari non poteſt ad culpam. Undè

S. P.

Digitized by Google

S. P. Auguſtinus *in Epiſt.* 48. ſic habet ; Porrò tot gentium populos ipſa ignorantia oſtendit innocentes. Et cōtra Creſconium *cap.* 26. ait : Si enim conſcientia propterea lædi non potuit, quia neſcivit, nunc incipit lædi, quia ſcivit. Ergo ignorantia inculpabilis, ſeù invincibilis, excuſat ab hæreſi incurrenda, præſertim in foro conſcientiæ, ut ex communi docet Bordon. *in Sac. Tribunal. cap.* 9. *ſect.* 2. *q.* 6. *num.* 33. quem citat D. meus Dandinus *de Suſp. de hæreſi cap.* 1. *ſect.* 6. *n.* 64. & ratio eſt quia qui ignorantia invincibili ductus, facit aliquid contra fidem, non habet voluntatem contradicendi doctrinis Eccleſiæ, ut habet S. Thomas 2. 2. *q.* 10. *art.* 2. ideò qui ignoranter errat contra fidem, ſed eſt paratus Eccleſiæ Romanæ obedire, & credere id quod Illa credere intellexerit, coram Deo non eſt hæreticus, neque excommunicatus, & ſic poterit à quolibet Confeſſario abſolvi. Vide *cap. damnamus de Sum. Trin.* Navar. *in Man. cap.* 11. *num.* 22. Sylveſtrum *verb. hæreſis* 1. *num.* 6. Em. Sà *eodem verb. ſub num.* 1. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 4. Caiet. *in ſumm. verb. excommunicatio c.* 1. Quando igitur homo errat non ex proprio defectu ſuo, non eſt hæreticus ; nam ut ait S. P. Auguſtinus, quem refert Sylveſter *ubi ſup.* non efficitur infidelis, niſi volens ; undè in ratione hæreſis includitur electio falſitatis, quæ electio importat liberam inclinationem voluntatis; ſed qui errat per ignorantiam invincibilem, non habet voluntatem contradicendi doctrinis Eccleſiæ, maximè ſi erit vir ruſticus, vel indoctus circà ea quæ ſcire non tenetur, vel ſcire non poteſt, nimirum eſſe contra traditiones Apoſtolicas, vel contrà determinationem Eccleſiæ id quod fecit, aut dixit ; ergo non ſolùm non eſt hæreticus, ſed neque peccat. Quando vero quis errat circà ea quæ ſcire tenetur de neceſſitate medii, ut ſunt articuli fidei, qui continentur in Symbolo Apoſtolorum, & inter Catholicos publicè ſolemnizantur, ignorantia illum quidem excuſat ab hæreſi, & pertinacia, ſed non à peccato mortali ; Ideò videnda ſunt quę dixi *tit.* 94. *de Fide, ad Int.* 1. & 2. ne Confeſſarii fallantur.

Quær. 2. An hæreticus ignorans excommunicationem, in illam incurrat? & an poſſit à quolibet Confeſſario abſolvi?

Reſp. Noviſſimè hanc quæſtionem movet A. R. P. Auguſtinus Lucenſis in ſua Cautela Confeſſarii, edita hìc Romæ anno 1704. Vir quippè ob plures, ac eruditos codices, non ſolùm Urbi, ſed etiam univerſo Orbi celebris, & ad quęſitum negativè reſpondet *loco cit. lib.* 1. *cap.* 8. *propoſ.* 12. *n.* 9. ait enim, quòd ad incurrendam cenſuram ſat eſt quòd quis ſit pertinax, & hæreſim internam externè manifeſtet. Verùm oppoſitum tuetur Sanch. *in Summ. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 5. & de omni excommunicatione ob quodvis delictum probat *to.* 3. *de Matrim. lib.* 9. *diſp.* 32. *num.* 13. & huic ſententiæ ſe ſubſcribit Diana *par.* 5. *tract.* 13. *reſ.* 18. Immo hoc eſſe verum putat, non ſolùm quando pœnitens ignorantia invincibili, ſed etiam quando culpata vincibili laborat, dummodò non ſit craſſa, & ſupina, & ratio eſt, quia poſita tali ignorantia excommunicationis, in eam deliquens non incurrit ; ergò poterit à quolibet Confeſſario abſolvi ; & hæc ſententia mihi valdè probatur, quia non quodlibet peccatum mortale ſufficit ad incurrendas cenſuras, ſed requiritur peccatum mortale, quod habeat rationem contumaciæ ; quæ contumacia non datur quando quis ignorantia invincibili laborat, aut quando fecit aliquam diligentiam, licèt non moraliter ſufficientem ; ergò non poteſt incurrere pœnam, quæ imponitur contra contumaces, ſeù inobedientes, ac per conſequens ſequitur, quòd etiam ignorantia mortaliter culpabilis facti prohibiti, poterit à pœna excommunica-

tionis delinquentem excuſare; Ad excõmunicationem enim requiritur ſcientia, & contumacia, ut concors Doctorum ſententia tenet. Nec relevat ſi dicatur adhuc hujuſmodi delinquentem eſſe contumacem, quia ſciens, & volens, vult fovere errorem contra Eccleſiam Romanam; Quia aliud eſt quòd quis habeat pertinaciam peccandi, atque adeò non excuſetur à culpa, etiam contra fidem; aliud verò, quòd habeat contemptum clavium Eccleſiæ, & in præceptum peculiare cenſuræ inobediendo ſpeciali inobedientia delinquat; Hoc ſecundum ad incurrendam cenſuram requiritur, ſicut benè idem P. Auguſtinus Matthęuccius affirmaverat *num. præcedenti*, quia excommunicatio eſt pœna, nedùm delinquentis, quocunque modo, ſed contemnentis claves Eccleſiæ, quę ſunt in ligando, ſaltem monitum ipſo jure, quòd ſeparabitur à communione Eccleſiæ, niſi ſe corrigat. Nec etiã eſt eadem ratio de ſimplici reſervatione, quæ afficit etiam ignorantem illã, cum ſit ſuſpenſio facultatis Confeſſarii, & de excommunicatione, quæ eſt pœna afficiens directè delinquentem, modo prædicto, quæ non cadit in ignorantem, ut dixit etiam idem Auctor *loc. cit. num.* 8. & eſt quidem communior ſententia. Et tandèm eſt ſententia ſatis probabilis, (cum ſimus in foro poli, in quo ceſſat præſumptio, & ſola veritas attenditur) quòd tam ignorantia juris particularis Epiſcopi, quàm juris univerſalis Eccleſiæ, ſcilicèt Papæ, excuſet ab excommunicatione à jure impoſita. Vide ergò quæ dixi *in hoc tit. ad Int.* 2. *&* 3. & Doctores ibi relatos, & præſertim Dian. *par.* 9. *tr.* 6. *reſ.* 13. qui pluribus allegatis, hanc noſtram ſententiam ſuſtinet, & meritò. Quòd autem poſſit dari hæc ignorantia non ſolùm in Regno Hiſpaniarum, ſed etiam ubique, apud me eſt indubitatum; ideoque non admitto id quod docet Hurtadus de Mẽdozza apud Dianam *in prim. loco citat.* ſed dico, quòd tàm in Hiſpania, quàm alibi poſita ignorantia, de qua locuti ſumus, (quæ utinam non daretur) excuſat delinquentem ab excommunicatione, quæ eſt annexa caſibus Põtificiis, atque adeò poterit abſolvi à quocunque Confeſſario habente juriſdictionem in peccata mortalia hujus rei, qui in tales caſus eſt lapſus. Vide iterùm Dian. *par.* 5. *tr.* 9. *reſ.* 10 ubi plura ad intentum.

Quær. 3. An cenſendus ſit hæreticus, qui ex ignorantia craſſa, ſeù ſupina, errat contra fidem, modò ſit paratus corrigi, cognita veritate, & quid dicendum ſit de ignorantia affectata?

Reſp. Hoc in primis eſt certum, quòd ignorantia craſſa, & ſupina, eſt quando quis non ex induſtria, & propoſito, ſed ex quadam negligentia ignorat ea, quæ poteſt, & debet ſcire; at ignorantia affectata, eſt quando quis ex induſtria vult aliquid ignorare, & quamvis utraque ſit vincibilis, & culpabilis, tamen affectata eſt directè, & formaliter voluntaria; nam craſſa, & ſupina ſolùm indirectè, & virtualiter: hoc ergo prænotato, docent nonnulli, ignorantiam craſſam, & ſupinam non excuſare ab hęreſi, & per conſequens à pertinacia. Ita Toletus *lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 2. Sayrus *de cenſu. lib.* 1. *cap.* 14. *n.* 15. & alii plures apud Dianam *par.* 4. *tr.* 7. *reſ.* 36. Alii verò, quos refert, & ſequitur idem Diana, abſolutè tenent nullum errantem contra fidem ex ignorantia craſſa, eſſe hæreticum. Et ratio eſt, quia de ratione hæreſis eſt, ut quis erret in fide, ſciens ſe credere, & opinari, vel dubitare, (nam dubium in fide reducitur ad hæreſim) contra communem ſenſum Eccleſiæ; ſed qui habet craſſam ignorantiam circà communem ſenſum Eccleſiæ non errat, ſciens ſe credere, & opinari, vel dubitare contra commumem ſenſum Eccleſiæ, ergò non eſt hæreticus. Deinde hæreſis eſt error voluntarius cum pertinacia

Digitized by Google

contra veritatem fidei, ſed qui errat in rebus fidei ex ignorãtia craſſa,& eſt paratus obedire, & corrigi, cognito errore, non dicitur habere voluntariũ errorem cum pertinacia, ergò &c. & licèt talis error ſit voluntarius in cauſa, & culpabilis, tamen non habet gravitatem hæreſis, quæ conſiſtit in voluntario errore cum pertinacia cõtra diffinitionem Eccleſiæ. Ità pariter docet Bonac. *tom.* 1. *diſp.* 1. *q.* 1. *pu.* 4. *n.* 6. Immo in foro conſcientiæ communis ſentẽtia docet,non ſolùm ignorantiam craſſam, & ſupinam, ſed etiã affectatam excuſare ab hæreſi, quando quis affectat, ſeù negligit ſcire res fidei, non ut liberius erret in fide, ſed ex tedio, & negligentia addiſcendi, vel ob aliam cauſam, nam licèt offẽdat Deum ranquam culpabiliter ignorans, tamen non eſt verus hæreticus, quia non dicitur errare cum pertinacia, cum ſit paratus corrigi ab Eccleſia, nec quidquam ſentire velit contra Eccleſiæ definitionem. Vide Bonacin. & Dianam *locis cit.* qui Diana etiam ad argumenta contraria reſpondet, & hanc ſententiam communem, & probabiliorem vocat, eamque pluribus allegatis ſuſtinet Illuſtriſſimus Dandinus *in ſuo erudito volumine de ſuſpect. de hær. præliminare* 14. *num.* 13. *&* 15. & huic ſententiæ iterum me ſubſcribo, quia hæreſis non eſt peccatum ignorantiæ, ſed error intellectus cum pertinacia, quæ in caſu noſtro nõ adeſt. Vide ergo *in hoc tit. ad Int.* 18. ubi egi de tali dubio, & hanc ſententiam docui.

TITULUS CVII.

De Illegitimis.

Vide tit. Elect.&c.Int.ult.tit. de Epiſc. &c.Int. 34. *tit. de Reſt. dq. Int.* 1. 3. 4.

1073 INter. 1. Teneturne filius credere Matri conjugatæ dicenti, eum eſſe de adulterio natum?

Reſp. Communis ſententia docet, non teneri Matri id aſſerenti credere, quamvis in fine vitæ illa cum juramẽto confirmaret, niſi circumſtantiæ valdè urgerent, aut rationibus convincatur, ut ſi v. g. conceptus fuit marito abſente, &c. multo minus tenetur filius credere dicto Patris, quia non ità certus eſt, ac Mater; Immo Panormitanus *in cap. Per tuas de probat.* Vult non teneri credere, etſi uterque parens dicat, niſi teſtimonia, aut indicia ſufficientia adducant, Vide Tolet. *lib.* 5. *cap.* 21. *ſub num.* 4. Em. Sà *verb. Adulterium ſub num.* 3. Bonac. *de Matr. qu.* 4. *pun.* 15. *num.* 21. *&* 22. *& de cenſur. diſp.* 7. *q.* 2. *punct.* 3. *n.* 5. Dianam *par.* 4. *tr.* 2. *reſ.* 59. *verſ. Notandum eſt*; Allozam *verb. Irregularitàs ſect.* 4. *num.* 43. & Moronum *reſp.* 66. *num.* 29. qui latè, & perdoctè hanc ſuſtinet ſententiam, & plures concordantes refert: Immo Diana ubi ſupra aſſerit ex Mercero, neminem debere ſe reputare illegitimum propter aliquem rumorem, & infamiam; quia hæc non inducunt ſufficientem probationem, & prævalet poſſeſſio bonæ fidei, cum juſto titulo matrimonii, niſi probabilis ſit conjectura in contrariũ; addo ego.

1074 Inter. 2. Illegitimus eſtne capax penſionis?

Reſp. Minimè,quia illegitimus eſt irregularis, & licèt penſio non ſit Beneficium, nihilominus non datur irregulari ſine diſpenſatione. Emmanuel Sà *verb. Penſio n.* 6. Theſaurus *in praxi par.* 2. *cap.* 2.

1075 Inter. 3. Si illegittimus fuit diſpenſatus ad Ordines, ſitne capax penſionis, vel requiritur alia diſpenſatio?

Reſp. Dicunt nonnulli apud ipſum Theſaurum loco cit. illegitimum non eſſe incapacem penſionis, niſi ratione defectus ad Clericatum, excepta penſione ſuper Beneficio Patris ex Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 15. & ità Rotam decidiſſe coram Buratto teſtantur: Alii verò dicunt deciſionem Rotæ nullius ro-

bo ris eſſe in dicto caſu, quia ſtylus Data riæ, & Cancellariæ, cui magis ſtandum eſt, tanquam magis Papæ fauorabili, eſt in contrarium. Vide Garciam *de Benef. to. 1. par. 1. cap. 5. n.* 120. apud Dianam *pa.* 8. *tr.* 3. *reſ.* 39. At ego cum Caſtro Palao *tom.* 2. *de Relig. tract. de Beneſic. diſp.* 1. *punt.* 11. §. 3. *num.* 5. hanc poſteriorem ſententiam probabiliorem puto.

1076 Inter. 4. Monialis, quæ non eſt de legitimo thoro nata, poteſtne eligi in Abbatiſsã, vel Prioriſſam abſque ulla diſpenſatione?

Reſp. Doctores prout video, inter ſe valdè decertant circa hujus quęſiti reſponſionem, ut videre licèt apud Sanchez *in ſum. tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 19. & 20. & Lezanã *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 26. *num.* 6. Dianam *par.* 3. *tr.* 2. *reſ.* 101. & Barboſam *in collect. ad Tridentinum ſeſſ.* 25. *de Regul. cap.* 7. *nu.* 2. & pro utraque parte referunt Sac. Cõgregationis deciſionem. Ego tamen ſentio cum illis, qui aſſerunt, illegitimam non poſſe, abſque diſpenſatione Papæ, ſecluſis Religionum privilegiis, eſſe Abbatiſſam, vel Prioriſſam, ut docet Sanchez *loco cit.* Barboſa *de poteſt. Epiſc. par.* 3. *alleg.* 100. *num.* 13. Suarez *de Cenſuris tom.* 5. *diſp.* 50. *ſect.* 5. *num.* 15. Caſtellinus *de Electione cap.* 17 *num.* 5. Aldanus *in compend. can. reſol. lib.* 1. *tit.* 28. *num.* 10. Tamburinus *de Iure Abbatiſſarum diſp.* 28. *quęſt.* 21. Non nego tamen cum Sanchez *ubi ſup. num.* 20. & Diana *loc. cit.* poſſe Superiores Regularium, ut ſtatim dicam, in dicta illegitimitate diſpenſare. Vide Sanchez, & Portellum *in dub. Regul. verb. Abbatiſſa num.* 6. quia Sixtus V. loquitur de viris tantùm; Unde Generales, & Provinciales Ordinum Mendicantium poſſunt diſpenſare cũ Monialibus ſibi ſubditis, ut non obſtante hoc vitio poſſint eſſe Abbatiſſæ, vel Prioriſſe, ut docet etiam Rodriguez *tom.* 1. *quæſt.* 13. *art.* 22.

Quær. 1. An illegitimus ingrediendo Religionem poſſit abſque diſpenſatione ad omnes ordines, & dignitates Religionis promoveri? & an idẽ dicendum ſit de Expoſito?

Reſp. Ex communi conſenſu Doctorum irregularitas ex defectu natalium tollitur per profeſſionem ſolemnem Religionis quòad omnes ordines ſuſcipiendos, non autem quòad Prælaturas intra Religionem, vel extra eam obtinendas, habetur & *cap.* 1. & *cap. final. de filiis Presbyterorum*, & docent duodecim Doctores, penes Dianam *par.* 5. *tr.* 2. *reſ.* 65. qui teſtatur de communi; hanc ſententiam docet etiam Sylveſter *verb. illegitimus n.* 8. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 68. *in fine*, Em. Sà *verb. irregularitas ſub num.* 9. & noviſſimè P. Rotarius *in Appar. Theol. moral. par.* 3. *cap.* 10. *ſect.* 2. *ſub nu.* 8. qui etiam putat, quòd illegitimus poſſit promoveri ad Prælaturas Religionis, Generalatus, aut prima dignitate excepta; Sed ego omnino neceſſariam eſſe puto diſpenſationem, quam ſecundum Dianam concedere poſſunt Prælati Ruglares in Capitulo Generali, vel Provinciali, ſuis ſubditis illegitimis propter privilegia, de quibus loquuntur Villalbos, Portellus, & Barboſa, apud Dianam *loc. cit:* Immo ipſe Diana *par.* 10. *tr.* 9. *per totum*, aſſerit poſſe etiam Generales Religionum Mendicantium, Monachalium, & aliarum cum ſibi ſubditis illegitimis diſpenſare, non ſolùm ad Prælaturas inferiores, ſed etiam ad Generalatum, propter diverſa priuilegia à Summis Pontificibus conceſſa Religionibus, cui ſe ſubſcribunt nonnulli Celebres Theologi, ut uidere licet apud ipſum *loco proximè cit.* ubi latè, ac doctè de hac tractat difficultate; Vide etiam Lezanam *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 18. *n.* 60. Ego enim brevitatem amplector, præſertim quia mala valetudine laboro: Tamen puto ſolum Papam poſſe diſpenſare cum illegitimo, ut ſit Generalis Religionis, quia tanta eſt Generalatus dignitas, ut valdè dedeceat, ad tale officium aſſumi vilem perſonã,

& qua-

Digitized by Google

& quadam juris infamia notatatam ; à Prælato enim, *præſertim ſupremo*, longè quælibet abeſſe debet occaſio contemptus ob bonum publicum *cap. final. diſt. 63*. Ideòque non ſufficit adducere privilegia communia, quibus datur facultas Religionibus, vel Prælato earum diſpenſandi cum talibus, ſed in conceſſione facta à Pontificibus debuiſſet exprimi, & expreſſa fuiſſet conditio officii Generalatus, ſi Pontifices voluiſſent, quod Superiores Regulares poſſent diſpenſare illegitimos ad tantum officium, veriſſimum eſt namque illud Juris axioma, *lex ſi voluiſſet: expreſſiſſet*: Quare ſi dicta privilegia ſint indefinita, mihi ſanè non videtur tuta in praxi hæc opinio Dianæ, cum privilegia non ſint amplianda, ſed ſtrictè interpretanda, quando ſunt contra jus, ut minus juri communi derogent. *cap. cum dilectus de conſuet.* Ità docent Sylveſt. *verb. privilegium quæſ. 3.* Armilla *eodem verb. num.* 5. Miranda *to. 2. quæſt. 4. art. 6.* & alii. Unde ſi Papa diſpenſat cum illegitimo, ut poſſit effici Clericus, non per hoc poterit promoveri ad Sacros Ordines, quia eſt in materia odioſa, ideo ſolum ad minores promoveri poterit. Pan. *in cap. ſi quiſquam de cohab. cler. & Mulier*: Item legitimatus à Papa ad dignitates, non eſt legitimatus ad Epiſcopatum, & majores dignitates, ſed ad inferiores, ut ex Goſ. & Hoſt. docet Armilla *in verb. Legitimus ſub num. 8.* Ergo &c. Tandem quoad Expoſitos licet P. Rotarius *ubi ſupra* dicat præſumendos eſſe illegitimos, & conſequenter irregulares, tamen communis ſententia Doctorum docet oppoſitum, ut videre eſt apud Dianam *par. 2. tr. 14. reſ. 22. & par. 4. tract. 2. reſ. 68.* Allozam, *in ſum. verb. Irregularitas ſect. 4. num. 44.* qui teſtatur de communi, & Moronum *Reſp. 66.* qui perdoctè ad argumenta contraria reſpondet. Undè cum hæc opinio ſit magis communis, & probabilior, ut aſſerit idem Diana *par. 10. tr. 16. reſ. 96.* plures concordantes allegans, ideò eam alibi docui, & ab ea recedendum non eſſe puto, quia præſumptio, qua cenſetur illegitimus, in nullo jure fundatur, ſed præſumptio, quà probatur legitimus, ex jure naturæ deducitur, cum quilibet ſit in poſſeſſione famæ, & bonus ſemper præſumatur, atque honeſtus, & legitimus, aliter ſit ei iniuria. Meritò igitur Greg. XIV. in quadam Bulla pro Confraternitate Expoſitorū S. Spiritus in ſaxia *anno* 1591. declaravit Expoſitos eſſe reputandos tanquā legitimos, & puri ſanguinis ad omnes ordines, & præbendas obtinendas, ut multi teſtantur Authores penès eundē Dianam *locis cit.* Ergo Expoſiti, ſive remaneant in ſæculo, ſive Religionem ingrediantur, nulla indigent diſpenſatione pro obtinendis beneficiis, vel dignitatibus, ſicuti ea indigent, qui revera ſunt illegitimi, & nullo modo dubitatur, ſiquidem irregularitas non eſt admittenda, niſi jure exprimatur; ſed expoſiti nullo jure decernuntur illegitimi, ergo cenſeri non debent irregulares. Vide pro hac noſtra Sententia Lezanā *tom. 3. verb. Illegitimi num. 15. 16. & 17.* apud quem alia plura poſſunt haberi circa hanc difficultatem, & huic noſtræ ſententiæ favet etiam Bordonus *in conſ. Regul. tom. 1. reſ. 12. num. 55. Vide in tit. 83. Intcr. 35.*

Quær. 2 An irregularitas incurratur ab illegitimo, quamvis ſit occultus, & quis poſſit cum eo diſpenſare?

Reſp. Illegitimum quantumvis occultum, & communiter in foro exteriori legitimum reputatum, in foro conſcientiæ incurrere irregularitatem, & verè irregularem eſſe, aſſerunt Doctores communiter, quia *in cap. 1. & fin. de filiis Preſbyterorum in 6.* nulla ſit diſtinctio de publico illegitimo, vel occulto. Ità Navar. *in man. cap. 27. num. 205.* Layman *lib. 1. tract. 5. par. 5. cap. 5. num. 1.* Bonac. *tom. 1. de cenſur. diſp. 7. q. 2. pun. 3. num 2.* & alii plures, quos refert, & ſequitur Diana

par.

par. 10. tr. 13. reſ. 30. verſ. ſed ego quibus ego addo Sylveſtrum *verb. illegitimus num.* 2. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 58. *num.* 1. Lezanam *tom.* 3. *verb. illegitimus n.* 7. Rotarium *in Appar. Theol. Moral par.* 3. *cap.* 12. *ſect.* 2. *num.* 8. & eſt communis ſententia, ut dixi. Itaque omnes, qui ex illicito concubitu, tam occulto, quàm publico nati ſunt, ratione irregularitatis, quam ex defectu natalium incurrunt, nequeunt ſine diſpenſatione ad Ordines promoveri; Verum eſt tamen, quod ab Epiſcopo diſpenſari poſſunt, quoad ordines minores, & ad ſimplex Beneficium obtinendum, ut dixi *in tit. de Epiſcopatu, & Epiſcopis, ad Inter.* 34. Quoad Ordines verò majores, Beneficium curatum, & cæteras dignitates, ſolus Papa cum eis diſpenſare poteſt. Verum ne quis ſe infamare cogatur apud Summum Pontificem, facilè recurrere poterit ad Em: Cardin. Majorem Pœnitentiarium, ut per officium Sac. Pœnitentiariæ ſecum diſpenſare dignetur, & ſic occurrere poteſt illi periculo ſe, & Parentes infamandi, quare non placet id, quòd ex aliis docet Diana *par.* 4. *tr.* 2. *reſ.* 64. nempè poſſe promoveri ad ordines, urgente gravi neceſſitate, abſque diſpenſatione, vel poſſe Epiſcopum cum eo diſpenſare &c. Videatur quæſo Diana *loc. cit. & par.* 10. *tr.* 11. *reſ.* 24. ubi plura ad intentum haberi poſſunt. Placet tamen id, quod ex Merceto docet ipſe Diana *dicta par.* 4. *tr.* 2. *reſ.* 60. & Lezana, *ubi ſupra num.* 16. ſcilicet neminem debere ſe reputare illegittimum, propter aliquem rumorem, & infamiam, quia hæc non inducunt ſufficientem probationem, & prævalet poſſeſſio bonæ fidei, cum juſto titulo Matrimonii. Vide Præfatos Authores, & ea, quæ dixi in *in hoc tit. ad Int.* 1. Immo filius nec Matri id dicente credere tenetur, niſi adſint conjecturæ in contrarium.

TITULUS CVIII.

De Impedimentis dirimentibus Matrimonium.

Vide tit. de Affin. Inter. 3. 4. *tit. de Cog. Matr. dirim. tit. de Epſcop. &c. Int.* 38. *tit. de Fornic. Inter. ult. tit. de Ign. Inter.* 11. *tit. de Moribun. &c. Inter.* 8. *tit. de Sac. Matr. Inter.* 13. 14. 15. 16. 17. 19. *tit. de Val. Sac. Matr. Inter.* 1. 2. 8. 9. 10. 11. 12. 13.

1077 INter. 1. Quæ, & quot ſunt impedimenta, quæ non ſolum impediunt, ſed etiam dirimunt Matrimonium?

Reſp. Sunt quatuordecim, quæ omnia his verſibus continentur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen.
Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas
Si ſis affinis, ſi fortè coire nequibis,
Si Parochi, & duplicis deſit præſantia Teſtis,
Raptaque ſit mulier, nec Parti reddita tutæ.
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Ita Bonac. *de Matrim. quæſt.* 3. *pun.* 1. *num.* 9. Tolet. *lib.* 7. *ſub num.* 1. Em. Sà *verb. Imped. dirim.* & alii communiter.

1078 Inter. 2. Si Parochus in confeſſione novit aliquem habere impedimentum matrimonium dirimens, poteſtne ei denegare matrimonium, vel quid facere debet in tali caſu?

Reſp. Nequaquam poteſt illi denegare matrimonium propter impedimentum in confeſſione cognitum, aliàs eſſet fractor ſigilli Confeſſionis; debet igitur ipſum pœnitentem intra confeſſionem admonere, ne contrahat; ſi verò jam parata ſint omnia ad nuptias, nec adeſt alia via evadendi infamiam, vel ſuſpicionem gravis delicti in confeſſione manifeſtati, poteſt Con-

feſſa-

ſeſſarius uti tali remedio, ut ſponſus voveat caſtitatē ad menſē, deindè dicat conſanguineis, aut etiam aliis, ſe voto caſtitatis obſtrictum eſſe, ſibique à Confeſſario mandatum eſſe, ut à Matrimonio abſtineat, donec obtineatur à Sede Apoſtolica diſpenſatio; debet tamen cavere nè dicat, votum eſſe ad tempus, ne audientes poſſint dicere quod ſufficiat Epiſcopi diſpenſatio, nàm tunc dictum remedium nihil valeret. Ita interminis docet Bonac. *de Matrim. quæſt. 3. pun. 15. n. 6. verſ. Sed obſerva* ex aliis ibì citatis. Vide Sanchez *de Matrim tom.* 1. *lib.* 2. *diſp.* 40.

1079 Inter. 3. Teneturne Confeſſarius monere Pœnitentem, quem ob impedimentū latens novit invalidè contraxiſſe Matrimonium?

Reſp. Si Confeſſarius intelligat Pœnitem laborare ingnorantia invincibili, vel ſaltem mortaliter non culpabili, & arbitretur admonitione non ſecuturum eſſe fructum, ſed potius ſcādala, graviaque incommoda, rixas, inquietudinem &c. diſſimulare, & Pœnitentam in bona fide relinquere debet, quia ſi Pœnitens anteà non peccabat ratione inculpatæ ignorantiæ, peccabit poſtea ratione malæ conſcientiæ: Ita docet Sanchez *lib.* 2. *de Matrim. diſ.* 38. *num.* 2. Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 13. *num.* 6. Bonac. *de Matrim. quæſt.* 3. *pun. ult. num.* 4. Diana *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 8. qui teſtatur de communi, Cabrin. *par.* 2. *caſ.* 6. *pag.* 129. & alii plures penès ipſos; Si verò Populus hujuſmodi impedimentum ſciret, & ſcandalum ſumeret, quamvis admonitio non eſſet profutura, nihilominus Confeſſarius tenetur in tali caſu Pœnitentem admonere, quia bonum commune eſt anteponendum bono particulari, ut optimè docet Cardin. de Lugo *diſp.* 22. *de pœnit. num.* 24. Bonac. *loco cit.* & alii apud illos. Quādo autem ſperatur admonitio profutura ſine gravi ſcandalo, vel detrimēto majori pœnitentis, cujus majus bonum procurare debet Confeſſarius, certò Pœnitentem admonere tenetur, licet ignorantia invincibili detineatur. Tandem ſi Pœnitens ignorantia vincibili, & mortaliter culpabili laboret, utique Confeſſarius tenetur illum monere, etiamſi ex admonitione nullus ſperetur fructus, vel etiam ſcandali periculū ſubſit, quia ſi diſſimularet, nec Pęnitēti, nec Sacramento conſuleret, ut rectè inquit Cabrin. *loco cit.* quæ omnia ſunt valdè à Confeſſariis notanda, quia paſſim in praxi ſolent accidere.

1080 Inter. 4. Quid faciendum eſt, quando quis obtinuit diſpenſationem ſuper impedimento occulto in foro interno, ſi poſteà contracto Matrimonio detegatur, & publicetur dictum impedimentum?

Reſp. Opus eſt, ut impetretur ratificatio diſpenſationis in foro externo & interim cohabitare non poſſunt ſimul Contrahentes, imò per Judicis officium ſeparandi ſunt donec in foro externo diſpenſationē impetraverint; Vide Bonac. *ſupr. pun. ult. ſub.* 15. *in fine*, & eſt communis doctrina.

1081 Inter. 5. Quodnam remedium adhiberi poteſt quando alter conjugum certò ſcit adeſſe inter eos impedimentum annullans Matrimonium, & impedimentum non poteſt manifeſtari ſine vitæ periculo, vel infamia, aut quando eo manifeſtato probari non poteſt, & adhuc compelleretur conjux ab Epiſcopo per cenſuras permanere in eo matrimonio?

Reſp. Bonac. *de Matrim. quæſt.* 4. *pun.* 4. *n.* 17. *& ſeqq.* ex aliis, quatuor aſſignat remedia; primum ut Conjux conſcius impedimenti petat diſpenſationem, quā facilè habere poteſt à Sac. Pęnitentiaria, ſi impedimentum ſit diſpēſabile, aut ingrediatur Religionē ſi vult, nàm de rigore non tenetur. Secundum eſt ut migret ad alium locum ubi ceſſat ſcandalum, Tertium ut petat divortium: modo adſit juſta c[illegible] illud petendi, qualis eſſe pot[illegible] ſævitia, Adulterium &c. Qua[illegible]m habitare

Digitized by Google

tare cum conjuge, ac ſi eſſent frater, aut Soror, dummodo non ſit periculum alicujus carnis peccati, quod tamen puto valdè difficile. Vide Sanch. *lib. 2. de Matrim. diſp. 39. num.* 13.

1082 Inter. 6. In quo caſu error conditionis ſervilis irritat matrimonium?

Reſp. Quando quis credit ſervum eſſe liberum; matrimonium enim contractum à libero cum ſerva, quam putabat eſſe liberam, vel è contra, contractum à libera cum ſervo, quem putabat eſſe liberum nihil valet: habetur *ex cap. ad noſtram, & cap. propoſuit de conjug. ſervor. & 29. quæſt. 2. per tot.* Verùm ſi ſervus ducit ſervam, quam putat eſſe liberam, matrimonium tenet, quià non ſit deterior conditio errantis; ſicut etiam ſi ſerva nubat ſervo, putans eſſe liberum: Ità pariter ſi ſervus ducit liberam putans eſſe ſervã, vel ſerva nupſit libero putans eſſe ſervum; itidem matrimonium valet, quia melioratur conditio errantis in conditione, ut docet S. Th. *in 4. diſt. 36. art.* 1. Sylv. Navar. Toletus, Bonac. & eſt communis ſententia.

Quær. An ex vi denunciationum teneatur quis denunciare impedimentum Matrimonii occultum, quod probare non poteſt, & an unus teſtis ſufficiat ad effectum impediendi Matrimonium? Et quid dicendum ſit, ſi poſt Matrimonium bona fide contractum aliquod detegatur impedimentum?

Reſp. Communis ſententia docet quemlibet teneri ad detegenda Matrimonii impedimenta, ſi abſque ſuo gravi damno, & incommodo, vel aliorum ſcandalo id facere queat, etiamſi impedimenta occulta ſint, nec probari poſſint. Vide Barboſ *in Collect. DD. in Trident. ſeſſ. 24. de refor. cap. 1. num.* 34. Teneri tamen præmittere correptionem, ſi profuturam ſperet ante denunciationem; Ità etiàm ſufficere unum Teſtem ad impediendum Matrimonium, ratio autem hujus aſſertionis eſt, quià quando non agitur de pœna infe[illegible]da, ſed de vitando damno, vel alterius injuria, aut peccato, quilibet tenetur alterum denunciare; Et quod unus teſtis ſufficiat ad impediendũ matrimoniũ, habetur *ex c. præterea 2. de ſponſ. & cap. ſuper. eo 2. de teſtibus*, debet tamen eſſe fide dignus, & omni exceptione major, nàm dictum hominis fide digni, & omni exceptione majoris facit fidem, & veram notitiam. Notandum eſt tamen, quod non pertinet ad Parochum diſcutere de impedimentis, quià ſpectat ad Superiorem habentem juriſdictionem in foro externo, *cap. 1. de conſanguinit.* Unde Parochus debet ſolùm admonere Epiſcopum, aut ejus Vicarium, ne Matrimoniũ contrahatur cum impedimento, quandò illud ſibi conſtat extrà confeſſionẽ nã ſi per Confeſ. ſacramentalẽ impedimentũ noſcat, ſeù ſciat, non ſolùm non poteſt admonere Epiſcopũ, ſed neque poteſt denegare Matrimonium volentibus illud contrahere, quià nequit uti ſcientia in confeſſione habita, aliàs confeſſio odioſa, & oneroſa redderetur, ideò in tali caſu debet dumtaxat intrà Confeſſionem pœnitentem admonere, ne Matrimonium contrahat, vel ſi ei loqui velit extrà Confeſſionem prius debet ab eo licentiam impetrare loquẽdi de auditis in confeſſione, ne ſigillum Confeſſionis offendat. Ità Bonac. *de Matrim. quæſt. 2. pun. 6. num. 20. & quæſt. 3. pun. ult. num. 13. per totum.* Vide Em. Sà *verb. Matrim. num.* 23. & Dianam *par. 3. tract. 4. reſ.* 221. qui plures Doctores congerit de hac re tractantes; Immò ex Baſilio Pontio advertit obligationem, haud eſſe detegendi impedimentum Matrimonii, ſi ſit occultum, & illud unus ſolùm ſciat, & nullo modo probare valeat: Putat enim Pontius, quòd unicus teſtis etiam in cauſa matrimoniali minimè probet ad effectum impediendi Matrimonium, ideoque nec Ordinarius prohibere poſſit Matrimonium ex dicto unius teſtis abſque aliis adminiculis, quale aſſertum mihi probabile vi-

lè videtur, quià dictum unius non juſtificat, nec condemnat, nàm dictum unius, dictum nullius, & unus, & nullus æquiparantur, *ut dictam in tit. 220. de Teſtibus, & Teſtimoniis, ad Inter.* 12. Non audeo tamen diſcedere à communi Doctorum ſententia, quià multum intereſt ne fiat Matrimonium nullum, vel etiàm cum peccato, non autèm quod à Matrimonio repellàtur ſic contrahere volentes: Minor etiàm probatio requiritur ad vitandum animæ periculum, quàm ad Reum puniendum, neque incumbit revelanti onus probandi, & magna ſatis damna iminent ex Matrimoniis præſertim nullis. Verùm puto certò, neminem teneri ad denunciandum impedimentum Matrimonii occultum, quando conſtat impetratam fuiſſe diſpenſationem pro conſcientiæ foro, vel ab eiſdem contrahentibus, vel à Parocho, quià tunc non peccant ipſi contrahentes, neque Parochus peccabit, nec alius conſcius impedimeti occulti, dùm in tali caſu ceſſat obligationis finis, nec peccat qui nō denunciat, prout ex Sanchez *de Matrim. lib. 3. diſp. 13. n.* 8. *& diſp.* 16. *n.* 14. & aliis firmat idem Bonac. *loco proximè cit. ſub num.* 15. Si autèm poſt contractum Matrimonium detegatur, & publicetur impedimentum, impetranda eſt diſpenſationis ratificatio in foro externo, & interim per Judicis officium ſeparandi ſunt conjuges donec in foro externo diſpenſatio obtineatur, ut aliis relatis docet Bonac. *ubi ſuprà*, & ego jam breviter dixi *in hoc titulo de Impedim. dirim. Matrim. ad Inter.* 4. Cœterum ſi Matrimonium fuerit celebratum bona fide, cum ignorantia invincibili de impedimento, ac præmiſſis denunciationibus, atque coram Paracho, & teſtibus, ſi poſteà aliquod impedimentum occultum ab aliquo teſte detegatur, debet Parochus Conjuges in bona fide relinquere, ſi moraliter certus ſit ſe nihil profuturum, aut timeatur magnum ſcandalum ex ſeparatione, quià non peccant Conjuges ratione inculpatæ ignorantiæ; verùm ſtatim debet Parochus procurare à Sac. Pœnitentiaria diſpenſationem in foro Conſcientiæ, nec non debet admonere illum, qui eſt conſcius impedimenti, ut taceat, ne impedimentum publicetur, & ſcandalum oriatur in populo &c. Tandem poſt impetratam diſpenſationem in foro conſcientiæ, prudenter, & cantè, debet Parochus efficere, ut tale Matrimonium invalidè contractum, validetur poſt diſpenſationem, mediante novo Contrahentium conſenſu, undè poterit illos prudenter interrogare an eis placeat ſimul eſſe in S. Matrimonio junctos, & an iterum tale Matrimonium inirent: Hoc ego dico, quià neceſſarium puto poſt obtentam diſpenſationem, novum eſſe præſtandum conſenſum à contrahentibus Matrimonium, & ratio mihi eſt, quià quòd eſt invalidum a principio, tractù tempus non covaleſcit, ut dicitur *in reg. juris in 6.* Ergò ſi dictum Matrimonium fuit invalidè contractum ob impedimentum dirimens ante diſpenſationem, neque validum erit poſt eam, niſi à contrahentibus denuò præſtetur conſenſus, quià conſenſus legitimus utriuſque contrahentis eſt hujus Sacramenti forma, ſine quà Matrimonium conſiſtere nequit, aliàs eſſet nunc invalidum ex defectu formæ, dum requiritur conſenſus de præſenti verbo, ſcripto, vel nutibus expreſſus, ut ait Em. Sà *ubi ſuprà n.* 10. & alii comm. Vide Dianam *par.* 8. *tract. 3. reſ.* 110. *in fine*. Demum ſi quæras quando occultum dicatur impedimentum, vidè eumdem Dianam *loco cit.* Lezanam *tom. 3. verb. litteræ Apoſtolicæ* & me ipſum *in tit.* 83. *ad Inter.* 24. ubi quædam regula generalis ſtatuitur. Vide etiam quoad tale dubium, quæ dico *in tit.* 228. *de Valido Sac. Matrim. ad quæſ.*

TITULUS CIX.

De Impedimentis non dirimentibus Matrimonium.

Vide tit. de Diſp. Int. 9. tit. de Val. Sac. Matr. Int. 8.

1083 INter. 1. Quænam ſunt illa impedimenta, quæ tantùm impediunt, ſed non dirimunt Matrimonium?

Reſp. Quinque ſunt impedimenta, quæ non dirimunt, ſed ſolùm impediunt Matrimonium contrahendum, nempè Interdictum, Sponſalia, Cathechiſmus, Votum, Crimen. Toletus *lib.* 7. *capit.* 18. *num.* 1. Emman. Sà *verb. Matrimonium impedim. non dirimen.* Bonacina *de matrimon. quæſtione* 3. *punct.* 14. *num.* 1. 1. *& alii comm.*

1084 Inter. 2. Quotuplex eſt crimen impediens Matrimonium?

Reſp. Crimen complectitur ſeptem delicta; primum, Inceſtum ſcienter commiſſum cum Conſanguinea, vel Conſanguineo alterius Conjugis uſque ad quartum gradum, & quamvis Inceſtus ſit occultus; Secundum, raptum alienæ ſponſæ, ſive ſit ſponſa de futuro, ſive de præſenti: Tertium, Uxoricidium, tamen ſunt & qui putant etiam Viricidium, ſed alii probabilius negant; Quartum contingit, quando quis ſuſcipit proprium Filium, vel Filium alterius Conjugis in Baptiſmo, vel in Confirmatione, malo animo, ut contrahat cognationem ſpiritualem cum altero Conjuge, ne reddat debitum, talis, enim, mortuo Conjuge, non poteſt cum alio Matrimonium contrahere, *Canon. de eo* 30. *quæſtion.* 1. Quintum eſt occidere Sacerdotem, dummodò homicida fuerit de crimine convictus in Judicio; Sextum eſt pœnitentia publica, nam quamdiu quis facit publicam pœnitentiam impeditur, ne Matrimonium contrahat; Septimum eſt, quando quis Monialem in Uxorem accipit, quia non ſolùm invalidè contrahit Matrimonium cum Moniali profeſſa, ſed etiã impeditur, ne poſſit cum alia contrahere: Hæc ſunt crimina, ſeu delicta, propter quæ homo à matrimonio contrahendo prohibetur. Toletus *lib.* 7. *cap.* 19. Emmanuel Sà *verb. Matrimon. impedimen. non dirimen.* Bonacina *de Matrim. qu.* 3. *punct.* 14. *num.* 9. & ſeqq. alii communiter.

1085 Inter. 3. Qualem culpam committit contrahens Matrimonium cum impedimentis non dirimentibus?

Reſp. Licèt validè Matrimonium contrahat; tamen ſemper mortaliter peccat, quia facit contra prohibitionem Eccleſiæ in re gravi. Navarr. *in Man. capit.* 22. *numero* 74. Toletus *libr.* 7. *capit.* 18. Sylveſt. *in Summ. verb. Matrimonium, quæſtion.* 6. Vide Bonacinam *loco proximè citato. num.* 21. & eſt communis ſententia. Habens igitur aliquod impedimentum non dirimentiũ, petat diſpenſationem, ſaltem per tertiam perſonam ab Epiſcopo, ut licitè, & ſine peccato contrahere valeat; Poteſt enim Epiſcopus in omnibus præfatis impedimentis diſpenſare, niſi circà votum perfectum, & abſolutum, & circà ſponſalitium, quia aliundè, quàm ex poſitivo jure hæc robur habent peccati, ut optimè docet Cajet. *in Summ. verb. Matrim.* & ibi *de impedim. non dirim.* Vide quoque, ſi lubet, Em. Sà *loco ſupracit. ſub num.* 11. *in addit.* nam etiam ipſe excipit votum caſtitatis, & Religionis; & hæc eſt tutior opinio, quam ego breviter docui *in tit.* 71. *de diſpenſ. ad Int.* 9.

TITU-

TITULUS CX.

De Impedimento publicæ honeſtatis.

Vide tit. de Sac. Matr. Int. 15. 16. 17. tit. de Sponſ. Int. ult. tit. de Val. Sac. Matrim. Int. 4.

1086 INter. 1. Ex Matrimonio rato, & non conſummato, oriturne publicæ honeſtatis impedimentum? & uſque ad quem gradum extenditur?

Reſp. Impedimentum ex matrimonio rato, alii publicæ honeſtatis, alii affinitatis eſſe volunt, ſed minùs probabiliter quidem; Dico igitur quòd ſicut ex ſponſalibus validis oritur impedimentum publicæ honeſtatis, ſic à fortiori ex màtrimonio rato, ut colligitur ex *cap. Sponſam, & cap. ad audientiam de ſponſal.* & docet Bonac. *de matrim. qu. 3. pun. 11. num. 9.* Immò hoc impedimentum extenditur uſque ad 4. gradum, ita ut qui celebravit matrimonium per verba de preſenti, v. g. cum Berta, ſi ipſa moriatur ante matrimonii conſummationem, non poteſt ducere ejuſdem conſanguineam, uſque ad quartum gradum incluſivè, ſine Summi Pontificis diſpenſatione. Tamen verum non eſt, quòd ex matrimonio rato oriatur impedimentum affinitatis, quia nulla affinitas contrahitur antequam matrimonium ſit conſummatum, ut aliis allegatis, firmavi *in tit. 12. de Affinitate, ad Int. 5.* & docent plures Doctores, quos refert, & ſequitur Bonac. loco ſupracitato. Et tandem nota ex matrimonio rato, non conſummato minimè oriri affinitatem, ſed juſtitiam publicæ honeſtatis dirimentem matrimonium, ut declaravit B. Pius V. in ſuo motu proprio incip. *ad Romanum*, editum anno 1586. & itidem impedire uſque ad 4. gradum: Quare audiendi non ſunt docentes, ex matrimonio rato oriri impedimentum affinitatis, & non publicæ honeſtatis, & hoc quòd non excedat primum gradum. Vide Bonacin. *ibidem num. 10.* Barb. *loco prox. citan. ſub num. 12. & ſeq.* Dianam *par. 6. tr. 8. reſ. 25.* & Fagn. *loco infra adducendo num. 12. in cap. ad audientiam.*

1087 Inter. 2. Ex ſponſalibus fictis, & matrimonio invalido, conſurgitne impedimentum publicæ honeſtatis?

Reſp. Ex ſponſalibus fictis, & invalidis ex defectu interioris conſeſus, vel ex alia invaliditate, non conſurgit dictum impedimentum; benè tamen conſurgit ex matrimonio rato invalido, modò non ſit invalidum ex defectu conſenſus. Nec valet dicere, quòd impedimentum non conſurgit ex ſpõſalibus invalidis, ergo neque debet conſurgere ex matrimonio invalido; quia jure novo aliter ſancitum eſt in ſponſalibus, quam in matrimonio, ut conſtat ex præfato motu proprio B. Pii V. ſupra relato. Vide Fagnanum *in cap. Tua de ſponſ. impub. ſub num. 24.* qui ita à Sac. Cong. refert deciſum, & pluribus citatis docet Bonac. *ubi ſupra num. 11.* Sanchez *lib. 7. diſp. 7. num. 5.* & alii apud Barb. *in Trid. ſeſſ. 24. cap. 3. de reform. matrim. num. 14.* qui Auctor ibidem *num. 4.* aſſerit ex Navar. Coninchо, & Reginaldo, impedimentum publicæ honeſtatis oriri ex omnibus ſponſalibus quacunque ratione irritis, quandiù ipſa publica ſunt, & nullitas occulta. Vide ipſum *par. 3. alleg. 51. num. 187. de offic. & poteſt. Epiſc.* ubi idem tenet. Sed oppoſitum patet ex Trid. loc. cit. ubi ſic habet. *Juſtitiæ publicæ honeſtatis impedimẽtum, ubi ſponſalia quacunque ratione valida non erunt, Sancta Synodus prorſus tollit &c.* Vide Fagnanum *in cap. ad audientiam de ſponſ. & matr. num. 8.* Em. Sà. *verb. Matrim. imped. dirimen. num. 12.* & præcipuè Dian. *par. 9. tr. 6. reſ. 52.* qui pluribus allegatis tenet, ut dictum eſt ſupra, & *par. 11. tr. 5. reſ. 12. verſ. Verùm* idem cõfirmat.

1088 Inter. 3. Ex ſponſalibus contra-

ctis à Parentibus nomine filiorum ſine eorum conſenſu, oriturne impedimẽtum publicæ honeſtatis?

Reſp. Non oriri dictum impedimẽtum tradunt Sanchez *de Matrim. lib. 7. diſp. 68. num.* 18. *&* 19. Reginaldus *in praxi fori pœnit. lib.* 31. *num.* 129. *verſ. Adverto quinto* Barb. *de pot. Epiſ. par.* 3. *alleg.* 51. *num.* 186. & alii apud ipſos; nam deeſt promiſſio mutua futuri matrimonii ſigno ſenſibili expreſſa, & debiti conſenſus explicatio.

1089 Inter. 4. Quando ſponſalia mutuo conſenſu diſſolvuntur, ceſſatne publicæ honeſtatis impedimentum?

Reſp. Sicut hoc impedimentum non ceſſat per mortem alterius ſponſi, ut tradunt DD. communiter *ex capit. Sponſam, de ſponſal. & cap. Si quis uxorem*, ita neque ceſſat per diſſolutionẽ ſponſaliorum mutuo conſenſu factam; nam non decet Matrimonium contrahere inter illas perſonas, quæ ſibi factæ ſunt propinquæ per ſponſalia valida, nec ſponſalia ob id non fuerunt valida, eo quod poſtea mutuo conſenſu diſſolvuntur; Ultra quod tale impedimentum ſequeretur non eſſe perpetuum, quod eſt contra *cap. Sponſam, & cap. Si quis deſponſaverit* 27. *qu.* 2. Ita perdoctè firmat Sanchez *lib.* 7. *de matrim. diſp.* 68. *num.* 21. & cum ipſo ſentit Bonac. *eodem tract. qu.* 3. *pun.* 11. *num.* 7. ubi tandem concludit oppoſitam ſententiam in prima editione valdè probabilem exiſtimaſſe, ſuppoſita Cardinalium declaratione, quam afferunt Adverſarii: ſed modò poſt novam Cardinalium declarationem, non eſſe recedendum in praxi à ſententia Sanchez, & aliorum, quæ eſt non ceſſare impedimentum publicæ honeſtatis, quando ſponſalia valida diſſolvuntur mutuo conſenſu contrahentiũ, ut ſupra dictum fuit: Et ita ex Sacra Congreg. firmat Fagnanus *in cap. ad Audientiam de ſponſ. & matrim. n.* 29. Vide Barb. *in Collect. ad Trid. ſeſſ.* 24. *de reform. matrim. cap.* 3. *à num.* 7. qui aliis relatis ſequitur oppoſitum, ſicut Diana *par.* 11. *tract.* 15. *reſ.* 12. ſed ego non diſcedo à prima ſententia, quam probabiliorem puto.

T I T U L U S CXI.

De Impotentia coeundi.

Vide tit. de Differ. Int. 23. *tit. de Val. Sacr. Matr. Int.* 3.

1090 INter. 1. Quid faciendum eſt cum Conjugibus, qui dicunt habere impotentiam coeundi?

Reſp. Si talis impotentia erat ante Matrimonium contractum: matrimonium eſt nullum, non ſolùm jure Ecclaſiaſtico, ſed etiam jure naturæ, ex quacunque cauſa proveniat; ſed hoc intelligendum eſt, dummodò impotẽtia ſit perpetua, & peccat mortaliter, qui matrimonium contrahit cum impotentia perpetua, aut temporali, maximè, ſi diù duratura ſit, quia decipit graviter alterum conjugem. Si verò impotentia ignorabatur, & contractum ſit matrimonium: matrimonium erit validum, ſed videndum, an ſit impotentia perpetua, aut temporalis, & ſi aliqua arte juvari poſſit; nam impeditus, ita ut arte juvari queat, tenetur aliquam moleſtiam perferre, ut illud impedimentum tollatur, ſed non graviſſimam, aut diuturnum morbum, & multo minus cum vitæ periculo. Quòd ſi ſine vitæ periculo non poteſt tolli impedimentum, perpetuum cenſeri debet, ut patet *ex cap. Fraternitatis, de frig. & maleſic.* Impotentia autem perpetua cenſenda eſt, quando non poteſt tolli ſine miraculo, aut peccato, aut vitæ periculo. Quando verò ſperatur, impotentiam tolli poſſe, conceditur triennium ad explorandũ, an poſſint copulari; quod ſi non ſperatur, ſtatim ſeparari debent propter periculum incontinentiæ: ſecluſo verò tali periculo, jura permittunt, ut vir habe-

Digitized by Google

habeat tanquam ſororem, quam non poteſt habere uxorem. *cap. Laudabilem cum Gloſ. de frigid. & malific. & capit. Requiſiviſti 33. qu. 1.* Vivant igitur tanquam Frater, & Soror, hoc eſt non petendo, aut reddendo debitum, nec delectari tangendo, oſculando, &c. Et debent ſeparatim dormire in diſtincto lecto, nam matrimonium inter eos eſt nullum, ſed ut rectè advertunt Doctores, hæc cohabitatio non eſt ſine periculo. Vide Sanchez *to. 2. de Matrim. lib. 7. diſp. 97.* Emm. Sà *verb. Impedim. dirimen. à num. 14. per totum*, Bonac. *de Matrim. qu. 3. pun. 13. num. 12. uſque ad num. 20. incluſivè* & eſt communis ſententia. Vide etiam, quæ dixi *tit. 108. de Impedimen is dirimentibus Matrimonium, ad Inter. 5.*

1091 Inter. 2. Quando incipit triennium, quod permittitur Conjugibus, ut experiantur, an poſſint copulari?

Reſp. Bonac. *loco citato num. 21.* dicit, quòd incipiat à die copulæ attentatæ, quando impotentia provenit ex frigiditate, aut maleficio; quando verò provenit ex arctatione, incipit quãdo incipiunt remedia adhiberi; addit præterea, non requiri, ut hoc tempus ita ſit continuum, ut ſponſi die, ac nocte inhabitaverint, ſed ſufficere, ſi majori anni parte cohabitaverint, quia moraliter loquendo cenſetur triennalis cohabitatio, & pro ſe alios id aſſerentes adducit.

1092 Inter. 3. Berta contraxit matrimonium cum viro improportionato, vel aliquantulum debili, teneturne pati inciſionem, ſi commodè poteſt, ut reddatur apta ad copulam conjugalem?

Reſp. Quidam opinantur non teneri pati inciſionem, quamvis ſine vitæ periculo, aut gravis damni poſſit illã pati, nam volunt tale impedimentum cenſendum eſſe perpetuum, & matrimonium declaradum nullum, nec fœminam teneri hujuſmodi remedia pati, quia per contractum matrimonii fœmina jus ſuum intendit tradere viro apto, non autem inepto, & conſequenter à conjugii onere libera remaneat, & alteri nubere valeat. Hanc ſententiam, quæ eſt Baſilii Pontii *de Matr. lib. 7. cap. 72. num. 2.* & aliorum, ſequitur Diana *par. 3. tract. 4. reſ. 221.* & idem videtur ſentire etiam Tolet. *lib. 7. cap. 16. ſub num. 1.* Tamen communis ſententia docet oppoſitum, nempè teneri pati inciſionem, ſi commodè poſſit ſine magno incommodo, ut aptam ſe reddat viro; hæc eſt D. Thomæ ſententia, quam tuentur Sanchez *de Matrimon. tom. 2. lib. 7. diſp. 93. num. 3.* Villalobos *in Summ. tom. 1. tract. 14. diffic. 18. num. 16.* & alii plures, quos refert Sanchez. Et ratio eſt, quia cum verum ſit matrimonium, jus ſui corporis tranſtulit in virum, nec ullum grave damnum patitur per inciſionem, ut ſupponitur in caſu præſenti, ergò tenetur aliquam moleſtiam perferre in favorem matrimonii, quod habet vinculum indiſſolubile, quare non erit admittenda à Judice ſententia probabilis aliquorum contra communem, & probabiliorem, quam ſequimur.

1093 Inter. 4. Socrates contraxit matrimonium cum Berta, ſed ob impedimentum impotentiæ coeundi, fuit per Judicem nullum declaratum matrimonium, unde Socrates ingreſſus eſt Religionem, & in ea profeſſionem emiſit: ſed poſtea compertus error, & deceptio Judicis, eo quod verè non fuerit impotentia perpetua, ſed temporalis: quæro an Socrates teneatur redire ad Uxorem, vel in Religione, in qua profeſſus eſt remanere?

Reſp. In hoc caſu diſtinguendum eſt: aut Socrates profeſſus eſt antequã Matrmonium conſummaret, aut poſt conſummatum matrimonium; in primo caſu non debet ad uxorem redire; deducitur *ex cap. Ex publico de conver. conjug.* nam Matrimonium ratum diſſolvitur per profeſſionem: In ſecundo verò caſu, debet redire ad uxorem,

quia

quia matrimonium coſummatum non diſſolvitur per profeſſionem ; Immo ad hoc, ut matrimonium dicatur conſummatum ſufficit, quod uxor receperit ſemen viri quacunque arte, licèt nulla interceſſerit clauſtri virginalis violatio ; Ita rectè, aliis allegatis, firmat Bonac. *de Matrim. qu.* 3. *pu.* 13. *num.* 22. *&* *num.* 24. dicit hoc eſſe verum, quamuis ſuſcepiſſet ſacros Ordines, poſtquam cognoſcitur impotentiam non eſſe perpetuam ; nam iſte tenetur ad uxorem illum petentem redire, eo quòd matrimonium non ſit irritum propter impotentiam præſumptam. Verum eſt tamen, quòd in iſtis caſibus Socratès tenetur debitum reddere petenti, non autem petere poterit, propter votum caſtitatis emiſſum in approbata Religione, aut in ſuſceptione ſacrorum Ordinum, nam ejus votum non fuit conditionatum, ſed abſolutum, ergo ad illud tenetur, licèt benè poterit reddere petenti, cum ipſa petens non ſit privata jure petendi.

TITULUS CXII.

De Inceſtu.

Vide tit. de Confeſſ. Sac. Int. 13. 14. *tit. de Deb. Conjug. Int.* 5. *tit. de Ignor. Int.* 9. *tit. de Soc. crim. Int.* 1.

1094 INter. 1. Quid eſt Inceſtus?

Reſp. Inceſtus eſt concubitus cum perſona conſanguinea, vel affine in gradibus prohibitis, ſcilicèt uſque ad quartum gradum conſanguinitatis, vel affinitatis, niſi affinitas fuerit contracta per copulam illicitam, quæ non excedit ſecundum gradum, ut jam dixi *in tit.* 12. *de Affin. ad Inter.* 3. ad quam te remitto, & tradunt DD. cómuniter.

1095 Inter. 2. Committine inceſtum, qui commiſcetur cum Uxore Fratris Uxoris ſuę.

Reſp. Minimè, ratio eſt, quia Fœmina cognita, non Cognoſcentis, ſed ſuæ ipſius Uxoris eſt Affinis : Unde rectè *dicam in tit.* 196. *de Sacramento Matrimonii ad Inter.* 18. nempe, quod Affinitas non parit Affinitatem, ut habetur *cap. quod ſuper his de Conſanguin. & Affinitate*, & expreſsè tradunt Em. Sà *verb. Imped. dirim. n.* 4. *in fine.* Layman. *lib.* 5. *tr.* 10. *par.* 4. *c.* 4. *ſub num.* 4. *verſ.* prætereà. Bonac. *de Matrim. qu.* 3. *pun.* 12. *num.* 3. qui alios Doctores refert, & teſtatur de communi.

1096 Inter. 3. Qui abuteretur duabus Sororibus, unam ſecundum naturam, carnaliter cognoſcendo, Alteram contra naturam in vaſe turpiſſimo, cómiteretne inceſtum?

Reſp. Non, quia per congreſſum contra naturam, non contrahitur affinitas. Eſt communis ſententia.

1097 Inter. 4. Copula inter Confeſſarium, & pœnitentem eſtne peccatum inceſtus neceſſariò explicandum in Confeſſione?

Reſp. Affinitas nulla oritur inter Confeſſarium, & pœnitentem per ſacramentalem confeſſionem ; ergo copula inter Confeſſarium, & pœnitentem, ſcilicet filiam Spiritualem, non habet rationem inceſtus, & conſequenter non eſt circumſtantia neceſſariò aperienda in Confeſſione. Ità docent Em. Sà *verb. Confeſſio num.* 25. *& verb. Luxuria ſub num.* 1. Bonac. *de pœniten. diſp.* 5. *quæſt.* 5. *ſect.* 3. *pun.* 2. §. 3. *diffic.* 3. *num.* 9. *& de matrim. quæſt.* 4. *pun.* 16. *n.* 8. Diana *par.* 1. *tr.* 7. *reſ.* 12. *& in ſum. verb. Circumſtantia num.* 27. & alii penes ipſos, & quamvis S. Thomas in *Addit.* 3. *par. quæſt* 56. *art.* 2. *&* 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 10. *ad* 2. dicat quòd per pœnitentiam contrahitur quoddam fœdus inter mulierem confitentem, & Sacerdotem, ſpirituali cognationi ſimile, ac ſi eſſet ſua ſpiritualis filia, tamē propriè cū ea nō contrahitur, ſed per quādā ſimilitudinem. Vide Conrad. *in Reſp. caſ. conſc. qu.* 141.

propè

propè finem verſ. dicitur etiam, & Em. Sà *verb. luxuria ſub n.* 1. Unde *can. omnes* 30. *quæſt.* 1. intelligitur de inceſtu metaphorico, & Improprio, quatenus Confeſſarius dicitur Pater Spiritualis, ac proinde dicendum eſt cum Bonacina, & aliis ab eo congeſtis, peccatum carnis commiſſum cum pœnitente extra Confeſſionem, non habere malitiam inceſtus neceſſariò explicandam in Confeſſione. Sed hoc intelligendum eſt cum duplici limitatione, prima, ut omnino ſit extra confeſſionem, ità ut non reducatur ad ſollicitationem; quia tunc eſſet graviſſimum ſacrilegium neceſſario explicandum in Confeſſione. Vide quæ dicam de materia ſollicitationis. Secunda limitatio eſt, quòd Confeſſarius nõ ſit proprius Parochus, à quo receptus ſit Baptiſmus; nam Parochus, aut alius cognoſcens fœminam, quam baptizzavit, vel ipſius matrem, committit inceſtum. Tandem concludit Bonac. *ubi ſupra de Matrim.* Parochum habentem copulam cum ſua Parochiana cõmittere ſpeciale peccatum, etiamſi eã non baptizaverit; quia peccat contra proprium officium, eo quod illi ſpecialiter incumbit cura procurandæ ſalutis ſuorum Parochianorum, & teneatur ex officio oves ſibi commiſſas bonis moribus imbuere, quare Parochum fornicantem cum filia ſpirituali deponendum eſſe, & carcerandum, meritò aſſerunt Riccius *deciſ.* 376. Em. Sà *in verb. Luxuria ſub. num.* 1. *ſupracitato*, & alii.

TITULUS CXIII.

De Infamia.

Vide tit. de Abor Inter. 2. 3. 5. 6. *tit. de Confeſ. ſacr. Int.* 22. *tit. de conſuet. Int.* 3. *tit. de Denun. Int.* 14. *tit. de Duell. Int.* 1. *tit. de elect. &c. Int. ult. tit. de Fornic. Int. ult. tit. de Imped. dir. Mat. Int.* 5. *tit. de Irreg. Int.* 13. 23. *tit. de Judicib. Int. ult. tit. de Litt. & Script. Int. ult. tit. de Præl. Reg. Inter.* 28. *tit de Sacr. Euch. Inter.* 5. 6. 7. *tit. de Simon. Int.* 17. *tit. de ſoc. crim: Inter.* 2. *de Teſtib &c. Int.* 7. 13.

1098 Inter. 1. Quomodo poteſt quis famam proximi denigrare: & & quis dicitur infamatus, & quid eſt infamia?

Reſp. Per detractionem, qua quis famam abſentis denigrat, ut imponendo alteri crimen falſum, revelando crimen verum, ſed occultum, crimen verum augendo, interpretando ſiniſtrè factum alterius, negando rectè facta proximi, illa diminuẽdo, vel reticendo, quia ſilentium pro tacita vituperatione accipitur, vel tandem frigidè laudando. Infamare igitur eſt alicujus famam, & exiſtimationem dicto ſcripto, vel facto laceſſere, lædere, & pudorem ejus ſigillare. Iniuſta denigratiò, vel læſio famæ alterius ſi publicè fiat, dicitur contumelia, ſi autem occultè, dicitur detractio. Vide, quæ dixi *in tit.* 68. *de Detractione, & libellis famoſis, ad Inter.* 1. 2. 2. & 4. & *in til.* 70. *de Differentiis, ad Int.* 9. & 11 & *infrà in tit.* 188. *de Reſtitutione Famæ, ad Inter.* 1. Infamatus verò is propriè dicitur, cujus opinio eſt læſa apud bonos, & graves viros, ſecus eſt ſi apud malevolos, & viles perſonas; nam de tali infamia non eſt curandũ, ut docent Doctores communiter; Infamia autem eſt quidam rumor ortus, non à malevolis, ſe à probis, & honeſtis hominibus ſparſus inter multos. Vide Sylveſtrum *verb. Infamia num.* 3. & Lezanam *to.* 1. *par.* 2. *cap.* 27. *ſub num.* 6.

1099 Inter. 2. Quænam ſunt illa crimina, in quibus ſtatuto Juris annexa eſt infamia?

Reſp. Dico cum Lezana *tom.* 2. *verb. Infamia num.* 2. Crimina propter quæ in Jure Canonico, vel Civili eſt impoſita infamia, eſſe crimen lenocinii, crimen militis, propter quod repulſam paſſus eſt ab Exercitu, matrimonium cum duabus, Uſuram, Crimen læſæ Majeſtatis, Hoſtilem perſecu-

Digitized by Google

ſecutionem Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, Periurium, Pugnam publicâ cum feris, Duellum, Jaculatoriæ, & hinſtrionicæ artis periculoſum exercitium, Adulterium deprehenſum, Sodomiam voluntariam, Raptum mulierum, Apoſtaſim à fide, Hæreſim, ejuſque fautores; Simoniam, Proſtitutionem propriæ filiæ, vel Neptis, Matrimonium cum meretrice, vili, abiecta, vel repudiata. Vide etiam Dianam *par.* 10. *tr.* 11. *reſ.* 26. *verſ. Verum*, Em. Sà *verb. Infamia num.* 2. Sanchez *in opuſc. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 3. *dub.* 6. & præſertim Leandrum *quæſt.* 8. *tract.* 2. *de irregul. diſp.* 26. *pag.* 243. qui luculenter enumerat delicta, quibus annexa eſt Infamia, plura alia crimina, quâ ſuperius recenſita ſunt afferens. Et nota quod infamis jure Civili, regulariter eſt etiam infamis jure Canonico. Alia verò crimina notoria, licèt ſine depoſitione digna; tamen ſi infamiam juris non habent annexam, non inducunt veram irregularitatem, ut tenet Lezana *mox adducendus num.* 5. niſi poſt ſententiam Judicis; unde per adulterium, & crimina adulterio minora, non incurritur vera irregularitas; ſed ſuſpenſio quædam ob indecentiam, donec infamia ſit abſterſa triennali emẽdatione; nam emendatio probatur per triennalem laudabilem vitam, ut docet Dianà *loco cit.* Lezana *tom.* 3. *verb. infamia num.* 5. *& num.* 15. *&* 16. & alii plures. Vide ſequentem Reſponſionem.

1100 Inter. 3. In quo caſu incurritur Infamia juris, vel infamia facti, & utraque Infamia repellitur à ſuſceptione Ordinum, vel ab ipſorum uſu ſi jam fuerint ſuſcepti?

Reſp. Infamia Juris incurritur per delictum, cui à Jure, ſivè Canonico, ſivè Civili impoſita eſt infamiæ pœna, ſivè per Judicis ſententiam definitivam, qua aliquis de aliquo grav. crimine damnatur. *cap. Infames* 3. *q.* 7 & ibi gloſ. *in verb. Porrò l. infamem* 7. *ff. de public. Judic. l. quod ergo* 13. §. *ex promiſſo ff. de his qui notantur Infamia*; Panor. *in cap. teſtamentum de Teſtibus in* 6. Decius *in cap. Et ſi Clerici* 4. *n.* 177 *de Judic.* Baldus *in cap. Reprehenſibilis* 26. *num.* 1. *de Appell.* Præterea talis infamis remanet irregularis, & colligitur *ex cap. Infames* 6. *quæſt.* 1. *cap. qui in aliquo diſt.* 15. *cap. teſtes* 2. *quæſt.* 7. & ex Regula *Infamibus in* 6. & docent Sylveſt. *verb. Infamia q.* 5. *num.* 8. Toletus *lib.* 1. *cap.* 62. *ſub num.* 1. Andreas à Matre Dei *in curſ. Theol. moral. tom.* 2. *tract.* 10. *de cenſ. cap.* 8. *punct.* 8. *ſub n.* 80. Suarez *tom.* 5. *de cenſ. diſp.* 48. *ſect.* 2. *in princ.* & alii plures, quos refert, & ſequitur Garcia *de Benef. par.* 7. *cap.* 8. *num.* 44. Infamia autem Juris non ſolùm reddit hominem inhabilem ad ſuſcipiendos Ordines; ſed etiam, ut ſuſceptis miniſtrare poſſit, cum tollat exercitium Ordinum jam antea ritè ſuſceptorum. Sylveſt. *verb. Infamia quæſt.* 10. *num.* 15. Navar., Avila, Sayrus, & alii, quos dat, & ſequitur Bonac. *de cenſ. diſp.* 7. *quæſt.* 3. *pun.* 1. *num.* 4. qui teſtatur de communi. Itaque infamia Iuris eſt illa, quæ irrogatur per legitimam, tam civilem, quàm criminalem ſententiam, vel ipſo jure in caſibus, in quibus jure cavetur, ut notatum fuit in præcedenti reſponſione. Sententia enim diffinitiva Judicis facit quod delictum ſit publicum publicitate Juris, & ex delicto publico conſurgit infamia. *cap. omnes, & cap. Infames* 6. *q.* 1. & ibi gloſ. Verum eſt tamen, quod non cujuſlibet criminis notorietas inducit irregularitatem, ſed eorum dumtaxat, quæ faciunt delinquentem Infamem, tam ſecundum Canones, quàm ſecundum leges civiles, ut poſt alios docet Marcus Paulus Leo *in praxi ad litteras M. Pœnitentiarii par.* 3. *pag.* 250. *verſ. Sed advertendum.* Requiritur ergo ad incurrendam infamiam Juris, ut quis condemnàtus ſit ad publicam pœnam ex cauſa famoſâ, ut docent Lezana *tom.* 2. *verb. Infamia num.* 7. Diana *par.* 10. *tr.* 11. *reſ.* 26. *verſ. Sed quid, propè finem*

nem, & alii. Aut quod crimen, ſeu delictum ſit ex illis, quæ inferunt infamiam, ut benè obſervat Sylveſter, Tolerus, & Angelus apud Bonac. *loco cit. num.* 2. Quoties igitur quis fuit condemnatus de delicto infamiam inducente, & condemnatio eſt ſecuta ex ſententia, talis dicitur laborare infamia Juris: non autem ſi ſententiam ſecuta non ſit, ut docent Moronus *reſp.* 92. *num.* 2. Lezana *loco cit. ſub num.* 3. & alii plures penes ipſos. Infamia verò facti oritur ex gravi aliquo delicto, propter quod ex ipſo facto ſine aliquo actu Judiciario delinquens apud bonos, & graves viros malè audit,& ſiniſtra opinio de eo diuulgatur: & hæc infamia reddit quoque hominē irregularem: ſed niſi crimen tale ſit, quod impediat exercitium ſuſceptorum Ordinum, & inducat peculiarem irregularitatem, quale eſt v. g. homicidium, non impedit exercitium illorum, eſt enim irregularitas ſecundum quid, non verò ſimpliciter, ut pluribus citatis docet Lezana *ubi ſupra n.*15 Diana *par.* 10. *tr.* 11. *reſ.* 26.§.*Verum.* Nihilominus qui laborat infamia facti, non ſolum debet impediri ab Ordinibus, ſed etiam ab eorum uſu, quia in Trident. *ſeſſ.* 22. *de obſer. & evitan. in celebratione Miſſæ*, expreſſè prohibetur, ne aliquis, qui publicè, & notoriè criminoſus ſit, aut Sancto Altari miniſtrare, aut Sacris intereſſe permittatur. Et rectè quidem, nam irregularitas non ſolùm ex delicto; ſed etiam ex diffamatione,& ſcandalo oritur, ut ex Pignattello firmat Raynaldus *tom.* 3. *obſerv. ad cap.* 32. *ſupplem.* 7. *pag.* 241. *num.* 239. Qui plura ſcire deſiderat circa tale dubium, legat citatos Auctores,& alios in verb. Infamia, nam longum eſſet ſigillatim omnia hic explicare, cum brevitati ſtudeam;ſed vide ſequentem Reſponſionem.

1101 Inter. 4. Qui eſt notatus in Judicio per ſententiam, v. g. de furto, poteſtne ad Ordines promoveri?

Reſp. Ut melius intelligantur ea, quæ ſupra in præcedenti Reſponſione dixi, & ut melius præſenti dubio ſatisfaciam, ſupponendum eſt duplicem eſſe infamiam, juris ſcilicèt unam, facti alteram. Prima eſt illa, quæ à jure Canonico, vel Civili eſt impoſita, ſiquidem aliquando infamia eſt appoſita delicto ab ipſamet lege, & aliquādo delicta habent in ſe annexam infamiam, ut v. g. furtum, & fraus, ſunt delicta infamantia, conſequenter condemnato de furto, non poteſt facere Judex, quòd non ſequatur infamia: deducitur *ex l. non poteſt ff. de furtis*; unde ſi quis per diffinitivam ſententiā Judicis damnatus eſt de furto, & ſimilibus delictis, quæ inferunt infamiam, efficitur infamis infamia juris, ut docet Sylveſt. *verb. infamia num.* 8. & alii communiter. Infamia verò facti eſt illa, quæ contingit ex aliquo delicto notorio, quod infame cenſetur in opinione proborum virorum: debet eſſe tamen notorium notorietate facti majori parti viciniæ, vel Collegii, vel loci in quo quis degit, & talis infamia deſcribitur quidem rumor ortus non à malevolis, ſed à probis, & honeſtis hominibus ſparſus inter multos; Ex his ergò patet, quòd ad incurrendam infamiam, requiritur ſententia declaratoria Judicis,aut notorietas facti, aut propria confeſſio,ut notat Bonacin. *de cenſ. diſp.* 7. *q.* 3. *pun.* 1. *n.* 3. licèt Em. Sà *verb. imfamia num.* 1. neget de propria confeſſione in judicio; quia confeſſus non habetur pro condemnato: idem tenet Sylveſt. *verb. infamia num.* 13. & alii, teſte Lezana *tom* 2. *eodem verb. ſub num* 1. Vide Sylveſtrum *loc. cit.* Item ſupponendū eſt tanquam certum, quod infamis, tam infamia juris, quàm facti, ſit irregularis: Quare ad ordines, & ad dignitates promoveri non poteſt; quia portæ dignitatum infamibus,ſuſpectis, vilibus,& indignis patere non debent, ut habetur *ex cap. querelam de jurejurando, cap. dictum diſt.* 81. *cap. Inter dilectos de exceſ. Prælat. & cap. Infami-*

bus de reg. Juris in 6. Vide Raynaldum *tom. 1. obſer. cap. 8. §. 1. pag. 493. verſ. effectus hujus inſpectionis*. His ergo poſitis, & prænotatis, reſpondeo directè ad præſentē petitionem, & dico quòd, qui eſt in Iudicio per ſententiam condemnatus de furto, eſt infamis, & irregularis, ac proinde ad Ordines promoveri non poteſt. Ita tradunt Navar. *cap. 27. num.* 104. Vivaldus *in ſupplem. ad Candel. aureum cap. 9. tit. de infam. num.* 4. & 5. Em. Sà *verb. infamia n.* 1. & 2. Avila *de cenſu. diſp. 4. dub. 5. concluſ.* 1. Bonac. *loco ſupra cit.* Sanctorius *in exam. pœnar. par. 2. cap.* 27. & alii communiter, & habetur *ex cap. Apoſtolus Paulus diſtin.* 81. & ex aliis Juribus cumulatis per Gloſ. *in cap. multos in verb. morte diſtin.* 54. Vide *cap. infames 6. qu. 1. & leg. 1, de his qui notantur infamia*.

1102 Inter. 5. Quidam Sacerdos ob quoddam delictum fuit condemnatus ad triremes, poteſtnè talis Sacerdos Miſſam celebrare?

Reſp. Valdè controvertitur inter DD. an pœna triremium ſit infamatoria, & ignominioſa, vel non, ut videre licet apud Raynaldum *tom. 1. obſer. cap. 8. §. 1. pag.* 491. *num.* 45. Diana *autem par. 4. tr. 2. reſ.* 83. partem affirmativam ſuſtinet, ſcilicet poſſe Miſſam celebrare, quia putat illum non eſſe infamem, & irregularem; Alii verò dicunt damnatos ad triremes, ſi actu remiges fuerunt eſſe infames, & conſequenter irregulares: Ità Barboſ. *de poteſt. Epiſ. par. 2. alleg. 43. num.* 15. Lezana *tom. 1. par. 1. cap. 16. num.* 32. Nicolius *in Floſc. verb. irregularitas num.* 31. & alii, & hoc eſt veriùs, nam idem Raynaldus *ibidem ſub. num.* 45. refert quoddā decretum Urbani VIII. factum in Congregatione S. Officii de Menſe Aprilis 1633. quo ſtatuitur, ut ſuper infamia, & irregularitate contra ex pœna triremium, ſi actu remiges fuerunt, ſolus Papa poſſit diſpenſare, & ità obſervari mandavit in omnibus tribunalibus. Et quamvis Diana *ubi ſupra* oppoſitum cenſebat, tamen *par. 10. tr. 11. reſ.* 26. ſic inquit *Et licèt ego olim docuerim damnatos ad triremes, non eſſe irregulares, modo exiſtimo cum Theſauro ſi fuerint ad triremes damnati ex cauſa famoſa, dictam pœnam inducere infamiā, & irregularitatē.* Dico igitur, quòd licèt talis Sacerdos nō fuerit remo addictus, & alligatus, conſequenter nec infamis infamia juris, tamen non poteſt licitè Miſſam celebrare; quia ſaltem eſt infamis infamia facti, ac proinde propter diffamationem, & ſcandalum prohibitus eſt tanquam irregularis functiones Ordinis exercere. Vide quæ dixi ſupra ad Inter. 3. præſertim circa finem, ſtante diſpoſitione Tridentini eo loco citato; ſatis enim apertè loquitur Concilium ibidem; ergo parum refert utrum fuerit in contumacia, aut in præſentia damnatus. &c.

1103 Inter. 6. Qui laborat infamia juris, vel facti poteſtne promoveri ad aliquam dignitatem, aut Prælatiam?

Reſp. Dico quòd non, quia portæ Dignitatum patere non debent infamibus, vilibus, & indignis, patet *ex cap. inter dilectos de exceſ. Prælatorum, & cap. Infamibus de reg. juris in 6.* Sylveſter *verb. infamia num.* 4. Em. Sà *eodem verb. ſub n.* 1. & alii communiter. Verum eſt tamen, quod infamia facti repellit à dignitate ſolum dum durat; ſed infamia Juris durat ſemper donec per diſpenſationem tollatur: Qui ergo in iudicio de aliquo delicto eſt notatus, ad dignitates, & prælatias minimè promoveri poteſt, ut rectè probat Vivaldus *in ſupplem ad Candelabr. aureum cap. 9. tit. de Infamibus n.* 4. 5. & 6. Navar. *cap. 27. num.* 104. Bonac. *de cenſ. diſp. 7. quæſt. 3. par. 1. num.* 2. Peyrinus *de ſubdito tom. 1. qu. 1. cap.* 31. §. 9. & alii apud ipſos, & bene quidē, nam qui debet eligi in Prælatum, debet eſſe bonæ notæ, & famæ, ut docent Doctores communiter. Vide Suarez *tom. 4. de Relig. tr. 3. cap. 3. n.* 28. & Lezanam *tom. 1. par. 1. cap. 15. n.* 25. *& tom.*

& tom. 2. *verb. Electio num.* 151. *& verb. Prælatus num.* 2. à Prælato enim longè quælibet abeſſe debet occaſio contemptus ob bonum publicum. *cap. fin. diſt.* 63. cum duplici honore Prælatus honorari debeat: habetur *ex cap. Ecce ego, diſt.* 95. ubi Gloſ. Immò quia infames ſunt irregulares, non poſſunt eligi ad Prælatias, neque alios eligere, ut deducitur *ex cap. Is. qui de ſent. excom. in* 6. & docet Sylveſt. *verb. electio* 1. *ſub num.* 5. *in fine*, & ex eo Em. Sà *eodem verb. num.* 1. Lezana *tom.* 2. *verb. infamia ſub num.* 13. & alii. Sed omnino vide *in tit. de Elect. ad Int. ult.* ubi loquitur de tali dubio. Et nota quòd infamia repellit infamem à quolibet actu legitimo, ut habetur *ex cap. Licet ex quodam de teſt. & cap. infamibus de reg. iuris in* 6. & docet Raynaldus *tom.* 1. *obſer. cap.* 8. §. 1. *pag.* 490. *num.* 29. Ergo &c. Si verò eſt in poſſeſſione Prælatiæ, ſi ſpontè illam non reſignet, debet privari; quia infamia iuris repellit à dignitatibus obtentis, & obtinendis, & adimit honorem quæſitum, & quærendum. Abbas *in cap. inter dilectos de exceſ. Prælat.* apud Sylveſtrum *ubi ſupra verb. infamia num.* 15. & eſt communis ſententia. Vide Lezanam *tom.* 2. *verb. infamia num.* 12.

1104 Inter. 7. Quis poteſt diſpenſare cum infamibus perſonis, ut poſſint promoveri ad Ordines, vel in ſuſceptis miniſtrare?

Reſp. Solus Papa diſpenſare poteſt cum infamibus infamia juris maculatis, & non Epiſcopus; aut Prælati Regulares cum ſibi ſubditis, etiam poſt peractam pœnitentiam ab eis, ut docet Miranda *in man. tom.* 2. *qu.* 8. *art.* 5. & alii communiter; nam qui ſemel eſt infamis infamia juris, ſemper talis manet donec diſpenſetur; quia dicta infamia per pœnitentiam non tollitur: ideoque neceſſaria eſt Papę diſpenſatio, ut poſſint ad Ordines promoveri, aut in ſuſceptis miniſtrare. Ità Navar. Angelus, Sylveſter apud Avilam *loco proximè citato*, & concordat Sà, Miranda, Bonac. Sanctorius, Vivaldus locis ſupracit. & alii omnes. Quando enim infamia eſt appoſita delicto à lege, vel à Judicis ſententia per modum, pœnę, non ſufficit vitæ emendatio, ſed omnino neceſſaria eſt diſpenſatio. Vide Dianam *par.* 10. *tr.* 11. *reſ.* 26. Infamia verò facti tollitur per emendationem vitæ. Itaque peracta pœnitentia, & per triennium laudabiliter vivens cenſetur quilibet emendatus. Notandum eſt tamen quod etiam infamia juris poteſt tolli per diſpenſationē Epiſcopi; quia diſpenſare poteſt in omnibus criminibus, dummodo tamen ſint minora adulterio; unde diſpenſando in delicto, acceſſoriè abolet infamiam indè conſurgentem, ut benè notant Navar. Avila, & alii penes Bonac. *de cenſ. diſp.* 8. *quæſt.* 3. *punt.* 1. *n.* 6. & eſt cōmunis ſententia. Et hoc quod dictum eſt de Epiſcopo, dicendum eſt etiam de Prælatis Regularibus circa ſibi ſubditos, cum habeant auctoritatem quaſi Epiſcopalem in proprias oves. Vide Lezanam *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 10. *num.* 35. *& cap.* 18. *num.* 36.

1105 Inter. 8. In delictis ſpectantibus ad S. Officium, eſtne opus, ut præcedat infamia ad hoc, ut Epiſcopus, vel Inquiſitor poſſit licitè procedere ad inquiſitionem ſpecialem alicujus perſonæ?

Reſp. In delictis hæreſis, vel ſpectantibus ad S. Officium, neceſſarium non eſt, ut præcedat infamia, ſed ſufficiunt indicia, præſumptiones, & ſuſpiciones veriſimiles. Ità habetur *ex cap excommunicamus* §. *Adiicimus de hæret.* & pluribus relatis docet Sanchez *in opuſc. tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 3. *dub.* 19. *n.* 16. *& ſeq.* Imò ut probat Carena *de Offic. S. Inquiſit. par.* 3. *tit.* 1. §. 2. *n.* 17. *&* 18. non videtur requiri indicia valdè urgentia, ſed ſufficiunt probabilia; Itaque indiciis, vel ſuſpicionibus exiſtentibus; poteſt Judex, ſcilicet Epiſcopus, vel Inquiſitor per inquiſitionem ſpecialē procedere contrà denunciatū de delicto pertinente ad S. Officium

abſque eo quod ille ſit diffamatus. Vide Lezanam *tom* 2. *verb. Denunciatio num.* 22. *& ſeqq.*

TITULUS CXIV.

De Infirmis.

Vide tit. de Famul. Inter. 6. tit. de Hor. Can. &c. Inter. 5. 6. 7. tit. de Intent. Inter. ult. tit. de Irregul. Inter. 18. tit. de Mutil. membr. Inter. 3. tit. de Orat. priv. Inter. 9. tit. de Præcep. aud. ſa. Inter. 8. tit. de Regul. &c. Inter. 24. 92. 107.

1106 INter. 1. Qui habet licentiam comedendi carnes ratione debilitatis, vel infirmitatis præſentis Quadrageſimæ, ſi aliqua die illam non comedat, teneturne jejunare, poſito, quod illius ſaluti conduceret jejunare & non jejunando ipſi noceret?

Reſp. Dicit Sanch. *in Opuſcul. to. 2. lib. 5. cap. 1. dub. 14. num. 2.* & ex eo Dian. *par. 4. tract. 4. reſ.* 189. quod non teneatur jejunare ex præcepto Eccleſiæ, quia Eccleſia abſolutè omnes infirmos, ac debiles excuſat, cum jejunium eis, ut plurimum noceat, quod autem huic non noceat, eſt per accidens, & Eccleſia reſpicit dumtaxat id quod communitèr contingere ſolet, ergo non tenetur ex præcepto Eccleſiæ jejunare; Noſtram ſententiam docere etiam Ricard. de media Villa, Rocafulla, & Leander refert, & ſequitur Paſqualig. *de Jejunio dec.* 262. addens & benè, eum poſſe peccare contra præceptum naturale temperantiæ, atque adeo, aut venialitèr, aut mortalitèr, juxtà quantitatem Damni, quod indè ei ſequitur.

1107 Inter. 2. Licentiatus ad carnes in Quadrageſima poteſtne tuta conſcientia illas edere in diebus quatuor temporum, ſaltem feria 4. & feria 6. & Sabbato comedere ova, & lacticinia?

Reſp. Mihi videtur reſpondendum negativè, niſi ſpecialem, & expreſſam licentiam habuerit à Medico, ſiquidem abſque gravi évidentèr infirmitate carnibus veſci in illis diebus, & ſine ſpeciali licentia, puto certò eſſe peccatum mortale, quia ad diſpenſandum, præſertim in diebus Veneris, & Sabbati requiritur omnino gravis infirmitas, ut inter alios docet Peyrin. *de ſubdito quæſt. 4. cap. 6. quæſt.* 8. tum propter conſuetudinem, quæ vim legis habet, tùm propter ſcandalum, nam ita eſt uſu receptum ab omnibus timoratæ conſcientiæ, quidquid in contrarium dicat Dian. *par.* 10. *tr.* 13. *reſ.* 43. Et tandem ita declaravit SS. D. N. Clemen. XI. anno 1702. die 14. Februarii. Unde dico nec carnes, nec ova, & lacticinia in feria 4. & 6. & Sabbato licere ſine ſpeciali, & expreſſa Medici licentia, & hoc eſt ſequendũ in praxi, quià tutius, licèt Peyrin *loc. cit.* teneat, quod ova, & lacticinia licitè comedere poſſit ſine alia ſpeciali licentia.

1108 Inter. 3. Qui laborat febri quartana, vel tertiana levi, teneturne ad perſolvendum Officium Divinum, ſi ſit in Sacris Conſtitutus?

Reſp. Dicunt Doctores, quòd teneatur recitare Horas Canonicas tempore habili, anteponendo, vel poſtponendo, aliàs mortalitèr peccet, quià hujuſmodi febris non ſolet tota die vehementer vexare, & affligere, itaùt non vacet tempus ad Divinum Officium perſolvendum; Ità docet Layman. *tom. 2. lib. 4. cap. 6. num.* 1. Bonac. *de Horis Canon. diſp. 1. quæſt. 6. pun. 1. num.* 2. Roderic. *in camp. qq. regul. reſ. 24. num.* 29. *Sum.* Diana *verb. Horæ Canon. num.* 70. Buſenb. *lib. 4. cap. 2. de Horæ. Canon. ar.* 3. Alloza *in flor. Summ. ver. Horæ Canon. ſect. 3. num.* 2. & alii plures penes ipſos, qui omnes concludunt febrim tertianam, & quartanam, generaliter loquendo, non excuſare à recitatione Divini Officii: Tamen mihi magis placet id, quod docet Sylv. *in Summ. ver. Horæ Can. num.* 5. nempe, quòd in

hoc

hoc ſtandum ſit arbitrio Medici, aut boni Viri; Utpotè Confeſſarii, vel Superioris, ut dixi *in tit.* 104. *de Hor. Can. & offic. div. ad Inter.* 5. 6.

1109 Inter. 4. Infirmus qui cum amicis poteſt converſari, teneturne Divinum Officium recitare?

Reſp. Certum eſt, quod gravis infirmitas excuſat à recitatione Horarū Canonicarum, ut docent Doctores communiter. Verùm quia poteſt aliquando eſſe, ut talis ſit infirmitas, quæ nocumentum inferat recitanti, non autem confabulanti, maximè, quia amicis confabulari potius animi diverſionem, ut proprium objectum reſpicit, non attentionem, ideò non ſequitur infirmum, etſi valentem converſari cum amicis ſe inviſentibus, ob id obligandum eſſe officium recitare. Ità ex Sancio probabiliter docet Diana *par.* 2. *tract.* 12. *reſ.* 43. *verſ. notandum*. Ego tamen cenſeo ſtandum eſſe judicio prudentis Medici, an recitatio Divini Officii illi valdè nocitura ſit, vel non, & ita quieſcendum. Vide quæ dixi *in præfato tit. de Hor. Can. & Offic. div. ad Inter.* 5. & 6.

1110 Inter. 5. Quem morbus impedit dicere officium Divinum, poteſtne licitè Miſſam celebrare?

Reſp. Doctores communiter affirmativè reſpondent. Ità ex Azorio, Soto, & Toleto aſſerit Victorel. *in Addit. ad* Em. Sà *verb. Miſſa ſub num.* 22. & docet Tol. *lib.* 2. *cap.* 14. *ſub. num.* 1. Vide Em. Sà *verb. Horæ Can. ſub num.* 19. *in Addit.* & eſt communis ſententia.

1111 Inter. 6. Qui Domi infirmus jacet, ac putat ſe peccare ſacrum prætermittendo, peccatne mortalitèr non audiendo Miſſam?

Reſp. Non videtur excuſandus à peccato, niſi deponat conſcientiam erroneam, quia licèt Miſſam audire nequeat abſque detrimento Sanitatis, ut ſuppono, tamen abſolutè loquendo, habet libertatem ipſam audiendi; Ita docet Bon. *de Peccat. diſ.* 2. *q.* 4. *pun.* 6. *n.* 26. Ideò ſi peccare nō vult, aut deponat conſciētiā erroneā aut Miſsā audiat.

1112 Inter. 7. Poſſuntne Parochi, & Superiores Regulares ſibi ſubditos infirmos pluries in eadem infirmitate per modum viatici communicare, & inter unam, & aliam communionem quot dies intercedere debent?

Reſp. Quod Sacra Euchariſtia per modum viatici poſſit pluries in eadem infirmitate miniſtrari, tradunt Tabiena, Armilla, Sotus, Victoria, Graffius, Nugnus, Coninchus, Riginaldus, Henriquez, Suarez, & alii, teſte Diana *par.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 75. & 77. & *par.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 44. & *par.* 5. *tract.* 3. *reſol.* 37. Alios referunt Paſqualigus *in Theor. & praxi quæſt.* 254. *num.* 3. Pax Jordanus *to.* 1. *lib.* 3. *tit.* 3. *num.* 28. Em. Sà *verb. Euchariſtia num.* 5. & deſumitur ex Rituali Rom. *tit. de Comm. Infirmorū.* Verùm quot dies debeant intercedere inter unam, & aliam ægroti Communionem, in hoc eſt difficultas, quia non conveniunt Doctores. Bonac. *de Sac. diſp.* 4. *quæſt.* 6. *pun.* 2. *num.* 23. & alii, quos ipſe ſequitur, dicunt Viaticum repeti poſſe poſt ſex, vel octo dies, & pro ſe concordantes adducit, Paſqualigus *loco cit. quæſt.* 255. *num.* 8. aſſerit, & probat, Viaticum non poſſe de novo miniſtrari, niſi ſaltem regulariter loquendo, poſt quatuor dies, Ludovicus à S. Joanne *in Sum. par.* 2. *quæſt.* 7. *de Euchar. art.* 10. *diffic.* 4. docet, quòd poſſit miniſtrari tertio queque die, & citat Vaſquez, nec videtur diſſentire Diana *par.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 44. Imò *par.* 4. *tract.* 4. *reſ.* 191. *verſ. Notandum eſt*, ſic ait. Ego in caſibus contingentibus libenter concederem infirmis poſſe recipere iterum Viaticum poſt intervallum trium, vel quatuor dierum. Layman *tom.* 2. *lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 6. *num.* 20. tenet poſſe etiam altero die miniſtrari, dummodò mortis periculum inſtare videatur, ſed hoc admittit pro iis, qui ob devotionem difficilè à communione abſtinent.

Tan-

Digitized by Google

Tandem Caſtropalao *par.* 4. *oper. moral. tract.* 21. *diſp. unica, pun.* 13. *n.* 14. abſolutè putat miniſtrari poſſe ſingulis diebus, & hanc ſententiam amplexi ſunt Martinus à S. Joſeph *tract.* 1. *moral. lib.* 1. & *tract.* 8. *de Euchar. n.* 15. & Dicaſtillus *de Sac. tract.* 4. *de Euchar. diſp.* 9. *num.* 15. & 334. Nec videtur oppoſitum docere Em. Sà *verb. Euchar. num.* 34. dum ait. Infirmum in diuturno morbo non jejunum, ſi jejunus nequeat, poſſe quoties expedire videbitur, cœleſti pane pro viatico recreari, favet etiam Alloza *in Sum. eodem verb. ſect.* 12. *ſub num* 43. & citat Dianam *par.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 75. Immo Hurtadus apud Dianam *par.* 4. *tract. reſol.* 195. *circa finem*, docet poſſe à periculoſo ægrotante non jejuno ſumi Viaticum quoties à ſano jejuno, quod idem eſt ac ſingulis diebus. Mihi tamen valdè probatur opinio Paſqualigi in praxi pro conſtitutis in periculo, vel articulo mortis *quæſt.* 255. citata, docentis Viaticum non poſſe de novo miniſtrari, niſi inter unam, & alteram ſumptionem interveniant ſaltem quatuor dies regulariter loquendo. Idque oſtendit ex Rituali Rom. tit. de Commun. Infirmorum, ubi habet, quod ſi æger dies aliquot vixerit, poterit rurſus ſumere: Deducit autem Paſqualigus ex doctrinis legalibus, verbum, *aliquot dies*, importare ſaltem quatuor dies. Advertit autem *num. ult.* quod ſi quis in phrænesi, aut ita morbo oppreſſus ſumeret Viaticum, ut non perciperet quid faceret, ſi poſtea ad ſe reverteretur, & inſtaret periculum mortis, poſſet etiam ſequenti die de novo ſumere, ut ſcilicet ex propria diſpoſitione fructum perciperet: Refert denique idem Paſqualig. ità Romæ practicatum eſſe cum quodam Eminentiſs. qui cum ſumpſiſſet Viaticum ferè extra ſe ipſum, & poſtea vix recordaretur ſe ſumpſiſſe, poſtero die cũ magna devotione ſũpſit.

Quær. An Religioſus Ordinis N. qui mala valetudine, & vitio ſurditatis laborat, licitè cogi poſſit e cubiru ſurgere ad nocturnas preces cum aliis in Choro perſolvendas, & ad alia Religionis onera, quæ ab eo nunc non ſine magna difficultate ferri poſſunt?

Reſp. Cum talis Religioſus ob ſurditatem, & virium debilitatem amplius ferre non valeat ſine magna difficultate, & morbi incremento nonnulla ſuæ Religionis onera, utpotè ad Matutinum ſurgere media nocte in Choro canendum, cibis quadrageſimalibus ſæpè veſci, ultimam Miſſam celebrare, aliaque hujuſmodi facere, quæ ſuas vires excedunt; Ideò requiſitus dico, quòd minimè ad ſupradicta peragenda teneatur, nec de jure licitè obligari poſſit à ſuperiore, & aſſertum ſic probo.

Nullum præceptum humanum ad ſimpliciter, aut moraliter impoſſibile obligat, nec leges humanæ obligant ad valdè difficilia, & cum morali impoſſibilitate, ſeù impotentia, nempè cum gravi damno, vel morbi periculo, aut incremento, & ratio eſt, quià valdè difficile, ſeù id, quod ſine magno gravamine fieri non poteſt, in legibus humanis veluti impoſſibile reputatur; Sylveſt. *in Sum. verb. Impoſſibile.* Em. Sà *in Aphor. eodem verbo*, & alii communiter: Impoſſibilium verò nulla eſt obligatio *l. Impoſſibilium ff. de reg. Jur.* & *cap. nemo, de reg. Juris in* 6. Siquidem magna difficultas æquiparatur impoſſibilitati. *l. Nepos Proculo* 25. *ff de verb. Signific. l. ſi Servus depoſitus* 22. *de nexalibus l. divortio* 37. *ff. de Neg. geſt.* Bald. *lib.* 1. *conſul.* 101. Immò valdè difficilium, & impoſſibilium idem eſt Judicium juxtà *l. Idem Julianus* 41. §. *Conſtat ff. de legat.* 1. Undè ſicùt nullus obligari poteſt ad impoſſibile, nec de jure tenetur; Sic præfatus Religioſus ad ſupradicta peragenda cum magna difficultate, & evidenti periculo, non ſolùm non tenetur, ſed nec obligari poterit, aut compelli; Nulla enim lex humana obligat, quando de facto ſervari non poteſt

poteſt, ut habetur *l.* 1. §. *dies ff. Quandò appellandum ſit & cap. erit autem lex diſt.* 4. & impeditus ſi non agat, excuſatur in lege. *l. qui Commeatus* 14. *de re militari*, & ibi Bartol. quià illud ſolùm poſſumus, quòd ſine gravi incommodo poſſumus. *l. Nepos Proculo, de verb. Signific.* Vide Jo. Baptiſt. Gonet *tom.* 3. *Theol. diſp.* 5. *art.* 4. §. 1. *per totum*, & §. 2. *item per totum*

Prætereà negari non poteſt dictum Religioſum eſſe Infirmum, cum Surditas ſit una ex corporis infirmitatibus, quæ, ut plurimum magis nocet corpori, quam infirmitas alterius membri, quià caput eſt obnoxium diſtillationibus, ſicque grave damnum partibus ſubjectis valet inferre, ut experientia nobis hoc etiam invitis, demonſtrat quotidie. Valet ergò dicere Surdus eſt Infirmus, nàm debiles, Surdi, Cœci, Claudi, & ſimiles ità ſolent communiter appellari, teſte Boſſio *de Jubilæo ſect.* 4. *caſu* 22. §. 6. *fol. mihi* 328.

Immò nomine Infirmorum comprehenduntur non ſolùm propriè infirmi, ſed etiam valetudinarii, ut tradit idem Boſſius *ibidem fol.* 325. Valetudinarius verò, ille dicitur, qui de facili ægrotat. Menoch. *de arbitr. conſul.* 67. *num.* 5. Paulus Zacchia *qq. Medicolegal. lib.* 5. *titul.* 1. *quæſt.* 5. *numer.* 35. Ergo dum dictus Religioſus non ſolùm vitio Surditatis laborat, ſed etiam eſt valetudinarius, quia de facili, aut ferè ſemper ægrotat, ut experientia comprobatur, in dubium revocare non licet præfata ſuæ Religionis onera modò ſuas vires excedere, conſequenter jure merito pro his, & ſimilibus oneribus cenſendus erit inhabilis, quamquàm ſufficiat, ut ſit parùm habilis, quià parum, & nihil æquiparantur in lege *l. Scio* 4. *de in integrū reſtitutione*.

At poſito etiam non eſſe omninò inhabilem ad præfata, tamèn videtur nequaquam teneri cum gravi periculo tentare fortunam, nàm cùm de infirmitate conſtet (licèt robur cenſeatur dubium) expectandum non eſt donec penitus deficiat, tunc enim irreparabilis eſſet defectus: Vitam autem tueri eſt de jure naturæ. *cap. Jus naturale diſt.* 1. *cap.* 3. *de ſent. excom.* nec non de Jure poſitivo, ut habetur *ex cap.* 2. *de homic. volunt.* ubi Panor. & alii. Quamobrem quivis magnum jus habet ad vitæ ſuæ conſervationem, & nulla poteſtas humana obligare poteſt ad eam non conſervandam, & tale jus naturale conſervandi vitam, anteponendum eſt omni juri humano, & omni legi poſitivæ. Barboſ. *de Offic. Paroch. cap.* 6. *n.* 53. & eſt communis ſententia, nam vitæ ſuæ quiſquæ conſulere debet *l. ut vim ff. de Juſt. & Jure*. Et licèt Religioſus non ſit in poſſeſſione libertatis, eſt tamen in poſſeſſione Juris, quò poteſt ſe à valdè periculoſis rebus conſervare. Leſſius, Sanchez, & alii, quos citat, & ſequitur Medulla Theol. Mor. *lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 4. *in* 2. *reſp.* Et in dubio an ſupradicta facere valeat, nec nè, in benigniorem, & clementiorem partem inclinandum eſt, quià ità petit Eccleſiæ, & Religionis ſuave regimen; Sylveſt. Sanchez, & Diana, quos ſequitur Lezana *tom.* 2. *verb. Prælat. Regul. num.* 14. & benè quidem, nàm ex æquitate, & benignitate Juris fit, ut de omnibus dubiis benigna interpretatio fieri debeat, colligitur *ex cap. eſtote de reg. Juris lib.* 5. *decret.* Et S. P. Auguſtinus in Regula ad intentum ſic ait. *Famulo Dei dicenti, quod ſibi doleat, ſinè dubitatione credatur*.

Attamen omne dubium ceſſare poteſt, ſi hoc unum ſerena mente conſiderare volumus, ſcilicet dictum Religioſum eſſe, prout aſſeritur, quinquaginta annorum, ætas autem quinquagenaria, aut ſexagenaria aliquando ex ſe eſt proſternatrix virium, & tenax infirmitatum nutrix, ut habet Marcus Paulus Leò *in praxi ad litt. Major. Pænit. fol.* 72. *verſ. omittitur*. Ergò abs re non erit ſi dicatur, hujuſmodi Religionis onera à quinquagenario

nario

nario aliquoties ſufferri minimè poſſe, ſcilicet ſi valdè ſanus non ſit,& fortis; Quinquagenarius enim limites ſenectutis ingreditur, ut notat Gloſ. *in proem. 6. decretal.* Undè non erit abſurdum, quod incipiat Senectutis beneficio frui quoàd lobores, dum infirmitate gravatur, ut accidit in caſu noſtro. Fateor tamen ſenectutem non ſemper annis regulandam eſſe, ſed temperamento,& complexione,ut docet Murga *in Conſt. Apoſt. fol.* 242. *num.* 909. Ubi ait, quod aliqui in quinquageſimo anno ſunt ſenes, alii verò non, & ratio eſt evidens, quià non omnes ſumus unius temporamenti, nequè pares viribus natura cunctos effecit, & ideò Panr. *in cap. Quoniam frequenter* 5. *num.* 18. *ut lite non conteſtata verſu Ego puto Senem*, rectè quidèm obſervat, quòd in quinquageſimo anno quandoque quis eſt ſenior, quàm alius in ſexageſimo, ob diverſas corporis affectiones. Dico igitur dictum Religioſum non eſſe inhabilem ad ſupradicta Religionis onera ratione ætatis, & ſurditatis dumtaxat, ſed quià ei annexa eſt mala corporis affectio, nec non prava valetudo adverſatur, cùm ex malo corporis habitu, & affectu ſæpè malè valeat,& frequentèr egrotet,quòd facilè probari poteſt per atteſtationem medicorum, vel per teſtes domeſticos, vel per Juramentũ ipſius,veltandè peraſpectũcorporis, nam ità probatur infirmitatis, prout docet Carena *de offit. SS. Inquiſ. p.* 2. *tract.* 15. §. 5. *num.* 54. Et de facto in caſu præſenti ſic fatenturMedici,ut ex eorum atteſtationibus liquet, & in his, quæ ad ſanitatem pertinent, Medicorum Judicio quiſcendum eſt, nàm peritis in arte ſtandum eſt in caſibus, & actibus ſuæ peritiæ. *cap. fin. de frigidis, & malefic. l.* 1. §. *ſi neq. C. de veteri jure*, & notatur *in cap.* 1. *de conſt.* Innocen. *in cap. Propoſuiſti* 4. *de præben.* Bortol. *in l.* 1. §. 1. *ff. de veritate inſpicienda*.

Ergò ſi res ita ſe habet, minimè cogi, vexari, aut moleſtari debet talis Religioſus; primò ne cæteri hoc exemplo deterriti Statum Religioſorum perhorreſcere incipiant, timentes fortè, ne debita Charitate, ſubſidiiſque ægritudinis tempore deſtituantur, favet *cap. cum percuſſio de Cler. ægrot.* 2. quia ſequeretur quod Jugum Domini non eſſet Suave, & leve. 3. quia plus juſto gravaretur, non teneretur obedire. Colligitur *ex cap. Ad hæc* 20. *in verb. Appellandum, de appell.* nàm Religioſus eſt addictus Religioni, regulariter loquendo, ut filius Patri, & non ut ſervus Domino, ut ait Sayr. *in Clavi Reg. lib.* 11. *num.* 23. & comparatur cum ſuis Superioribus veluti filius cum parentibus. favet *Cap. licèt, de Sepult.* & tradunt Doctores communiter; undè ſi Superior non tractat illum, ut filium, ſed tanquam ſimplicem ſervum, nullam curam habens de ejus vita, & ſanitate, quòd ex odio moveatur cenſeri equidem poteſt. 4. quià Chriſtum negare convincitur, qui neceſſitatè patientibus miſericordiam non impendit. *cap. Omnis* 7. *quæſt.* 1. 5. denique quià Sac. Canones nullo modo permittunt ſeverè agi cùm infirmitate laborante, & deducitur *ex toto titulo de Clerico ægrotante, vel debilitato, & alibi*; Ægroti quippè merentur ſibi rigorem diſciplinæ Religionis relaxari; *argum. cap. unico ubi gloſ. in verbo perpetuo de Cler. ægrot. in* 6. *cap. de Rectorib.* 3. *cap. ex parte* 5. *eod. tit.* & ubi infirmitas, ſenectus, vel ſimilis alia neceſſitas urget, ab obſervantia regulari aliqualiter diſcedere Religioſo licet. Lezana *tom.* 1. *par.* 2. *cap.* 12. *ſub num.* 13. Non plus igitur exigendum eſt quàm poſſit homo ſecundum ſuam poſſibilitatem, quià ſi per ſigna valdè probabilia,& præſũptiones quaſi violentas credat ſubditus, quòd Superior velit in hoc ejus mortem, non teneretur obedire, quia irrationabiliter movetur Prælatus.

Immò quia Prælatus largam manum debet habere cum neceſſitatem pati-

patientibus, & cùm curat alienam inopiam, ſuam credere debet. *cap. fratrem noſtrum diſt.* 82. Goffred. *in Sum. tit. de Offic. Ordin. num.* 8. ideò humanè, & charitativè ſe habere debet cum ſupradicto Religioſo; nè fortè gravatus ſe appellet; ſiquidem qui gemebat, & vexabatur à Saul fugiebat, & veniebat ad David. *cap. omnis 7. qu* 1. tùm quia miſericordia eſt præferenda rigori, tùm etiam quia excedendum eſt potius circa miſericordiam, quàm circà crudelitatem. *cap. Ponderet* 50. *diſt. cap. Alligant* 26. *qu.* 7. & ibi Gloſ. ubi dicitur *Si Deus benignus eſt, ut quid Sacerdos ejus auſterus? Pater familias, ideſt Deus benignus eſt ad miſerendum, ideò Sacerdos ejus Vicarius auſterus eſſe non debet*; & hoc quidem multum valet in caſu noſtro, nam vera juſtitia compaſſionem habet; falſa juſtitia dedignationem. *cap. Vera juſtitia* 45. *diſt. & cap. hoc habet proprium diſt.* 46. Sed ut omnia unico verbo concludã, dico quòd nec Deus requirit à nobis aliquid ſupra vires, nec obligat ad impoſſibile; Ità D. Hieronymus citatus *in cap. legimus de conſecr. diſt.* 5. Ergò multò minus id facere debent Superiores, qui non poſſunt præcipere aliquid ubi eſt mortis periculum, cum jus conſervandi vitam, ſaltem remediis ordinariis, ſit de jure naturæ, contra quod obedientiæ votum obligare non potuit, quia licèt votum jure naturali reddendum ſit, tamen non obligat cum periculo gravis incommodi, ut rectè notat Gonet *loc. ſupracit.* §. 1. *ſub num.* 59. *circa finem*; & in omni obedientia intelligendæ ſunt aliquæ conditiones, nempè ſi poſſibilitas adeſt, & ſi ſit rationabilis cauſa, &c. ut docet Sylveſter *verb. Obedientia quæſt.* 3. Armilla *eod. verb. num.* 12. & alii communiter.

Quapropter neceſſe eſt, ut corpore non ſani ſupportentur in cunctis oneribus Religionis, quia ut dicitur *in c. Diſpenſationes* 1. *q.* 7. ſunt ii, qui mare navigant tempeſtate urgenti, navique periclitante anxiati, quædam exonerant, ut cætera ſalva permaneant; Sic periclitante ſalute præfati Religioſi, debet per Superiorem exonerari aliquibus gravaminibus, ut levior factus, in Dei ſervitio diutius perſeveret; & cum adſit juſta, & rationabilis cauſa, debet cum eo Prælatus diſpenſare, alioquin peccat. *cap. in quanto* 2. *qu.* 5. Sylveſt. *in Sum. verb. diſpenſatio qu.* 1. *num.* 3. *in fin.* Emm. Sà *in Aphor. verb. Diſpenſatio num.* 2. Miranda *in Man. Præl. tom.* 2. *qu.* 25. *art.* 5. *concl.* 2. *& qu.* 30. *art.* 6. *concl.* 2. & habet ſolemnis Gloſ. communiter recepta *in cap. ut conſtituerentur diſt.* 50. *verb. Detrahendum*, ubi ait quòd quilibet tenetur eſſe miſericors, & notatur *in cap. Domino ſancto, diſt.* 50. §. 1. *& ibi Gloſa verbo neceſſe*. Sic pluribus relatis firmat Peyrinus *tom.* 1. *de Subdit. qu.* 1. *cap.* 8. §. 5. *verſ. dico quinto*, facit etiam *cap. tali, & cap. Didici* 23. *q.* 3. & rectè quidem; nam afflicto addi non debet afflictio, *juxta cap. cum percuſſio* 7. *q.* 1. *l. Navis* §. *Cùm autem ff. ad leg. Rhodian. de jact.* Petrus de Anchar. *conſ.* 52. *in princip.* apud Caſſianum à S. Elia *in arbor. opin. moral. verb. Afflictio num.* 2. *& cap. ex parte, juncta Gloſa verb. Afflictio de Cler. ægrot.* & tandèm Diſcretio eſt mater omnium virtutum, ut habetur *ex Clem. Paſtoralis de ſentent. & re judic.* Videantur igitur ea, quæ dicam *in tit.* 175. *de de Præl. Regular. ad Inter.* 5.

Et hæc omnia eo magis concludunt quia non ità ſtrictè Religioſi obligantur ad Chorum, ſicut Canonici, & Beneficiarii, cum talis obligatio ſingulos ſeorſim non afficiat, ſed ſolùm Communitatem, ut tenet Bonacina *de Horis Canon. diſp.* 2. *q.* 1. *pun.* 1. *ſub num.* 9. Diana *par.* 3. *tr.* 2. *reſol.* 18. Summa Diana *verb. Horæ Canonicæ, num.* 52. & alii penès ipſos; Immò Bonacina *loco cit. diſp.* 1. *qu.* 2. *pun.* 2. *num.* 8. ait, Religioſos obligari ad Divinum Officium in Choro perſolvendum ex vi Regulæ, quæ cùm levem

obligationem pariat, levem etiam cauſam ad ſui excuſationem admittit, & pro ſe refert Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 10. num. 15.* quæ tamen dicta eſſe volo ad exonerandam Superioris conſcientiam in favorem præfati Religioſi reverà diſpenſatione indigentis, non autem ad fovendam relaxationem, & inobſervantiam in Religionis detrimentum, ideòque intelligenda ſunt cum grano ſalis, nam ſinguli deputati ad Chorum, tàm Beneficiati, quàm Religioſi debent perſolvere Officium Divinum in choro, niſi ex juſta cauſa diſpenſentur, aliàs mortaliter peccant, maximè ſi ex contemptu, aut notabili negligentia, vel aliorum ſcandalo, & ſæpè ſine juſta cauſa, non interſint, ut optimè docet Armilla *verb. Horæ Canonicæ ſub n. 21. ex cap. ult. 92. diſt.*

Hæc mea deniq; reſponſio circa tale dubium, de quo olim interrogatus fui, cum miſſa fuerit Emin. Cardinali Protectori illius Religionis, in qua profeſſus erat dictus Religioſus, benigniſſimè tandèm à ſuo Prælato diſpenſationem obtinuit, quæ quidem diſpenſatio protinus juſta fuit, quia ut ait S. P. Auguſtinus *de op. Monac. cap. 19.* Qui veram Corporis oſtendit infirmitatem, humanè tractandus eſt.

TITULUS CXV.

De ingreſſu in Monaſteria Monialium.

Vide tit. de Bul. Int. 2. tit. de Cardin. Int. 8. tit. de parv. mate. Int. 12. tit. de Regul. &c. Int. 63.

1113 INter. 1. Quibus de cauſis facultas ingrediendi Monaſteria Monialium, licitè concedi poteſt?

Reſp. Dicta licētia licitè cōcedi non poteſt, niſi ob manifeſtam Monaſterii, ſeu Monialium utilitatem, cui aliter commodè occurri non poteſt; Verū eſt tamen, quòd talis neceſſitas accipienda eſt moraliter, non autem phiſicè, & neceſſitas manifeſta eſſe debet, tamen ſufficit, ut Superior prudenter opinetur cauſam juſtam eſſe. Ita firmant Bonac. *de clauſ. qu. 4. pun. 4. n. 1. & ſeqq.* & alii, quos refert, & ſequitur Barboſ. *in Trid. ſeſſ. 25. de Regul. & Monial. num. 78. & 81.* Imò nec Prælati, & alii Monialium curam habentes, earum Monaſteria ingredi poſſunt, niſi in caſibus tantum neceſſariis, ut mandat Gregorius XIII. in alia ſua Conſtit. incipien. Dubiis, de anno 1581. quam refert Quaranta *verb. Monaſterium Monialium pag. 447.* ſub pœnis, de quibus dicam infra *in hoc tit. ad Int. 5.*

1114 Inter. 2. Moniales poſſuntne tuta conſcientia admittere intra clauſuram ſui Monaſterii, pueros, ſeù puellas, uſum rationis nondum habentes?

Reſp. Lezana *tom. 1. par. 1. cap. 25. ſub num. 24.* ex Navarro, & Corduba, putat poſſe tuta conſcientia, quia prohibitio non extēditur ad Infantes; Nam licèt Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 5.* videtur includere omnes cujuſcunque ætatis, intentum tamen illius, ſolùm cenſetur extendi ad illos, qui Moniales poſſunt ad peccādum inducere. Oppoſitum tamen videtur dicendum, præſertim, quia ſic declaraſſe Sac. Congregationem apud Gavantum *in Man. Epiſc. verb. Monial. Clauſura num. 31.* teſtatur idem Lezana *loco cit.* Vide *ad Int. ſequentem.* Unde nec Infantes utriuſque ſexus poſſunt admitti intra clauſuram Monialium; Nomen enim maſculini generis, etiam fœminas comprehendere ex regula communis, ut docet Navar. *in comment. 4. de Regul. num. 59.* & Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. c. 10. num. 14.* apud Lezanam *ubi ſupra ſub num. 25.* ſed vide ipſum Lezanam *tom. 2. verb. Clauſura ſub num. 23,* Dianam *par. 3. tract. 2. reſ. 67. verſ. nota tertiò;* & Barboſam *in Collect. ad Trident. ubi*

ſupra

ſupra num. 55. nam iſti multa dicunt ad propoſitum.

1115 Inter. 3. Monialis admittens aliquem intra ſepta Monaſterii ad malũ finem, incurritne excommunicationem?

Reſp. Dico non ſolùm Monaſteriũ ingredientem ad malum finem, excõmunicationem incurrere, ſed etiam Monialẽ admittentẽ illum, quia agentes, & conſentientes, pari pœna puniuntur; Nec relevat ſi dicatur cum Diana *par.* 2. *tr.* 16. *reſ.* 32. quòd nec Concilium Tridentinum, nec in Bulla Gregorii XIII. fiat mentio de Monialibus admittentibus, ſed ſolùm de ingredientibus Monaſterium, & de Abbatiſſis, aut Prioriſſis, quæ aliquẽ admittunt; nam reſpondetur, quòd licèt in materia pœnali, regulariter loquendo, non ſit facienda extenſio; tamen quia ſumus in materia accommodata, & proportionata Monialibus, & Abbatiſſis, idcircò videtur dicendum, Pontificem in ſua Bulla potiori ratione voluiſſe comprehendere etiam privatas Moniales, ne de proprio delicto commodum reportarent. Violatio enim Clauſuræ Monialium ad malum finem, eſt caſus Sũmo Pontifici reſervatus, à quo nemo virtute privilegiorum poteſt abſolvere, ut patet ex declaratione Sac. Congregat. quæ incipit - - *Sacra Congregatio* - - quam referã in fine hujus operis. Unde puto cum Zecco *de Caſ. reſ. caſ.* 10. *num.* 1. etiam privatas Moniales dictam excommunicationem incurrere in caſu noſtro, & eò magis ducor, quia Paulus Comitolus *reſp. moral. lib.* 6. *q.* 19. *n.* 4. exiſtimat, Moniales puerum, vel puellam infantem intra monaſterii ſepta recipientes, eſſe excommunicatas, & Sellius *in Selectis canon. c.* 8. *n.* 18. refert Sacr. Congr. Epiſc. ſic cenſuiſſe in Cremonen 12. Februarii 1585. teſte Barboſa *in Collect. ad Trid. ſeſſ.* 25. *c.* 5. *de Regul. num.* 55. *in fine*. Ergò &c. Vide *in tit.* 25. *de Bullis, ad Int.* 2. *& in tit.* 33. *de caſ. reſ. ad Int.* 1.

1116 Inter. 4. Poteſtne Epiſcopus abſolvere ab excõmunicatione impoſita contra ingredientes Monaſteria Monialium ad malum finem?

Reſp. Licèt talis excommunicatio ſit Papæ reſervata, tamen dum delictum eſt occultum, poſſe Epiſcopum abſolutionis beneficium conferre; pluribus relatis docet Diana *par.* 2. *tr.* 16. *reſ.* 33. quidquid in contrarium dicant alii apud ipſum. Vide iterum Dian. *par.* 7. *tract.* 2. *reſ.* 22. qui fortioribus terminis utitur pro hac tuenda ſententia. Et nota poſſe etiam Epiſcopum abſolvere à ſuſpenſione Religioſos admittentes fœminas intra Clauſtra, dummodò delictum ſit occultum, ut dixi ſupra, quod idem dicendum eſt de Prælatis Regularium. Diana *loco cit. & in ſumm. verb. Ingredi Monaſterium n.* 5. Sanchez *in Summ. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 25. *num.* 7. Verùm adverto, Sacr. Congreg. & Gregor. XIII. reſpondiſſe, Epiſcopum non poſſe ab hoc caſu abſolvere, licèt ſit occultus, & ita referunt Merolla *tom.* 1. *diſp.* 1. *cap.* 2. *diffic.* 10. *num.* 537. Gavantus *in Man. verb. Abſolutio num.* 15. & Barboſa *de poteſt. Epiſc. par.* 2. *alleg.* 39. *n.* 45. ergò, &c.

1117 Inter. 5. Epiſcopus ingrediens Monaſteria Monialium, quam pœnam incurrit? Et Prælatus Regularis ingrediendo Monaſteria Monialium ſibi ſubiectarum, incurritne eamdem pœnam Epiſcopis impoſitam?

Reſp. Si abſque ulla vera, & manifeſta neceſſitate ingrediatur Epiſcopus, prima vice ſuſpenditur ab ingreſſu Eccleſiæ, ſecunda à Divinis, tertia ipſo facto excommunicatur, ut patet ex Conſtitut. Greg. XIII. quæ incipit *ubi gratiæ*, edita anno 1571. & docet Bonac. *de cenſ. diſp.* 3. *pun.* 5. §. 2. *num.* 29. & latè de Clauſura *qu.* 4. *pun.* 5. *ſub num.* 11. Prælati verò Regulares incurrunt excommunicationem, & ſimul privationem omnis officii, & miniſterii, immò ſtatim, etiamſi prima vice ingrediantur, licèt Bonac.

loc. cit. probabiliter cenſeat, Prælatos Regulares prima vice interdictos eſſe ab ingreſſu Eccleſiæ, ſecunda vice ſuſpenſos à Divinis, tertia affici excōmunicatione, & privatione omnis officii; Oppoſitum, & veriùs docet Sanchez *in Summ. tom. 2. lib. 6. cap. 16. num.* 102. Sed hodie in Conſtit. Alex. VII. edita X. Kalendas Novembris 1664. Prælati Regulares extra viſitationem localem ingredientes Monaſteria Monialium, incurrunt ipſo facto Excommunicationem, privationem omnium officiorum, quæ obtinent, & perpetuam inhabilitatem ad illa, vel alia in poſterum obtinenda, vociſque activæ, & paſſivæ privationem abſque alia declaratione; quas omnes pœnas pariter incurrunt omnes Regulares tam Subditi, quàm Superiores, qui aliquid contra tenorem præfatæ Cōſtitutionis facere, vel moliri præſumpſerint, aut adimplere neglexerint.

1118 Inter. 6. Præfatæ cenſuræ contra Prælatos ſine urgenti neceſsitate ingredientes Monaſteria Monialium ſibi ſubiectarum, cui ſunt reſervatæ?

Reſp. Bonac. *loc. ſup. cit. nempè de clauſura qu. 4. pun. 5. num. 13.* nulli eſſe reſervatas probat, quia in Conſt. Greg. XIII. nulla de reſervatione fit mentio, ac proindè de jure communi, quivis approbatus Confeſſarius poterit à præfata excommunicatione abſolvere dictos Prælatos juxtà *cap. Nuper de ſent. excom.* Sed quoad Prælatos Regulares, vide quæ dixi in præcedente Reſp. ex Conſt. Alex. VII. Tamen Theſaurus *de pœn. verb. Clauſura cap. 4.* docet, non ſolùm violantem Clauſuram Monialium ad malum finem incurrere excommunicationem Papæ reſervatam, ſed etiam ſecundùm opinionem multorum, quam ſequitur ſtylus Curiæ, in omni caſu, etiamſi ingreſſus fiat non ad malum finem, excommunicationem Papæ reſervatam eſſe in pluribus Conſtitut. Pontificiis, quas refert *num.* 2. ubi addit, quòd licèt hæ Conſtitutiones videantur loqui de ingredientibus prætextu facultatum; Tamen ex ſtylo Curiæ intelliguntur etiam de ingredientibus ſine tali prætextu, afferens pro hoc plures Doctores.

1119 Inter. 7. Epiſcopi, & Superiores Prælati, quando poſſunt licitè ingredi Monaſteria Monialium ſibi ſubiectarum?

Reſp. Viſitationis gratia, ſeù alterius rei neceſſariæ, dummodò tamen intrent pro tam urgenti neceſsitate, pro quanta ipſi ad intrandum licentiā poſſent dare aliis. Ità aliis allegatis docet Barboſa *in Trid. Seſſ.* 25. *de Regul. & Monial. ſub num.* 77. Sed quando ingrediuntur dicta Monaſteria, debent ingredi cum decenti comitatu, à Greg. XIII. præſcripto in ſua Conſt. incipiens: *Ubi gratiæ*, maximè quando ingrediuntur cauſa viſitandi Monaſterium. Vide Bonacinam *loc. cit. n.* 6. & Barboſam *n.* 84. qui alios concordantes referunt.

1120 Inter. 8. Poteſtne Epiſcopus, vel alius Superior ingredi Monaſterium Monialium, quando fit electio Abbatiſſæ?

Reſp. Conc. Tridem. *ſeſſ.* 25. *cap.* 7. mandat, ut Superior, qui electioni Abbatiſſæ, ſeù Prioriſſæ præeſt, Monaſterii Clauſtra non ingrediatur, ſed antè Cancellorum feneſtrellam, vota ſingularum Monialium audiat, vel accipiat. Verùm licèt hoc ita ſit, tamen licitum eſſe Superiori ingreſſum in Monaſterium ad electionem Abbatiſſæ, quotiès magna ſubornationis ſuſpicio eſt, ſeù quotiès electio Canonicè fieri non poteſt, niſi ipſe in Monaſterium ingrediatur, tradunt Barboſa *de poteſt. Epiſc. par. 3. allegat.* 102. *n.* 46. Bonac. *de Clauſ. quæſt. 4. pun. 4. num.* 7. & alii plures apud ipſos; Immò Bona. *loc. cit.* teſtatur de comm. & ratio eſt, quia adeſt moralis neceſsitas, vel quia præſumitur, Trident. nolle prohibere ingreſſum in caſu tantæ neceſsitatis, & in præjudicium boni communis illius Monaſterii.

TITU

Digitized by Google

TITULUS CXVI.

De Ingreſſu in Religionem.

Vide tit. de Illegit. ad qu. 1. *tit. de Præl. Reg. Int.* 21. *tit. de Regul. &c. Int.* 2. 64. 65. *& ad quæſ.* 1. *tit. de Relig. aliq. par. ad qu.* 1 *tit. de Vot. Int.* 12. 13. 14. 16.

1121 INterr. 1. Quam pœnam incurrunt, vi, vel metu cogentes viros, vel pueros, Virginem, vel Viduam ad Religionem aliquam ſuſcipiendam, aut prædictis conſilium, auxilium, vel favorem dantes?

Reſp. Peccant mortaliter, quia ingreſſus Religionis debet eſſe liber; præterea cogens fœminas cujuſcunq; conditionis, ſive ſit virgo, ſive vidua, excommunicationem incurrit, ut patet ex Conc. Trid. *ſeſſ.* 15. *cap.* 18. & latè docet Suarez *de Relig. tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 9. Verùm cogentes maſculos, licèt peccent mortaliter, ut dixi, tamen dictam excommunicationem non incurrunt; quia Tridentinum *loc. cit.* ſolùm loquitur de illis, qui cogunt fœminas. Vide Lezanam *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 24. *num.* 29. qui alios id aſſerentes refert; idem aſſerit Bonac. infra adducendus *num.* 15. Qui verò ſolùm vi inductiva, non coactiva induceret aliquam fœminam ad ſtatum Monachale ſuſcipiendum, excommunicationem minimè incurreret. Ità Barboſa *de poteſt. Epiſc. par.* 3. *allegat.* 104. Immò Tambur. *de jure Abbatiſſarum diſp.* 3. *qu.* 1. *num.* 2. docet, non eſſe prohibitum puellæ Religionis ingreſſum perſuadere, vel benevolentia, aut muneribus, abſque ullo pacto captare. Vide Barboſ. *in Collect. ad Trid. loco ſupracit.* ubi plura ad hoc propoſitum invenies. Cæterùm excommunicantur etiam in eodem Tridentino auxilium, conſilium, vel favorem dantes, ut docet Toletus *in Sum. lib.* 1. *cap.* 41. *num.* 6. & alii communiter. Hæc tamen excommunicatio, nemini eſt reſervata, teſte Cabrino *de caſ. reſ. par.* 2. *fol.* 45. *linea* 1.

1122 Inter. 2. Cogentes fœminas intrare Monaſterium, educationis cauſa, inciduntne in excommunicationẽ latam in Concilio Tridentino loco ſupra citato?

Reſp. Si fœminæ ſunt impuberes, ſcilicèt ante annum duodecimum, illas cogentes, dictam excommunicationem non incurrunt; ſiquidem Pater, & mater ex jure Canonico habent jus naturale offerendi filios Religioni; nec filius ſic oblatus poteſt, antequam annos pubertatis attingat à Monaſterio exire; tenetur enim obedire Parentibus, etiã poſt Conc. cũ circa hoc Cõc. nihil inovaverit, ut docèt Sanch. *in ſum. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 19. *num.* 8. *& ſeq.* *Suarez de Relig. tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 9. *num.* 4. & Portellus, quos allegat, & ſequitur Diana *par.* 2. *tr.* 15. *reſ.* 56. Verùm ſi poſt annum duodecimũ cogentur fœminæ Monaſterium ingredi, etiam ut ibi maneant cum habitu ſæculari, uſque ad occaſionem nubendi, controvertitur inter Doctores, an tales ſic cogentes, in excommunicationem incidant. Quidam enim putant tunc cogentes fœminas intrare in Monaſterium, incurrere in dictam excommunicationem, quando coactio illa, ingreſſus efficeretur in ordine, vel cum ànimo ad poſtea ſuſcipiendũ habitum Religionis, ſive alia via; ſecus autem dicendum eſſet, ſi ipſi cogentes talem animum non haberent. Vide Bonac. *de Cenſur. extra Bullam diſp.* 2. *qu.* 2. *num.* 6. Alii verò dicunt tunc cogentes, excommunicationem incurrere, quando haberent animum, ut in Monaſterio fœminæ permaneãt, & ſuſcipiant Religionis habitum, & non ſi ſolùm habeant animum, ut ibi cuſtodiantur, vel etiam, ut paulatim afficiantur, & poſtea ſi voluerint, habitum ſuſcipiant. Cæterùm quidquid ſit quoad excommunicationem incurrendam, tamen ſemper mortaliter peccant Parentes cogentes filias ad ingreſ-

ſum

ſum Monaſterii, etiam educationis cauſa, ut benè obſervat Diana *loc.ſupra cit.* Immò ſibi videtur probabilius incurrere excommunicationem, quia Concilium, ſicut expreſſit ſuſceptionem habitus, aut profeſſionem, ſic etiam disjunctivè expreſſit Monaſterii ingreſſum: & ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Et hanc ſententiam tradunt quamplures Doctores, ut Navar. *conſ.* 59. *de ſent. exco. in prima editione, & conſ.* 6. *de Regul. in* 2. *edition.* Barb. *de poteſt. Epiſc. par.* 2. *alleg.* 104. *num.* 5. Zerola *in prax. Epiſc. par.* 2. *verb. Moniales qu.* 3. Filliuc. *tom.* 1. *tr.* 24. *cap.* 6. *num.* 89. & alii, quos refert, & ſequitur idem Diana. Itaque cautè debent Parentes in hoc tam gravi negotio incedere. Vide Tolet. *lib.* 1. *cap.* 41. *num.* 6.

1123 Inter. 3. Incurruntne excommunicationem cogētes Mulieres Monaſterium ingredi, ingreſſu non ſequuto; aut ſi cogant fœminas ad ingrediendum Monaſterium in pœnam alicujus peccati, vel ad cautionem pudicitiæ?

Reſp. Dico primò, quòd ſi non ſequitur ingreſſus, excommunicationem non incurrunt. Ità Navar. *in Man. cap.* 27. *num.* 51. Bonac. *ubi ſup. n.* 8. Suarez, & Miranda, quos dat, & ſequitur Barboſa *in Collect. in Trident. ſeſſ.* 25. *de Regul. &c. cap.* 15. *num.* 8. Dico ſecundò, abſque metu excommunicationis incurrendæ, poſſe cogi fœminas in pœnam alicujus peccati, vel ad cuſtodiendam pudicitiam, aut alia juſta de cauſa à Jure permiſſa, ad Monaſterium ingrediendum, ut docent Suarez, Filliucius *locis cit.* & Bonac. *de Cenſur. extra Bullam diſp.* 2. *qu.* 2. *pun.* 2. *num.* 14. apud Barboſ. *loc. cit. num.* 7.

1124 Inter. 4. Suntne excommunicati Parentes, qui manifeſtant, ſolùm filię ſtatum monachalem illi convenire, eo quòd non habeant dotem pro Matrimonio, vel quia non illi ſecurum eſt manere in Sæculo abſque Matrimonio, & abſque Monachatu?

Reſp. Nequaquam ſunt excommunicati, etiamſi importunis precibus id ſuaderent Puellæ, quia tunc cenſetur ingredi Monaſterium tantùm ex metu reverentiali, non autem ex minis, ſeù coactione aliqua, ut ſuppono. Et ità tradunt Riccius in praxi rerum fori Eccleſiaſtici *reſ.* 599. *num.* 4. Portellus *in Addit. ad dubia Regul. verb. Moniales num.* 12. Rodericus *in compend. qq. Regul. reſol.* 101. *num.* 80. & alii, quos refert, & ſequitur Barboſa *ubi ſupra num.* 4. & Diana *par.* 2. *tract.* 15. *reſ.* 56. *verſ. Ex his apparet*. Secùs autem dicendum erit, ſi Parentes malè tractant puellam in victu, veſtitu, verbis, & aliis actionibus, contumeliosè illam tractando; nam ſi ità facerent, excommunicationem utique incurrerent; ſicut etiam ſi excederent limites ſimplicis perſuaſionis; nam tunc eſſet metus gravis, & cadens in virum conſtantem, ac proindè præfatam excommunicationem non effugerent. Cautè igitur ſe gerant Parentes, & Conſanguinei puellarum in dictis caſibus.

1125 Inter. 5. Cui competit examinare Puellas, vel alias fœminas, an coactè, & ſeductæ aſſumant habitum monialium, & debentne examinari ante ſuſceptionem habitus, aut ante profeſſionem?

Reſp. Examinari debent ab Epiſcopo loci, etiamſi ingrediantur monaſteria Regularibus ſubiecta, ut declaravit Sacra Congregatio teſte Piaſetio *in praxi Epiſc. par.* 2. *cap.* 3. *n.* 7. *&* 8. Epiſcopo verò abſente, vel impedito, ſpectat ad ejus Vicarium illas examinare, & debet fieri examen ad Cancellos, ſeu Crates Monialium. Et quamvis Conc. Trident. duplex examen petat *ſeſſ.* 25. *cap.* 17. tamen uſu, & conſuetudine jam receptum eſt, ut unicum puellæ quacunque ætate ingredienti permittatur, ſcilicèt ante profeſſionem dumtaxat examinentur, Ità Sançhez, & Rodriquez, quos refert,

fert, & ſequitur Diana *par.* 4. *tract.* 2. *reſ.* 47. Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 25: *num.* 12. & alii ab ipſo relati. Verùm licèt ſit peccatum mortale illud prętermittere, in quod incurrent non ſolùm ipſa Puella, ſed etiam Abbatiſſa: vel Prælatus ad profeſſionem admittens, tamen profeſſio valida foret. Vide citatos DD.

1126 Inter. 6. Quam pœnam incurrunt impedientes fœminam ne Monaſterium ingrediatur, & Religionem ſuſcipiat?

Reſp. Non ſolum excommunicationem incurrunt, qui cogunt fœminas Vitam Religioſam ſuſcipere, ſed etiam qui eas ab eo vitæ genere prohibent; nam in Conc. Trident. *ſeſſ.* 25. *de Regul. cap.* 18. poſt excommunicationem latam in cogentes fœminas ad ingreſſum in Monaſterium, vel ad ſuſceptionem habitus, vel ad emiſſionem profeſſionis, imponitur alia excommunicatio contra illos, qui fœminas impediunt, ne velum accipiant, ſeu profeſſionis votum emittant. Sed quia nemo poteſt profiteri, niſi prius habitum Religionis ſuſcipiat; ideò qui ſuſceptionem habitus impedit excommunicationem præfatam incurrit, ex eo quod ſaltem remotè profeſſionem impedit. Ità ex Suarez, & Filliuccio contra Sanchez firmat Bonac. *tom.* 3. *de cenſu. extra Bullam diſp.* 2. *quæſt.* 2. *pun.* 3. *num.* 8.

1127 Inter. 7. Impedientes aliquem Virum nè Religionem ingrediatur, incurritne excommunicationem? vel ſaltem mortaliter peccat?

Reſp. Concilium Tridentinum loquitur dumtaxat de impedientibus fœminas, & cum excommunicatio ſit res pœnalis, & odioſa; ideo extendẽda non eſt de caſu ad caſum. Bonac. *ubi ſupra num.* 7. & eſt communis ſententia. Cæterum qui abſque juſta cauſa retrahit aliquem ab ingreſſu Religionis, peccat mortaliter) quia læditur charitas erga proximum in re gravi. Vide Dianam *par.* 11. *tract.* 3. *reſ.* 22. & ea quæ dicam infra *in tit.* 175 *de Prælatis Regularibus, ad Int.* 21.

1128 Inter. 8. Qui habet aliquam juſtam cauſam impediendi fœminam nè Religionem ſuſcipiat, ſubiiciturne huic excommunicationis pœnæ?

Reſp. Concilium Tridentinum ſolum loquitur de impedientibus ſine juſta cauſa, conſequenter qui habet juſtam cauſam retrahendi fœminam à Religione, huic excommunicationi non ſubiicitur. Em. Sà *verb. excommunicationes nulli reſervatæ num.* 12. Bonac. *loco ſupracit. num.* 8. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 41. *num.* 6. *verſ.* 4. qui aſſerit etiã hanc excommunicationem non eſſe reſervatam.

1129 Inter. 9. Qui impedit fœminam nè faciat votum ingrediendi Monaſterium, aut aſſumendi habitum Religionis, incurritne excommunicationem?

Reſp. Bonac. *ubi ſupra num.* 4. reſolvit quòd non, quia talis ſolùm indirectè impedit profeſſionem, nec Cõcilium Tridentinum loquitur de impediente votum ſimplex, nam eſt certiſſimum illud juris axioma, lex ſi voluiſſet expreſſiſſet, hoc concilium non expreſſit, conſequenter non debet fieri extenſio unius ad aliud, præſertim quia agitur de materia pœnali: Sed vide Bonac. *loco cit.*

1130 Inter. 10. Berta poſtquam contraxit matrimonium per verba de pręſenti cum Catone, nondum conſumato Matrimonio, vult ingredi Religionem, fierique Monialis; ſed quia hoc ſummopere diſplicet Catoni; ideo quantum poteſt precibus à Religione illam retrahit, incurritne excommunicationem ipſe Cato, ſi Berta Religionem non ingrediatur?

Reſp. Licèt Berta poſt contractum Matrimonium poſſit licitè denegare debitum Conjugi, & ante bimeſtre monaſterium ingredi, fierique Monialis, ut docet Bonac. *de matrim. diſp.* 3. *punt.* 4. *ſub num.* 4. eſtque communis ſententia, *ut dicam ad Inter. ſequ.*

non

non per hoc tamen dictus Cato incurrit excommunicationem in caſu noſtro; quia non dicitur impedire voluntatem Bertæ, cum preces voluntatem non auferant, & ſic Berta etiam poſitis precibus Catonis, cenſetur ſponte nolle amplius Religionem ſuſcipere. Favet idem Bonac. *eod. tom. 3. de cenſ. extra Bullam diſp. 2. quæſt. 2. pun. 3. num. 5.* ſed hoc intelligendum eſt, niſi interceſſerit dolus, quia dolus voluntarium aufert.

1131 Inter. 11. Berta contraxit Matrimonium cum Sempronio per verba de præſenti, tamen debitum conjugale denegat viro ſuo dicens ſe velle Monaſterium ingredi, fierique Monialis, poteſtne Berta tuta conſcientia debitum negare, & Monaſterium ingredi?

Reſp. Equidem poteſt, quia poſt contractum Matrimonium Jus Canonicum concedit Conjugibus bimeſtre ad deliberandum de ſtatu eligendo, & de capeſſenda religione; habetur *cap. Verum, & cap. ex publico, de conver. conjug.* & tradunt DD. communiter; quare liberum eſt conjugi denegare debitum ante conſummatum Matrimonium, ut Religionem ingrediatur. Em. Sà *verb. Debitum conjugale num. 9.* & alii apud ipſum, Vict. *in Sum. de Matrim. num. 232.* Bonac. *de Matrim. diſp. 3. pun. 4. ſub n. 4. verſ. Notandum eſt*, qui teſtatur de communi. Elapſo verò bimeſtri peccat nõ reddendo debitum Petenti: Verùm facta Profeſſione alter conjux, qui remanet in ſæculo, poteſt ad ſecundas nuptias liberè tranſire, ut docent DD. communiter.

1132 Inter. 12. Qui contraxit Matrimonium, & illud conſummavit poteſtne ad Religionem tranſire?

Reſp. Generaliter loquendo non poteſt, quia neuter Conjugum eſt ſui Iuris: Verùm ſi unus Conjugum commiſerit adulterium, alter innocens, certò tuta conſcientia, ad Religionem tranſire valet, altero Conjuge invito remanente in Sæculo. Patet *ex cap. Agathoſa 27. quæſt. 2.* Imò etiam poteſt Sacros Ordines ſuſcipere, ut tenet Victoria *in Sum. de Matrim. num. 231.* Item pariter de licentia alterius Conjugis, poteſt alius tranſire ad Religionem, ſed qui licentiam concedit, tenetur quoque Religionem intrare, niſi ſit in ætate ſenili, qua poſſit Epiſcopus judicare, non adeſſe incontinentiæ periculum, licèt in ſæculo remaneat voto caſtitatis obſtrictus: Mulier autem quinquagenaria dicitur Senex, ut Vir poſſit profiteri religionẽ, remaneat illa in ſeculo cum voto caſtitatis. Vir etiam ſi ſit Sexagenarius ad hunc effectum cenſetur Senex, ut docet Bonacin. *de Matrim. diſp. 3. puncto 4. ſub num. 12.* Diana *parte quarta tract. 4. reſ. 75.* & alii plures penes ipſos: Immo probabiliter docet Diana *ubi ſupra reſ. 129.* quod vir conſentiente uxore poſſit ad Sacerdotium promoveri, quamvis ipſa Religionem non ingrediatur, & juvenis ſit, dummodò caſtitatem voveat: Oppoſitum cenſet Sanchez *de Matr. lib. 7. diſp. 39. num. 6.* Utraque ſententia eſt probabilis ſtando in puncto Juris, ut ait ipſemet Diana *loco citato*, & probabilem eam vocat etiam Sanchez, licèt ſententia negans mihi videatur probabilior. Cæterum quotieſcumque licet Viro tranſire ad Religionem, licet ei quoque ad Sacros Ordines in ſeculo tranſire; Ità Paludanus 4. *diſt. 27. q. 3.* cui ſubſcribit Victoria *loco ſupra cit.* & de hoc ego non dubito; Verum eſt tamen, quòd ad Epiſcopatum Vir minimè promoveri poteſt, niſi Uxor, ſive ſit Senex, ſive Juvenis Religionem ingrediatur, ut habetur *c. ſanè de converſ. conjug.* & tradit Ancharan. *in dicto cap. ſanè in fine*, Baſilius Pontius *de Matrim. lib. 7. c. 25. num. 6.* quibus ſubſcribit Diana *dicta reſ. 129. §. nota etiam.*

1133 Inter. 13. Poteſtne Epiſcopus ingredi Religionem?

Reſp. Epiſcopus non poteſt ſine licentia

centia Papæ tranſire ad Religionē, ut patet *ex cap. licèt, de Regul. & cap. ſcias 7. quæſt.* 1. & docet S. Thomas 1. 2. *quæſt.* 185. *art.* 4. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 10. *quæſt.* 3. *pun.* 4. & colligitur etiam *ex cap. Niſi cum pridem de Renunc.* Vide Em. Sà *verb. Epiſcop. n.*39. & Lezanam *tom.* 1.*par.*1.*cap.* 24. *n.*11.

TITULUS CXVII.

De Inimicis.

Vide tit. de Homicid. Inter. 8. *tit. de Paroch. Inter.* 11. *tit. de Peccat. Int.* 22. *tit. de Teſtib. &c. Int.* 7.

1134 Inter. 1. Poteſtne Confeſſarius abſolvere pœnitentem, qui non vult alloqui, vel ſalutare inimicum?

Reſp. Si non adſit odium, aut ſcandalum, aut periculum, vt Inimicus odium, & rancorem ob denegatam ſibi ſalutationem concipiat, vel conſervet, poteſt illum abſolvere, quia per ſe loquendo non eſt peccatū mortale non ſalutare Inimicum, quando nobis occurrit, quia non tenemur ſpecialia benevolentiæ ſigna exhibere inimicis, quæ non tenemur erga alios. Vide Dian. *par.* 2. *tr.* 15. *reſ.* 62. Mancinum *pract.* 7. *dub.* 2. Tamen dicendum eſt, quòd teneatur ratione noſtræ depravatæ iraſcibilis, nàm denegans hujuſmodi ſigna, ut plurimum eſt pravè affectus erga inimicum, illumque odio proſequitur, vel ſaltem aliquam præbere ſolet ſcandali occaſionem, ſiquidem abſtinendum eſt ab omni ſpecie mali, ut inquit S. Paulus ad Theſſalon. Vide Sylveſt. *verb. Charitas n.*4. Tolet. *lib.* 5. *c.* 10. *ſub num.* 5. Laym. *lib.* 2. *tract.* 4. *c.* 4. *num.* 2. Bonac. *de præcep. Decalogi diſp.* 4. *quæſt.*4. *pun.* 3. *num.* 3. *per totum.* Diana *par.* 5. *tr.* 13. *reſ.* 89. Navar. *in Man. c.* 14. *nu.* 25. nam iſti multa dicunt. Cæterum, qui Inimicum ſalutantem non reſalutat, mortaliter peccat, quoties inde ſequitur ſcandalum, aut quoties notabilis contemptus exiſtimatur, ſpectata circumſtantia temporis, loci, perſonarum, & conſuetudine Patriæ. Bonac. *ſub n.*5. *ubi ſupra.* Denique ut omnia unico verbo concludam; dico cum Em. Sà *verb. Charitas*, Inimico non tenemur oſtendere ſigna amoris, niſi in caſu neceſſitatis, nempè quando tenemur ex Charitate ſubvenire: Tenemur tamen alloqui, ſi alioquin eſſet ſcandalum, ut ſupra dixi, & ſalutantem nos reſalutare, & veniam petenti reconciliari, ut docet D. Thom. 2. 2. *q.* 25. *art.* 9. & ex eo ſupracitati Doctores. Vide Armillam *verb. Charitas ſub num.* 1.

1135 Inter. 2. Peccatne mortaliter, & poteſtne abſolvi qui non vult alloqui, vel ſalutare eum cum quo familiaritatem diſſolvit?

Reſp. Præciſo ſcandalo, & depoſito odio, vel triſtitia de bono illius, non peccat mortaliter, & conſequenter poteſt abſolvi, quia non tenemur illum, qui non eſt nobis nòtus, vel familiaris alloqui, vèl ſalutare, cum Charitas non obliget nos ad hujuſmodi ſigna peculiaris benevolentiæ præſtanda, & exhibenda, ita ob diſſolutam familiaritatem, iſte non eſt melioris conditionis altero, quem ſalutare, aut alloqui non ſolebamus. Ità Bonacina *tom.* 2. *de reſtit. diſp.* 2. *quæſt.* 5. *pun.* 2. *num.* 4. ex Beja, Navarro, Bannes, Cajetano, & aliis. Vide tamen quæ dixi *ad Inter. antecedentem.* Et Armillam *verb. Odium num.* 3. ubi ſic habet. Sunt tamen hortandi homines, ut ab Inimicis non ſubtrahant conſueta beneficia, colloquia, & hujuſmodi, etiā extra articulum neceſſitatis, ut omnis ſpiritus odii de mente eradicetur, & inimicus ad bonum provocetur exemplo Chriſti &c.

1136 Inter. 3. Peccatne mortaliter, qui veniam inimico petenti concedere recuſat?

Reſp. Non tenetur quis remittere debitam ſibi pro injuria ſatisfactionē, Imò

Imò poteſt contra Inimicum in Judicio agere, ut ſecundum jura puniatur, & exigere ſatisfactionem injuriæ, aut damnorum; ſed ſolùm tenetur injuriã remittere quantum ad odium, & voluntatem mali, quia non licet aliquid ex odio, & animo vindictæ facere, ergo non peccat mortaliter ſi veniam inimico petenti, (depoſito tamen odio, & vindictæ affectu) concedere recuſat, ut ſibi cõpenſatio juridice fiat, vel ob juſtitiæ zelum delicta non remaneant impunita; Imò ſi homicida v. g. homo eſt iniquus, non tenetur deſiſtere à cauſa, ſed ipſum proſequi debet donec ſuſpendatur. Tolet. *lib.* 4. *c.* 10. *num.* 5. *circa finem*. Em. Sà *verb. Injuria num.* 1. Navar. *c.* 14. *num.* 25. *propè finem*, & alii apud Bonac. *de præc. Decal. diſp.* 4. *qu.* 4. *pun.* 3. *n.* 5. Sylveſt. *ver. Charitas ſub num.* 4. Manc. *pract.* 7. *dub.* 3. *&* 4. Tamen ,ut verum fatear, in praxi difficile eſt, quòd aliquis actionem injuriarum proſequatur, depoſito omni odio, & vindictæ affectu, ideò melius eſt remittere veniam petenti, juxtà illud S. Lucæ cap. 17. *Si reverſus fuerit ad te dicens peccavi, pœnitet me, dimitte illi* præſertim tibi debitam ſatisfactionem offerenti, niſi neceſſaria ſit Judicis actio ad conſulendum honori, vel damno tuo, maximè cum hoc ſit conforme conſilio Chriſti: *Si quis percuſſerit te in maxilla, præbe ei & alteram*. Vide Bonac. *loco prox. citato in fin.* D. Thom. 2. 1. *quæſt.* 107. *art.* 1. *&* 2.

1137 Inter. 4. Qui juravit inimico ſe nihil damni illaturum, peccatne contra juramentum ſi ex nova cauſa ſuperveniente illi noceat?

Reſp. Bonac. *de Præcep. Dec. diſp.* 4. *quæſt.* 1. *pun.* 16. cum communi aſſerit non peccare, quia intelligitur juraſſe ſe non nociturum ex cauſa præterita, vel niſi novã causã dederit: promiſſio enim, & juramentum aliquid faciendi, & omittendi intelligitur ex cauſa ſubſiſtente tempore, quo juramentum præſtatur. Peccabit tamen mortaliter, ſed non contra juramentum, ſi grave damnum injuſtè inferat.

TITULUS CXVIII.

De Injuſtitia.

Vide tit. de Eleemoſ. Int. 3. 16. *tit. de Homic. Int.* 8. *tit. de Peccat. Int.* 20. 23. *tit. de Pec. ven. Int. ult. tit. de Reiſ. mort. ad quæſ.*

1138 INter. 1. Qui jubet aliquem percùti baculo iniuſtè, etiam expreſſo modo ne illum interficiat, ſi mandatarius interfecit, ſitne irregularis, qui percuſſionem illam mandavit?

Reſp. Fit irregularis juxta ſententiam Navar. *c.* 27. *num.* 233. Suarez *de cenſu. diſp.* 41. *ſect.* 2. *num.* 3. *& colligitur ex c. fin. de homic. in* 6. Oppoſitum tamen docet Diana *par.* 4. *tr.* 2. *reſ.* 19. *& pro ſe cit.* Præpoſitum *in* 3. *par. q.* 5. *de irreg. dub.* 10. *num.* 78.

1139 Inter. 2. Peccatne mortaliter Judex, qui juxta allegata, & probata profert ſententiam mortis contra aliquem, quem ſcit ex privata ſcientia eſſe innocentem?

Reſp. Magna quidem quæſtio eſt inter DD. Quidam docent, non poſſe Judicem in conſcientia Innocentem morti adjudicare, licèt Jure probetur nocens, nam directè, & ex intentione occidere Innocentem. de facto eſt per ſe malum, ideoque contra charitatem, ac etiam contra Juſtitiam putant peccare Judicem, niſi talem à morte liberet, eo meliori modo, quo poteſt; adhibitis omnibus diligentiis neceſſariis ad ipſum liberandum; quomodo autẽ ſe gerere debeat in tali caſu, pluribus citatis docet Diana *par.* 5. *tr.* 4. *reſ.* 22. Alii verò, & præſertim D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 67. *ar.* 2. & ibi Cajet., Bannes, Salonius, Aragonius, & alii plures, quos refert ipſe Diana *loco cit.* docent, Iudicem non peccare, quia Judex in judicando, publicã perſonam, & quidem ipſius communitatis, ſuſtinet, ergo uti debet ſcientia publica dumtaxat,

xat, quæ ipſi Communitati probabilis reddatur, aliàs aperiretur via infinitis fraudibus, ſi privata ſcientia uteretur. Unde mihi videtur, poſtquam adhibuit omnes diligentias ad illum liberandum, poſſe tuta conſcientia reum, prout de jure apparet, condemnare; Nam ſequitur opinionem certò probabilem, nec oppoſita probabilior videtur mihi, quia ſi ille eſt innocens de facto, tamen eſt Reus de Jure, ergo juridicè, nempè juxta allegata, & probata condemnatur ad mortē, & conſequenter non debet imputari Judici, ſi in judicio fuit probatum ſufficienter eſſe nocentem. Vide omnino Tolet. *lib. 5. c. 56. à num. 3.* qui hanc noſtram ſententiam communiorem, & veriorē appellat. Excipit tamen niſi ſit ſupremus Judex, ut Rex, Princeps, aut ii, quorum dicta habent in ſuo Territorio vim legis; hi enim ſecundum conſcientiam tenentur innocentem eripere. Vide etiam Em. Sà *verb. Judiciales actus num. 13.* ubi utriuſque opinionis Authores refert, ſed ipſe primam ſequitur opinionem, quamvis ſecundam communem eſſe fateatur; Vide Stephan. à S. Greg. *de contract. lib. 1. c. 8. num. 5. pro hac noſtra ſententia.*

1140 Inter. 3. Eſtne peccatum mortale, vel veniale, ſi quis dolet de Beneficio collato indigno, quia injuſtè datum eſt illi?

Reſp. Si doleat, & triſtetur, quia indignus eſt tali beneficio, & quod fuit violata juſtitia, cum Beneficia, aut Dignitates dari non debeant indignis, nec quidem venialiter peccat, quia ex zelo movetur, & ex juſtitia, & ſicuti licitum eſt triſtari de bono alicujus, quo licitè poſſemus eum privare, ſi in nobis eſſet poteſtas ob illam cauſam propter quam triſtamur, ut docet Cajet. in 2. 2. D. Thom. *q. 63. ar. 1.* ità licet triſtari de Beneficio collocato indigno, & quòd violata ſit iuſtitia. Toler. *lib. 8. cap. 63. n. 1. ſup.* & cōmunis. Vide Bonac. *de Præc. Decal. lib. 8. c. 63 nu. 1. diſp. 3. quæſt. 4. pun. ult. §. 1. ſub n. 7.*

TITULUS CXIX.

De Inquiſitoribus.

Vide tit. de Denunc. tit. de Edict. Int. 1. 2. tit. de Excomm. &c. Int. ult. tit. de hæreſ. &c. Int. 5. tit. de Judicib. ad quæſ. tit. de lib. prob. Int. ult. tit. de Sigill. Confeſſ. Int. 14. tit. de Sollicit. Int. 8. 9. 11. tit. de Superſt. Int. 20. tit. de Teſtib. &c. Int. 9.

1141 INter. 1. Spectatne ad Inquiſitores punire Reum, qui in ſortilegiis miſcuit Sacramentalia?

Reſp. Utique ad Inquiſitores pertinet hujuſmodi Reos punire, quia ſortilegium cum mixtione Sacramentalium eſt hæreticale; nam tales ſortilegi admittentes ſupradictas res ſacramentales in ſuis ſortilegiis, ſignificant ſe credere hujuſmodi adhibita habere vim ad maleficiorum operationem, ut ex Bellochio, Florono, Genuenſi, Zanardo, Delrio, Pegna, Scaccia, & aliis firmat Diana *par. 4. tr. 8. reſ. 14.* & teſtatur de communi.

1142 Inter. 2. Poſſuntne Inquiſitores punire ſortilegum, qui in ſortilegio miſcuit hoſtiam non conſecratam, ſi tantùm ſuper eam Sacerdos miſſam celebravit?

Reſp. Si quis abuteretur hoſtia conſecrata (quod eſt horribile dictu) proculdubio ab Inquiſitoribus ſeverè eſſet puniendus; nam hoc ſcelus ad hæreſim magnoperè præſumendam pertinet, & in hoc omnes Doctores conveniunt. Imò ex ordinatione S. Officii poſita in fine operis judicialis Inquiſitorum, teſte Diana, qui uſus fuit Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento in ſortilegiis traditur Curiæ Sæculari puniendus. An verò poſſint Inquiſitores punire ſortilegum, qui in ſortilegio miſcuit hoſtiam non conſecratā, dūmodò ſuper eam ſit celebrata Miſſa, eſt diſſenſio inter Doctores, ut videre licet apud Dianam *par. 4. tract. 7. reſ.*

reſ. 10. *verſ. Quæro igitur*, ipſe tamè, & benè cum Scaccia, Souſa, & Moura, abſolutè putat, hæreſim ſapere manifeſtam in dicto caſu, tùm ex parte operis, tùm quia Sacrificium Miſſę dictus ſortilegus ordinat ad ſortilegiū, licèt mediatè, & tandem quia præſumitur, quòd hęc faciens credat illud Sacrificium vim habere ad maleficium operandum, & hoc ipſum in facto oſtédit; ergò dicendum eſt, ſupradictum ſortilegum eſſe puniendum ab Inquiſitoribus, ut ſuſpectus de hæreſi vehementer, cum abjuratione de vehementi. Vide Dianam *loco cit. uſque ad fin. reſolutionis*.

1143 Inter. 3. Poſſuntne Inquiſitores procedere contra ſortilegos, qui ſolùm implicitè invocant Dæmonem ſine cultu, ſeu honore, aut mixtura rerum, vel verborum Sacrorum?

Reſp. Quidam dicunt non eſſe ſortilegium hæreticale, & conſequenter non eſſe delictum ſpectans ad Inquiſitorum forum. Vide Dianam *dict. par. 4. tract. 7. reſol.* 10. *verſ. Sed oritur*, qui tandem concludit cum Zanardo *in Direct. Theol. par. 3. cap. 74. fol. 366.* contra ſortilegos non hæreticantes poſſe Inquiſitores procedere tanquā contra ſuſpectos de levi ex amicitia cum pacto implicito ſaltem cum Dæmone; nam ſicut ſubditus contrahens amicitiam cum hoſte ſui Principis redditur de infidelitate ſuſpectus, ità & qui cū Diabolo fœdus, pactum, vel amicitiā contraxit, etiam quoad ea, quæ ſunt illi propria, vel ad quæ ſe poteſt extendere ſua virtus, & rectè quidem; nam nobis omne cum Dæmonibus commercium interdictum eſt. Immò Bartholomæus de Spina inſignis Theologus Dominicanus, qui etiam fuit Sac. Palatii Apoſtolici Magiſter, abſolutè probat *in Apolog. 4. contra Ponzinitium* omnem invocationem Dæmonis ſapere hæreſim manifeſtam. Dicendum eſt igitur, quod quoties quis eſt certus, vel quaſi certus rem, quam facit ſecundum ſe ſuperſtitioſam eſſe, & ea tamèn ſeriò facit, etiam ſi proteſtetur ſe non intendere, vel nolle effectum conſequi, ſi qua Diaboli virtus, vel pactum ſubſit, adhuc eſſe ſortilegii, & ſuperſtitionis Reum, quia talis proteſtatio cum ſit contraria facto, non excuſat proteſtantem, quia poſſit ab Inquiſitoribus tanquam de hæreſi ſuſpectus puniri; Et nota id, quod aſſerit Emm. Sà *verb. Hæreſis num. 6.* ſcilicet, quòd ex ſortilegio, & divinatione non probatur quis hæreticus, ſed præſumitur; De variis nominibus ſortilegiorum, quæ omnia ſunt damnata habetur *ex cap. illud* 26. *q.* 1.

TITULUS CXX.

De Intentione.

Vide tit. de Eleem. Inter. 9. tit. de Epiſc. &c. Inter. 68. tit. de Furt. Inter. 3. 4. 5. tit. Jur. Inter. 5. tit. de Occ. Inter. 7. tit. de Peccat. Inter. 20. tit. de Sacril. Inter. 7. 8. tit. de Simon. Int. 5. 18. tit. de Simul. Inter. 4. tit. de Val. Sac. Bap. Inter. 2. tit. de Vot. 16. 17.

1144 INter. 1. Perverſa intentio Miniſtri in conferendo Baptiſmo, & aliis Sacramentis, suppleturne à Deo; ſaltem quoad gratiam?

Reſp. Dico primò quòd non valet Baptiſmus collatus à Miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat, ſi intus in corde ſuo, apud ſe reſolvit, non intendo facere, quod facit Eccleſia, & hoc eſt certiſſimum, cum oppoſitum jam poſtremò ſit damnatum ab Alex. VIII. anno 1690. & eſt 28. propoſitio ab eodem reprobata; Itaque nullo modo ſunt audiendi, qui docuerunt oppoſitum, nam ad validè conficiendum Sacramentum requiritur intentio, ſeù faciendi, quod intendit Eccleſia, vel quod Chriſtus inſtituit, patet enim hoc ex Conciliis aſſerentibus Sacramenta tribus perfici, materia ſcilicet, for-

forma, & intentione Miniſtri, & tanquam de fide habetur ex Trid. *ſeſſ.* 7. *can.* 11. *de Sac. in genere*, & tradunt DD. communiter apud Bonac. *de Sac. diſp.* 1. *quæſt.* 3. *pun.* 2. §. 3. *num.* 4. *&* 5. inter quos eſt S. Thomas præcipuus Theologorum Magiſter 3. *par. quæſt.* 64. *art.* 10. Dico ſecundò ſi Miniſter ex malitia in Baptiſmo, vel Pœnitentia, vel alio Sacramento deciperet, non habendo intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, ſed tantùm irrideret hominem, Deum non ſupplere effectum Sacramenti: Hanc ſententiam aliis relatis docet Diana *par.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 17. eſſe valdè probabilem. Vide etiam Bonac. *loco ſupra cit. num.* 10. qui tandem ità rectè concludit: *Caveat tamen baptizatus ne anxius, & ſcrupuloſus ſit circa ſuſceptum baptiſmum, niſi certò ſciat ſe ficté baptizatum fuiſſe, non enim facilè credendum eſt adminiſtrantem Baptiſmum debita caruiſſe intentione*: Et ſic dicendum eſt etiam de aliis Sacramentis. Vide infra *in tit.* 226. *de Validitate Sacramenti Baptiſmi, ad Inter.* 1.

1145 Inter. 2. Quænam intentio eſt ſufficiens ad validè conficiendum Sacramentum Ordinis, & aliorum Sacramentorum?

Reſp. Supponendum eſt primò Sacramenta tribus perfici, ſcilicèt materia, forma, & intentione miniſtri, ut aſſerit Conc. Florent. *ſeſſ.* 11. *can.* 17. Supponendum eſt ſecundò triplicem eſſe intentionem, nempè habitualem, virtualem, & actualem: his ergo ſuppoſitis, & prænotatis, dico varias eſſe opiniones DD. quænam intentio virtualis ſufficiat, nam omnes fatentur intentionem habitualem non ſufficere, & actualem non eſſe neceſſariam, ut videre licet apud Bonac. *de Sac. diſ.* 1. *quæſt.* 3. *pun.* §. 2. *num.* 11. Dianam *par.* 2. *tract.* 17. *reſ.* 32. & alios, tamen non conveniunt in aſſignando, quænam intentio virtualis ſufficiat; Sed quidquid dicant aliqui, quos refert, & non ſequitur Diana *loco cit.* dicendum eſt cum communiori, intentionem virtualem neceſſariam ad Sacramenta illam eſſe, quæ actu tranſivit, & virtute manavit ex impreſſione in imaginativa relicta in primo propoſito, quo quis humano modo ad agendum ſe applicuit, quià excitatur potentia motiva, ut actus initio propoſitos, (qui primum actum immediatè ſequuntur, aut cum eo ſaltem mediatè connexi ſunt) perficiat, homine interim alia omnia cogitante, donec actu aliquo contrario interturbetur. Ut v.g. incipit quis Sacrum intendens celebrare, & poſteà totum Sacrum involuntariè omninò diſtractus ordine ſuo perficit: Hic habet intentionem virtualem, nam in illa Miſſa omnes illæ actiones, à prima illa intentione verè ſecundum modum agendi humanum procedunt ratione imaginationis, quam prima illa intentione verè ſecundum modum agendi humanum, procedunt ratione imaginationis, quam prima illa voluntas applicavit. Ita pluribus relatis rectè, & in terminis firmat idem Diana *loco cit.* & hanc ſententiam probabiliorem appellat. Sed vide Campion. *Inſtr. pro Ordin cap.* 14. *num.* 9. *& cap.* 19. *num.* 13. *&* Rotarium *in Appar. pro exam. Cler. cap.* 3. *num.* 24. *& ſeqq.*

1146 Inter. 3. Satisfacitne præcepto Eccleſ. qui Miſſam audivit in die feſto animo, & intentione non ſatisfaciendi?

Reſp. Plures Doctores, quos refert, & ſequitur Bonac. *de Horis Can. diſp.* 1. *quæſt.* 3. *pun.* 2. §. 1. *num.* 32. dicunt, quòd ſatisfaciat, quia Eccleſia non præcepit Miſſæ auditionem animo ſatisfaciendi præcepto, ſed ſimpliciter præcepit Miſſam audiri, ergo ſi de facto Miſſam audit, adimplet præceptum, dummodò tamen devotè audierit.

1147 Inter. 4. Quodnam peccatum committit, qui jurat ſe facturum aliquod veniale, animo tamen illud non exequendi?

Reſp.

Reſp. Committit peccatum mortale ex defectu veritatis primariò requiſitæ in juramento, Navar. *in man. cap.* 12. *num.* 13. *&* 16. Em. Sà *verb. Juramen.* 5. Bonac. *de Præc. Decalog. diſp.* 4. *quæſt.* 1 *pun.* 3. *ſub. num.* 6. & alii. Qui verò jurat ſe facturum veniale animo illud exequendi, non peccat pluſquam venialiter, ut docent præcitati Doctores.

1148 Inter. 5. In quo caſu quis non peccat, ſi triſtatur de ſanitate alicujus, aut gaudet de illius infirmitate, aut optat alterius mortem?

Reſp. Quando movetur ex bono motivo, & recta intentione putà quia ſanitas eſt illi occaſio peccandi mortaliter, & offendendi Deum, vel proximũ: Undè non eſt peccatũ optare alterius mortẽ aut morbum, aut rei familiaris jacturam, aut gaudere de illius infirmitate, in finem ut convertatur ad Dominum, vel nè tot, tantaque facinora perpetret, vel in alium finem honeſtum, & ſanctum. Ita S.Tom. 2. 2. *quæſt.* 36. *art.* 2. Navar. *in Man. cap.* 15. *n.* 10. Tolet. *lib.* 8. *cap.* 56. *num.* 2. Bonac. *de Præc. Decal. diſp.* 3. *quæſt.* 4. *puncti ult.* §. 1. *num.* 7. qui alios concordantes adducit, & iterum Toletus *lib.* 4. *cap.* 11. & Armilla *verb. Invidia in fine* ſic inquit: Licet lætari de ruina Malorum, & dolere de eorum proſperitate, ne Bonis nocere queant.

TITULUS CXXI.

De Interdicto.

Vide tit. de Celebr. Miſſ. Int. 10. *tit. de Concionat. &c. Int.* 2. *tit de Elect. &c. Int. ult. tit. de Pecc. mort. Int. ult. tit. de Puer. Int.* 6. *tit. de Sac. Matr. Int.* 24. *tit. de Sacr. Pœn. Inter.* 3 *tit. de Val. Sac. Pœn. Int. ult. tit. de Viſit. Int.* 3.

1149 INter. 1. Quid eſt Interdictum?

Reſp. Eſt Eccleſiaſtica cenſura, qua homo baptizatus ſeparatur à perceptione quorumdam Sacramentorum, à Divinis Officiis, & à Sepultura Eccleſiaſtica. Ità Bonacina *de Cenſ. diſputat.* 5. *pun.* 1. *n.* 1. Tolet. *lib.* 1. *c.* 51. *num.* 1. Zeccus *de Caſ. Reſ. de Interd. pag.* 69. Cabrin. *de Caſ. Reſ. par.* 2. *caſ.* 1. *annot.* 2. *num.* 4. Layman. *lib.* 1. *tr.* 5. *par.* 4. *cap.* 1. & alii communiter.

1150 Inter. 2. Quotuplex eſt Interdictum?

Reſp. Triplex eſt, locale, perſonale, & mixtum, quod complectitur locale, & perſonale. Navarr. *in man. cap.* 27. *num.* 166. Sylveſt. *verb. Interdictum* 1. *q.* 2. Bonac. *& alii ſupracit.* Locale ſubdividitur in generale, quo interdicitur locus, ut Regnum, Provincia, Civitas, vel Pagus, &c. & in ſpeciale, quo interdicitur locus particularis, ut Eccleſia, vel etiam omnes Eccleſiæ unius Provinciæ, Civitatis, vel Oppidi. Item Perſonale tantùm, eſt duplex, generale, & ſpeciale; Generale eſt, quando interdicitur aliqua Univerſitas hominum, ut Regni, Provinciæ, Civitatis, vel Oppidi: Speciale, quod interdicit perſonas ſingulares. Ità citati Doctores, & alii communiter.

1151 Inter. 3. Peccatne mortaliter, qui non interdictus, audit Miſſam Sacerdotis perſonaliter interdicti, & publicè denunciati?

Reſp. Multi multa dicunt, & probabiliter quidem; Tamen ſi non inducit ipſum Sacerdotem ad celebrandum, nec ei cooperatur inſerviendo, &c. mihi videtur, non peccare audiendo dumtaxat Miſſam ipſius, quia nullum jus poſitivum prohibet hujuſmodi Miſſæ auditionem, nec eſt prohibitum communicare cum interdicto, etiamſi nominatim denunciatus ſit; ut ex Diana *par.* 5. *tr.* 10. *reſ.* 63. cum Turriano, Mercero, & Filliucio, tenet Lezana *verb. Interdictum, num.* 25. *in fine.* Sacerdos verò peccat peccato ſacrilegii, & irregularitatem incurrit.

1152 In-

Digitized by Google

1152 Inter. 4. Quodnám peccatum eſt violare interdictum, & quam pœnam incurrunt illud violantes?

Reſp. Perſonę Eccleſiaſticę, ſivè Seculares, ſivè Regulares violãtes quodcunque Interdictum, peccant mortaliter, quia faciunt contra præceptum Eccleſiæ in re gravi, & quæ ipſos directè tangit. Navar. *in Man. cap.* 27. *num.* 187. & præterea irregularitatem incurriunt, ſi interdictum violant per exercitium alicujus Ordinis ſacri, eo modo, quo à Laicis exerceri non poteſt. Sylv. *verb. Interdictum* 6. *num.* 2. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 63. *num.* 3. dummodò tamen ſcienter id faciant, ſecus autem ſi ex negligentia, aut ignorantia, etiam culpabili; Nam *in cap. Is qui, de Sent. Excomm. in* 6. additur hæc particula, *ſi verò ſcienter*, quæ quidem ſupponit malitiam, ut docet Lezana *loco ſupracit. num.* 37. Laici verò violantes Interdictum perſonale, ſive ſit generale, ſive particulare, mortaliter peccant. Navarr. *ubi ſup.* & alii: Quando autem Interdictum locale generale, vel ſpeciale, ſecluſo ſcandalo, & contemptu, ſolùm venialiter peccant, niſi per violentiam, fraudes, aut mendacia Officiis divinis in loco interdicto ſe ingerant, vel Clericis jubentibus, ut exeant, non obediant, aut ſi Clericos inducant, ut coram ipſis Divina celebrent, quia in hoc caſu putant quidam peccare mortaliter; ſed excepto Sacrificio Miſſæ, facilè poſſint excuſari à peccato mortali, quia parum videtur repugnare Eccleſiæ voluntati. Ità Coninchus, Suarez, Hurtadus, & Præpoſitus apud Dianam *par.* 5. *tr.* 10. *reſ.* 68. Cæterum hoc eſt veriſſimum, quòd Laici propter violationem Interdicti, nullam irregularitatem incurrunt. Sed vide Lezanam *ubi ſupra num.* 38. & 39. ubi plura invenies ad hoc propoſitum.

1153 Inter. 5. In quibus caſibus poſſunt Epiſcopi incurrere pœnam interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ?

Reſp. Primò contraveniendo Bullæ Urbani VIII. contra non Reſidentes. II. ſi præſumant in confidentiam Beneficia Eccleſiaſtica recipere, ut in Extravag. Pii IV 109. III. ſi extrà caſus neceſſitatis ingrediantur Monialium Monaſteria, ut in Extravag. Gregorii XIII. incip. *Dubiis, quæ emergunt.* IV. ſi Epiſcopi doctorandi facultatem habentes, aliquem promoveri patiantur, non premiſſa fidei profeſſione, ut in Extrav. Pii IV. V. ſi Metropolitani non denunciant Summo Pontifici abſentiam ſuorum Suffraganeorum, & ſuffraganei antiquiores abſentiam ſuorum Metropolitanorum, ut decernit Tridentinum *ſeſſ.* 6. *cap.* 1. §. *creſciente, de Reform.* VI. ſi ſibi uſurpent ſine juſto titulo bona Eccleſiarum vacantium, *ut in cap. Præſenti de offic. ordin. in* 6. & in Extravag. unica, ne Sede vacante. VII. ſi præſumant bona Eccleſiarum &c. præterquam in caſibus à jure expreſſis alienare, ut in Extravag. *Ambitioſæ de rebus Eccl. non alien.* VIII. Si occaſione viſitationis accipiunt procurationem in pecunia, & non in victualibus, *ut in cap. exigit in* 6. vel accipiunt munera, & duplum non reſtituant intra menſem, ut decernit Trident. *ſeſſ.* 24. *de Reform. cap.* 3. IX. ſi gloſas, adnotationes, &c. abſque authoritate Papæ ſuper decretis Concilii Trident. edere audeant, ut cavetur *in Conſtit.* 73. *incip. Benedictus Deus.* Pii IV. edita *anno* 1564. X. Si Epiſcopatum de manu laicæ perſonæ cum effectu ſuſcipiant, ut *in Can. Si quis deinceps* 16. *qu.* 7. XI. Si excómunicent ſine monitione canonica, & præſentibus teſtibus. *cap. Sacro de ſent. excomm.* Vide Dianam *par.* 10. *tr.* 13. *reſ.* 2. à quo hæc hauſi.

1154 Inter. 6. Quid facere, aut facere non poteſt Epiſcopus quando pœna Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ eſt irretitus?

Reſp. Ad hoc dubium reſpondet Diana *loco citato*, & ait, quòd per dictam pœnam Epiſcopus non poteſt intrà Eccleſiam celebrare, nec audire:

Odi-

Officia Divina , nec in loco ſacro ſepeliri , etiam intrà cœmeterium. Extrà verò Eccleſiam , vel ſub dio , vel in tentorio , vel etiam in Oratorio privato non erecto auctoritate Epiſcopi , celebrare non prohibetur . ſicut etiam , & in cœmeterio , quanquam ibi ſepeliri nequeat ; Sacramentaliter abſolvere intra Eccleſiam non poteſt , quia eſt actus ordinis : at juriſdictionem in Eccleſiam exercere in foro exteriori integrum eſt illi . Si celebrat intra Eccleſiam peccat mortaliter , & irregularitatem incurrit , *cap. Is. cui de ſent. excom. in 6.* Sed audiendo ibi Divina officia dumtaxat , quamvis mortaliter peccet , tamen irregularitatem non contrahit . An verò poſſit intrà Eccleſiam recipere Sacramenta, eſt problema . Diana tenet cum illis , qui partem affirmativam amplectuntur in quantum dicunt , quòd Interdictum ingreſſus Eccleſiæ ſolùm reſpiciat officia Divina ; Alii verò ſequūtur *gloſſam in cap. præſenti 5. q. 2.* ubi generaliter dicunt , quòd cui interdicitur Eccleſia , interdicta ſunt Sacramenta ; & ità tenet Angelus *verb. ſuſpenſio 3. num. 4.* Sylveſter *eodem verbo, qu. 5. circà fin.* & alii. Sed vide Avil. *de Cenſu. par. 5. diſp. 4. ſect. 3. dub. 5. concl. 5. per totam* , & alios , quos pro ſe citat idem Diana , quibus , & ipſe adhæreo.

TITULUS CXXII.

De Invidia.

1155 INter. 1. Quid eſt invidia, & quale peccatum eſt?

Reſp. D.Thom. 2.2. *quæſt. 36. ar. 1. & 3.* ait , quòd Invidia eſt triſtitia quædam de alieno bono , in quantum eſt diminutivum propriæ gloriæ , vel eccellentię (ſeu , ut dicit Cajet. *verb. Invidia* , quaſi propriam excellentiam diminuat) Quare cum aliquis triſtatur de bonis alicujus , in quantum alter excedit ipſum in bonis hoc propriè eſt inuidia , & iſtud ſemper eſt peccatum, quia dolet de eo, de quo eſt gaudendum , ſcilicet de bono proximi , & ex genere ſuo eſt mortale contra charitatem , quia bonum proximi diligere tenemur . Vide Navar. *c. 23. num.* 118. & Tolet. *lib. 8. c. 63. num. 1.* & Armillam *verb. Invidia* .

1156 Inter. 2. Peccatne mortaliter , qui dolet , & triſtatur de ſcientia, honore , fama , divitiis , favore veneratione, aut de alio bono proximi ?

Reſp. Si deliberato animo triſtatur , ea ratione quod ſua per illud bonum excellentia diminuitur , utique mortaliter peccat , nam revera eſt invidus , cum non velit alterius videre bonum, tanquam propriæ excellentiæ diminutivum: Verùm eſt tamen, quòd ad incurrendum peccatum mortale in hoc caſu , bonum proximi debet eſſe notabile , & deliberato animo debet invideri , alioquin eſt dumtaxat peccatum veniale . Navar. Tolet. *loc. cit.* & alii communiter . Vide Sylv. *verb. Invidia propè fin.*

1157 Inter. 3. Peccatne mortaliter peccato invidiæ , qui triſtatur de bono alterius , eo quod ſibi bonum propriū diminuit ?

Reſp. Lorca *in 2.2. D. Thomæ q. 36 in addit. ad art. 3.* conatur probare nō peccare mortaliter in tali caſu , quia dolere de bono proximi quatenus ſuum bonum diminuit , non eſt abſolutè de bono proximi dolere , ſed dolere de illo quatenus hunc effectum cauſat; alias rationes vide penès Dianā *par. 3. tract. 6. reſol.* 85. ſed fallitur Lorca , nam invidia , ut docet S. Thomas loco cit. non eſt aliud , niſi triſtitia quædam de alieno bono in quantum eſt diminutivum propriæ gloriæ , vel excellentiæ . Vide igitur id , quod dixi ad Inter. 1. & DD. ibidem relatos , & dic eſſe peccatum mortale dolere de bono proximi , quia ſibi bonum proprium diminuit , non propter aliud , ſed propter hoc ſolùm , quòd ille parum à te diſtans

Digitized by Google

diſtans, bonum, ſeù melius habet; apprehendit enim invidus quaſi alterius bonum ſit ſuæ diminutio excellentiæ, & hoc quidem ex genere ſuo peccatū mortale eſt, ut tradunt Cajet. *in Sum. verb. Invidia*, Suarez *de Charitate diſp. 6. ſect. 3. num.* 4. Reginaldus *in praxi tom. 2. lib. 7. num.* 129. Coninch. Valen. Villalobos, & alii quibus ſubſcribit Diana ubi ſupra. Concordat etiam Armilla *verb. Invidia*.

TITULUS CXXIII.

De Ira, & Odio.

Vide tit. de Confeſſ. ſacram. Int. 24. tit. de Differ. Inter. 14. tit. de Eccl. pollut. Int. 12. tit. de Excom. ob Cler. perc. Int. 5. tit. de Inim. Inter. 1. 2. 3. *tit. de Peccat. Int.* 18.

1158 INterr. 1. Eſtne ſemper peccatum mortale iraſci, alterū odio proſequi, & indignari?

Reſp. Generaliter loquendo iraſci cum animo ſe vindicandi ſemper eſt peccatum mortale, niſi imperfectus animi conſenſus, vel parvitas materiæ à mortali excuſet. Item odium ex genere ſuo eſt mortale peccatum charitati oppoſitum, ut docet S. Thom. 2. 2. *q.* 34. *ar.* 3. & alii communiter. poteſt tamen eſſe veniale, quando leve mālum alicui optatur, vel ſi levis erga proximum diſplicentia, aut modica quædam averſio habeatur. Indignatio verò, ut plurimum eſt peccatum veniale, præciſa tamen aliqua circumſtantia, nam ut ſupponitur, nō elicitur ex diſplicentia perſonæ, neque ex aliquo pravo fine mortaliter peccaminoſo: Imò nullum peccatum eſſe poteſt, ut ſi eliciatur ex aliquo honeſto fine, nam actus ſumit malitiā à motivo cujus intuitu elicitur, ergo ſi motivum eſt honeſtum nullam involuit malitiam. Vide Bonac. *de Præcept. Decal. diſp. 3. qu. 4. punct. ult.* & eſt communis ſententia.

1159 Inter. 2. Qui ex odio, & malo animo impedit aliquem ne obtineat beneficium Eccleſiaſticum, teneturne ad reſtitutionem?

Reſp. Qui impedit indignum ne conſequatur beneficium, licèt peccet mortaliter, quia ex odio, & malo animo illum impedit, tamen nihil ei reddere tenetur, cum indignus nullū jus ad beneficium habeat: Imò, qui ex odio, & malo animo impedit quempiam dignum ab aliquo bono, non teneur reſtituere, niſi illum contra iuſtitiam impediat; nam eſt regula generalis ex peccatis contra ſolam charitatem, nullam oriri reſtituendi obligationem, niſi ſit ratio iniuſtitiæ ibi conjuncta. Unde ſi Epiſcopus vult dare beneficium digno, & aliquis impedit imponendo ei falſum teſtimoniū, vel detegendo injuſtè crimen omnino occultum, licèt verum, vel illum cogendo, aut decipiendo, ne compareat, tenetur ei reſtituere beneficii valorem, quia injuſta via impedit à beneficii conſecutione. Itaque dicendum eſt, quòd qui per vim, fraudem, vel dolum alterum impedit, ne benficium conſequatur, teneatur ad reſtitutionem, quia peccat contra juſtitiam. Qui verò ſolum ex odio, aut animo nocendi, vel alia via, etiam mala impedit, licèt peccet contra charitatem, tamen ad reſtitutionem non tenetur, ut rectè docent ex D. Thoma Toletus *lib. 5. cap. 19. num.* 5. Diana *par.* 11. *tract.* 4. *reſ.* 36. & alii apud ipſum; Siquidem Diana ibidem probat contra Thom. Hurtadum, odium, ſivè nocendi animum ex ſe non eſſe contra juſtitiam, ſed contra charitatem, & egregiè ad argumenta contraria reſpondet. Concludo igitur, quando quis ex odio, aut precibus, vel pollicitationibus, vel alia via, licèt mala, impedit eum circa id, quod alteri dare vult, peccat ſolùm contra charitatem, ac proindè ad reſtitutionem non tenetur; ſecùs verò ſi alia utatur via contra juſtitiam.

TITULUS CXXIV.

De Irregularitate.

Vide tit. de Aetat. &c. Int. 12. tit. de Different. Int. 21. tit. de Dub. Int. 3. 11. tit. de Elect. &c. Int. ult. tit. de Epiſcopat. &c. Int. 26. 27. 31. tit. de Excom. &c. Int. 5. tit. de Exc. ob Cler. perc. Int. 18. tit. de Hæreſ. &c. Int. 13. 14. tit de Homic. Int. 2. 3. tit. de Hor. can. &c. Int. 1. tit. de Ignor. Int. 13. tit. de Illegit. ad quæſ. 1. tit. de Infam: Int. 3. 4. 5. 7. tit. de Injuſt. Int. 1. tit. de Mand. Int. 3. tit. de Med. Int. 3. 4. 5. tit. de Moribun. &c. ad queſ. tit. de Ord. Sac. Int. 5. tit. de Peccat. mort. Int. ult. tit. de Præl. reg. Int. 19. tit. de Puer. Int. 7. tit. de Sac. Bap. Int. 13. tit. de Sacram. Or. Int. 1. 3. 7. tit. de Suſpenſ. Inter. 4. 5. tit. de Val. Confeſ. Int. 10. 11.

1160 INter. 1. Irregularitas eſtne cenſura? & quid eſt irregularitas?

Reſp. Non eſt cenſura, ſed pœna quædam, ſeu inhabilitas, ideoque dicitur eſſe canonicum impedimentum proveniens ex delicto, vel defectu, quod directè impedit ſuſceptionem Ordinum Eccleſiaſticorum, aut eorum uſum, ob reverentiam divinorũ. Vide Bonac. *de cenſ. diſp. 1. q. 1 pu. 1. ſub n. 4. & diſp. 7. q. 1. pun. 1: n: 1.* Em. Sà *verb. Irregularitas num. 1. & 2.* ſed melius definitur à Tolet. *lib. 1. c. 57. ſub n. 1.* ſic, Irregularitas eſt Canonica inhabilitas ordines ſuſcipiendi, aut ſuſceptos exercendi à ſolo jure proveniens; quod autem non ſit cenſura, probat *num. 2. prope finem* & aſſignat differentiam, quæ eſt inter irregularitatem, & cenſuras.

1161 Inter. 2. Irregularitas reddit ne hominem inhabilem ad Beneficium obtinendum, & ad fructus percipiendos, vel non?

Reſp. Pro utraque parte Doctores refert Diana *par. 4. tract. 2. reſol. 37.* Tamen non eſt recedendum ab affirmativa ſententia in praxi, quæ docet irregularitatem reddere hominem inhabilem ad obtinendum beneficium Eccleſiaſticum, nec poſſe tuta conſciẽtia beneficium retinere, nec fructus ex eo perceptos. Imò nota, quòd etiã poſt obtentam diſpenſationem ab irregularitate, non poteſt beneficium retinere ſine nova collatione, ſeu revalidatione collationis prius factæ. Vide Navar. *in Man. cap. 24. num. 351.* Sayrum *de cenſu. lib. 5.* & alios allegatos à Diana *loco cit.* & Bonac. *de cenſur. diſp. 7. quæſt. 1. pun. 4. num. 6. & ſeq.*

1162 Inter. 3. Ad hoc ut aliquis ſit irregularis ex defectu Corporis, quid requiritur?

Reſp. Requiritur, quòd talis defectus vel impediat uſum, & exercitium Ordinum, aut horrorem inducat, ſeu ſaltem notabilem deformitatẽ gignat, colligitur *ex cap. 2. de Clerico ægrot. lib. 3. Decret. tit. 6.* Idemque tradunt Navar. Suarez, Molina, & alii quos congerit, & ſequitur Bonac. *tom. 1. tract. de Irregul. diſp. 7. quæſt. 2. pun. 2. num. 1.* Avila *de cenſ. par. 7. de Irregul. ex defectu Corporis diſp. 3. concl. 1.* Modica verò deformitas nullam parit irregularitatem *cap. cum de tua 2. de corp. vit.* Panor. *in cap fin. propè finem ejuſd. tituli*, Bucrius & alii communiter, pro ut docet Marcus Paulus Leo *in praxi ad litter. major. Pænit. par. 3. fol. 257.* nam modica deformitas ex ſe non habetur in conſideratione. Gloſſa *in cap. Expoſuiſti 6. de Carp. vitiat. verbo enormi.* Modica enim deformitas non generat ſcandalum, & conſequenter non repellit ab Altaris miniſterio, ità DD. communiter, & poſt alios, docet Marcus Paulus Leo *loco cit. fol. 440. verſ. non multum.*

1163 Inter. 4. Ad quem pertinet judicare, quando dubitatur an debilitas, vel deformitas ſit talis, ut inducat irregularitatem in illo, qui petit Ordines?

Reſp. Ad Epiſcopum quidem pertinet judicare de Corporis defectibus, ut habe-

habetur *ex cap. 2. de Corp. vit.* & tradunt Innocentius, & Hoſtienſis ibidē, Goffredns *in Sum. eod. tit.* Navar. *cap. 27. num.* 200. Marcus Paulus Leo *ubi ſupra.* Hieronymus Rodericus *in Compend. qq. Regul. reſol.* 57. *num.* 17. Bonac. *de Irregul. diſp. 7. quæſt. 2. pun. 2. ſub num.* 36. & alii plures penes ipſos, idem docet Sylveſter *verb. Corpore vitiatus num.* 2. & alii quos congerit Diana *par. 3. tract. 6. reſ. 6. verſ. Dices*. Et hoc intelligendum eſt non ſolum reſpectu Sæcularium, ſed etiam reſpectu Religioſorum exemptorum, ut tenent Sylveſter, & Bonacina *locis cit.* Navar. ubi ſupra, & alii; Et benè quidem, nam nullo jure probatur hoc privilegium illis conceſſum eſſe. Et licèt Diana *par. 4. tract. 2. reſ.* 73. Buſenb. *lib. 7. cap. 5. de Irregul. dub.* 5. & alii apud ipſos dicant oppoſitum, tamen fatentur poſſe Epiſcopùm reiicerere arbitrium Prælati Regularis. Dicendum eſt igitur pertinere ad Epiſcopum ordinantem, quia Prælati Regulares carent poteſtate conferendi Ordines, & conſequenter non poſſunt judicare de materia, circa quam Superior operatur, vel formam inducit, ut ait Sylveſter *loco cit.*

1164 Inter. 5. Cum multi jaciunt lapides, & neſcitur quis eorum hominem occiderit, cenſendi ſuntne omnes irregulares, vel nullus?

Reſp. Quando non conſtat à quo ille fuerit occiſus, omnes de quibus dubitatur ſunt irregulares, & ratio eſt, quia in dubio homicidii cenſendus eſt quiſque irregularis; colligitur *ex cap. Significaſti 2. de homicidio*, & eſt communior ſententia, quam ſuſtinet Covaruvias 2. *par.* §. 2. *num.* 3. *in Clem. Si furioſus*, & alii plures, quos dat, & ſequitur Emm. Sà *verb. Irregularitas ex deform. illicita num.* 4. Bonacin. *de Cenſur. diſp. 7. qu. 4. pun. 8. ſub num.* 29. licèt ipſe Bonac., & alii dicant, hoc ſolùm eſſe verum in foro externo, nam in foro conſcientiæ ſi poſt factam diligentem inquiſitionem, adhuc ſit dubium quis eorum occiderit, neminem eſſe irregularem affirmant, quia ſatius eſt crimen aliquod impunitum relinqui, quàm innocentes puniri. Ità Leſſius *in 3. par. D. Thom. cap. 3. de Irreg. dub.* 1. *num.* 25. apud Dianam *par. 9. tr. 7. reſ.* 20.

1165 Inter. 6. Si plurès in rixa ſubito contingente percuſſerunt aliquem, ſed unus tantùm percuſſit vulnere lethali, ex quo ille mortuus eſt, quis ex iſtis cenſendus eſt irregularis?

Reſp. Dicunt quidam apud Dian. *par. 2. tract. 15. reſ.* 18. omnes irregularitatem incurrere, ſed probabilius puto cum ipſo Diana, Bonac. loco proximè citato, & aliis, quod ille ſolus, qui vulnere lethali percuſſit cenſendus ſit irregularis, nam ille tantùm tenetur de homicidio, cæteri verò de percuſſione, & conſequenter ab irregularitate excuſantur; Ità docet Sayrus *de Cenſur. lib. 7. cap. 4. num.* 13. & ante ipſum Covaruvias *in Clem. Si furioſus 3. par.* §. 2. *num. 3. verſ. Secundus caſus*, & probat etiam Diana *loco citato*, & *par. 9. tract. 7. reſ. 20. verſ. quoad ſecundam*. ubi alios concordantes refert.

1166 Inter. 7. Quidam necavit Adulterum inventum cum Uxore, poteſtne promoveri ad Ordines, fierique Sacerdos abſque diſpenſatione?

Reſp. Quidam dicunt nulla indigere diſpenſatione ex eo quia non contraxit irregularitatem, quia tale homicidium non fuit peccaminoſum, nam licitum eſſe putant in foro conſcientiæ Patri, Marito, & Fratri occidere Filiam, Uxorem, & Sorores adulteras ſimul cum adultero, quicunque ille ſit, in adulterio inventas. Addunt præterea, quòd ſicut non incurritur excommunicatio ab eo, qui in Clericum cum Uxore, Matre, Sorore, vel Filia propria turpiter inventum, manus injecerit violentas, ità nec irregularitas; parcit, inquiunt, Eccleſia his pœnis propter juſtiſſimum dolorem, &c. Vide Hurtadum, Fa-

eundez, & alios, quos congerit Diana *par.* 11. *tract.* 6. *reſ.* 28. ſed hæc opinio non eſt vera, quia ſemper mortaliter peccant Pater, Maritus, aut Frater, qui adulteros, uel ſtupratores occidunt propria authoritate, ut tradunt S. Thom. *in* 4. *diſt.* 37. *qu.* 2. *art.* 1. *in corp.* S. Bonaventura *ibidem art.* 2. *q.* 1. Sanchez *lib.* 10. *de Matrim. diſp.* 8. *n.* 3. Emm. Sà *verb. homicidium num.* 14. & alii plures, quos dat, & ſequitur idem Diana *ubi ſupra verſ. Sed hæc opinio.* Nec valet paritas de excommunicatione, & irregularitate; nam licèt non incurratur excommunicatio ob percuſſionem, aut interfectionem Clerici reperti in fragranti crimine cum Matre, Filia, Uxore, aut Sorore, ut dixi *in tit.* 89. *de Excommunicatione ob Clerici percuſſionem, ad Inter.* 21. & habetur *ex cap. Si verò alicujus, de ſent. excomm.* & docent Doctores communiter; tamen incurritur culpa lethalis, ut dixi *in tit.* 103. *de Homicidio, ad Int.* 4. ac etiam irregularitas, ſi ſequatur homicidium, vel mutilatio, quia irregularitas non eſt pœna Eccleſiaſtica, ſicut eſt excommunicatio, ſed inhabilitas quædam Ordines ſuſcipiendi, aut ſuſceptos exercendi, ut docui *in hoc tit. ad Int.* 1. ac proinde cum tale homicidium ſit peccaminoſum, inducit inhabilitatem ad Ordines, hoc eſt irregularitatem; conſequenter dicendum eſt, ſupradictum homicidam non poſſe ad ordines promoveri, niſi priùs diſpenſationem irregularitatis obtineat. Vide Dianam *loco cit.* qui ità rectè concludit, licèt oppoſitum dicat Caſſianus à S. Elia *in Arbor. opin. moral. verb. Adulterium, ſub num.* 28. *de irregularitate.*

1167 Inter. 8. Fitne irregularis adulter, ſi Maritus, cognito adulterio, uxorem interfecit?

Reſp. Circa tale dubium tres opiniones Doctorum enumerat Diana *par.* 4. *tr.* 2. *reſol.* 1. Prima affirmat fieri irregularem, ſecunda negat, tertia verò, quæ mihi magis placet, diſtinguit; aut adulter temerè ſe ingerendo expoſuit adulteram mortis periculo, aut cautè, & arbitrio prudentis convenienti diligentia adhibita, commiſit adulterium; In primo caſu, ſecuta morte adulteræ, fit irregularis, quia dat operam rei illicitæ, periculoſæ, & ſatis ordinatæ ad mortem: In ſecundo autem caſu, non ità, quia poſita convenienti diligentia, eſt per accidens, ſi adultera interficiatur à Marito; nam tunc adulterium non cenſetur per ſe ordinatum ad hujuſmodi homicidium, ut optimè reſolvunt Suarez *de Cenſur. diſp.* 45. *ſect.* 6. *num.* 5. Layman *par.* 3 *tract.* 3. *ſect.* 5. *cap.* 10. *num.* 2. Corneio *in* 3. *par. D. Thomæ tract.* 5. *de irregul. diſp.* 3. *dub.* 2. *concl.* 1. *num.* 3. & Filliucius *tom.* 1. *tract.* 20. *cap.* 3. *num.* 80. qui teſtatur de praxi Sac. Pœnitentiariæ. Verùm nota, quòd in dubio facti circa homicidium, quilibet in utroque foro cenſendus eſt irregularis, ut docent Doctores communiter. Vide Dianam *par.* 3. *tr.* 5. *reſ.* 72.

1168 Inter. 9. Fitne irregularis Adulter, ſi Maritum aggreſſorem, cauſa neceſſariæ defenſionis occidit?

Reſp. Diana *par.* 11. *tr.* 6. *reſ.* 28. *propè fin.* aſſerit, quòd ſi adulter evadere nequeat, poſſit licitè interficere Maritum aggreſſorem, tanquam injuſtum invaſorem in foro conſcientiæ; an verò fit irregularis, ſi interficiat, controvertitur inter Doctores, & utrāque ſententiam probabilem putat, ideoque poſſe Occiſorem ſequi partem ſibi magis favorabilem, inquit ipſe Diana, Doctores pro utraque parte adducit idem Diana *par.* 4. *tr.* 2. *reſ.* 2. ubi ex profeſſo agit de tali dubio. Ego verò adhæreo illis, qui docent irregularitatem incurrere in dicto caſu, quia adulterium eſt de ſe illicitum, & via quadam ad homicidiū perpetrandum; Undè ſi poteſt antè prævidere ex tali occaſione ſe futurum in mortali periculo, aut occumbendi, aut occidendi, non excuſarem illum

illum ab irregularitate, ſi maritum occidat, vel mutilet; nam eſt homicidium voluntarium in cauſa; Si autem potuit ſibi perſuadere, nullum adeſſe periculum, puto, quòd irregularitatem non incurrat, ſi occidat cum moderamine inculpatæ tutelæ pro defenſione propriæ vitæ; Siquidem in Clem. *Si furioſus de homicidio* eximitur ab irregularitate, qui non poteſt aliter defendere propriam vitam, niſi occidendo. Ità concordant has diverſas Doctorū opiniones inter ſe pugnantes Coninchus *de Sacr. diſp.* 8. *dub.* 9. *num.* 64. Layman *lib.* 5. *tract.* 3. *cap.* 10. *num.* 1. Suar. *de cenſur. diſp.* 46. *ſect.* 1. *num.* 12. quibus, ut dixi, libenter adhæreo. Vide Dianam *ubi ſupra*, & *par.* 5. *tr.* 4. *reſ.* 3.

1169 Inter. 10. Qui non poteſt fugere, vel alio modo ſibi conſulere, & mortem vitare, peccatne, & fitne irregularis, ſi interficit, aut mutilat aggreſſorem?

Reſp. Quoties quis non poteſt fugere, vel fuga illi eſt periculoſa, quia hoſtis inſtat à tergo, vel aggrediens majorem ex fuga audaciam capit, interficiendo illum, non peccat, nec efficitur irregularis, ità habetur ex *Clem.* 1. *de homic.* & docet Filinus, & communis *in cap. ſuſcepimus de homicid.* Navarrus *cap.* 27. *num.* 211. & alii communiter, ut dixi. Vide Toletum *lib.* 1. *cap.* 80. *num.* 8. & Sylveſtrum *verb. homicidium* 1. *ſub num.* 13. & hoc intelligendum eſt, etiamſi invaſus ſit perſona Eccleſiaſtica, dummodò non faciat animo ulciſcendi, & ſervetur moderamen inculpatæ tutelæ. Vide Dianam *par.* 5. *tr.* 4. *reſ.* 9. *circa finem*, & ea quæ dicam in hoc titulo *ad Interr.* 13.

1170 Inter. 11. Peccatne, & fitne irregularis, qui poteſt vitam tueri, non occidendo invaſorem, ſed tantùm mutilando, & tamen illum occidit?

Reſp. Qui poteſt evadere mortem mutilando invaſorem, ſi occidit peccat mortaliter, & fit irregularis ex delicto, quia deeſt moderamen inculpatæ tutelæ, nam non licet occidere, niſi quando aliter quis non poteſt evadere non occidendo, ergò graviter peccavit, & ab irregularitate delicti non eſt immunis. Ità docet Sylveſt. *verb. Homicidium* 3. *num.* 6. & ex eo Tolet: *lib.* 1. *cap.* 80. *ſub num.* 7. & alii communiter. Verum eſt tamen quòd ſi præter intentionem, & adhibita diligentia, ſequatur homicidium, non peccat, nec fit irregularis, ut benè notat idem Sylveſter *loco citato*.

1171 Inter. 12. Qui occidit ſe aggredientem, valens fuga, clamore, vel alio modo ſibi conſulere, ſitne irregularis?

Reſp. Dico quòd ſic, quia modus inculpatæ tutelæ non eſt, ſi invaſus noluit fugere, cum poſſet, nam licèt quis non teneatur fugere, quando fuga eſt vituperoſa ad peccatum vitandum ne interficiat aggreſſorem, tenetur tamen fugere ad vitandum irregularitatem ſecundùm Gloſ. *in Clem.* 1. *de homic.* & docet Panormitanus *in cap. olim de reſt. ſpol.* & Navar. *in Manual. cap.* 27. *num.* 211. Vide Zeccum *de caſ. reſ. tit. de irregul. pag.* 101. *in princ.* Cæterum perſonæ Eccleſiaſticæ ſemper fugere debent, ſi commodè poſſunt, quia illis fuga non eſt indecora, ſicut non eſt plebeis, & ruſticis. Vide Toletum *lib.* 1. *cap.* 80. *num.* 8. & Dianam *par.* 4. *tract.* 2. *reſ.* 3.

1172 Inter. 13. Si quis non poteſt fugere ſine gravi nota, & amiſſione honoris, incurritne irregularitatem, ſi alium occidat ſe defendendo?

Reſp. Nonnulli dicunt, quod quando vir nobilis fugiendo magnam infamiæ notam incurrit, non teneatur fugere, & alterum occidendo cum moderamine inculpatæ tutelæ, non fieri irregularem, quia quod vitari non poteſt ſine magna infamia, & dedecore, moraliter inevitabile eſt, & conſequẽter hic caſus ſub verbis Clementin. *Si furi-*

Digitized by Google

furioſus comprehenſus intelligatur. Ità Suarez *in 3. par. tom. 3. de cenſu. diſp. 46. ſec. 1. num. 6.* qui tamen limitat ſuam ſententiam, niſi præceſſerit culpa; & iniuria ex parte ejus, qui fugere cogitur; ut ſi ille dedit alteri alapam, vel iniurioſum verbum dicit, vel cum uxore inventus eſt &c. Sed hanc limitationem non admittit Diana; ſed cum Filliucio *tom. 1. tract. 20. cap. 5. n. 135.* putat hoc eſſe verum, quando id omninò prævisum fuit, vel prævideri poterit ab inferente injuriam, & non quando per accidens ea conſecuta eſſent. Vide Bonac. *de Cenſu. diſp. 7. qu. 4. pun. 6. ſub num. 4.* Coninchum *de Sac. diſp. 18. dub. 9. num. 90.* & præſertim Dianam *par. 2. tract. 15. reſ. 16. & par. 4. tr. 2. reſ. 3.* ubi plura ad intentum. Vide etiam quæ dixi *in tit. 59. de Defenſione honoris, ad Int. 3.* & nota probabilius eſſe, quod quis ab irregularitate excuſetur aliquem occidendo, quando alitèr vitam ſuam tueri non poteſt, non autem pro defenſione honoris, & hoc ego puto veriùs cum DD. ibidem à Diana relatis in principio reſolutionis. Vide Tolet. *lib. 1. cap. 80. ſub num. 7. verſ. 7.*

1173 Inter. 14. Eſtne cenſendus irregularis, qui in rixa præſcidit alteri digitum?

Reſp. Bonacina *loco proximè citato pun. 8. num. 8.* cum Molina negativè reſpondet, & hoc verum eſt etiam ſi eſſet pollex, vel index. Et ratio eſt, quia irregularitas non incurritur niſi propter mutilationem alicujus membri, ſed digitus non eſt membrum, ut probant Bart. & Doctores *in l. publicorum ff. de pub. jud.* ergo non eſt cenſendus irregularis, qui alteri digitum præſcidit. Ità ex Avila, Sayro, Fernandez, Filliucio, & aliis docet Diane *par. 2. tr. 15. reſol. 20.* quidquid aliqui in contrarium ſentiant, ſed minus probabiliter quidem. Vide Tolet. *lib. 1. cap. 76. ſub num. 3.* & iterum Dianam *par. 4. tr. 2. reſ. 26.*

1174 Inter. 15. Poſſuntne licitè Clerici exercere Medicinam, & artem Chirurgiæ, ſi ſunt in Sacris conſtituti? & fiuntne irregulares?

Reſp. Licèt nonnulli Doctores, quos refert, & ſequitur Jacobus Mancinus *pract. 10. dub. 6. & 8. in Additione Cutili*, & Diana *par. 4. tract. 2. reſ. 23.* dicant, quod Sacerdotes, & Clerici in Sacris conſtituti, qui Medicinam, & Chirurgiam benè calent, non fiunt irregulares, ſi ſecundum regulas artis medentur, aut Chirurgiam cum inciſione, vel aduſtione exercent, etiamſi poſtea caſu mors ſequatur, dummodò id lucri cupiditate non preſtent. Tamen ipſe Mancinus *dub. 9.* putat Chirurgos peccare mortaliter, quia faciunt contra prohibitionem Canonum *cap. Sententiam Sanguinis, ne Clerici, vel Monachi, & cap. Tua nos, de homic.* ubi prohibetur Clericis, & Religioſis in Sacris conſtitutis exercere artem Chirurgiæ cum inciſione, vel aduſtione, ex eo quia hoc officium, ut quid vile in præfatis capitulis exiſtimatur, & fiunt irregulares, juxtà communem ſententiam teſte Diana *loco cit.* Hoc tamen intelligendum eſt, modo in extrema neceſſitate non fiat, quia ſi nullus Chirurgus adſit, & vulnus dilationem non admittit, tunc certò tenetur ex charitate adjuvare proximum in extrema neceſſitate conſtitutum, nam in hoc caſu jus naturale Divinum anteponi debet juri Eccleſiaſtico de tali munere non exercendo. Ità ex Turriano, Rodriquez, Henriquez, & Avila, docet idem Mancinus *loco proximè cit.* Vide Bonacinam *de cenſ. diſp. 7 quæſ. 4. pun. 5. ſub num. 4.* & Sanchez *tom. 2. cap. 14. num. 18. & 19.*

1175 Intea. 16. Clerici Benificiarii, & Religioſi in Sacris minimè conſtituti, poſſuntne licitè Medicinam, vel Chirurgiam exercere abſque periculo irregularitatis?

Reſp. Mancinus *loco cit. dub. 10.* docet, quod ſi ſecundum regulas artis totum præſtent, irregularitatem non incurrant ſecuta morte infirmi, tamen

dub.

dub. 11. putat eos mortaliter peccare, *ex cap. Multa ſunt, ne Clerici, vel Monac.* ubi officia Sæcularia, cujuſmodi eſt officium Chirurgiæ, & Medicinæ, Clericis, vel Monachis exerceri prohibentur, niſi in caſu neceſſitatis proximi, vel propriè, quoad vitam ſcilicet ſuſtentandam, ſi alius modus non ſuppetat, ut ex eodem Capitulo patet; Oppoſitum autem docet Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 9. *num.* 15. de Religionis, aſſerens nullo modo eis licere Chirurgiam exercere cum inciſione, & aduſtione, neque cauſa pietatis, & ſi ſecus faciant, irregularitatem incurrere, ſi indè ſequatur mors, quàntamcumque diligentiam adhibeant, ne ſequatur. Et ità ego puto tenendum. Verùm Diana *par.* 6. *tract.* 7. *reſ.* 50. putat quidem licitum eſſe Clericis mederi in minoribus conſtitutis, ſecus verò ſi ſint in Sacris, vel Beneficiarii, niſi mediante diſpenſatione Pontificia, quamvis non neget poſſe aliquando gratis perſonis miſerabilibus, & conſanguineis mederi, ut obſervant Doctores apud Squillante *de obligat. Cler. par.* 2. *dub.* 17. *num.* 52. & docet Novarius *de privil. miſerabil. perſon. privil.* 83. apud ipſum Dianam *loco cit.* Hoc ego tamen non admitto extra caſum extremæ neceſſitatis. Sed Vide etiam Bonacinam *loco proximè cit. à num.* 4. *uſque ad finem dicti puncti* 5. Et iterum Dianam *par.* 4. *tr.* 2. *reſ.* 23. *in fine*, *&* *par.* 10. *tract.* 11. *reſol.* 49.

1176 Inter. 17. Clericus Sacris Ordinibus initiatus ſcindendo venam ad emittendum ſanguinem, fitne irregularis ſecuta morte?

Reſp. Juxta ſententiam Bonac *ubi ſup. ſub num.* 5. *verſ.* 4. fit irregularis; licèt oppoſitum doceant Rodriquez, & Molina apud ipſum Bonac. & ſuſtinent hanc negativam ſententiam Diana *par* 4. *tract.* 2. *reſ.* 24. *&* *in Sum. verb. Irregularitas num.* 51. & alii ab ipſo relati, & concordat etiam Mendo *Epit. Oppin. Moral. verb. Medicina ſub num.* 2. & alii. Mihi tamen placet ſententia Bonac. dicentis, quod opus ſcindendi venam propriè pertineat ad Chirurgum, quamvis hoc tempore præſtetur à Tonſoribus tanquam famulātibus, & inſervientibus Chirurgis, ſeu in defectū Chirurgorum, Quapropter melius eſt, ut Clerici in Sacris ſe abſtineant ab hujuſmodi miniſterio, maximè quia indecens pro illis videtur, & officia Sæcularia omninò exercere prohibentur *in toto titulo*, *Ne Clerici, vel Monachi*. Ergo &c.

1177 Inter. 18. Incurruntne irregularitatem Sacerdotes, qui miniſtrant Infirmis invertendo eos de lecto ad lectum, vel eis cibum, vel potum porrigendo, ſi ex his mors citius ſequatur?

Reſp. Minimè, dummodo hæc omnia cum cautela, & diligentia, quæ communiter à prudentibus adhibetur, efficiantur ab ipſis. Ità Corradus *in Reſp. quæſito.* 217. *in Addit. in princ.* Toletus *lib.* 1. *cap.* 81. *ſub num.* 7. & pluribus relatis firmat Diana *par.* 3, *tr.* 5. *reſ.* 79. *verſ. Non gravabor & par.* 5. *tract.* 3. *reſ.* 117. Notandum eſt tamen, quòd cuſtodientes Infirmum, & dantes aquam, vel vinum contrà mandatū Medici, vel ſine eo; ſi mors ſequatur, fiunt irregulares, juxta ſententiam Toleti *loco cit. ſub num.* 4. & Jacob. Mancin. *pract.* 8. *dub.* 12. qui tamen ſubdit poſſe Sacerdotem ſine metu irregularitatis inſervire Infirmo, & ut commodius cibum ſumat volvere illum de loco ad locum, vel ut tali modo cubando magis quieſcat, dum ex charitate, & bona fide putet, quòd mortem Infirmo dictæ actiones acceleraturæ non ſint. Verùm ad tollendos ſcrupulos, ſi adſunt laici, qui benèquè poſſint Infirmo inſervire, meliùs eſt, ut Sacerdotes non ſe ingerant quoad Corporis contactum ipſius, prout reſolvit idem Mancinus *loco citato*.

1178 Inter. 19. Fitne irregularis, qui joco terrorem alteri incutit, & eſt cauſa, quòd ille eo terrore commotus, & perterritus ſe præcipitat, & moritur?

Reſp.

Reſp. Affirmat Bonacina *de Irregul. diſp. 7. q. 4. pun. 7. num. 26.* ſed hoc puto verum, modo tamen animo nocendi fecerit, aut minorem diligentiā adhibuerit, aut aliàs illicitus erat jocus, vel ludus. Vide Sylveſtr. *verb. Homicidium 2. ſub num. 13. & 14.* Siquidem homicidium caſuale ex ludo licito non inducere irregularitatem docet Navarrus *conſ. 3. tit. de homicid.* ex cap. Joan. *de homicid.* & Em. Sà, *verb. Homicid. in fin.*

1179 Inter. 20. Incurritne irregularitatem vir Doctus, qui interrogatus à Judice, an ſit obligatus ad condemnandum aliquem ad mortem, reſpondet eſſe obligatum?

Reſp. Multi quidē multa dicunt, ut videre licet apud Dianam *par. 3. tr. 5. reſ. 80.* Quidam dicunt, quòd Clericus conſultus de aliquo caſu in particulari, debeat reſpondere: hoc non pertinet ad me, ſed ad Juriſconſultos. Bonac. verò *de cenſu. diſp. 7. quæſt. 4. pun. 1. num. 7.* & alii ab ipſo relati, docent in tali caſu, Clericum interrogatum poſſe dicere, quid ſentiant leges in communi, nil aliud dicendo in particulari. Tandem Diana cum Vaſqez, & Turriano putat in tali caſu Confeſſarium, vel alium Doctorem non incurrere irreguluritatem, etiamſi reſpondeat in particulari adeſſe obligationem occidendi reum. Rationes videri poſſunt apud Dianam, quæ mihi certò probabiles videntur, maximè quià illi ſolùm incurrunt irregularitatem ex defectu lenitatis, qui vel ſunt neceſſarii ad cauſam judicialem, vel ut Miniſtri juſtitiæ aſſiſtunt exequutioni mortis, ſed tales non ſunt nec Confeſſarius, nec alius vir doctus; Ergò non fiunt irrgulares in dicto caſu.

1180. Inter. 21. Cajus ſollicitabat ad inhoneſta Bertam, quæ dixit noli me ad turpia ſollicitare, aliàs me interficiam; ille noluit à ſollicitatione deſiſtere; unde Berta ſe occidit; eſtne cenſendus irregularis Cajus prædictus?

Reſp. Certò irregularis eſt, quia dedit operam rei illicitæ, & fuit cauſa mediata illius homicidii; nam Berta ſibi comminata fuit mortem, & tamen Cajus non ſe abſtinuit à ſollicitando, ac proindè fuit cauſa illius mortis, quæ ex circumſtantia illa quidem periculoſa erat: Ità docet Toletus *lib. 5. cap. 82. num. 6.* & alii.

1181 Inter. 22. Berta comminatur ſibi mortem inferre, niſi Titius in re inhoneſta conſentiat, ſi Titio diſſentiente, Berta ſe occidat, ſitne irregularis dictus Titius?

Reſp. Dico, quòd non, quia potius debet millies mori, quam Deum offendere, unde ſi Berta ſe interficit; non fuit cauſa Titius, ſed malitia Bertæ, ergò cum Titius nullum culpam commiſit, neque irregularitatem contrahere potuit. Ità S. P. Auguſtinus *relatus in can. cum homo 23. quæſt. 5.* quem citat Tolet. *loco ſupra cit. num. 7.*

1182 Inter. 23. Sacerdos, vel Clericus in Sacris conſtitutus cenſuram violans exercendo actum Ordinis ad vitandum vitæ periculum, aut infamiam, incurritne irregularitatem?

Reſp. Nequaquam, etiamſi id faciat ratione ſcandali vitandi, vel ob ignorantiam, inaduertentiam, aut oblivionem, quæ excuſant à peccato mortali; nam quando duo præcepta concurrunt, quæ ſimul ſervari non poſſunt, ſervandum eſt præceptum majus: majus autem præceptum eſt naturale de defendenda propria vita, & fama, ergo &c. Vide Navar. *cap. 27. n. 239.* & alios, quibus ſubſcribit Cabr. *in Elucid. caſ. reſer. par. 2. caſ. 1. de abſol. à cenſ. num. 11. pag. 49.* quibus addo Mendo *Epit. opin. moral verb. excommunicatio num. 38.* Vide quæ dixi *in tit. 34. de Celebratione Miſſæ ad Inter. 7. & deinde infrà in tit 194. de Sacramento Eucbariſtiæ, ad Inter. 5. 6. & 7.* Et nota, quod oblivio, incogitantia, inconſideratio, & inadvertentia excuſant à peccato mortali, quia cauſant involuntarium, & conſequenter ab incurſione cenſuræ, & irregularitatis ex delicto provenientis, Vide Allozam

verb.

verb. cenſ. ſect. 6. num. 6. & verb. Ignorantia num. 12. Immò Navar. conſ. 18. de ſentent. excom. num. 3. & conſ. 15. de tempus ordin. num. 4. aſſerit, quòd irregularitas ex delicto ſine dolo, & contemptu non incurritur; Unde celebratio Excommunicati, vel ſuſpenſi, ſi nō ſit mortifera, non inducit irregularitatem, ac etiam bona fides excuſat. Accipe, & tene menti, & vide etiam Em. Sà verb. Cenſura num. 4. & verb. Irregularitas num. 6.

1183 Inter. 24. Fitne irregularis, qui omiſſa prima tónſura recipit alios Ordines minores, vel Sacros?

Reſp. Juxtà communem Theologorum ſententiam prima tonſura non eſt Ordo, ut ego brevitèr dicam in tit. 221. de Tonſura ad Inter. 4. & latè probat Diana par. 6. tr. 80. reſ. 29. qui reſpōdet etiam ad argumenta contraria, & conſequenter aſſerit, recipientem Ordines minores, vel Sacros, non ſuſcepta prima tonſura, nullam irregularitatem contrahere, cum non dicatur ordinatus per ſaltum, ex eo quià prima tonſura non eſt Ordo, ſed diſpoſitio ad Ordines.

Quær. 1. An efficiatur irregularis Epiſcopus, aut alius Judex, vel Prælatus, ſi carceratus in ejus moriatur carceribus?

Reſp. Non ſit irregularis Epiſcopus, Prælatus, ſive alius Judex ſi Carceratus moriatur, quià non eſt cauſa propinqua, & immediata illius mortis. Verùm ſi carcer eſſet adeò arctus, qui careret ſufficienti aere, aut Carcerato cibus, & neceſſaria ad vitam negarentur, itaut conſumatus periret, equidem, ſequuta morte, Prælatus, ſeu Judex dicti Carcerati fieret Irregularis, ſiquidem necare dicitur, qui non alvit, juxtà illud, ſi non paviſti occidiſti. Caveant igitur Prælati, & Judices, ne Carceratus veriſimiliter brevi tempore moriàtur, vel quoàd qualitatem Carceris, vel quoàd vitæ neceſſaria, nam Carceratus ob ſua demerita pane doloris, & aqua anguſtiæ eſt ſuſtentàndus, non autèm illicò conſumandus, quia debet vitam ducere in pœnitentia, & miſeria, attamen ex nimia miſeria vita ei auferri non debet, ut inter paucos dies ſit moriturus aliàs certò à Judice incurritur irregularitas ſi talis Carceratus moriatur; Ità aliis relatis firmat Navar. tom. 2. conſil. 1. tit. de pœnis lib. 5. Item non eſt de facili Clericus incarcerandus, quià excommunicatus eſt qui injurioſè Clericum detinet per capitul. nuper de ſent. excom. Armilla verb. Inquiſitio ſub num. 13. Undè Judex debet Carceratos viſitare, & facere quod habeant neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem, ut dicitur in l. 3. C. de Epiſ. audien. aliàs non ſolùm mortaliter peccat, ſi non viſitat, & pauperibus providere non curat, ut docet Em. Sà verb. Judex, ſed etiàm irregularitatem ſecuta morte incurrit, & ſi carceratus eſt Clericus, excommunicatione itidem innodatur. Notandum eſt igitur cum Diana par. 4. tract. 2. reſ. 53. & aliis ab eo citatis, Epiſcopos incurrere irregularitatem, quæ fertur aliquo jure generali, quia ſolùm excipiuntur ab incurrendo Suſpenſionem, & interdictum, non autèm ab irregularitate, & excommunicatione, quæ jure generali feruntur, ut docet etiàm Navar. in man. cap. 27. num. 16. Cajet. 2. 2. quæſt. 185. art. ult. & alii quos refert, & ſequitur Em. Sà verb. Epiſcopus n. 10. ex c. quià periculoſū deSent. exc. n. 6. idem docet Armil. ver. Epiſ. n. 12. & ver. Suſpenſio n. 18. & eſt cōmunis ſententia.

Quær. 2. An ſit irregularis qui ſuſpectus de hæreſi abjuravit in Sancto Officio de levi, aut de vehementi? & quid dicendum ſit de Regularibus?

Reſp. Pœna irregularitatis imponitur in jure hæreticis tantùm, non autèm abjurantibus hæreſim, nàm hi non damnatur tanquàm hæretici, nec imponitur eis aliqua pœnitentia ob hæreſim, ſed ſolùm ob ea geſta, ex quibus hæreſis ſuſpicio orta eſt, à quà ſe purgant per abjurationem,

Digitized by Google

nem, ergò qui de hæreſi ſuſpectus cogitur per Inquiſitores abjurare de levi aut de vehementi; nullam irrgularitatem incurrit. Ità tradunt Em. Sà *verb. Hæreſis num.* 5. Navar. *lib.* 5. *tit. de hæreticis conſil.* 16. *num.* 1. Sanchez *in Sum. to.* 1. *lib.* 2. *cap.* 25. *n.* 12. & alii plures, quos refert, & ſequitur Diana *par.* 4. *tract.* 2. *reſ.* 47. Nec Diſſentit Lezana *tom.* 3. *verb. hæreſis ſub n.* 11. quià licèt ratione notorietatis criminis ſit irregularis propter infamiam indè conſurgentem, tamèn tollitur hæc infamia facti, & purgatur ſuſpicio mediante abjuratione. Vide Bonac. *de cenſu. diſp.* 7. *quæſt.* 3. *pun.* 7. *num.* 4. Verùm eſt tamèn, quòd ſi tales fuerint Regulares cujuſuis Religionis, pœnitentiati à S. Officio, etiam minori pœna, quàm ordinaria ob hæreſis ſuſpicionem, fiunt inhabiles ad officia ſuæ Religionis ex Decreto Urbani VIII. quod refert idem Lezana *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 15. *num.* 39. & Angelus à Lantuſca *in Theat. Regul. verb. Pęna n.* 3. Et hoc verum eſt, etiamſi pœnitentiæ tempus expleverint, vel gratiā à SS. Papa, vel à S. Officii Congr. receperint, niſi ſpecialiter, & expreſsè rehabilitati fuerit. Vide citatos Auctores, qui tamen nō loquūtur de pęnitentiis ſalutaribus, quià in præfato decreto non comprehéduntur, ſed omninò excluſæ censétur.

Quær. 3. An ſit irregularis filius cujus Pater cecidit in hæreſim, & ità mortuus eſt, aut traditus fuit brachio ſæculari, ſed catholicum, & emendatum ſe deceſſiſe oſtendit? & an talis filius ad ordines promoveri valeat?

Reſp. Eſt quidèm quæſtio valde gravis inter Theologos, an dictus filius cenſeri debeat irregularis, cum prò utraque parte adſint rationes, ut videre licèt apud Doctores mox adducendos. Hoc autèm certum eſt, hæreticorum filios uſque ad ſecundam generationem per lineam paternam, & uſque ad primam generationem per lineam maternam, eſſe irregulares; nempè ſi per viam virilem deſcendat, ſunt irregulares filii, & nepotes hæretici, ſivero via fœminea ſolùm filii, & non nepotes fiunt irregulares, præſertim ſi eorum parentes impenitentes, & damnati per Judicem mortuvi fuerint. Ita habetur *ex cap. ſtatutum* 2. *de hæret in* 6. & tradunt Doctores communiter, ut Navar *in Man. cap.* 27. *num.* 205. Suarez *de cen. diſp.* 43. *ſect.* 3. *num.* 1. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 69. *num.* 3. Em. Sà *verb. hæreſis n.* 4. Bonac. *de cenſu diſp.* 7. *quæſt.* 3. *pun.* 7. *num.* 9. Armilla *verb. hæreſ. num.* 7. Lezana *tom.* 3. *verb. irregul. ſub num.* 16. & *verb. Infamia ſub n.* 11. ubi tamen cum Sanchez *tom.* 1. *in decal. cap.* 28. *n.* 7. & Theſauro *de pœnis par.* 2. *verb. hæreſis num.* 3. ait id non procedere in filiis ante hæreſim genitis, ſed hoc negat Toletus ubi *ſuprà num.* 2. *in fine*, neque in illis Regionibus, quibus palam, & impunè hæreſes graſſantur, & quando delictum paternum eſt notorium jure, vel facto. Quod autem filius hæretici emendati non ſit irregularis, quamvis ejus pater combuſtus fuerit, ſi ſigna contritionis oſtenderit, docent nonnulli, quos refert, & ſequitur Diana *par.* 10. *tr.* 11. *reſ.* 23. nec diſcrepare videtur Tolet. Bonac. Lezana, & alii. Sed oppoſitum docet Sanchez *ubi ſuprà cap.* 27. *num.* 22. & *ſeqq.* cujus opinio eſt magis communis, ut inquit Diana *loco cit.* & licèt *par.* 4. *tract.* 2. *reſ.* 45. utramque opinionem probabilem cenſeat, tamen concludit, quòd ſententia negativa, ſcilicet haud eſſe irregularem dictum filium, non habet locum in partibus, in quibus verſamur, quià licèt non incurrat irregularitatem *in cap. Statutum* contrà filios hæreticorum inflictam, incurrit tamen irregularitatem, quæ oritur ex infamia propter legem *Quiſquis C. ad legem Juliam maieſt.* quià hæretici ſunt rei læſæ Majeſtatis Divinæ, prout ſentiunt multi apud Sanchez *loco ſuprà cit. cap.* 28. *num.* 4. Oppoſitum tamèn docet Lezana *ubi ſuprà verb. infamia num.* 11.

& alii

& alii plures: Ego verò puto dicendum, primò malè limitari ad filios ante hæreſim genitos, & ad illas Regiones, in quibus hæreſes graſſantur. Nàm primum eſt contrà *cap. ſtatutum de hæreticis in 6.* quòd abſolutè loquitur, ibi. *Hoc ſanè de filiis, & nepotibus hæreticorum qui tales eſſe, vel tales etiam deceſſiſſe probantur.* Lex iſtà enim lata fuit in odium hæreſis parentum, & directè, & primò in parentum ſupplicium, ut ait *Gloſ. in Extravag. Joann. XXII. de pœnis §. filii cujus, verſ. quomodolibet*, cum in filiorum perſona patres acriùs puniantur, quàm in propria: Et quia ſi etiàm ſpectetur periculum imitationis, hoc maximum eſt in omnibus filiis, ita tenet Rota coràm Penna *in Conchen. penſion.* 24. *Octobr.* 1594. & in eadem cauſa coram Peregrin. 6. Martii 1568. quam ſequitur Garzias *de Benefic. par.* 11. *c.* 10. *num.* 79. ubi plures refert. Secundum verò eſt falſum ex eadem ratione, & quià deficit fundamentum Sanchez, dum dicit infamiam facti ceſſare, ſi pater moriatur inter hæreticos, ſine infamiæ nota. Nàm nil intereſt, quòd hæreſis generet infamiam apud hæreticos, quia per ſe ſemper generat eam reſpectu cujuſque benè ſentientis, & requiritur notorium facti, non ut generans infamiam, ſed ut manifeſtans rem, adeo ut non poſſit tergiverſatione celari, & ità ut patres ſint probati eſſe hæretici. Dico ſecundò quòd ſententia docens eſſe irregularem filium patris hæretici pœnitentis, ſi intelligatur de reconciliato, & prima vice penitente, eſt expreſsè contra textum *in dicto cap. ſtatutum*, nàm ibi ſic habetur. *Non autem illorum, quos emendatos eſſe conſtiterit & reincorporatos Eccleſiæ unitati.* Leſſius *lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 123. *& ſeqq.* quem ſequitur Garzias *ubi ſuprà* §. 1. *num.* 83. Peyr. *de Prœl. quæſt.* 2. *cap.* 5. §. 6. *num.* 77. Penna *coſ.* 162. *ver. jam tandem*. Tolet. *lib.* 2. *cap.* 69. *ver.* 6. Farinac. *de hæreſ. quæſt.* 191. *num.* 64. Paſſerin. *de elect. can. cap.* 25. *num* 75. De filiis autem relapſorum procedit ſententia de ineligibilitate ad officia publica, etiamſi parentes pœniteant. Penna *conſ.* 164. *ver. oppoſitam ſententiam*. Rojas *par.* 2. *aſſert.* 42. *n.* 338. Azor. *par.* 1. *lib.* 8. *cap.* 13. *quæſt.* 8. Suarez. *tom.* 5. *diſp.* 43. *ſect.* 3. *num.* 3. Avila *de cen. par.* 7. *diſ.* 4. *dub.* 3. Farinac. *loco cit. num.* 65. Duard. *in Bull. Cœnæ lib.* 2. *in can.* 1. *quæſt.* 27. *num.* 27. Sigiſm. de Bonon. *de elect. dub.* 79. Peyr. *loco ſuprà cit.* & Paſſer. *ibidem num.* 76. Nec verùm eſt, quòd dicti filii patris hæretici etiàm impenitentis, ſint infames ex reatu læſæ Majeſtatis Divinę ex identitate rationis, immò nec ex majoritate, niſi intelligatur de quadam inperfecta infamia, prò quantò ſunt in minori æſtimatione, ut explicat Paſſer. *quæſt.* 11. *num.* 95. Nàm jure Eccleſiaſtico nullibi lata eſt in eos pœna infamiæ. Nec valet arguere ex inhabilitate ad beneficia, & officia publica, hæc enim eſt quædam veluti irregularitas, non verò infamia, nec à prima ad ſecundam valet conſequentia; quamplures enim effectus parit infamia, quos non parit irregularitas, nàm irregularis non impeditur eſſe teſtis, & eligere, à quibus actibus, & aliis impeditur infamis. *cap. non poteſt, & ſeq.* 2. *quæſt.* 7. *& cap. teſtim. cap. licèt de teſtibus, & cap. licèt de probat.* Nec rectè etiam arguitur ex crimine læſæ Majeſtatis humanæ ad crimen læſæ Majeſtatis Divinæ, nàm præter quam quod, ut tradit Socin. *conſul.* 225. *num.* 11. *vol.* 2. in pœnalibus non fit extenſio, præſertim ad eos, qui non deliquerunt, præter hoc, inquam, non valet illud argumentum, niſi in caſibus in jure expreſſis, & ſic delictum patris in non expreſſis, non præjudicat filio. Gygas *de crim. læſæ Majeſtatis lib.* 5. *tit.* 1. *de Privil. quæſt.* 17. *in fin.* Greg. Lopez. *lib.* 9. *ver. fueras, eadem, tit.* 31. *p.* 7. Nec pœna imponenda eſt contrà delinquentem, niſi in jure ſit expreſſa, *cap. Is qui*

de ſent. excum. in 6. Neque valet, argumentum à crimine graviori, quià ſæpiſſimè contingit minora crimina, quià communiora, gravius puniri. Covar. *lib.* 2. *Var. cap.* 8. *num.* 5. & de facto jus canonicum minus punit hæreticos, quàm jus civile reos læſæ Maieſtatis humanæ, quòd damnat ad mortem, non ſic jus canonicum, ſi pœniteant, & in hoc caſu filii non ſunt inhabiles ad benficia, & officia publica. Quòd autèm filii hæreticorum non ſint infames, quidquid dicat Diana, tenent Menoch. *conſul.* 808. *n.* 44. *&* 45. *vol.* 9. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *par. diſp.* 48. *ſect.* 3. *num.* 2. Sanchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 28. *num.* 5. Sayrus *de cenſu. lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 40. de Bononia *de elect. diſp.* 80. *num.* 1. Salelles *de mat. tribun. SS. Inquiſitionis lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 97. *& ſeqq.* Quoad ultimum denique de irregularitate ad ſuſcipiendos Ordines, bene Paſſerinus *quæſt.* 12. *num* 97. conciliat ſententias, ut ſententia negativa ſit vera per ſe loquendo, quià in jure non eſt impoſita irregularitas directè contrà filios hæreticorum; Sed ſententia affirmativa ſit vera conſecutivè, quià Ordines Sacri ſunt officia publica, ad quæ tales filii inabilitantur, undè hæc non eſt propriè irregularitas, quià non eſt inhabilitas ad Ordines, ut ordines ſunt, & ratione Sanctitatis illorum, ſed ut ſunt publica officia, & colligitur *ex cap. quicumque de hæret. in* 6. Vide Em. Sà *verb. hæreſis ſub n.* 4. & Dianam *par.* 10. *tract.* 11. *reſ.* 23. & alios apud ipſos diversè ſentientes.

Quær. 4. An filii Saracenorum, Paganorum, vel Judæorum irregulares cenſeri debeant, itàut ad ordines promoveri nequeant?

Reſp. Si tales fuerint baptizati in infantia, ſcilicèt ante ſeptennium, irregulares minimè cenſeri debent, quià tales non ſunt filii hæreticorum, contrà quos in jure impoſita eſt irregularitatis pœna. Si vero præfati filii in ætate adulta baptizati fuerint, utique irregulares cenſeri debent, & ad ordines minimè promoveri poſſunt, nàm dicuntur Neophiti, ſcilicet novi in fide, & licèt jura circà hoc, certum tempus non præſcribant, tamen ferè omnes Doctores aſſerunt, quòd poſt decennium à Baptiſmo ſuſcepto, non amplius dicantur Neophiti, ac per conſequens ceſſet hujuſmodi irregularitas, quanquam melius dicant quidam, hoc tutè poſſe remitti arbitrio Epiſcopi, qui poſt aliquam temporis moram à die ſuſcepti Baptiſmatis judicare poteſt an aliquis ſit habilis, & idoneus ad ordines ſuſcipiendos, nempe an ſit ſatis inſtructus in rebus fidei, & in iis, quæ neceſſaria ſunt ad ordines ritè ſuſcipiendos, nec Epiſcopus in tali caſu dicitur diſpenſare ſuper irregularitate, ſed ſolùm declarare irregularitatem ceſſaſſe, & hoc mihi videtur probabilius: Siquidem S. Ambroſius recens regeneratus, in Epiſcopum Mediolanenſem electus fuit, unde Epiſcopus tutà cōſcientia ad ordines, & Beneficia poteſt Neophitos admittere, quoties noverit eos Chriſtiana diſciplina apprimè imbutos eſſe. Vide Navar. *in man. cap.* 27. *num.* 205. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 64. *num.* 5. Em. Sà *verb. irregularitas ex defectu Animæ num.* 3. Miranda *in man. tom.* 1. *quæſt.* 19. *ar.* 7. Bonac. *de cenſu. diſp.* 7. *quæſt.* 3. *pun.* 7. *num.* 11. Lezanam *tom.* 3. *verb. irregularitas num.* 11. *& tom.* 4. *Conſ.* 16. *num.* 31. *& ſeqq. & Conſ.* 31. *n.* 22. *& ſeqq.* Dianam *par.* 4. *tr.* 2. *reſ.* 50. à quibus hæc libavi; Alia plura videri poſſunt apud præfatos Auctores, ego enim ut ſæpæ dixi, in hiſce meis laboribus brevitati ſtudeo. Vide etiam Barboſ. *in Triden. ſeſſ.* 23. *de reform. cap.* 7. *num.* 5. *&* 6. ubi docet non eſſe excludendos ab ordinatione qui à Judæis originem trahunt, niſi aliud canonicum impedimentum obeſſet. Et benè quidem, non enim generis nobilitas, ſed virtutum præſtantia gratum facit Deo, atque hominibus.

TITU-

Digitized by Google

TITULUS CXXV.

De Irritatione Votorum.

Vide tit. de Abbatiſſ. &c. Int. 1. *tit. de differ. Int. ult. tit. de Præl. Regul. Int.* 11. 12. 13. 14. *tit. de Vot. Int.* 6. *tit. de Uxor. Int.* 5.

1184 INter. 1. Poteſtne Maritus irritare omnia Uxoris vota?

Reſp. Eſt quæſtio valdè gravis inter Doctores. Quidam dicunt integrum eſſe viro omnia uxoris vota irritare; excepto voto continentiæ emiſſo de communi conſenſu. Pro hac ſententia ſunt plurimi Doctores, ut videre licet apud Sanchez *de Matrim. lib.* 9. *diſp.* 39. *num.* 4. *&* in *Summ. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 34. *num.* 3. *& ſeqq.* Bonac. *de præc. Decal. diſp.* 4. *qu.* 2. *pu.* 7. §. 2. *num.* 16. & Dianam *par.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 220. Vide etiam Emm. Sà *verb. Voti irritatio num.* 1. & eſt quidem probabilis hæc ſententia, ut aſſerit idem Bonac. *loc. cit.*: Verùm mihi videtur dicendum, nullo modo poſſe Maritum omnia uxoris vota irritare, & nulla facere, niſi in quantum impediunt domus, & familię gubernationem, aut ei præjudicium faciunt. Undè non poteſt maritus irritare votum uxoris de oratione aliqua recitāda, de non mèntiendo, pejerando, aliqua parva eleemoſyna erogandà, & cætera hujuſmodi non præjudicialia; & ità tenet Navar. *in Man. cap.* 12. *num.* 64. *verſ. Maritus autem.* Azorius *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 17. *qu.* 12. Sylv. *verb. Votum* 5. *qu.* 1. propter rationem S. Thomæ 2. 2. *qu.* 88. *art.* 8. Suarez *de Relig. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 26. & latius *lib.* 6. *cap.* 3. *num.* 2. Sylvius, Filliucius, Valentia, & alii apud Dianam, & Bonacinam *ubi ſup. num.* 10. *& ſeqq.* & ratio eſt, quia licèt vir ſit caput uxoris in iis, quæ pertinent ad domus gubernationem, & adminiſtrationem familiæ, tamen mulier non in omnibus eſt ſubiecta viro, maximè quando ei nullum præjudicium facit; Alias rationes vide ſi lubet apud Suar. *loc. cit.* Ego enim, more meo, brevitati ſtudeo Vide etiam Dian. *par.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 110. ſed non omnia quæ ibi docent placent mihi.

1185 Inter. 2. Eſtne in poteſtate Patris irritare omnia vota filiorum, & quid dicendum eſt de Matre, Tutore, Curatore, & Avo?

Reſp. Quòd omnia vota realia, perſonalia, vel mixta filiorum impuberum poſſint irritari à Patre, ſaltem intrà tempus impubertatis, eſt ſententia communiter recepta, nec peccat Pater irritando prædicta vota, quia utitur jure ſuo: Dixi intrà tempus impubertatis, quia licèt vota facta ante annos pubertatis poſſint etiam à Patre irritari tranſacto tempore impubertatis, ut docent plures Doctores, tamen hoc intelligi debet, dummodò filius pubes, poſt acquiſitam pubertatem, non ratificaverit vota tempore impubertatis facta: Nota igitur, quòd impubertas incipit ab uſu rationis, & durat in fœminis uſque ad duodecimum annum completum; in maſculis autem uſque ad decimum quartum completum: & quia impuberes non præſumuntur ſatis judicii habere, ut maturè, & prudenter vovere poſſint, ideò nè imprudenter ſe votis aſtringant, voluit jus omnia eorum vota ſubdi poteſtati eorum, quibus ipſi impuberes ſubſunt. Itaque dicendum eſt poſſe Patrem, & eo deficiente Matrem, dum tutelam filiorum gerit, ac etiam Tutores, & Curatores pupillorum licitè omnia vota filiorum, pupillorum, & minorum in ætate impuberi emiſſa, & non ratificata tempore pubertatis, irritare. Vide Navar. *in Man. cap.* 12. *num.* 64. Sanch. *in Sum. tom.* 1. *par.* 2. *lib.* 4. *cap.* 35. *per tot. præſertim num.* 7. Bonac. *de Præcept. Decal. diſp.* 4. *qu.* 2. *pun.* 7. §. 2. *n.* 18. *& ſeqq.* Dian. *par.* 9. *tr.* 8. *reſ.* 14. qui plures Doctores referunt: Item deficien-

Digitized by Google

ficientibus Parentibus, & Tutore, poſſunt Avi, & Aviæ irritare omnia vota, quæ poſſet Pater, aut Mater, nam ſunt veluti Parentes, ac eorum loco, & eis tenetur impubes obedire. Ità aliis relatis docet Caſſianus à Sancto Elia *in Arbor. Opin. moral. verb. Avus n.* 11. & alii.

1186 Inter. 3. Poteſtne Pater irritare vota filiorum puberum?

Reſp. Poteſt etiam, ſed non omnia ipſorum vota irritare quit, ſed tantùm realia, abſolutè loquendo, & in quacunque ætate ea emiſerint, dummodò filii non ſint emancipati, ſcilicèt extra Patriam poteſtatem; nam vota emiſſa à filio jam emancipato, & ſubinde extra patriam poteſtatem conſtituto, nequit Pater irritare: Item Pater irritare non valet vota realia filii, qui habet bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia, quia filius horum bonorum eſt dominus, & eſt ſui juris, ſicque poteſt de illis diſponere ad beneplacitum independenter à Patre: Quænam autem ſint bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia docet Bonacina *de Reſtitut. diſp.* 2. *qu.* 10. *pun.* 1. *n.*1. Vide ergo ipſum. Dixi tantùm realia, quia nullo jure probatur poſſe patrem irritare vota perſonalia filiorum puberum, niſi quantum vergunt in præjudicium domeſticæ gubernationis, & Patri præjudicant, quod intelligendum eſt ſecundùm Sanchez, quando grave, & alicujus momenti eſſet præjudicium, ſecus autem quãdo modicum, & hæc doctrina militat etiam de votis mixtis, ut peregrinandi, quatenus in illis admiſcetur aliquid reale, nempè expenſæ, quibus peregrinatio eſt peragenda; fallit tamen hæc regula in caſu, quo filius minor pubes voveat ingredi Religionem, licèt in conſequentiam ingreſſus ſuccedere debeat Monaſterium in bona ipſius ingredientis, nam tale votum nequit Pater irritare, ut docet Navar. *in Man. cap.* 12. *num.* 70. & alii plures apud Sanch. *loco ſupracit. num.* 24. Tandem nec votum Religionis, Confeſſionis, Communionis, & ſimile emiſſum à filio pubere poteſt Pater irritare, quia nullatenus ipſius poteſtati repugnat. Vide D. Thom. 2. 1. *qu.* 88. *art.* 9. *&* 8. *ad* 2. & alios DD. in præcedenti reſponſione allegatos, & præſertim Sanch. *eo cap.* 35. *per tot.* ubi hæc, & alia plura videri poſſunt. Vide etiam ſi lubet Emm. Sà *in verb. Voti irritatio num.* 1.

1187 Inter. 4. Poteſtne Dominus ſervorum ſuorum vota irritare?

Reſp. Dicunt quidam poſſe Dominum univerſa vota ſervorum irritare, excepto caſtitatis voto: Tamen diſcedendum non eſt à communi ſententia, quæ docet ea ſola vota à Domino irritari poſſe, quæ juri, ac poteſtati ipſius aliqua in parte officiunt, & obſint, ut votum peregrinationis, Religionis, & alia hujuſmodi, quæ Domini ſervitio præjudicarent, preter votum caſtitatis, quod communiter DD. fatentur, non poſſe Dominum irritum reddere: Dicendum eſt igitur poſſe Dominum ea ſola vota ſervorum irritare, quæ ipſi præjudicant, non autem vota non mentiendi, non furandi, diligendi Deum, aliquarum Orationum, jejunii, & abſtinentię, dummodò moderata ſint, & Domino non præjudicent, quia tunc ſaltem ſuſpendere poſſet; ſicut etiam poteſt hærus, reſpectu famulorum ſuorum, vota ſuſpendere, quæ obſequio ſibi debito præjudicant; non autem poteſt hærus famulorum vota irritare; quia non habet in illis dominativam poteſtatem, ſicut Dominus in ſervis, qui ſunt ipſius mancipia. Vide S. Thom. *in* 4. *diſt.* 28. *qu.* 2. *art.* 1. Sylv. *verb. Votum* 4. *qu.* 2. Sanchez *tom.* 1. *par.* 2. *lib.* 4. *cap.* 36. *per tot.* Bonac. *de Præcep. decal. diſp.* 4. *qu.* 2. *pun.* 7. §. 2. *n.* 7. Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 16. *qu.* 8. *&* *cap.* 17. *qu.* 9. Navar. *cap.* 12. *num.* 64. & alii apud Sanchez, qui latè, & eruditè hanc pertractat materiam.

Digitized by Google

TITULUS CXXVI.

De Jubilæo.

Vide tit. de Confeſſar. ad qu. 3. tit. de Confeſſar. extr. Mon. Int. 5. 6. tit. de Confeſſ. Sacr. Int. 25. tit. de Denunc. Int. 29. tit. de Paroch. Int. 18. tit. de Præl. Reg. Int. 22. tit. de Regul. &c. Int. 66. 67. tit. de Soc. crim. Int. 15.

1188 INter. 1. Poteſtne quis bis, aut pluries lucrari Jubilæum?

Reſp. Poſſe aliquem bis, ſeù pluriès conſequi indulgentiam, aut Jubilæum, ſi opera injuncta bis, ſeù pluriès exerceat, tradunt plurimi DD. quos refert, & ſequitur Diana *par. 2. tr. 17. reſ. 49. & par. 5. tract. 12. reſ. 28.* Tamen hoc non eſt ità certum, ut ſupponunt hujus opinionis Doctores; nam Filliucius *tom. 1. tract. 8. cap. 10. num. 261. & num. 278.* refert Clementem VIII. & Sac. Cong. Cardinalium declaraſſe, ſemel tantùm ſumi poſſe Jubilæum, tàm in Anno Sancto, quàm in aliis. Ità teſtatur Lezana *tom. 2. verb. Jubileum ſub num. 20.* ſed Diana *ea reſ. 28. ſupracit.* dicit, quòd de tali Sacræ Congregationis declaratione non conſtat authenticè; ideò alii judicent; Ego enim ſentio cum Filliucio, & aliis aſſerentibus, non poſſe quem bis, aut pluriès Jubilæum lucrari; nam in forma Jubilæi dicitur *hac vice tantùm*, ideſt una vice in una, vel altera hebdomada, ut benè ait Suar *tom. 2. de Relig. lib. 6. de voto cap. 16. num. 17.* quem refert, & ſequitur Bonacina *de Sac. diſp. 5. qu. 7. pun. 5. §. 3. ſub num. 17. verſ. oppoſita ſententia.* Vide Cabrinum *Elucid. caſ. reſer. par. 1. reſ. 143.* aſſerentem hanc noſtram ſententiam ſecuriorem eſſe, & in praxi ſuſtinendam, licèt probabilem cenſeat oppoſitam; ſed ſi prædictam Sac. Congregationis declarationem authenticè extare conſtiterit, ei omninò ſtandum eſſet, & contraria ſententia penitus profligata remaneret.

1189 Inter. 2. Qui non habet niſi peccata venialia, poteſtne lucrari Jubilæum, ſi confeſſionem venialium non præmittat?

Reſp. Dicunt tredecim Doctores, quos refert Paſqualig. *in praxi Jubilei qu. 62.* & præterea Sanch. *de Matrim. lib. 8. diſp. 15. num. 19.* Confeſſionem eſſe unam ex conditionibus ſpecialiter requiſitis pro comparãdo Jubilæo; ideòque ea non adimpleta, minimè poſſe Jubilæum lucrari. Tamen veriùs, & probabiliùs puto oppoſitum cum Suarez *in 3. par. tom. 4. diſp. 52. ſect. 3. num. 5.* Filliucio, Reginaldo, & plurimis aliis, quibus ſubſcribit Diana *par. 3. tr. 4. reſ. 126.* Potitus de Joriis mox adducendus, & alii, nam peccata venialia non ſunt materia neceſſaria Confeſſionis, ut omnes Doctores fatentur, & ego breviter dicam *in tit. 165. de Peccato veniali, ad Int. 3. & 4* nec Summus Pontifex in Bulla Jubilæi mandat confiteri venialia, ergò non eſt neceſſaria ſimpliciter peccatorum venialium confeſſio pro Jubilæo acquirendo, cum ad hujuſmodi confeſſionem nemo ullo jure teneatur. Vide Potitum de Joriis *de Jubileo extr. n. 21.* qui plures pro hac ſententia refert, & 22. Doctores Dian. *par. 5. tr. 12. reſ. 30.* pro hac citat ſent. tamen vide quæ dicã *in tit. 173. de præc. an. Conf.* ad Int. 5. *in fin. verſ. cæterùm;* Et placet prudẽs motivũ Paſſerin. *de Indulg. qu. 28. num. 530.* dicentis: Indubitatum, & ſecurius eſſe ad lucrandam Indulgentiam conceſſam cum illa clauſula, præmittere actualem Confeſſionem, & quòd conſulendi ſunt omninò fideles, ut id obſervent. Vide Em. Sà *verb. Indulg. ſub n. 3.* qui pro utraque parte Doctores refert.

1190 Inter. 3. Adoleſcentes non completo vigeſimo primo anno, poſſuntne lucrari Jubilæum, non ſervato jejunio?

Reſp. Jejunium cum ſit una ex cõditionibus neceſſariis pro comparando

Jubi-

Jubilæo, neceſſariò, etiam ab Adoleſcentibus ſervari debet, aliàs Jubilæū obtinere non poſſunt. Ità docent plures, quos dat, & ſequitur Diana *par.* 1. *tract.* 9. *reſ.* 16. *verſ. Ex ſupradictis.* Potitus de Joris *de Jubil. extraor. par.* 3. *quæſt.* 16. *num.* 5. unde tam Adoleſcentes, quam ſenes Jubilæum lucrari non poſſunt, niſi jejunent, quia hoc non eſt præceptum, ſed conditio pro conſecutione indulgentiæ. Vide Em. Sà *verb. Indulgentia propè finem.*

1191 Inter. 4. Fuit jam publicatum Jubilæum, Titius ſpe abſolutionis obtinendæ committit inceſtum, ſodomiam &c. vel ingreditur Monaſteriū Monialium ad malum finem, poteſtnè Confeſſarius eum abſolvere?

Reſp. Qui in confidentiam Iubilæi committit aliquod peccatum reſervatum, vel incurrit aliquam cenſuram, poteſt abſolvi; Ergo Confeſſarius poteſt Titium Abſolvere, nam in Bulla Jubilæi non ponitur talis exceptio, ut nō abſolvatur peccans ex confidentia Jubilæi, & ſpe abſolutionis obtinendæ; ergo &c. Diana *par.* 1. *tr.* 11. *reſ.* 16. Bonac. *de legibus diſp.* 4. *qu.* 2. *punto* 6. §. 3. *num.* 12. & alii apud Potitum de Joris *in tract. de Jubilæo extraordinario par.* 3. *quæſt.* 16. *ſub n.* 13.

1192 Inter. 5. Quando in Jubilæo conceditur facultas abſolvendi ab omnibus caſibus Papæ reſervatis, poteſtne Confeſſarius abſolvere etiam à Cēſuris, & caſibus Epiſcopo reſervatis?

Reſp. Alii ajunt poſſe, alii verò probabilius negant, ſcilicèt quando Summus Pontifex concedit in Jubilæo facultatem abſolvendi à Cenſuris, & caſibus reſervatis, non cenſeri concedere cenſuras, & caſus, quos Epiſcopi Diœceſano ſtatuto, ſibi ſpecialiter reſervant; Ità Navar. Graſſius, Bonac. & alii, quos refert, & ſequitur Cabrinus *Elucid. caſuum reſervat. par.* 1. *reſ.* 131. Verum eſt tamen, quod Epiſcopi, dum publicant Jubilæum, ſolent eam facultatem concedere.

1193 Inter. 6. A quo Epiſcopo debet eſſe approbatus Confeſſarius per Jubilæum eligibilis?

Reſp. Tres ſententias diverſas refert Diana circa tale dubium, prima aſſerit ſufficere approbationem Epiſcopi loci, in quo auditurus eſt Confeſſiones, licèt pœnitens vi Jubilæi ipſum eligens ſit alterius Diœceſis. Secunda docet, quòd ſatis erit ſi Confeſſarius fuerit approbatus ab Epiſcopo, ſeu Ordinario pœnitentis habentis per Jubilæum facultatem eligendi quemlibet approbatum ab Ordinario, licèt non adſit approbatio Epiſcopi loci. Tertia tenet ſufficere approbationem Epiſcopi ejuſdem Confeſſarii, ità ut Sacerdos à ſuo Epiſcopo abſolutè, & ſimpliciter approbatus ad audiendas Confeſſiones, poſſit ubique terrarum eligi ab habente facultatem eligendi quemlibet Confeſſarium ab Ordinario approbatum vi Iubilæi, licèt non ſit approbatus ab Epiſcopo pœnitentis, vel loci, & hanc ſententiam amplectitur ipſe Diana *par.* 5. *trac.* 12. *reſol.* 52. Ego tamen puto diſcedendum non eſſe à prima ſententia; quia Sac: Congreg. Concilii petente Archiepiſcopo Valentino Io: de Ribera, declaravit approbatum ab alio, quàm à Valentino Epiſcopo in Diœceſi Valentina non cenſeri approbatum ab Ordinario. Vide Vericellum *qq. moral. tract.* 2. *quæſt.* 25. *num.* 4. *verſ.* 6. *quia,* & ea quæ dicam *in tit.* 160. *De Parochis, ad Int.* 17. ubi firmabo ex Sac. Congr. quòd habentes Parochiale Beneficium in una Diœceſi, non poſſunt in alia Diœceſi abſque loci Ordinarii approbatione eligi in Confeſſarium vigore Iubilæi, ergo multò minus poterunt eligi, qui non ſunt Parochi, quare non eſt audiendus *Diana ubi ſupra, & par.* 1. *tract.* 11. *reſ.* 7. qui pluribus relatis oppoſitum docet. Sed vide Lezanam *par.* 1. *tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 19. pro hac noſtra ſententia, quam probabiliorem puto.

1194 Inter. 7. Moniales poſſuntne Iu-

Digitized by Google

tempore Iubilæi quoſcumque Confeſſarios ab Ordinario approbatos eligere?

Reſp. Quidquid dicant Bonacina *de Sacr. diſp.* 5. *quæſt.* 7. *pun.* 4. §. 1. *num.* 22. *in fine* Boſſius *de triplici Iubilæo ſect.* 3. *num.* 2. Peyrinus *tom.* 3. *privileg. Minim. cap.* 4. *in Conſtit. Leonis X. num.* 4. & alii; Abſolutè dicendum eſt, & tenendum, non poſſe per ea, quæ egomet dixi *in tit.* 43. *de Confeſſariis extraordinariis Monialium, ad Inter.* 6. *& dicam in tit.* 180. *de Regularibus, ſeu Religioſis, ad Int.* 67. & hanc ſententiam docent Molfeſius, Alphōſus de Leone, Fauſtus, Io: Franciſc. Suarez, & Gregorius Pollaccus in Bulla Jubilæi Urbani VIII. *ſect.* 41. *num.* 8. qui teſtatur, ità declaratum fuiſſe à Sac. Card. Congreg. Vide Dianam *par.* 3. *tract.* 5. *reſ.* 154. *& par.* 5. *tr.* 12. *reſ.* 12. *& par.* 9. *tr.* 6. *reſ.* 49. *& tract.* 8. *reſ.* 51. *prope finem*, & in hoc opinionum conflictu ſtandū eſt pro hac noſtra ſententia, utpotè tutiore, cum agatur de Sacramenti validitate; Nullus enim poteſt accedere ad Monaſteria Monialium ſine licentia, & multò minus Confeſſiones earū audire, ſine ſpeciali députatione Ordinarii, ergò &c. Idem tenet Author *Caut. Confeſſ. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 10. & clarè patet ex Conſt. Clem. X. incip. *Superna* apud Lantuſcam *in Supplem. verb. Privilegium*.

1195 Inter. 8. Confeſſarius, qui ob immaturam ætatem, vel juvenilem aſpectum, ſolùm approbatus fuit ad Confeſſiones Virorum audiendas, poteſtne tempore Iubilæi Mulierum Cōfeſſiones excipere, ſi ab illis eligatur?

Reſp. Bonac. *tom.* 1. *tract. de Sacr. pœnit. diſp.* 5. *qu.* 7. *pun.* 4. §. 1. *n.* 22. docet probabiliter eligi poſſe, & conſequenter, quòd ipſe Confeſſarius eas audire queat, & abſolvere à peccatis &c. idē tenet Diana *par.* 3. *tr.* 2. *reſ.* 93. & alii, aſſerentes dictum Confeſſariū, ſi à fœminis fuerit electus, validè, ac licitè poſſe ipſarum Mulierum Confeſſiones excipere: tamen non ſine fundamento dubitat Bordonus *tom.* 2. *var. reſ.* 70. *num.* 11. Imò abſolutè aſſerit, quòd ſi talis Confeſſarius ſit Regularis, nullatenus poſſit contrà voluntatem ſui Superioris id facere; At hoc ego puto verum de omni Confeſſario, *ut dixi in tit.* 42. *de Confeſ. ad quæſ.* 3.

1196 Inter. 9. Cujus tempore Iubilæi ex oblivione inculpabili omittit confiteri aliquod peccatum reſervatum, poteſtne tranſacto Iubilæo à quocumque ſimplici Confeſſario abſolvi?

Reſp. Dico quòd ſic, ratio eſt, quia Confeſſarius cenſetur hic, & nunc velle pœnitentem abſolvere, quantum licitè poteſt, & Pœnitens indiget, & conſequenter reſervationem tollit, & Pœnitens ideò accedit ad Confeſſarium, ut quantum fieri poteſt à peccatis omnibus liberetur, & ſi recordaretur ſe eſſe reſervatis obſtrictum, omnino confiteretur, & abſolutionem peteret. Sanchez *de Matrim. tom.* 2. *lib.* 8. *diſp.* 15. *n.* 21. Portellus, & alii teſte Diana *par.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 145. Idē docet Potitus de Ioris *in tract. de Iubilæo Romano par.* 5. *num.* 13. ubi alios concordantes adducit. Vide etiam Bonacin. *de Sacr. diſp.* 5. *quæſt.* 7. *pun.* 5. §. 5. *à num.* 8.

1197 Inter. 10. Socrates habet votum non reſervatum, ſed noluit tempore Iubilæi illud pro tunc ſibi commutari, ſed tranſacto Iubilæo mutato animo petit illius commutationem, poteſtne quivis Confeſſarius illud ei commutare?

Reſp. Licèt Socrates non poſſit uti facultate, ut abſolvatur à reſervatis, niſi de oblitis tranſacto Iubilæo, ut docent DD. communiter, tamen finito Iubilæo licitè poteſt illius commutationem petere, & conſequenter quilibet Confeſſarius eam ſibi præſtare valet, nam pœnitens per confeſſionem factam tempore Iubilæi jus acquiſivit, ut poſſit poſtea dictum votum commutare. Ità Portellus *in dub. Regul. verb. Indulgentia pro Iubilæo num.* 18. Boſſius *de Iubilæo ſect.* 2. *caſ.* 74. qui-

Digitized by Google

bas ſubſcribit Diana *par.* 5. *tract.* 12. *reſ.* 40. & idem docent Fauſtus, Sanctarell. Moronus, Cobat, quos refert, & ſequitur Paſqualig. *de Jubil. q.* 332.

1198 Inter. 11. Poſſuntne tempore Jubilæi commutari vota extrà Sacramentum Confeſſionis?

Reſp. Pluribus relatis affirmativè reſpõdet Bon. *de pr. dec. diſp.* 4. *q.* 2. *p.* 7. §. 3. *n.* 16. & hãc aſſignat rationẽ, nẽpè, quia nullo jure præſcribitur Commutationem fieri debere in ipſa Confeſſione, nam hujuſmodi commutatio non eſt materia neceſſaria cõfeſſionis, & ad argumẽta in contrariũ ſatis reſpõdet. Vide igitur quæ dixi ſupra *ad Int.* 18. *tit.* 42. *de Confeſſar.* & Dianam *par.* 3. *tr.* 2. *reſ.* 9. *in fin.*

1199 Inter. 12. Vota commutata vigore Jubilæi, reviviſcuntne, ſi poſtea vovens conſultò, & deliberata voluntate prætermittit opera in Jubilæo præſcripta, & illud non conſequitur?

Reſp Nonnulli dicunt reviviſcere: ſed oppoſitum puto probabilius, quia Sũmus Pontifex in Jubilæo hoc non dicit, ſed abſolutè Confeſſariis poteſtatem tribuit abſolvendi à reſervatis, & commutandi vota; conſequenter cum ſemel legitimè facta fuerit commutatio, abſurdum eſt dicere, poſtea reviviſcere votum, quod jam per commutationem fuit extinctum. Suarez *de Relig. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 16. *num.* 10. Sanch. *in Summ. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 55. *num.* 49. Bonac. *de Præc. decal. diſp.* 4. *qu.* 2. *pun.* 7. §. 3. *num.* 18. Rodriquez, Nald. Filliucius, & alii, quos refert, & ſequitur Diana *par.* 2. *tr.* 16. *reſol.* 10. Emman. Sà *verb. Abſolutio num.* 18.

1200 Inter. 13. Qui voti commutationem accipit vigore alicujus Jubilæi, peccatne mortaliter, ſi poſtea voluntariè omittit opera Jubilæi, & illud non lucratur?

Reſp. Quidam dicunt peccare mortaliter, quia facit contra intentionem Pontificis in re gravi, qui concedit Jubilæum, & facultatem commutandi vota cum onere ea faciendi, quæ in ipſo Jubilæo præſcribuntur: Sed mihi dicendum videtur non peccare mortaliter, ſi habebat animum præſtandi cætera ad Jubilæum neceſſaria, licèt poſteà mutato animo, ea non præſtet; nam nulli facit injuriam, ſed ſolùm ſibi nocet. Ità ex aliis tenet Bonac. *de Sacr. diſp.* 5. *qu.* 7. *pun.* 5. §. 5. *num.* 18. & melius probat Diana *loco prox. cit. reſ.* 11. cum Sanch. *in Summ. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 55. *num.* 54. & hoc mihi probatur, quia de tali Pontificis intentione non conſtat, & ipſe Pontifex, ſi vellet, poſſet hanc ſuam voluntatem explicare. Unde cum ipſe non explicat, neque nos explicare debemus. Probo inſuper, quia pœnitens nihil promiſit, nec obligationem aliquam illi impoſuit Confeſſarius, nec Jubilæum talem obligationem petit, undè videtur ſufficere propoſitum bona fide factum exequendi opera in Jubilæo præſcripta.

Quær. 1. An virtute Jubilæi poſſit Confeſſarius abſolvere à caſibus Papæ reſervatis, etiam in Bulla Cœnæ, & an poſſit ab hæreſi occulta abſolvere pœnitentem, ſi in Jubilæo generaliter concedatur facultas abſolvendi à caſibus in Bulla cœnæ contentis?

Reſp. Caſus qui continentur in Bulla cœnæ, ſunt ſpecialis notæ digni, cum habeant ſpecialem quamdam gravitatem, ob quam haud veriſimile eſt, velle Pontificem maximum illos concedere, niſi in Jubilæo de illis expreſſam faciat mentionem, nam in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſt veriſimiliter conceſſurus in ſpecie, ut habet *reg.* 18. *juris in* 6. Et hæc eſt Doctorum communis ſententia, teſte Diana *par.* 5. *tr.* 12. *reſ.* 34. Idem pariter dicendum eſt ob eamdem rationem de abſolutione ab hæreſi; Si enim in Jubilæo concedatur facultas abſolvendi ab omnibus caſibus, etiam in Bulla Cœnæ, Papæ reſerva-

ſervatis, adhuc ab hæreſi non poteſt Confeſſarius pœnitentem abſolvere, quia talis caſus eſt ſpecialiſſimus, & niſi exprimatur, non cenſetur conceſſus, prout obſervat ſtylus hujus Curiæ Romanæ, & ità declaratum fuiſſe à Gregorio XIII. plures teſtantur Auctores, quos refert, & ſequitur Diana *par.* 1. *tr.* 5. *reſ.* 1. quidquid aliqui apud ipſum in contrarium dicant, & præſertim noviſſimè P. Rotarius *in Appar. Theol. moral. par.* 1. *cap.* 2. *ſect.* 2. *num.* 5. Sed noſtram ſententiam ſequitur etiam Lezana, qui alios concordantes adducit; Immò ex Azorio *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 10. *qu.* 12. vocat eam veram, & conformem uſui, ac ſtylo hujus Romanæ Curiæ, quare omninò ſequenda eſt in praxi. Vide Lezanam *tom.* 3. *verb. caſus reſerv. n.* 28. Emm. Sà *verb. Abſolutio in fin. & verb. Hæreſis itidem in fine in annotat.* Andreæ Victorelli, & alios apud ipſos. Et tandem id notat etiam P. Campionus *in Inſtruct. Ordinan. cap.* 40. *ſub num.* 39. *in fin.* & ita declaraſſe Alex. VII. optimè advertit, & huic noſtræ ſententię perdoctè favet.

TITULUS CXXVII.

De Judicibus.

Vide tit. de Cler. &c. Inter. 5. 6. 7. 8. 9. 10. *& ad qu.* 4. *tit. de Eccleſ. Immun. Inter.* 41. 55. *tit. de Eccleſiis ad quæſ. tit. de Gabel. inter.* 4. *tit. de Homicid. Inter.* 6. *tit. de Infam. Inter. ult. tit. de Injuſt. Inter.* 2. *tit. de Irreg. Int.* 20. *& ad quæſ.* 1. *tit. de Litt. & Scrip. Inter. ult. tit. de Mutil Membr. Int.* 2. *tit. de Opin. Inter.* 10. *tit. de Pœn. Inter.* 5. *tit. de Præl. Reg. Inter.* 28. *tit de Privil. &c. Inter.* 11. *tit. de Regul. &c. Inter.* 53. *tit. de Reis. mort. tit. de Reſt. accep. Inter.* 8. *tit. de Reſt. Da. Inter.* 19. *tit. de ſponſal. Inter.* 4. *tit. de Teſtib. Inter.* 7. 10. 12. *tit. de Viſit. Inter.* 6.

1201 INrer. 1. Poteſtne quilibet Judicem recuſare?

Reſp. Inquiſitus quidem poteſt recuſare Judicem, ſi habeat illum ſuſpectum, puta quià ex odii fine procedat, vel quià eſt crimino ſus. *cap. cum ſpeciali de appellat.* & docet Sylveſter *verb. Appellatio.* Unde quando Judex, ſive Laicus, ſive Eccleſiaſticus, ac etiam Regularis, valdè ſuſpectus crederetur, exceſſuruſq; ob paſſionem, poſſet recuſari, ſicut in hoc caſu poteſt ab eo appellari: ſed hæc recuſatio non admittitur, niſi quando manifeſta eſt cauſa ſuſpicionis, ut bene notat Sanchez *in Summ. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 8. 3. Item ſi Judex non eſt in legibus Canonicis peritus, aut veri, recti, & æqui amator, poteſt recuſari, ut docet idem Sylveſt. *verb. Recuſare.* Judex autem delegatus poteſt recuſari, ſi eſt conſanguineus adverſarii, ſi commenſalis, ſi oriundus de ejus Terra, ideſt de diſtrictu, ſi ad eum acceſſus haberi non poſſit, niſi per Terras inimicorum, ſi loquatur in aure, & familiariter cum adverſario, ſi in alia cauſa litigavit cum eo, ſi eſt imperitus, vel habet aſſeſſorem ſuſpectum. Ità docet Panor. quem refert, & ſequitur Sylveſter *verb. recuſare num.* 1. Goffredus *in Summa tit. de appellat. num.* 19. *& ſeqq.* Peyrinus *de ſubdito c* 19. *n.* 2. Lezana *tom.* 2. *verb. Judex, & Judicium num.* 12. & latè Pax Jordanus *tom.* 3. *lib.* 3. *tit.* 4. *num.* 66. *& ſeqq.* Et nota quòd iſta quatuor. *Timor, odium, dilectio, cenſus, ſæpè ſolent rectos hominum pervertere ſenſus*, ut habet Gloſ. *in cap. cum. cæteri de ſent. & re judicata.*

1202 Inter. 2. Si Laicus, ſive ſæcularis delinquat ſimul cum Clerico, à quo Judice debet puniri?

Reſp. Dico, quòd non poteſt puniri a Judice laico, ſed à Iudice Eccleſiaſtico, quia cum Index Eccleſiaſticus dignior ſit laico, ad ipſum pertinebit in hoc caſu, Reum judicare. Ità docent Layman *lib.* 4. *tract.* 9. *c.* 4. *num.* 10. Tamburrinus *de Jure Abb. tom.* 1. *diſp.* 15. *quæſt.* 19. *num.* 31. Immò

Scaccia *in lib.* 1. *de Judic. cauſarum c.* 11. *num.* 24. aſſerit ita fuiſſe deciſum anno 1591. à Sac. Congregat. die 10. Decembris, dum reſcripſit D. Pompejo de Amatis tunc temporis Commiſſario Civitatis Tuſculanæ, ut tam Clericos, quàm Laicos inquiſitos de violentia illata cuidam mulieri remitteret ad Iudicem Eccleſiaſticum; Et benè quidem, nam magis dignum trahit ad ſe minus dignum, ut rectè probat Diana. *par.* 3. *tract.* 1. *reſ.* 1. & *par.* 4. *tract.* 1. *reſ.* 7. qui pro hac ſententia plures Doctores refert, & oppoſitum ſentientes luculenter retundit.

1203 Inter. 3. Ad quem Iudicem pertinet cognitio fractionis Sigilli Confeſſionis?

Reſp. Ut plurimum pertinet ad Epiſcopum, ſeù Ordinarium, cui ſubjectus eſt Confeſſarius. Si verò hoc crimen eſt conjunctum cum hæreſi; itàut Confeſſarius defendat, licitam eſſe revelationem hujus ſigilli, aut malè ſentiat de Sacramentis Eccleſiæ, eſt hæreticus, ideò ut talis ejus cognitio pertineret ad Sanctum Officium, ut docent Bonac. *de Sacr. diſp.* 5. *quæſt.* 5. *pun.* 1. *num.* 6. Diana *par.* 4. *tract.* 8. *reſ.* 95. & alii communiter. Vide, quæ dicam ego *in tit.* 204. *de ſigillo Confeſſionis, ad Inter.* 19.

1204 Inter. 4. In quo caſu ſententia contra aliquem lata à Iudice nulla cenſetur? & quomodo Iudex debet procedere quando quis eſt infamatus de aliquo delicto?

Reſp. Quando eſt à Iudice non competente lata, aut quando quis non eſt de aliqua culpa accuſatus, vel denunciatus, vel niſi adſint indicia ſufficientia, & prætereà ſi certior non ſit factus, & citatus ad Iudicium, ſententia contra eum lata non tenet, & nulla cenſetur, quià contra non citatum, aut legitimè auditum eſt ipſo jure nulla, ut habetur *ex cap. Nos in quemquam* 2. *quæſt.* 5. Unde ſine accuſatione, vel denunciatione, vel alia via, quibus eis æquippollet, nemo juſtè, & validè damnari poteſt, ut clamant Iura, *cap. ſuper his*, & *qualiter*, & *quando de accuſationibus*. Imò benè docet Lezana *verb. Judex num.* 6. (ex Sanchez *tom.* 2. *conſil. lib.* 6. *cap.* 8. *dub.* 1. *num.* 5.) non ſtatim quòd denuncians, vel accuſans dicit eſſe infamiam de delicto, debere Prælatum procedere via inquiſitionis ſpecialis: ſed debet inquirere, apud quos ſit hæc infamia, & unde ortũ habuerit, & ſi videat eſſe apud paucos, & leves, & levi fundamento, præcipuè de perſona, quæ fuerit claræ, & bonæ famæ, non ſic procedat; ſecùs ſi infamia ſit apud graves, & bonos, pluresque viros, quia fama apud tales cum ſuſpicionibus violentis ſecundum conditionẽ perſonæ, de qua agitur, facit aliquã probationem. Et hæc doctrina eſt Sylveſtri *verb. Inquiſitio* 2. *dicto* 5. Vide *infrà in tit.* 175. *de Prælatis Regular. ad Inter.* 28. & *ſeq. Quæſ.*

Quær. An Iudex licitè punire valeat eum, qui ex publica voce, & fama, aut ex præſumptionibus, vel indiciis probatur aliquod grave crimen commiſiſſe. Et quid dicendum ſit de Inquiſitoribus?

Reſp. Dico primò quòd ſi fama probetur ſolùm ex voce Populi, non probata aliqua præſumptione, ex qua dicta fama, & opinio trahat originem Tunc fama non probat, ſed magis dicitur vana vox Populi. Dico ſecundò quòd ſi publica fama, & clamoroſa inſinuatio à fide dignis procedat, ſolùm incitat Iudicẽ ad inquirendum, itaut ſi procedat à viris honeſtis, non autem à malevolis, & maleficis, non ſemel, ſed pluries, inquiſitio à Iudice licitè fieri poteſt; Sed Teſtes deponentes de fama, ad minus duo eſſe debent ſpectatæ vitæ, & omni exceptione majores, ut ex aliis docet Miranda *de Ord. Judic. tom.* 2. *quæſt.* 26. *art.* 5. *concluſ.* 2. Inſuper probare debent

Digitized by Google

bent omninò, quòd fama ſit orta non à malevolis, ſed ab honeſtis, & fide dignis; Requiritur igitur quòd fama per Teſtes idoneos probata ſit, nec ſat eſt, quòd Teſtes dicant hanc eſſe publicam famam, ſed debent reddere rationem eorum dicti, etiam non interrogati, ac etiàm debent exprimere Cauſas, indicia, & conjecturas, quibus orta eſt fama, alitèr non probant, & ità inter alios docet idem Miranda *de probat. lib. 2. concluſ. 149. num. 11. 12. & 13. & lib. 3. concluſ. 1369. num. 8.* Sylveſt. *in verb. Inquiſitio 1. quæſt. 4. & 11.* Alia verò requiſita ad probationem famæ videnda relinquo apud Farinac. *quæſt. 37. uſque ad num. 277. Vide ſuprà in hoc tit. de Judiciis, ad Inter. ult. & infrà in tit. 175. de Præl. Regul. ad Inter. 28.* Quandò verò fama probatur trahere originem ex aliquibus præſumptionibus legitimis præcedentibus, tunc facit probationem plenam, puta in Cauſis brevioribus, vel modici præjudicii, non autèm in aliis; Nàm licèt præſumptio, quæ deſumitur ex conjecturis ſit fortiſſima, ut tradunt Soccinus Iunior, Decius, Pariſius, Menocchius, quos dat, & ſequitur Marcus Paulus Leo *in praxi ad litt. M. Pœnit. fol. 59.* tamèn conjecturæ, ex quibus arguendus eſt dolus, adeò debent eſſe perſpicuæ, ut non niſi in malam partem capi poſſint. Paulus de Caſtro *in lege dolum. C. de dolo.* Maſcard. *de probat. lib. 1. concl. 130. verb. dolus num. 70.* Quarè ſi quis prætendat ex præſumptionibus inditiare e. g. Titium, attamen quando etiam illæ eſſent magni ponderis, & valdè urgentes, nihilominus evitari non poſſet Regula, quæ habet neminem ex præſumptionibus, ordinariâ poſſe damnari pœna. Cæpolla *conſ. 27. num. 12.* Sequitur Guazzinus *in defen. Reorum 33. cap. 10. num. 4.* Nàm probatio per præſumptiones, & conjecturas, non dicitur vera probatio: Omnis enim probatio debet eſſe concludens, & plena, ac dè plena, & concludenti intelliguntur Iura, probationem requirentia. Sperellus *Deciſ. for. Eccleſ. deciſ. 101. num. 23. & ſequen.* Unde pœna ordinaria nemo puniri poteſt, niſi probationes contrà ipſum ſint luce meridiana clariores, præſertim in Cauſis Criminalibus magni ponderis. Scriptura verò privata Epiſtolæ, quâ quis ſuum delictum fatetur, ſufficit ad plenam probationem, dummodò in judicio à reo ſcriptore recognoſcatur. Rodericus poſt alios *in compendio qq. Regal. Reſol. 42. num. 24.*

Reus autem de crimine vehementer præſumptus, & veritatem nolens recognoſcere, poteſt poni ad quæſtiones, ideſt ad tormenta, quod ſi adhuc in tormentis non cofiteatur delictum, abſolvendus eſt, nàm tunc dicitur indicia purgaſſe, & quaſi oblitteraſſe. Suarez *de Relig. lib. 10. cap. 12. num. 12.* Sed ſi confitetur delictum, opus eſt, ut ratificet confeſſionem illius extrà tormenta, quia confeſſio facta in tormentis fragilis eſt, & incerta, ut docet Franciſcus Arerenus *in pract. crim. cap. 12. de Confeſſione per torturam.* Sed totum intelligendum eſt de delictis atrocioribus, & graviſſimis, quibus pœna mortis, mutilationis, vel triremium applicatur. Si enim delictum non eſt atrocius, vel capitale, quòd pœna mortis, mutilationis, aut triremium puniri nequeat, tunc Judex debet Reum mitiori pœna punire, quàm ſi ejus delictum plenè probatum eſſet, & condemnandus ad illam; nam dum Iudex ex præſumptione procedit, debet multum temperare ſententiam, ut notatur *in cap. Afferre de præſumpt.* Nullo modo tamen eſt à quæſtionibus inchoandum, & quæſtiones circa Clericos omninò moderatæ eſſe debent, propter periculum excommunicationis, ac etiam quia judicium peſſimum eſt, quod ex ſuſpicione, vel extorta Confeſſione fit, ut *in cap. Si Sacerdotibus 6. q. 6.* Hic autem notandum eſt, quòd judiciũ quatuor præſertim modis perverti poteſt à Judice ſcilicèt ti-

more,

more, cupiditate, odio, & amore. *cap. Quatuor* 11. *q.* 3. Nam iſta quatuor, timor. odium, dilectio, cenſus, ſæpè ſolent rectos hominum pervertere ſenſus, ut habet *Gloſa in cap. cum cæteri de Senten. & re judicata*. Cætera, quæ ad forum externū pertinent, Juriſtis relinquo; Ego enim more meo brevitate ſtudeo, & ad inſtruendas conſcientias ſcribo majori, qua poſſum facilitati, & brevitate, ideò vide Sylv. *verb. inquiſitio* 1. Lezanam *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 27. *per totum, & tom.* 3. *verb. Judex, & Judicium item per tot.* An verò Inquiſitores ex indiciis, & præſumptionibus indubitatis poſſint punire Reum pœna ordinaria? Vide Dianam *par.* 4. *tract*, 8. *reſ.* 116. qui affirmativè reſpondet, & hoc eſt verum etiam de crimine Simoniæ, ut habetur *in cap. Sicut de Simon*; & de crimine hæreſis, habetur *ex cap. cum contumacia de hæret. in* 6. Vide Armillam *verb. probatio nu.* 7.

TITULUS CXXVIII.

De Judiciis temerariis, & Suſpicionibus.

Vide tit. de Differ. Int. 12.

1205 INter. 1. Judicium temerarium, & ſuſpicio, eſtne peccatum mortale?

Reſp. Si Judicium temerarium non conſiſtit in dubitatione, ſed in certa æſtimatione, & materia eſt gravis, ſemper eſt peccatum mortale, ſecus erit veniale, ſi materia eſt levis Ità etiam judicium temerarium oriēs ex ſuſpicione poteſt eſſe peccatum mortale in materia gravi, niſi oriatur ex indiciis probabilibus; nam judicare juxta indicia probabilia non eſt culpa ſaltem gravis, ſi prudenter feratur judicium, & cum formidine de parte oppoſita, quia indicia probabilia non poſſunt cauſare certam æſtimationem. Item ſuſpicio aliquando poteſt eſſe peccatum mortale, ſi fiat de perſona habente nomen ſanctitatis, & ſuſpicio eſſet de re gravi. Vide S. Thom. 2. 2. *qu.* 60. *art.* 3. Cajetan. *ibidem*, Bonacinam *tom.* 2. *de Reſtitut. diſp.* 2. *qu.* 7. *pun.* 1. *ſub num.* 4. *verſ. non nego tamen*, Stephanum à Sancto Gregorio *de Reſtitut. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 10. 11. & 12. & alios penès ipſos. Vide etiam Dianam *par.* 3. *tr.* 5. *reſ.* 31. ubi pluribus citatis docet, ſuſpicionem etiam de re gravi, ſi non habet aſſenſum firmum nunquam eſſe peccatum mortale, quia licèt ſuſpicio uni parti magis adhæreat, non tamen id fit, niſi inchoatè, atque non ſine formidine de oppoſito, quæ ratio mihi valdè probatur. Vide *ſeq. Reſp.* & Emm. Sà. *verb. Judicium temerarium num.* 1.

1206 Inter. 2. Ad hoc ut judicium temerarium committatur cum peccato mortali, quid requiritur?

Reſp. Primò requiritur, ut efficiatur ſine indiciis ſufficientibus. Secundò, ex plena deliberatione. Tertiò, certò, & ſine ulla formidine, quæ omnia, teſte Diana *loco ſupracit.* rarò ſimul concurrunt in homine, malè de proximo judicante, & præſertim tertium requiſitum, quia multi judicant cum formidine alterius partis, & tunc non eſt judicium temerarium mortale. Itaque dicendum eſt cum cōmuni Doctorum ſententia, quòd tunc committitur judicium temerarium mortale, quando quis judicat firmiter, & deliberatè de aliquo gravi malo proximi abſque ſufficienti fundamento, & indiciis, ſeù conjecturis, & abſque rationabili cauſa, atque etiam qui id tenet, quaſi pro certo. Ità pluribus relatis firmat Bonac. *tom.* 2. *de reſtit. diſp.* 2. *qu.* 7. *pun.* 1. *num.* 4. *& ſeqq.* Vide Emm. Sà. *verb. Judicium temerarium*, & ibi Victorellus plura congerit ad intentum. Vide etiam Armillam *verb. Judicium num.* 8.

1207 Inter. 3. Peccatne mortaliter qui

qui dubitat de aliqua actione proximi, & illam in malam partem interpretatur?

Reſp. Dubium circa malum proximi ſemper eſt interpretandum in bonam partem, niſi contrarium conſtet, alioquin erit peccatum mortale, ſi materia erit gravis, quia qui habet malã opinionem de proximo ſuo, facit ei injuriam; nullus enim debet alteri injuriam inferre abſque cogente cauſa. Hæc ſententia eſt D. Thomæ 2.2.*q.*60. *art.* 4. & ibi Cajetanus, Bannes, Salonius, Aragonius, & alii. Vide Azorium *3. par. lib.* 13. *cap.* 11. *dub.* 5. Leſſium *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 4. Molin. *tom.* 4. *diſp.* 17. & confirmatur ex communi dicto Doctorum: *In dubio non eſt præſumendum delictum*: & habetur *ex l. meritò ff. pro ſocio*. Itaque tenemur dubia circa actiones proximi in potiorem, & meliorem partem interpretari; ſcilicet putare noſtrum proximum non fuiſſe auctorem criminis, vel peccati, & non eſſe virum improbum, ideſt non commiſiſſe tale malum, &c. niſi contrarium nobis conſtet; Nam quilibet habet jus, ne contra ipſum alii malum opinentur, quia ſemper præſumitur bonus, niſi probetur malus. Unde notanda ſunt verba S. Thomæ *loco cit.* qui ad 3. ſic inquit: *Dicendum quòd interpretari aliquid in deteriorem, vel meliorem partem, contingit dupliciter, uno modo per quamdam ſuppoſitionem, & ſic cum debemus aliquibus malis adhibere remediū, ſive noſtris, ſive alienis, expedit ad hoc, ut ſecurius remedium apponatur, quod ſupponatur id, quod eſt deterius, quia remedium, quod eſt efficax contra majus malum, multò magis eſt efficax contra minus malum. Alio modo interpretamur aliquid in bonum, vel malum difiniendo, ſive determinando; & ſic in rerum judicio debet aliquis niti, ad hoc, ut interpretetur unum, quodque ſecundum quod eſt. In judicio autem perſonarum, ut interpretetur in melius, ſicut dictum eſt.* Vide Armillam *verb. Dubitatio, ſub n.* 1.

1208 Inter. 4. Peccatne mortaliter qui malè ſuſpicatur de proximo, vel dubitat, & ſuam ſuſpicionem, vel dubium aliis manifeſtat?

Reſp. Sicuti mortaliter peccat, qui delictum alterius verum, ſed occultum, alteri manifeſtat, ità qui malè de alio ſuſpicatur, vel dubitat cum ſufficienti fundamento, & ſuam opinionem, vel judicium alteri manifeſtat, quia bonam proximi opinionem aufert, & lædit illius famam; Secus tamen eſſet, quando in aliquo caſu non læditur notabiliter bona proximi opinio, vel quia res eſt manifeſta, & alii idem judicium faciunt, vel ad aliquē honeſtum finem manifeſtatur, modò non augeatur ſuſpicio, & mala opinio apud audientes. Bonacina *de Reſtit. diſp.* 2. *qu.* 7. *pun.* 1. *num.* 9. Stephan. à S. Gregorio *lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 17. & Emm. Sà. *verb. Judicium temerarium*. Vide Armillam *verb. Suſpicio*.

TITULUS CXXIX.

De Juramenuo.

Vide tit. de Carc. Int. 2. *tit. de Conſuet. Int.* 4. 5. 6. *tit. de Defenſ. vi. prop. Int.* 2. *tit. de Epiſcopat. &c. Inter.* 40. *tit. de Hæres &c. Int.* 11. *tit. de Infam. Int.* 2. *tit. de Inim. Int. ult. tit. de Intent. Int.* 4. *tit. de morib. Int.* 8. *tit. de Par. mat. Int.* 6. 7. 15. *de Pec. Int.* 20. 21. *tit. de Regul. &c. Int.* 26. *tit. de Sac. Matr. Int.* 14. *tit. de Teſtib. &. Int.* 3. *tit. de Val. ſponſal. Int.* 1. *tit. de Uſura &c, Int.* 21.

1209 INter. 1. Quid eſt Juramentum?

Reſp. Juramentum eſt Invocatio Divini Teſtimonii in confirmationem alicujus dicti. Ità DD. communiter.

1210 Inter. 2. Quotuplex eſt Juramētum, & ejus ſpecies?

Reſp. Quatuor ſunt ſpecies Juramenti. Eſt enim juramentum aſſertorium.

rium, Promiſſorium, Comminatorium, & Execratorium. Aſſertorium, quando affirmatur, aut negatur aliquid præſens, aut præteritum, ut ſi dicatur: per Deum, iſte occidit hominem, vel per Deum non occidit. Promiſſorum in quo futurum affirmatur, vel negatur promittendo, ut faciam hoc per Deum. Comminatorium, in quo promittitur malum pœnæ, ut per Deùm te occidam, caſtigabo te, percutiam te &c. Execratorium denique, in quo ſivè promittendo, ſivè negando, aut aſſerendo, aliquid affirmatur, aut negatur ſibi apponendo pœnam, ut v. g. Deus me deſtruat, niſi hoc ità ſit, aut niſi hoc faciam &c. Vide Toletum *lib.* 4. *cap.* 20. *à num.* 3.

1211 Inter. 3. Quæ, & quot ſunt conditiones, quas debet habere juramentum, ad hoc, ut licitè fiat, & ſine peccato?

Reſp. Tres ſunt conditiones: Veritas, Iuſtitia, & Neceſſitas. Tolet. *eod. lib.* 4. *cap.* 21. *num.* 2. & alii communiter.

1212 Inter. 4. Eſtne peccatum mortale, quando in juramento deſunt dictæ conditiones?

Reſp. Quando deeſt veritas, etiam in re minima eſt peccatum mortale, ſi deſit juſtitia, poteſt eſſe mortale, ſi materia, ſupra quam juratur, mortalis eſt. Si deſit judicium, hoc eſt neceſſitas, vel utilitas, eſt veniale ſi abſit pejerandi periculum, & juramenti contemptus. Tolet. *lib. quarto cap.* 21. *num.* 8. *&* 9.

1213 Inter. 5. Qui ſæpè, dum loquitur dicit, *sì per Dio*, faciene juramentũ?

Reſp. Dicunt aliqui, & probabiliter, quod non, quia ut plurimum dicitur ſine animo jurandi, tamen eſt magna reprehenſione dignus.

1214 Inter. 6. Peccarne, qui ex juſta cauſa jurat alio ſenſu, quàm alter intelligat?

Reſp. Non ſemper peccat, quia licet æquivocè jurare, quando Iuramentum exigitur indebitè, vel iniuſtè, ut v. g. Si quis exigat juramentum, qui jus non habet, ut Iudex incompetens, vel ſi non ſervet ordinem juris, vel ſi exigatur per vim, metum, injuriam &c. ut ſi Maritus exigat juramentum ab uxore adultera, an adulterium admiſerit, dum eſt occultum: Unde quoties quis injuſtè cogitur ad jurandum, vel habet juſtam cauſam celandi veritatem, poteſt uti verbis æquivocis. Buſenb. *lib.* 3. *tract.* 2. *dub.* 4. *n.* 4. Alloza *in Floſ. Sum. verb. Iurament. ſect.* 2. *num.* 28. qui teſtatur de communi. Bonac. *de Præcep. Decal. diſp.* 4. *quæſt.* 1. *pun.* 12. *num.* 4. *& ſeqq.* Vide etiam Dianam *par.* 2. *tract.* 1. Miſcel. *reſ.* 25. *& par.* 3. *tr.* 6. *reſ.* 30. qui plures caſus particulares decidit. Nam, qui ex hujuſmodi approbatis æquivocis decipitur, ſuæ debet imperitiæ, vel importunitati imputare, qua alterum urget dicere, quod dicere non tenetur, nam utitur jure ſuo ad celandum animi ſui arcana, & ſic deceptio dicitur potius accepta, quàm data. Parpera *in Indice copioſ. par.* 4. *c.* 35. *n.* 7. qui rectè agit de reſtrictione mentali, æquivocis, & amphibologiis, & quomodo, ac quando æquivocis licitè uti poſſumus etiam poſt propoſitiones illas damnatas ab Innocent. XI. Itaque concludendum eſt, quod quoties quis habet juſtam cauſam celandi veritatẽ, & occultat eam mediante aliqua æquivocatione, verum jurat ſecundũ ſenſum verborum, & nulla irreverentia fit juramento, & conſequenter non peccat, nec eſt periurus. Verùm ſi juramentum juſtè exigatur ab eo, qui juramentum præſtare valet, non dicitur juſtã habere cauſam utendi æquivocatione, ideoque peccat mortaliter, quia ſi non facit mendacium, *ſaltem* committit perjurium. Ille verò, qui ſpontè jurat, tenetur uti vocabulis ſecundum communem ſignificationem, eo quod non habet cauſam æquivocandi. Tolet. *lib.* 4. *c.* 21. per totum. Tandem homo privatus peccat mortaliter ſi cogat ad jurandum, quem ſcit falsũ juraturum. Sylveſt. *verb. Lex num.* 13.

Sà

Sà *verb.* Juramentum *in fine*. Secus verò dicendum eſt de Judice. Vide, quæ dicam *in titulo* 181. *de Reis Mortis ad Int.* 1.

1215 Inter. 7. Sempronius promiſit Cajo cum juramento ſe empturum ejus domum, quam credebat eſſe bonam, ſed poſtea invenit eam vitioſam in fundamentis, teneturnè Sempronius ſtare juramento?

Reſp. Nequaquam: quia quoties intercedit error, aut dolus circa ſubſtantiam, vel ſaltem circa cauſam finalem, non cenſetur quis voluiſſe jurare, ſi dolum cognoviſſet; ultra quòd cenſetur juraſſe ſub conditione; ſcilicèt ſi bona eſſet domus. Vide Bonac. *de præcept. decal. diſp.* 4. *qu.* 1. *pun.* 7. *num.* 4. & 5. Navar. *c.* 12. *ſub nu.* 13. Em. Sà *verb. Juramentum num.* 9. & alios apud eundem Bonac.

1216 Inter. 8. Titius cum juramento promittit Bertæ diviti, ſanæ, virgini, & bonæ famæ velle ipſam in uxorem ducere, teneturne Titius ſtare Juramento, ſi Berta incidat in infirmitatem incurabilem, aut in paupertatem, aut in fornicationem?

Reſp. Non tenetur ſtare promiſſioni, nec eam vi juramenti ducere, nam juramentum habet eā tacitam conditionem, quam habent ſponſalia; vel promiſſio futuri matrimonii; ſed promiſſio matrimonii non obligat, quando res ſunt ità mutatæ (Intelligo de notabili mutatione,) ut ſi cogitaſſet in futurum, non promiſiſſet, ergò neque juramentum obligare poterit. Ità ex communi docet Bonac. *ubi ſup. diſp.* 4. *quæſt.* 1. *pun.* 16. *num.* 2. Vide iterum Bonac. *diſp.* 4. *q.* 2. *pun.* 7. §. 1. *nu.* 7.

1217 Inter. 9. Qui jurat ſe facturum rē indiferentem, quam melius eſt non facere, quàm facere, teneturne adimplere, quod juravit?

Reſp. Non tenetur: quia juramenmentum de re indifferenti, aut melioris boni impeditiva, non obligat. Em. Sà *verb. Juramentum num.* 10.

1218 Inter. 10. Quidam juravit ſe non mutuaturum alicui aliquid, vel numquam fide juſſurum: peccatne non adimplendo tale juramentum?

Reſp. Peccavit venialiter, ità jurando, non tamen debet implere juramentum, nec ullo modo peccat nō implendo; ut rectè docet Tolet. *lib.* 4. *cap.* 22. *ſub num.* 2. & alii plures.

1219 Inter. 11. Qui jurat latroni ſe centum aureos illi daturum, teneturne illos ſolvere, ſi aliàs non debet?

Reſp. Dicunt quidam, juramentum ſervandum eſſe, tum ne Deus videatur adductus in teſtem falſi, tum quia juramentum ſervari poteſt ſine peccato: Dicunt etiam, quod hujuſmodi juramentum poteſt ab Epiſcopo relaxari: & poſt relaxationem poſſit petere ſolutum, & hæc eſt expreſſa doctrina S. Thom. 2. 2. *qu.* 89. *ar.* 7. *ad* 3. Qui autem jurat ſe daturum aliquid ſine propoſito ſeruandi juramentum, ſemper peccat mortaliter, nec in hoc datur parvitas materiæ; mētitur enim, & pejerat, nam qui jurat ſe facturum talem rem, jurat ſe habere propoſitum faciendi, ſi ergo non habet hoc propoſitum faciendi, mentitur, Vide Bonac. *de præcep. decal. diſp.* 4. *queſt.* 1. *pun.* 9. & *de Contr. diſp.* 3. *quæſt.* 1 *pun.* 1. Tamen dico, quod tunc licitè jurare poſſit æquivoce, ſine tamen reſtrictione mentali, cum non teneatur jurare ſecundum mentem, & intentionem Latronis, cum hic non ſit ejus Judex: & conſequenter non peccat, nec eſt perjurus, ſi ei illos centum aureos non ſolvit. Vide Sylveſt. *ver. Juram.* 4. *quæſt.* 7. Navar. *in man. c.* 12. *num.* 15. *prop. fin.* Bonac. *loco ſup. cit. de præc. decal. pun.* 12. *num.* 5. Si verò tunc intellexit verè dare, ſine æquivocatione jurando; tenetur ſub mortali dare poſtea, ut rectè concludit Tolet. *loco cit. ſub num* 1. Vide, quæ dicam *in tit.* 181. *de Reis Mortis, ad Int.* 1.

1220 Inter. 12. Qui propter urbanitatem jurat ſe in primo loco non ſeſſurum, vel primus non ibo, peccatne mortaliter, ſi poſtea non adimplet?

Reſp. Non peccat mortaliter. Ità Cajet. Sotus, Azorius; quos citat, & ſequitur Emm. Sà *verbo Juramentum n. 37. prope finem.*

Caſus reſervati in Bulla Cœnæ Domini.

1. HÆretici cujuſcumque ſectæ, eorumdem fautores, libros legentes, tenentes, aut imprimentes, & ſchiſmatici.
2. Appellantes à Pontifice ad futurum Concilium, eorumque fautores.
3. Piratæ, atque eorum receptatores, & fautores.
4. Naufragorum Chriſtianorum cujuſcumque generis bona, etiam in littoribus inventa, ſurripientes.
5. Imponentes nova pedagia, & gabellas, vel eas augentes:
6. Falſificantes Litteras Apoſtolicas, aut falſo fabricantes.
7. Deferentes arma, & aliâ uſui bellico idonea, ad Turcas, vel alios Chriſtiani nominis inimicos: & ad Reipublicæ Chriſtianæ ſtatum pertinentia iiſdem in damnum Chriſtianorum nunciantes.
8. Impedientes eos, qui victualia, & alia neceſſaria Romam convehunt.
9. Ad Sedem Apoſtolicam venientes; vel ab ea recedentes, ſua, aut aliorum opera lædentes: & ſine juriſdictione vexantes in Curia commorantes.
10. Romipetas, ac peregrinos etiam in Urbe morantes, vel abeuntes, lædentes.
11. Offendentes S. R. E. Cardinales, & alios Prælatos.
12. Apellantes à gravamine, vel futura executione litterarum Apoſtolicarum ad Laicam poteſtatem.
14. Executionem Litt. Apoſt. aut aliarũ expeditionum impedientes, & prohibentes ad gratias impetrandas accedentes.
15. Judices ſæculares, qui Eccleſiaſticas perſonas trahunt ad ſua Tribunalia; quique Eccleſiaſticam libertatem tollunt, aut in aliquo perturbant.
16. Impedientes Prælatos, ne ſua juriſdictione utantur quique illorum, & delegatorum judicia eludentes ad Curiam ſæcularem recurrunt, aut contra illos decernunt, præſtanteſque auxilium.
17. Uſurpantes Sedis Apoſtolicæ, & quarumcumque Eccleſiarum juriſdictiones, vel etiam fructus ſequeſtrantes.
18. Imponentes decimas, & alia onera perſonis Eccleſiaſticis, Eccleſiis, Monaſteriis, aut eorum fructibus.
19. Judices ſæculares, qui ſe interponunt in cauſis capitalibus, ſeù criminalibus contra Eccleſiaſticas perſonas.
20. Occupantes bona, aut terras Eccleſiæ Romanæ, & illius juriſdictionem uſurpantes.

Finis hujus Primi Tomi.

IN-

I N D E X

Locuples rerum notabilium , quæ in hoc primo Tomo attinguntur.

Prior numerus indicat paginam ; Secundus verò numerum marginalem .

A

A B B A T E S.

ABBATIBUS *Regularibus habentibus jura Epiſcopalia , conferentibus primam tonſuram , & ordines minores Regularibus alterius inſtituti , Statuuntur Pœnæ .* 1. *ſub num.* 1.

Non eſt neceſſarium , quod hi ſint benedicti . Ibidem .

Abbas ligatus aliqua cenſura fit irregularis, conferendo minores Ordines. 285. 857.

Eſt ſpeciale Privilegium pro Abbatibus Congreg. Caſſinenſis ſe ingerendi in illis benedictionibus, in quibus ſacra unctio requiritur . 2. 2.

Abbatiſſa , ſeù Prioriſſa .

Monialis , ut eligi poſſit in Abbatiſſam , ſeù Prioriſſam debet eſſe quadraginta annorum ætatis, & octo poſt expreſſam Profeſſionem. 2. 92.

Quadraginta anni debēt eſſe completi. Ibid.

Defectus dictarum conditionum ex deciſione Sac. Congreg. reddit electionem nullam . Ibidem .

Si bis quali atibus non reperiatur , poteſt eligi cū Ordinarii licentia una ex iis, quæ annum trigeſimum exceſſerit, & quinque ſaltem annos profeſſionis habuerit . Ibidem .

Monialis, quæ non eſt de legitimo thoro nata , non poteſt eligi in Abbatiſſam , vel Prioriſſam, abſque diſpenſatione Papæ , ſecluſis Religionum privilegiis : ſed Generales, & Provinciales ordinum mendicantium poſſunt diſpenſare cum Monialibus ſibi ſubditis , ut non obſtante hoc vitio poſſint eſſe Abbatiſſę , vel Prioriſſę. 364. 1076.

Nequit diſpenſare in votis Monialiū. 2. 4. *& pag.* 5. *quæſ.*

Non eſt veluti Pater , vel Mater . pag. 5. *quæſ.*

Non minorem poteſtatem habet, quàm Mater tutrix Inpuberum. 2. 4.

Ejus poteſtas in Moniales eſt ſimpliciter ſpiritualis. pag. 5. *quæſ.*

Tantùm ex cauſa , quam Vir prudens ſufficientem exiſtimaverit , poteſt pro ratione adminiſtrationis donationes tribuere. 4. 6.

Abjuratio .

Propriè loquendo eſt receſſio ab hæreſi cum Juramento de non redeundo ad illam . 330. 995.

Qui de Hereſi ſuſpectus cogitur per Inquiſitores abjurare de levi, aut de vehementi, nullam Irregularitatem incurrit. p. 410. *quæſ.* 2.

Hhh 2 Abor-

bas ſubſcribit Diana *par. 5. tract. 12. reſ. 40.* & idem docent Fauſtus, Sanctarell. Moronus, Cobat, quos refert, & ſequitur Paſqualig. *de Jubil. q. 332.*

1198 Inter. 11. Poſſuntne tempore Jubilei commutari vota extrà Sacramentum Confeſſionis?

Reſp. Pluribus relatis affirmativè reſpōdet Bon. *de pr. dec. diſp. 4. q. 2. p. 7. §. 3. n. 16.* & hāc aſſignat rationē, nēpè, quia nullo jure præſcribitur Commutationem fieri debere in ipſa Confeſſione, nam hujuſmodi commutatio non eſt materia neceſſaria cōfeſſionis, & ad argumēta in contrariū ſatis reſpōdet. Vide igitur quæ dixi ſupra *ad Int. 18. tit. 42. de Confeſſar.* & Dianam *par. 3. tr. 2. reſ. 9. in fin.*

1199 Inter. 12. Vota commutata vigore Jubilæi, reviviſcuntne, ſi poſtea vovens conſultò, & deliberata voluntate prætermittit opera in Jubilæo præſcripta, & illud non conſequitur?

Reſp Nonnulli dicunt reviviſcere: ſed oppoſitum puto probabilius, quia Sūmus Pontifex in Jubilæo hoc non dicit, ſed abſolutè Confeſſariis poteſtatem tribuit abſolvendi à reſervatis, & commutandi vota; conſequenter cum ſemel legitimè facta fuerit commutatio, abſurdum eſt dicere, poſtea reviviſcere votum, quod jam per commutationem fuit extinctum. Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 6. cap. 16. num. 10.* Sanch. *in Summ. tom. 1. lib. 4. cap. 55. num. 49.* Bonac. *de Præc. decal. diſp. 4. qu. 2. pun. 7. §. 3. num. 18.* Rodriquez, Nald. Filliucius, & alii, quos refert, & ſequitur Diana *par. 2. tr. 16. reſol. 10.* Emman. Sà *verb. Abſolutio num. 18.*

1200 Inter. 13. Qui voti commutationem accipit vigore alicujus Jubilæi, peccatne mortaliter, ſi poſtea voluntariè omittit opera Jubilæi, & illud non lucratur?

Reſp. Quidam dicunt peccare mortaliter, quia facit contra intentionem Pontificis in re gravi, qui concedit Jubilæum, & facultatem commutandi vota cum onere ea faciendi, quæ in ipſo Jubilæo præſcribuntur: Sed mihi dicendum videtur non peccare mortaliter, ſi habebat animum præſtandi cætera ad Jubilæum neceſſaria, licèt poſteà mutato animo, ea non præſtet; nam nulli facit injuriam, ſed ſolùm ſibi nocet. Ità ex aliis tenet Bcnac. *de Sacr. diſp. 5. qu. 7. pun. 5. §. 5. num. 18.* & melius probat Diana *loco prox. cit. reſ. 11.* cum Sanch. *in Summ. tom. 1. lib. 4. cap. 55. num. 54.* & hoc mihi probatur, quia de tali Pontificis intentione non conſtat, & ipſe Pontifex, ſi vellet, poſſet hanc ſuam voluntatem explicare. Unde cum ipſe non explicat, neque nos explicare debemus. Probo inſuper, quia pœnitens nihil promiſit, nec obligationem aliquam illi impoſuit Confeſſarius, nec Jubilæum talem obligationem petit, undè videtur ſufficere propoſitum bona fide factum exequendi opera in Jubilæo præſcripta.

Quær. 1. An virtute Jubilæi poſſit Confeſſarius abſolvere à caſibus Papæ reſervatis, etiam in Bulla Cœnæ, & an poſſit ab hæreſi occulta abſolvere pœnitentem, ſi in Jubilæo generaliter concedatur facultas abſolvendi à caſibus in Bulla cœnæ contentis?

Reſp. Caſus qui continentur in Bulla cœnæ, ſunt ſpecialis notæ digni, cum habeant ſpecialem quamdam gravitatem, ob quam haud veriſimile eſt, velle Pontificem maximum illos concedere, niſi in Jubilæo de illis expreſſam faciat mentionem, nam in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſt veriſimiliter conceſſurus in ſpecie, ut habet *reg. 18. juris in 6.* Et hæc eſt Doctorum communis ſententia, teſte Diana *par. 5. tr. 12. reſ. 34.* Idem pariter dicendum eſt ob eamdem rationem de abſolutione ab hæreſi; Si enim in Jubilæo concedatur facultas abſolvendi ab omnibus caſibus, etiam in Bulla Cœnæ, Papæ reſerva-

Digitized by Google

ſervatis, adhuc ab hæreſi non poteſt Confeſſarius pœnitentem abſolvere, quia talis caſus eſt ſpecialiſſimus, & niſi exprimatur, non cenſetur conceſſus, prout obſervat ſtylus hujus Curiæ Romanæ, & ità declaratum fuiſſe à Gregorio XIII. plures teſtantur Auctores, quos refert, & ſequitur Diana *par.* 1. *tr.* 5. *reſ.* 1. quidquid aliqui apud ipſum in contrarium dicant, & præſertim noviſſimè P. Rotarius *in Appar. Theol. moral. par.* 1. *cap.* 2. *ſect.* 2. *num.* 5. Sed noſtram ſententiam ſequitur etiam Lezana, qui alios concordantes adducit; Immò ex Azorio *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 10. *qu.* 12. vocat eam veram, & conformem uſui, ac ſtylo hujus Romanæ Curiæ, quare omninò ſequenda eſt in praxi. Vide Lezanam *tom.* 3. *verb. caſus reſerv. n.* 28. Emm. Sà *verb. Abſolutio in fin. & verb. Hæreſis itidem in fine in annotat.* Andreæ Victorelli, & alios apud ipſos. Et tandem id notat etiam P. Campionus *in Inſtruct. Ordinan. cap.* 40. *ſub num.* 39. *in fin.* & ita declaraſſe Alex. VII. optimè advertit, & huic noſtræ ſententię perdoctè favet.

TITULUS CXXVII.

De Judicibus.

Vide tit. de Cler. &c. Inter. 5. 6. 7. 8. 9. 10. *& ad qu.* 4. *tit. de Eccleſ. Immun. Inter.* 41. 55. *tit. de Eccleſiis ad quæſ. tit. de Gabel. inter.* 4. *tit. de Homicid. Inter.* 6. *tit. de Infam. Inter. ult. tit. de Injuſt. Inter.* 2. *tit. de Irreg. Int.* 20. *& ad quæſ.* 1. *tit. de Litt. & Scrip. Inter. ult. tit. de Mutil Membr. Int.* 2. *tit. de Opin. Inter.* 10. *tit. de Pæn. Inter.* 5. *tit. de Præl. Reg. Inter.* 28. *tit. de Privil. &c. Inter.* 11. *tit. de Regul. &c. Inter.* 53. *tit. de Reis. mort. tit. de Reſt. accep. Inter.* 8. *tit. de Reſt. Da. Inter.* 19. *tit. de ſponſal. Inter.* 4. *tit. de Teſtib. Inter.* 7. 10. 12. *tit. de Viſit. Inter.* 6.

1201 INter. 1. Poteſtne quilibet Judicem recuſare?

Reſp. Inquiſitus quidem poteſt recuſare Judicem, ſi habeat illum ſuſpectum, puta quià ex odii fine procedat, vel quià eſt criminoſus. *cap. cum ſpeciali de appellat.* & docet Sylveſter *verb. Appellatio.* Unde quando Judex, ſive Laicus, ſive Eccleſiaſticus, ac etiam Regularis, valdè ſuſpectus crederetur, exceſſuruſq; ob paſſionem, poſſet recuſari, ſicut in hoc caſu poteſt ab eo appellari: ſed hæc recuſatio non admittitur, niſi quando manifeſta eſt cauſa ſuſpicionis, ut bene notat Sanchez *in Summ. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 8. 3. Item ſi Judex non eſt in legibus Canonicis peritus, aut veri, recti, & æqui amator, poteſt recuſari, ut docet idem Sylveſt. *verb. Recuſare.* Judex autem delegatus poteſt recuſari, ſi eſt conſanguineus adverſarii, ſi commenſalis, ſi oriundus de ejus Terra, ideſt de diſtrictu, ſi ad eum acceſſus haberi non poſſit, niſi per Terras inimicorum, ſi loquatur in aure, & familiariter cum adverſario, ſi in alia cauſa litigavit cum eo, ſi eſt imperitus, vel habet aſſeſſorem ſuſpectum. Ità docet Panor. quem refert, & ſequitur Sylveſter *verb. recuſare num.* 1. Goffredus *in Summ. tit. de appellat. num.* 19. *& ſeqq.* Peyrinus *de ſubdito c* 19. *n.* 2. Lezana *tom.* 2. *verb. Judex, & Judicium num.* 12. & latè Pax Jordanus *tom.* 3. *lib.* 3. *tit.* 4. *num.* 66. *& ſeqq.* Et nota quòd iſta quatuor. *Timor, odium, dilectio, cenſus, ſæpè ſolent rectos hominum pervertere ſenſus*, ut habet Gloſ. *in cap. cum. cæteri de ſent. & re judicata.*

1202 Inter. 2. Si Laicus, ſive ſæcularis delinquat ſimul cum Clerico, à quo Judice debet puniri?

Reſp. Dico, quòd non poteſt puniri à Judice laico, ſed à Iudice Eccleſiaſtico, quia cum Iudex Eccleſiaſticus dignior ſit laico, ad ipſum pertinebit in hoc caſu, Reum judicare. Ità docent Layman *lib.* 4. *tract.* 9. *c.* 4. *num.* 10. Tamburrinus *de Jure Abb. tom.* 1. *diſp.* 15. *quæſt.* 19. *num.* 31. Immò

Scaccia *in lib.* 1. *de Judic. cauſarum c.* 11. *num.* 24. aſſerit ita fuiſſe deciſum anno 1591. à Sac. Congregat. die 10. Decembris, dum reſcripſit D. Pompejo de Amatis tunc temporis Commiſſario Civitatis Tuſculanæ, ut tam Clericos, quàm Laicos inquiſitos de violentia illata cuidam mulieri remitteret ad Iudicem Eccleſiaſticum; Et benè quidem, nam magis dignum trahit ad ſe minus dignum, ut rectè probat Diana. *par.* 3. *tract.* 1. *reſ.* 1. & *par.* 4. *tract.* 1. *reſ.* 7. qui pro hac ſententia plures Doctores refert, & oppoſitum ſentientes luculenter retundit.

1203 Inter. 3. Ad quem Iudicem pertinet cognitio fractionis Sigilli Confeſſionis?

Reſp. Ut plurimum pertinet ad Epiſcopum, ſeù Ordinarium, cui ſubjectus eſt Confeſſarius. Si verò hoc crimen eſt conjunctum cum hæreſi; itàut Confeſſarius defendat, licitam eſſe revelationem hujus ſigilli, aut malè ſentiat de Sacramentis Eccleſiæ, eſt hæreticus, ideò ut talis ejus cognitio pertineret ad Sanctum Officium, ut docent Bonac. *de Sacr. diſp.* 5. *quæſt.* 5. *pun.* 1. *num.* 6. Diana *par.* 4. *tract.* 8. *reſ.* 95. & alii communiter. Vide, quæ dicam ego *in tit.* 204. *de ſigillo Confeſſionis, ad Inter.* 19.

1204 Inter. 4. In quo caſu ſententia contra aliquem lata à Iudice nulla cenſetur? & quomodo Iudex debet procedere quando quis eſt infamatus de aliquo delicto?

Reſp. Quando eſt à Iudice non competente lata, aut quando quis non eſt de aliqua culpa accuſatus, vel denunciatus, vel niſi adſint indicia ſufficientia, & prætereà ſi certior non ſit factus, & citatus ad Iudicium, ſententia contra eum lata non tenet, & nulla cenſetur, quià contra non citatum, aut legitimè auditum eſt ipſo jure nulla, ut habetur *ex cap. Nos in quemquam* 2. *quæſt.* 5. Unde ſine accuſatione, vel denunciatione, vel alia via, quibus eis æquippollet, nemo juſtè, & validè damnari poteſt, ut clamant Iura, *cap. ſuper his*, & *c. qualiter*, & *quando de accuſationibus*. Imò benè docet Lezana *verb. Judex num.* 6. (ex Sanchez *tom.* 2. *conſil. lib.* 6. *cap.* 8. *dub.* 1. *num.* 5.) non ſtatim quòd denuncians, vel accuſans dicit eſſe infamiam de delicto, debere Prælatum procedere via inquiſitionis ſpecialis: ſed debet inquirere, apudquos ſit hæc infamia, & unde ortū habuerit, & ſi videat eſſe apud paucos, & leves, & levi fundamento, præcipuè de perſona, quæ fuerit claræ, & bonæ famæ, non ſic procedat; ſecùs ſi infamia ſit apud graves, & bonos, pluresque viros, quia fama apud tales cum ſuſpicionibus violentis ſecundum conditioné perſonæ, de qua agitur, facit aliquā probationem. Et hæc doctrina eſt Sylveſtri *verb. Inquiſitio* 2. *dicto* 5. Vide *infrà in tit.* 175. *de Prælatis Regular. ad Inter.* 28. & *ſeq. Quæſ.*

Quær. An Iudex licitè punire valeat eum, qui ex publica voce, & fama, aut ex præſumptionibus, vel indiciis probatur aliquod grave crimen commiſiſſe. Et quid dicendum ſit de Inquiſitoribus?

Reſp. Dico primò quòd ſi fama probetur ſolùm ex voce Populi, non probata aliqua præſumptione, ex qua dicta fama, & opinio trahat originem Tunc fama non probat, ſed magis dicitur vana vox Populi. Dico ſecundò quòd ſi publica fama, & clamoroſa inſinuatio à fide dignis procedat, ſolùm incitat Iudicē ad inquirendum, itaut ſi procedat à viris honeſtis, non autem à malevolis, & maleficis, non ſemel, ſed pluries, inquiſitio à Iudice licitè fieri poteſt; Sed Teſtes deponentes de fama, ad minus duo eſſe debent ſpectatæ vitæ, & omni exceptione majores, ut ex aliis docet Miranda *de Ord. Judic. tom.* 2. *quæſt.* 26. *art.* 5. *concluſ.* 2. Inſuper probare debent

bent omninò, quòd fama ſit orta non à malevolis, ſed ab honeſtis, & fide dignis; Requiritur igitur quòd fama per Teſtes idoneos probata ſit, nec ſat eſt, quòd Teſtes dicant hanc eſſe publicam famam, ſed debent reddere rationem eorum dicti, etiam non interrogati, ac etiàm debent exprimere Cauſas, indicia, & conjecturas, quibus orta eſt fama, alitèr non probant, & ità inter alios docet idem Miranda *de probat. lib.* 2. *concluſ.* 149. *num.* 11. 12. *&* 13. *& lib.* 3. *concluſ.* 1369. *num.* 8. Sylveſt. *in verb. Inquiſitio* 1. *quæſt.* 4. *&* 11. Alia verò requiſita ad probationem famæ videnda relinquo apud Farinac. *quæſt.* 37. *uſque ad num.* 277. *Vide ſuprà in hoc tit. de Judicibus, ad Inter. ult. & infrà in tit.* 175. *de Præl. Regul. ad Inter.* 28. Quandò verò fama probatur trahere originem ex aliquibus præſumptionibus legitimis præcedentibus, tunc facit probationem plenam, puta in Cauſis brevioribus, vel modici præjudicii, non autèm in aliis; Nàm licèt præſumptio, quæ deſumitur ex conjecturis ſit fortiſſima, ut tradunt Soccinus Iunior, Decius, Pariſius, Menocchius, quos dat, & ſequitur Marcus Paulus Leo *in praxi ad litt. M. Pœnit. fol.* 59. tamèn conjecturæ, ex quibus arguendus eſt dolus, adeò debent eſſe perſpicuæ, ut non niſi in malam partem capi poſſint. Paulus de Caſtro *in lege dolum. C. de dolo.* Maſcard. *de probat. lib.* 1. *concl.* 130. *verb. dolus num.* 70. Quarè ſi quis prætendat ex præſumptionibus inditiare e. g. Titium, attamen quando etiàm illæ eſſent magni ponderis, & valdè urgentes, nihilominus evitari non poſſet Regula, quæ habet neminem ex præſumptionibus, ordinarià poſſe damnari pœna. Cæpolla *conſ.* 27. *num.* 12. Sequitur Guazzinus *in deſen. Reorum* 33. *cap.* 10. *num.* 4. Nàm probatio per præſumptiones, & conjecturas, non dicitur vera probatio: Omnis enim probatio debet eſſe concludens, & plena, ac dè plena, & concludenti intelliguntur Iura, probationem requirentia. Sperellus *Deciſ. for. Eccleſ. deciſ.* 101. *num.* 23. *& ſeqquen.* Unde pœna ordinaria nemo puniri poteſt, niſi probationes contrà ipſum ſint luce meridiana clariores, præſertim in Cauſis Criminalibus magni ponderis. Scriptura verò privata Epiſtolæ, qua quis ſuum delictum fatetur, ſufficit ad plenam probationem, dummodò in judicio à reo ſcriptore recognoſcatur. Rodericus poſt alios *in compendio qq. Regol. Reſol.* 42. *num.* 24.

Reus autem de crimine vehementer præſumptus, & veritatem nolens recognoſcere, poteſt poni ad quæſtiones, ideſt ad tormenta, quod ſi adhuc in tormentis non cofiteatur delictum, abſolvendus eſt, nàm tunc dicitur indicia purgaſſe, & quaſi oblitteraſſe. Suarez *de Relig. lib.* 10. *cap.* 12. *num.* 12. Sed ſi confitetur delictum, opus eſt, ut ratificet confeſſionem illius extrà tormenta, quia confeſſio facta in tormentis fragilis eſt, & incerta, ut docet Franciſcus Aretenus *in pract. crim. cap.* 12. *de Confeſſione per torturam*. Sed totum intelligendum eſt de delictis atrocioribus, & graviſſimis, quibus pœna mortis, mutilationis, vel triremium applicatur. Si enim delictum non eſt atrocius, vel capitale, quòd pœna mortis, mutilationis, aut triremium puniri nequeat, tunc Judex debet Reum mitiori pœna punire, quàm ſi ejus delictum plenè probatum eſſet, & condemnandus ad illam; nam dum Iudex ex præſumptione procedit, debet multum temperare ſententiam, ut notatur *in cap. Afferre de præſumpt.* Nullo modo tamen eſt à quæſtionibus inchoandum, & quæſtiones circa Clericos omninò moderatæ eſſe debent, propter periculum excommunicationis, ac etiam quia judicium peſſimum eſt, quod ex ſuſpicione, vel extorta Confeſſione fit, ut *in cap. Si Sacerdotibus* 6. *q.* 6. Hic autem notandum eſt, quòd judiciū quatuor præſertim modis perverti poteſt à Judice ſcilicèt ti-

more,

more, cupiditate, odio, & amore. *cap. Quatuor* 11. *q.* 3. Nam iſta quatuor, timor. odium, dilectio, cenſus, ſæpè ſolent rectos hominum pervertere ſenſus, ut habet *Gloſa in cap. cum cæteri de Senten. & re judicata.* Cætera, quæ ad forum externū pertinent, Juriſtis relinquo; Ego enim more meo brevitate ſtudeo, & ad inſtruendas conſcientias ſcribo majori, qua poſſum facilitati, & brevitate, ideò vide Sylv. *verb. inquiſitio* 1. Lezanam *tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 27. *per totum*, & *tom.* 3. *verb. Judex*, & *Judicium item per tot.* An verò Inquiſitores ex indiciis, & præſumptionibus indubitatis poſſint punire Reum pœna ordinaria? Vide Dianam *par.* 4. *tract.* 8. *reſ.* 116. qui affirmativè reſpondet, & hoc eſt verum etiam de crimine Simoniæ, ut habetur *in cap. Sicut de Simon*; & de crimine hæreſis, habetur *ex cap. cum contumacia de hæret. in* 6. Vide Armillam *verb. probatio nu.* 7.

TITULUS CXXVIII.

De Judiciis temerariis, & Suſpicionibus.

Vide tit. de Differ. Int. 12.

1205 INter. 1. Judicium temerarium, & ſuſpicio, eſtne peccatum mortale?

Reſp. Si Judicium temerarium non conſiſtit in dubitatione, ſed incerta æſtimatione, & materia eſt gravis, ſemper eſt peccatum mortale, ſecus erit veniale, ſi materia eſt levis Ità etiam judicium temerarium oriés ex ſuſpicione poteſt eſſe peccatum mortale in materia gravi, niſi oriatur ex indiciis probabilibus; nam judicare juxta indicia probabilia non eſt culpa ſaltem gravis, ſi prudenter feratur judicium, & cum formidine de parte oppoſita, quia indicia probabilia non poſſunt cauſare certam æſtimationem. Item ſuſpicio aliquando poteſt eſſe peccatum mortale, ſi fiat de perſona habente nomen ſanctitatis, & ſuſpicio eſſet de re gravi. Vide S. Thom. 2. 2. *qu.* 60. *art.* 3. Cajetan. *ibidem*, Bonacinam *tom.* 2. *de Reſtitut. diſp.* 2. *qu.* 7. *pun.* 1. *ſub num.* 4. *verſ. non nego tamen*, Stephanum à Sancto Gregorio *de Reſtitut. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 10. 11. & 12. & alios penès ipſos. Vide etiam Dianam *par.* 3. *tr.* 5. *reſ.* 31. ubi pluribus citatis docet, ſuſpicionem etiam de re gravi, ſi non habet aſſenſum firmum nunquam eſſe peccatum mortale, quia licèt ſuſpicio uni parti magis adhæreat, non tamen id fit, niſi inchoatè, atque non ſine formidine de oppoſito, quæ ratio mihi valdè probatur. Vide *ſeq. Reſp.* & Emm. Sà. *verb. Judicium temerarium num.* 1.

1206 Inter. 2. Ad hoc ut judicium temerarium committatur cum peccato mortali, quid requiritur?

Reſp. Primò requiritur, ut efficiatur ſine indiciis ſufficientibus. Secundò, ex plena deliberatione. Tertiò, certò, & ſine ulla formidine, quæ omnia, teſte Diana *loco ſupracit.* rarò ſimul concurrunt in homine, malè de proximo judicante, & præſertim tertium requiſitum, quia multi judicant cum formidine alterius partis, & tunc non eſt judicium temerarium mortale. Itaque dicendum eſt cum cómuni Doctorum ſententia, quòd tunc committitur judicium temerarium mortale, quando quis judicat firmiter, & deliberatè de aliquo gravi malo proximi abſque ſufficienti fundamento, & indiciis, ſeù conjecturis, & abſque rationabili cauſa, atque etiam qui id tenet, quaſi pro certo. Ità pluribus relatis firmat Bonac. *tom.* 2. *de reſtit. diſp.* 2. *qu.* 7. *pun.* 1. *num.* 4. & *ſeqq.* Vide Emm. Sà. *verb. Judicium temerarium*, & ibi Victorellus plura congerit ad intentum. Vide etiam Armillam *verb. Judicium num.* 8.

1207 Inter. 3. Peccatne mortaliter qui

qui dubitat de aliqua actione proximi, & illam in malam partem interpretatur?

Reſp. Dubium circa malum proximi ſemper eſt interpretandum in bonam partem, niſi contrarium conſtet, alioquin erit peccatum mortale, ſi materia erit gravis, quia qui habet malā opinionem de proximo ſuo, facit ei injuriam; nullus enim debet alteri injuriam inferre abſque cogente cauſa. Hæc ſententia eſt D.Thomæ 2.2.*q.*60. *art.* 4. & ibi Cajetanus, Bannes, Salonius, Aragonius, & alii. Vide Azorium 3. *par. lib.* 13. *cap.* 11. *dub.*5. Leſſium *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 4. Molin. *tom.*4.*diſp.*17. & confirmatur ex communi dicto Doctorum: *In dubio non eſt præſumendum delictum*: & habetur *ex l. meritò ff. pro ſocio*. Itaque tenemur dubia circa actiones proximi in potiorem, & meliorem partem interpretari; ſcilicet putare noſtrum proximum non fuiſſe auctorem criminis, vel peccati, & non eſſe virum improbum, ideſt non commiſiſſe tale malum, &c. niſi contrarium nobis conſtet; Nam quilibet habet jus, ne contra ipſum alii malum opinentur, quia ſemper præſumitur bonus, niſi probetur malus. Unde notanda ſunt verba S. Thomæ *loco cit.* qui ad 3. ſic inquit: *Dicendum quòd interpretari aliquid in deteriorem, vel meliorem partem, contingit dupliciter, uno modo per quamdam ſuppoſitionem, & ſic eum debemus aliquibus malis adhibere remediū, ſive noſtris, ſive alienis, expedit ad hoc, ut ſecurius remedium apponatur, quod ſupponatur id, quod eſt deterius, quia remedium, quod eſt efficax contra majus malum, multò magis eſt efficax contra minus malum. Alio modo interpretamur aliquid in bonum, vel malum difiniendo, ſive determinando; & ſic in rerum judicio debet aliquis niti, ad hoc, ut interpretetur unum, quodque ſecundum quod eſt. In judicio autem perſonarum, ut interpretetur in melius, ſicut dictum eſt.* Vide Armillam *verb. Dubitatio, ſub n.*1.

1208 Inter. 4. Peccatne mortaliter qui malè ſuſpicatur de proximo, vel dubitat, & ſuam ſuſpicionem, vel dubium aliis manifeſtat?

Reſp. Sicuti mortaliter peccat, qui delictum alterius verum, ſed occultum, alteri manifeſtat, ità qui malè de alio ſuſpicatur, vel dubitat cum ſufficienti fundamento, & ſuam opinionem, vel judicium alteri manifeſtat, quia bonam proximi opinionem aufert, & lædit illius famam; Secus tamen eſſet, quando in aliquo caſu non læditur notabiliter bona proximi opinio, vel quia res eſt manifeſta, & alii idem judicium faciunt, vel ad aliquē honeſtum finem manifeſtatur, modò non augeatur ſuſpicio, & mala opinio apud audientes. Bonacina *de Reſtit. diſp.* 2. *qu.* 7. *pun.* 1. *num.* 9. Stephan. à S. Gregorio *lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 17. & Emm. Sà. *verb. Judicium temerarium*. Vide Armillam *verb. Suſpicio*.

TITULUS CXXIX.

De Juramenuo.

Vide tit. de Carc. Int. 2. *tit. de Conſuet. Int.* 4. 5. 6. *tit. de Defenſ. vi. prop. Int.* 2. *tit. de Epiſcopat. &c. Inter.* 40. *tit. de Hæres &c. Int.* 11. *tit. de Infam. Int.* 2. *tit. de Inim. Int. ult. tit. de Intent. Int.* 4. *tit. de morib. Int.* 8. *tit. de Par. mat. Int.* 6. 7. 15. *de Pec. Int.* 20. 21. *tit. de Regul. &c. Int.* 26. *tit. de Sac. Matr. Int.* 14. *tit. de Teſtib. &. Int.* 3. *tit. de Val. ſponſal. Int.* 1. *tit. de Uſura &c, Int.* 21.

1209 Inter. 1. Quid eſt Juramentum?

Reſp. Juramentum eſt Invocatio Divini Teſtimonii in confirmationem alicujus dicti. Ità DD. communiter.

1210 Inter. 2. Quotuplex eſt Juramētum, & ejus ſpecies?

Reſp. Quatuor ſunt ſpecies Juramenti. Eſt enim juramentum aſſertorium.

rium, Promiſſorium, Comminatorium, & Execratorium. Aſſertorium, quando affirmatur, aut negatur aliquid præſens, aut præteritum, ut ſi dicatur: per Deum, iſte occidit hominem, vel per Deum non occidit. Promiſſorum in quo futurum affirmatur, vel negatur promittendo, ut faciam hoc per Deum. Comminatorium, in quo promittitur malum pœnæ, ut per Deùm te occidam, caſtigabo te, percutiam te &c. Execratorium denique, in quo ſivè promittendo, ſivè negando, aut aſſerendo, aliquid affirmatur, aut negatur ſibi apponendo pœnam, ut v. g. Deus me deſtruat, niſi hoc ità ſit, aut niſi hoc faciam &c. Vide Toletum *lib.* 4. *cap.* 20. *à num.* 3.

1211 Inter. 3. Quæ, & quot ſunt conditiones, quas debet habere juramentum, ad hoc, ut licitè fiat, & ſine peccato?

Reſp. Tres ſunt conditiones: Veritas, Iuſtitia, & Neceſſitas. Tolet. *eod. lib.* 4. *cap.* 21. *num.* 2. & alii communiter,

1212 Inter. 4. Eſtne peccatum mortale, quando in juramento deſunt dictæ conditiones?

Reſp. Quando deeſt veritas, etiam in re minima eſt peccatum mortale, ſi deſit juſtitia, poteſt eſſe mortale, ſi materia, ſupra quam juratur, mortalis eſt. Si deſit judicium, hoc eſt neceſſitas, vel utilitas, eſt veniale ſi abſit pejerandi periculum, & juramenti contemptus. Tolet. *lib. quarto cap.* 21. *num.* 8. *&* 9.

1213 Inter. 5. Qui ſæpè, dum loquitur dicit, *sì per Dio*, facitne juramentũ?

Reſp. Dicunt aliqui, & probabiliter, quod non, quia ut plurimum dicitur ſine animo jurandi, tamen eſt magna reprehenſione dignus.

1214 Inter. 6. Peccatne, qui ex juſta cauſa jurat alio ſenſu, quàm alter intelligat?

Reſp. Non ſemper peccat, quia licet æquivocè jurare, quando Iuramentum exigitur indebitè, vel iniuſtè, ut v. g. Si quis exigat juramentum, qui jus non habet, ut Iudex incompetens, vel ſi non ſervet ordinem juris, vel ſi exigatur per vim, metum, injuriam &c. ut ſi Maritus exigat juramentum ab uxore adultera, an adulterium admiſerit, dum eſt occultum: Unde quoties quis injuſtè cogitur ad jurandum, vel habet juſtam cauſam celandi veritatem, poteſt uti verbis æquivocis. Buſeub. *lib.* 3. *tract.* 2. *dub.* 4. *n.* 4. Alloza *in Floſ. Sum: verb. Iurament. ſect.* 2. *num.* 28. qui teſtatur de communi. Bonac. *de Præcep. Decal: diſp.* 4. *quæſt.* 1. *pun:* 12. *num.* 4. *& ſeqq.* Vide etiam Dianam *par.* 2. *tract.* 1. Miſcel. *reſ.* 25. *& par.* 3. *tr.* 6: *reſ.* 30. qui plures caſus particulares decidit. Nam, qui ex hujuſmodi approbatis æquivocis decipitur, ſuæ debet imperitiæ, vel importunitati imputare, qua alterum urget dicere, quod dicere non tenetur, nam utitur jure ſuo ad celandum animi ſui arcana, & ſic deceptio dicitur potius accepta, quàm data. Parpera *in Indice copioſ. par.* 4. *c.* 35. *n.* 7. qui rectè agit de reſtrictione mentali, æquivocis, & amphibologiis, & quomodo, ac quando æquivocis licitè uti poſſumus etiam poſt propoſitiones illas damnatas ab Innocent. XI. Itaque concludendum eſt, quod quoties quis habet juſtam cauſam celandi veritatẽ, & occultat eam mediante aliqua æquivocatione, verum jurat ſecundũ ſenſum verborum, & nulla irreverentia fit juramento, & conſequenter non peccat, nec eſt periurus. Verùm ſi juramentum juſtè exigatur ab eo, qui juramentum præſtare valet, non dicitur juſtã habere cauſam utendi æquivocatione, ideoque peccat mortaliter, quia ſi non facit mendacium, ſaltem committit perjurium. Ille verò, qui ſponte jurat, tenetur uti vocabulis ſecundum communem ſignificationem, eo quod non habet cauſam æquivocandi. Tolet. *lib.* 4. *c:* 21. per totum. Tandem homo privatus peccat mortaliter ſi cogat ad jurandum, quem ſcit falsũ juraturum. Sylveſt. *verb. Lex num.* 13.

Sà

Sà *verb.* Juramentum *in fine*. Secus verò dicendum eſt de Judice. Vide, quæ dicam *in titulo* 181. *de Reis Mortis ad Int.* 1.

1215 Inter. 7. Sempronius promiſit Cajo cum juramento ſe empturum ejus domum, quam credebat eſſe bonam, ſed poſtea invenit eam vitioſam in fundamentis, teneturnè Sempronius ſtare juramento?

Reſp. Nequaquam: quia quoties intercedit error, aut dolus circa ſubſtantiam, vel ſaltem circa cauſam finalem, non cenſetur quis voluiſſe jurare, ſi dolum cognoviſſet; ultra quòd cenſetur juraſſe ſub conditione; ſcilicèt ſi bona eſſet domus. Vide Bonac. *de præcept. decal. diſp.* 4. *qu.* 1. *pun.* 7. *num.* 4. & 5. Navar. *c.* 12. *ſub nu.* 13. Em. Sà *verb. Juramentum num.* 9. & alios apud eundem Bonac.

1216 Inter. 8. Titius cum juramento promittit Bertæ diviti, ſanæ, virgini, & bonæ famæ velle ipſam in uxorem ducere, teneturne Titius ſtare Juramento, ſi Berta incidat in infirmitatem incurabilem, aut in paupertatem, aut in forncationem?

Repſ. Non tenetur ſtare promiſſioni, nec eam vi juramenti ducere, nam juramentum habet eã tacitam conditionem, quam habent ſponſalia; vel promiſſio futuri matrimonii; ſed promiſſio matrimonii non obligat, quando res ſunt ità mutatæ (Intelligo de notabili mutatione,) ut ſi cogitaſſet in futurum, non promiſiſſet, ergò neque juramentum obligare poterit. Ità ex communi docet Bonac. *ubi ſup. diſp.* 4. *quæſt.* 1. *pun.* 16. *num.* 2. Vide iterum Bonac. *diſp.* 4. *q.* 2. *pun.* 7. §. 1. *nu.* 7.

1217 Inter. 9. Qui jurat ſe facturum rẽ indiferentem, quam melius eſt non facere, quàm facere, teneturne adimplere, quod juravit?

Reſp. Non tenetur: quia juramenmentum de re indifferenti, aut melioris boni impeditiva, non obligat. Em. Sà *verb. Juramentum num.* 10.

1218 Inter. 10. Quidam juravit ſe non mutuaturum alicui aliquid, vel numquam fide juſſurum: peccatne non adimplendo tale juramentum?

Reſp. Peccavit venialiter, ità jurando, non tamen debet implere juramentum, nec ullo modo peccat nõ implendo; ut rectè docet Tolet. *lib.* 4. *cap.* 22. *ſub num.* 2. & alii plures.

1219 Inter. 11. Qui jurat latroni ſe centum aureos illi daturum, teneturne illos ſolvere, ſi aliàs non debet?

Reſp. Dicunt quidam, juramentum ſervandum eſſe, tum ne Deus videatur adductus in teſtem falſi, tum quia juramentum ſervari poteſt ſine peccato: Dicunt etiam, quod hujuſmodi juramentum poteſt ab Epiſcopo relaxari: & poſt relaxationem poſſit petere ſolutum, & hæc eſt expreſſa doctrina S. Thom. 2.2. *qu.* 89. *ar.* 7. *ad* 3. Qui autem jurat ſe daturum aliquid ſine propoſito ſeruandi juramentum, ſemper peccat mortaliter, nec in hoc datur parvitas materiæ; mẽtitur enim, & pejerat, nam qui jurat ſe facturum talem rem, jurat ſe habere propoſitum faciendi, ſi ergo non habet hoc propoſitum faciendi, mentitur, Vide Bonac. *de præcep. decal. diſp.* 4. *queſt.* 1. *pun.* 9. & *de Contr. diſp.* 3. *quæſt.* 1 *pun.* 1. Tamen dico, quod tunc licitè jurare poſſit æquivocè, ſine tamen reſtrictione mentali, cum non teneatur jurare ſecundum mentem, & intentionem Latronis, cum hic non ſit ejus Judex: & conſequenter non peccat, nec eſt perjurus, ſi ei illos centum aureos non ſolvit. Vide Sylveſt. *ver. Juram.* 4. *quæſt.* 7. Navar. *in man. c.* 12. *num.* 15. *prop. fin.* Bonac. *loco ſup. cit. de præc. decal. pun.* 12. *num.* 5. Si verò tunc intellexit verè dare, ſine æquivocatione jurando; tenetur ſub mortali dare poſtea, ut rectè concludit Tolet. *loco cit. ſub num.* 1. Vide, quæ dicam *in tit.* 181. *de Reis Mortis, ad Int.* 1.

1220 Inter. 12. Qui propter urbanitatem jurat ſe in primo loco non ſeſſurum, vel primus non ibo, peccatne mortaliter, ſi poſtea non adimplet?

INDEX

Locuples rerum notabilium, quæ in hoc primo Tomo attinguntur.

Prior numerus indicat paginam; Secundus verò numerum marginalem.

A

ABBATES.

ABBATIBUS *Regularibus habentibus jura Epiſcopalia, conferentibus primam tonſuram, & ordines minores Regularibus alterius inſtituti, Statuuntur Pœnæ.* 1. *ſub num.* 1.

Non eſt neceſſarium, quod hi ſint benedicti. Ibidem.

Abbas ligatus aliqua cenſura fit irregularis, conferendo minores Ordines. 285. 857.

Eſt ſpeciale Privilegium pro Abbatibus Congreg. Caſſinenſis ſe ingerendi in illis benedictionibus, in quibus ſacra unctio requiritur. 2. 2.

Abbatiſſa, ſeù Prioriſſa.

Monialis, ut eligi poſſit in Abbatiſſam, ſeù Prioriſſam debet eſſe quadraginta annorum ætatis, & octo poſt expreſſam Profeſſionem. 32. 92.

Quadraginta anni debēt eſſe completi. Ibid.

Defectus dictarum conditionum ex deciſione Sac. Congreg. reddit electionem nullam. Ibidem.

Si bis qualitatibus non reperiatur, poteſt eligi cū Ordinarii licentia una ex iis, quę annum trigeſimum exceſſerit, & quinque ſaltem annos profeſſionis habuerit. Ibidem.

Monialis, quæ non eſt de legitimo thoro nata, non poteſt eligi in Abbatiſſam, vel Prioriſſam, abſque diſpenſatione Papæ, ſecluſis Religionum privilegiis: ſed Generales, & Provinciales ordinum mendicantium poſſunt diſpenſare cum Monialibus ſibi ſubditis, ut non obſtante hoc vitio poſſint eſſe Abbatiſſę, vel Prioriſſę. 364. 1076.

Nequit diſpenſare in votis Monialiū. 2. 4. *& pag.* 5. *quæſ.*

Non eſt veluti Pater, vel Mater. pag. 5. *quæſ.*

Non minorem poteſtatem habet, quàm Mater tutrix Inpuberum. 2. 4.

Ejus poteſtas in Moniales eſt ſimpliciter ſpiritualis. pag. 5. *quæſ.*

Tantùm ex cauſa, quam Vir prudens ſufficientem exiſtimaverit, poteſt pro ratione adminiſtrationis donationes tribuere. 4. 6.

Abjuratio.

Propriè loquendo eſt receſſio ab hæreſi cum Juramento de non redeundo ad illam. 330. 995.

Qui de Hereſi ſuſpectus cogitur per Inquiſitores abjurare de levi, aut de vehementi, nullam Irregularitatem incurrit. p. 410. *quæſ.* 2.

Abortus.

Non eſt licitum, Abortum procurare, ne Mulier occidatur aut infametur. p.11. quæſ.

Si aliquis extrà Confeſſionem ſciat, Mulierem velle ſe interficere, nec poſſe diverti, & dubitat de jactura vitæ fetus, debet, ſi adeſt tempus, & commodè fieri poſſit, curare, non obſtante ſecreto naturali, ut Judex ponat in tuto vitam fœtus, & Matris pag. 12. quæſ.

Abortus malitia formaliter continetur in Matris occiſione. 6. 11.

Graviſſimum peccatum eſt, etiamſi fœtus non ſit animatus. 7. 13.

Abortus fœtus animati eſt unus ex caſibus, in quibus Perſona Eccleſiaſtica poteſt tradi curiæ ſæculari punienda. 8. 17.

Supplicans in Sac. Penitentiaria pro Diſpenſatione ſuper Irregularitate ex Abortu, debet exprimere, ſi erat fœtus à ſe genitus. 9. 22.

Cum Abortus fœtus animati ſit ubique caſus reſervatus, & annexã habeat Excõmunicationẽ, qui illũ procuravit, poteſt ante effectũ ſequutũ à ſimplici Cõfeſſario abſolvi, ſed poſtea effectu ſequuto, non tenetur iterum confiteri pro caſu reſervato: ſed pro excommunicatione. pag. 134. quæſ. 1.

Abſolutio à Cenſuris.

Ferri poteſt in abſentem, ignorantem, ac etiam exiſtentem in peccato Mortali. 12. 28.

Abſolutio à Peccatis.

Abſolutio Sacramentalis non poteſt impendi indigno, ſeù ponenei obicem, aut indiſpoſito. 187. 549.

Tunc fit Sacramentum Pœnitentiæ, quando Sacerdos à peccatis abſolvit. 159. 462.

Non tenetur Pœnitens in Confeſſione exprimere, quod peccaverit ſpe Abſolutionis impetrandæ. 144. 414.

Conſultum eſt Peccatori recidivo, atque conſuetudinario, non eſſe impendendam toties quoties confitetur abſolutionem: ſed expectandum per aliquot dies, donec emendatio aliqua appareat. 155. 446.

Falſum eſt omninò abſolutionẽ non eſſe differendam pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi, etſi emendationis ſpes nulla appareat, Ibidem.

Qui paulatim Confeſſionem generalem faciunt de peccatis aliàs ritè confeſſis, poſſunt abſolvi quotidie ab illis peccatis, quæ paulatim, & quotidie fatentur. 140. 394.

Quando in Confeſſione accidit aliquis caſus difficilis, ubi ſit neceſſarium Sapientum virorum Conſilium, poteſt Confeſſarius abſolutionem impendere: modò Pœnitens promittat ſe facturum quod judicatum fuerit. 130. 369.

Si Confeſſarius in aliquo caſu difficili, dicat pœnitenti velle contulere viros doctos; & pœnates nolit nec in genere quidem conſilium peti, quamvis teneatur dum viros doctos conſulit nomen pœnitentis celare, non debet illum abſolvere. 154. 445.

Confeſſarius, qui videt aliquos occidentes hominem, qui iteratis vicibus Confeſſionem petit, ſed non poteſt ad audiendam illius Confeſſionem accedere, quia interfectores minantur ei mortem, illum abſolvens à peccatis dicitur eſſe moraliter præſens. 133. 380.

Abſolutio à reſervatis.

Romæ ſolùm prohibetur abſolvere à caſibus ſummo Pontifici reſervatis. 10. 26.

Etiam injuſta denegatio facultatis valida eſt, ſicut valida cenſetur injuſta reſervatio. 18. 55.

Abſolvens abſque facultate à reſervatis, ſub ſpe ratihabitionis, vel ex inconſideratione, aut ignorantia, non incurrit ullam pœnam. 19. 56.

Pœnitens, ſive ſciat, ſive neſciat peccatum eſſe reſervatum, non poteſt per ſimplicem Confeſſarium abſolvi. 356. 1060.

Epiſcopus, vel alius Superior, debet ſe facilem oſtendere ad concedendam facultatẽ abſolvendi à reſervatis. 23. 70.

Hæc facultas generaliter committenda non eſt, niſi Viro docto, & prudenti. 23. 71.

Si quis habeat Privilegium, abſolvendi à ſex Caſibus à jure Epiſcopis reſervatis, hoc Privilegium ei non ſuffragatur in tota Italia extrà Urbem. 74. 226.

Bona fides pœnitentis dum ad Diœceſim Confeſſarii ſe transfert devotionis, aut negotiationis gratia, operatur duntaxat, ut abſolvi poſſit à reſervatis, non autem ab excommunicatione reſervata. 25. quæſ. 2.

Qui

Digitized by Google

Qui tempore Jubilæi ex oblivione inculpabili, omittit confiteri aliquod peccatum reſervatum, poteſt tranſacto Jubilæo à quocunque Confeſſario abſolvi. 417. 1196

Si in Jubilæo concedatur facultas abſolvendi ab omnibus caſibus etiam in Bulla Cœnæ Papæ reſervatis: adhuc ab Hæreſi occulta non poteſt Confeſſarius pœnitentem abſoluere; niſi exprimatur pag. 418. *&* 419. *quæſ.*

Acceptio Perſonarum.

Eſt peccatum mortale ex genere ſuo. 252. 759.

Accuſatio.

Ponitur differentia Accuſationis propriè ſumptæ à Denunciatione. pag. 195. *quæſ.*

Quando reus accuſatus non eſt dignus morte, & nihilominus Judex pro ſua malitia, vel ignorantia, illum condemnat ad Mortem, tunc non Accuſator, ſed Judex cenſetur cauſa efficax mortis 27. 79

Onus probandi, ſemper incumbit Accuſatori. 28. 81.

Quando alterius crimen vergit in multitudinis corruptelam corporalem, vel ſpiritualem, & dummodò ſufficienter probari poſſit: tunc quis tenetur illud crimen ſub mortali accuſare Superiori propter bonum publicum. pag. 194. *quæſ.*

Præterea non ſolùm quis tenetur Accuſare, quando crimen alterius vergit in periculum corporale, vel ſpirituale multitudinis, ſed etiam quando vergit in grave damnum alicujus tertiæ perſonæ, etiamſi hoc ſciat ſub ſecreto naturali. Ibidem.

Facilè cuicunque peccato poteſt occurri per ſimplicem denunciationem judicialem, abſque Inſtigatione Judicis; aliàs accuſatio perturbat pacem, auget inimicitias. Ibid.

Accuſatio non debet fieri ex odio, aut aliquo alio iniquo fine: ſed zelo Juſtitiæ. Ibidem.

Ponitur forma Accuſationis inter Regulares. Ibidem.

Actus.

Eſt habitus in exercitio poſitus 152. 435.

Actus internus.

Præceptum humanum non extenditur per ſe ad actus internos. pag. 183. *&* 184. *num.* 538.

Licèt Eccleſia non poſſit directè præcipere actum internum ſeorſim ſumptum: tamen poteſt illum compræcipere, quatenus habet connexionem cum externo; & quoties actus internus eſt de ſubſtantia actus externi, Eccleſia poteſt actum internum præcipere. 43. 128.

Eccleſia non punit actus internos. 327.

Adoptio.

Eſt quedã legitima aſſumptio extraneæ Perſonæ in filium, aut filiam, vel in nepotem. 116. 340.

Ex Adoptione conſurgit Cognatio legalis, quæ impedit, & dirimit Matrimonium inter adoptantem, & adoptatum, & Adoptati deſcendentes uſque ad quartum gradum. 116. 340.

Item: non poteſt ſubſiſtere Matrimonium inter adoptatum, quandiù non eſt emancipatus, & adoptantis filios legitimos, dum ſunt in Patriæ poteſtate, & inter Uxorem adoptantis, & adoptatum, & inter hujus Uxorem, & adoptantem. 117. 340.

Duo adoptati inter ſe contrahere minimè prohibentur. Ibidem

Adoratio.

Crux, quæ requiritur in Altari, dum Miſſa celebratur, tali modo ſita eſſe debet, ut cenſeatur expoſita pro Adoratione. 78. 239.

Ad hoc non ſufficeret, ſi eſſet pictus Chriſtus, aut ſculptus, ut deferens Crucem ad Calvarium, ſufficiet tamen Imago B.V. Pietatis, in qua Crux ſtat erecta, & tanquam adorabilis. Ibidem.

Licet Crucem variis reliquiis, licèt non approbatis, ornatam in altari collocare, & Populo adorandam proponere: quia Adoratio Reliquiarum tunc eſt per accidens, & ſolùm cultu privato, & non publico adorantur, cum ſola Crux adoranda proponatur, quæ cultu publico adoratur. Ibid.

Adu-

Adulatio.

Melius eſt pro veritate pati ſupplicium, quàm pro adulatione recipere beneficium pag. 351. *quaſ.*

Adulterium.

Etiam conſentiente Marito committitur 141. 401.

Quando Marito Adulterę eſt nota injuria, & deſiderat ſatisfactionem, requiritur in Adultero quædam ſatisfactio, quæ conſiſtit in petitione veniæ à patiente injuriam, & oſtendere ei ſigna doloris, & ſimiles actus. 31. 88.

Maritus ignarus Adulterii, irregularitatem incurrit. 57. 172.

Coniux Adulter occultus, aut petat diſpenſare ab Epiſcopo, vel ab alio habente facultatem, aut ſe abſtineat à debiti petitione. 169. 487.

Uxor debitum negare poteſt conjugi Adultero, ſicut Vir Uxori 169. 488.

Qui vult facere Divortium ob alterius adulterii, debet eſſe moraliter certus. 212. 638

Ad faciendum in foro conſcientiæ, non requiritur, ut Adulterium probetur. p. 213. *num.* 638. & 639.

Pro faciendo in foro externo, ſi Adulterium non eſt notorium, debet probare intra octo dies, ut conſtet Judicio Eccleſiæ. 213. 639.

Quoties Maritus certus ſit de Uxoris adulterio, poteſt in conſcientia alimenta negare: ſed in foro externo poteſt à Judice compelli ad præbendum alimenta Uxori; donec ſententia ſequatur divortii; ſecuto verò per ſententiam Judicis: Maritus non tenetur alimenta præbere Uxori adulteræ. 215. 645.

Vir, qui non ſuppeditavit alimenta Uxori, atque eam è domo ejecit, quare Uxor commiſit adulterium, non eſt cauſa proxima adulterii. conſequenter non cenſetur adulterio conſentire, neque à divortio faciendo poteſt impediri, ſed ſi vir ea intentione Uxorem repuliſſet, & alimenta denegaſſet ut neceſſitate compulſa adulterium committeret, eſſet cauſa proxima illius adulterii: ac proinde idem eſſet, ac ſi adulterio conniveret, & à faciendo divortio juſtè impediretur. 213. 640.

Septē ſunt caſus, in quibus Vir Uxorem adulteram repellere non poteſt. 212. 637.

Jus, quod ex adulterio innocenti acquiritur, eſt dum innocens eſt, & ceſſat prædictum Jus; ſi is poſtea labitur in Adulterium. 214. 641.

Conjux Adulter non poteſt abſque licentia Innocentis ſacros ordines ſuſcipere, aut profiteri in Religione. 214. 642.

Si Conjux adulter ſæpiùs petat ab innocente reconciliationem, & innocens nolit eam concedere, tunc poteſt, vel ordines ſuſcipere, vel Religionem intrare; nec innocens poterit amplius revocare Adulterum. Ibidem.

Si Mulier de Adulterio comdemnota, vel publicè depræhenſa in Monaſterium detrudatur ad pœnitentiam perpetuam peragendam, Vir eam emendandam recipere poteſt intrà Biennium; ſi verò recipere noluerit, propter hoc tamen Monialis non erit ſi non fuerit amplius proceſſum. 214. 643.

Adultera non tenetur cum periculo vitæ, aut famæ, prodere, filium eſſe ex Adulterio, ad impediendum damnum legitimis hæredibus. 315. 952.

Debet, quantum poteſt, Damnum Hæredibus compenſare. Ibidem.

Non tenetur Filius credere Matri conjugatæ dicenti, etiam in fine vitæ cum juramento, eum eſſe de Adulterio natum, niſi rationibus convincatur. 363. 1073.

Occidere in Adulterio deprehenſam Uxorem, vel filiam, itemque Adulterum, in foro Conſcientiæ non licet. 331. 999.

Qui dicit, & defendit, non peccare Maritum occidentem propria autoritate Uxorem in Adulterio deprehenſam, eſt excommunicatus. Ibidem.

Si tradatur illi à Judice, occidenda, juris ordine ſervato, non peccat, dummodò id faciat non ex odio, ſed zelo Juſtitiæ. Ibid.

Secundùm Jus Codicis non datur Marito facultas occidendi conjugem, ſed Adulterum, & quod Uxorem accuſet; imò Adulteram Uxorem occidens amittit bona, quæ ob Adulterium lucratus fuiſſet, & etiam tenetur ad damna hæredum ipſius occiſi. 331. 1000.

Qui

Qui necavit Adulterum inventum cum Uxore ſit Ieregularis . *pag.*403. & 404. *num.* 1166.

*Adulter, qui temerè ſe ingerendo, expoſuit Adulteram mortis periculo, ſecuta morte Adulteræ ſit Irregularis.*404. 1167.

Adulter, qui prævidit ex tali occaſione ſe futurum in morali periculo, aut occumbendi aut occidendi, occidens Maritum aggreſſorem cauſæ neceſſitatis defenſionis ſit irregularis; ſi non prævidit excuſatur ab irregularitate, ſi aliter non poteſt defendere propriam vitam niſi occidendo. *pag.* 404. & 405. *num.* 1168.

Malitia Fornicationis continetur in Adulterio. 153. 442.

Advocati, & Procuratores.

Non omnes excuſantur à Jejunio, ſed tantùm illis, quorum labor improbus, vel quia ita debiles ſunt, ut ſufficienter ſtudere non poſſint, ut poſtea cauſis Clientium ſatisfacere valeant. 346. 1041.

Peccant Mortaliter ſi neſciunt ea, quæ ad eorum munus pertinent. 357. 1054.

Non poteſt Cliens de quota litis paciſci cum Advocato, vel Procuratori. 158. 460.

Ætas requiſita.

Incipit à die Nativitatis, non à die Baptiſmi. 33. 97.

Adoleſcentes ante vigeſimum primum annum completum excuſantur à Jejunio. 348. 1043.

Etiam qui dubitat an expleverit viginti, & unum annos, ſi facta debita diligentia dubius adhuc remanet an expleverit dictam ætatem, ad jejunium non tenetur. 349. 1046.

In die, qua quis complet ætatem vigeſimi primi anni, etiamſi compleat mane, eſt exemptus per totam diem à jejunio. 349. 1047.

Epiſcopus debet habere ætatem 30. *annorum completorum.p.* 33.*n.*97. & *p.* 263. *num.* 790.

In Regno Galliæ ex concordatis inter Leonem X. & Regem Galliæ, ſufficit quod ſit in 27. *anno conſtitutus*. 263. 790.

Requiritur, quòd Canonicus Pœnitentiarius ſit in ætate 40. *annorum inceptorum.*64. 199.

Cappella poteſt conferri Clerico minorum ordinum, licèt ſolùm habeat annos. 14. 69. 212.

Affinitas.

Ad contrahendam affinitatem requiritur ſeminatio viri intra vas fœminæ. 36. 109.

Ad contrahendam affinitatem requiritur ſanguinum commixtio, & quod fiat una caro, & quod ex copula carnali generatio ſequi poſſit. 36. 109.

Afflictio.

*Afflicto addi non debet afflictio.*385. *quæſ.*

Alienatio bonorum Eccleſiæ.

Poſſunt Regulares abſque conſenſu Sac. Congreg. & abſque incurſu Cenſurarum in pignus tradere, & vendere immobilia, quando tàm urgens eſt neceſſitas, ut expectare non poſſint licentiam Sac. Cong.; neque neceſſaria eſt in dicto caſu licentia Epiſcopi, etiamſi commodè haberi poſſit. 38. 118.

Ad Epiſcopū pertinet judicare de bonorum ſufficientia pro victu Clerici in Sacris conſtituti, qua exiſtente pro alienatione Patrimonii, ad cujus titulum fuit ordinatus, ſuum debet præſtare conſenſum. 39. 121.

Alimenta.

Epiſcopus exiens per villas, & Oppida, non cauſa viſitationis, ſed ſolum, ut Sacramentum Confirmationis conferat, non poteſt recipere Victualia 284. 852.

Concilium admonet Epiſcopos, ut frugali victu contenti ſint; & hoc intelligendum eſt de omnibus Eccleſiaſticis, maximè ſi habeant Eccleſ. Beneſ. pag. 264. & 265. *num.* 794.

Eccleſiaſtici valdè nobiles, aut magnæ litteraturæ, cæteris paribus poſſunt plus aliis minùs nobilibus, & minùs doctis in ſui ſuſten-

Digitized by Google

ſuſtentationem inſumere; debet tamen talis exceſſus ſuſtentationis eſſe moderatus. 265. 794.

Ad Epiſcopū pertinet judicare de bonorum ſufficientia pro victu Clerici in Sacris conſtituti. 39. 121.

Qui non ſuppeditavit alimenta Uxori, eſt tantùm cauſa remota Adulterii, niſi Vir ea intentione alimenta negaſſet, ut neceſſitate compulſa Adulterium committeret. 213. 640.

Secuto Divortio per ſententiam Judicis, Maritus non tenetur alimenta præbere Uxori adulteræ. 215. 645.

Quamvis ſententia Divortii non ſit ſecuta, quoties Maritus certus ſit de Uxoris Adulterio, poteſt in conſcientia alimenta negare: ſed in foro externo poteſt à Judice compelli ad præbendum alimentū Uxori, donec ſententia ſequatur. Ibidem.

Cum periculo Incontinentiæ non excuſat Conjuges ab obligatione reddendi debitum gravis difficultas in alendis filiis. 172. 498.

Patres tenentur alere filios, etiam naturales. pag. 318. quæſ. 2.

Mittentes filios ad hoſpitale, ſive legitimos, ſive naturales, tenentur ad omnes expenſas, quas hoſpitale facit in eis alendis, niſi ob notabilem paupertatem excuſentur. Ibidem.

Reo dum eſt in Eccleſia, negari non poſſunt neceſſaria, quæ ſunt ad conſervationem vitæ. 224. 675.

Confugientes ad Eccleſiam, ſi habent proprium, ſibi victum providebunt de proprio; quod ſi non habent, nec quærere poſſunt, Eccleſia providere debet. Item ſi habent proprium, & eo uti non poſſunt, Eccleſia providebit, ſed tenentur ad reſtitutionem, quando ſua poterunt rehabere. 224. 676.

Necare dicitur, qui non alvit. pag. 409. quæſ. 1.

Altare.

Non eſt opus, ut in Altari, dum Miſſa celebratur, collocetur Crucifixus, ſed ſufficit, quod adſit Crux tantùm. 78. 239.

Altaria debent cooperiri tribus Mappis, ſeù tobaleis, in Repræſentationem Sanct. Trinitatis. 78. 240.

Si Epiſcopus excommunicatus denunciatus Altare conſecravit, in hoc celebrandum non eſt. 241. 729.

Quoad Miſſæ celebrationem prohibitā in Altari, in quo Epiſcopus eadem die celebravit, Patriæ conſuetudini ſtandum: Et ubi viget, ea qua decet reverentia, obſervanda eſt. 82. 245.

Ordinarius non poteſt concedere ut partes Altaris collapſi ad uſus profanos vendantur. pag. 246. & 247. num. 747.

Si Eccleſia per longum tempus ſteterit abſque tecto, & Janua, & plena multis ſpurcitiis, ſatis erit, ſi Epiſcopus bis ejectis, Altaria viſitet, & an ſint integra, fracta, vel polluta, tàm oculis ſuis, quàm aliorum luſtret, luſtrata reconciliet aſperſione aquæ benedictæ, benedictione ſimplici, aut reconciliare per Sacerdotem ſua auctoritate, ac nomine curet. 247. 749.

Non committitur Sacrilegium ubi non eſt propriè locus Sacer, quamvis fortè ibi Altare ſit. pag. 107. quæſ.

Altare portatile.

Urgente neceſſitate jure communi permiſſū eſt celebrare ſub dio, & extrà Eccleſiam, aut Oratorium deſignatum, modò tamen adſit Altare portatile ab Epiſcopo conſecratum. 82. 249.

Judici conſulendum, ut conſuetudinem introduceret, quod portantes ſecum Aram portatilem gauderent Immunitate Eccleſiaſtica. pag. 239. quæſ.

Ambientes.

Ambientes, & proſe, vel pro aliis, vota vel ſuffragia in Capitulis procurantes, incidunt in pœnam privationis officiorum quæ obtinent, ad futura quæcumque pariter inhabiles habentur; nec ab ullo poſſunt diſpenſari, niſi à ſummo Pontifice. 153. 764.

Qui propter ambitionem principaliter Epiſcopatum appetit, & ſimiliter propter am-

ambitum alium pinguiorem Epiſcopatū procurat, mortaliter peccat. 263. 789.

Amicitia.

Turpis Amicitia non habet conditiones veræ amicitiæ. 202. 601.

Apoſtaſia à Religione.

Non conſiſtit præcisè in habitus dimiſſione. 41. 125.

Ille dicitur Apoſtata, qui diſcedit animo deſerendi ſtatum religioſum; aut intentione non ampliùs redeundi. Ibidem.

Apoſtatę à Religione, traſeuntes ad partes hæreticorum: & cum eis communionem habentes, ſunt de hæreſi ſuſpecti; dummodò aliquid agant in contemptum religionis Catolicæ. Item quoties Apoſtata per annum in excommunicatione inſordeſcit: & poſtquam eſt declaratus excommunicatus, non curat ad Religionem redire. Tandem tranſeuntes ad Hæreticos, vel Judeos, &c. ex libidine, & deſperatione. pag. 41. quæſ.

Apoſtatæ à Fide.

Puniendi ſunt, ut Hæretici. pag. 42. quæſ.

Etiam occulti ſunt excommunicati, & Irregulares: ſed Epiſcopus tunc poteſt cum eis diſpenſare, non verò abſolvere ab excommunicatione. 328. 991.

Qui lapſi ſunt in Apoſtaſiam à fide, poſſunt diſpenſari ab Epiſcopo quoad uſum ordinum ſuſceptorum; quoad uſum verò Sacerdotii in Sacrificio Miſſæ ſolus Papa diſpenſare poteſt. pag. 330. quæſ.

Appellatio.

Adire Superiorem ob injuſtum gravamen, habet vim appellationis. 40. 124.

A Papa nullus jure appellare poteſt. 42. 126.

Nec ab æquali ad æqualem, nec à Superiori ad Inferiorem dari poteſt appellatio. Ibidem.

Aſſaſſinium.

Ad Aſſaſſinii requiritur, non quidē mandatū advulnerandum, ſed ad occidendum, & pecunia, vel loco pecuniæ aliqua res pretio æſtimabilis. 224. 677.

Sub nomine Aſſaſſinii, non venit mediator. 225. 680.

Aſſaſſinus.

Etiam Graſſatores viarum dicuntur Aſſaſſini. 225. 678.

Qui mandato alterius, mediante pecunia occidit communem inimicum: in rigore non dicitur Aſſaſſinus; item nec qui præſente mandante occidit. 215. 681.

Attentio.

In recitatione Divini officii, & in auditione Miſſæ, neceſſaria eſt attentio. 43. 128.

Qui non habet attentionem ſaltem implicitam, & virtualem, more Pyttaci vociferatur; ſed reverà non orat. Ibibem.

Attritio.

Cum quis dolet de Peccato, ſed ſi non eſſent Pœnæ inferni, non curaret Deum offendere: ille dolor non eſt attritio. 18. 52.

Actus attritionis eſt, ſi quis, cum propoſito non peccandi de cætero, doleat ſe non habere tantum dolorem, quantum exigeret offenſa Dei. 18. 58.

Ad Suſceptionem Sacramenti Baptiſmi, & Pœnitentiæ, ſufficit Attritio. 160. 466.

Non quælibet attritio ſufficit ad gratiam, & fructum in Sacramento Pœnitentiæ ſuſcipiendum: ſed requiritur, & ſufficit attritio ſupernaturalis, & efficax. p. 44. num. 132. & pag. 164. quæſ.

B

Bannitus.

Bannitus, ſibi proſpicere debet, & ſibi imputare, ſi in ſtatu peccati mortalis occidatur 47. 139.

Capitaliter Banniti confugientes ad Eccle-

 ſiam

ſtam, gaudent ejus immunitate; dummodò delictum, pro quo ſunt Banniti, non ſit de exceptuatis in Bulla Gregoriana. pag. 46. ſub num. 135. & 136.

Benedictio.

Non eſt neceſſarium, quod Abbates conferentes primam tonſuram, aut Ordines minores, ſint benedicti. 1. 1.

Eſt ſpeciale privilegium pro Abbatibus Congreg. Caſſinenſis, ſe ingerere in illis Benedictionibus, in quibus Sacra Unctio requiritur 2. 2.

Ad Parochum, non ad Cappellanũ, pertinet Benedictiones facere Cinerum, Candelarũ, Ramorum Olivæ, Ovorum, aliorumque frugum: niſi adſit couſuetudo in contrarium, & ſit ſufficienter præſcripta. 69. 213.

Benedicere dona Dei: officium eſt Presbyterorum, non Diaconorum; unde ſolus Sacerdos, & non Diaconus, valet aquam benedicere. 200. 591.

Eccleſia, pro forma Conſecrationis Calicis verbalem benedictionẽ aſſignavit 63. 193.

Sæcularis, licentiam habens prædicandi à Prælata Regulari, juriſdictionem habente in loco, in quo prædicatio eſt facienda, tenetur petere Benedictionem ab Epiſcopo; multò magis quàm Religioſi. 121. 351.

Qui celebrat Miſſam coram Epiſcopa exiſtente in propria Diœceſi, in fine Miſſæ debet inclinare caput, & expectare ab Epiſcopo licentiam benedicendi adſtantes, deinde illos benedicere, ſed non Epiſcopũ; poſteà iterum ſe debet Epiſcopa inclinare, veluti expectans ab illo benedici. 81. 247.

De Jure communi non licet celebrare, niſi in Eccleſia conſecrata, vel benedicta. 82. 249.

Si Oratorium non eſt conſecratum, aut benedictum; non eſt opus, ut qui commiſit aliquod luxuriæ peccatum in Oratorio privata, hanc circumſtantiam in confeſſione aperiat. pag. 107. *quæſ.*

Sacer dicitur locus, dum eſt benedictione deputatus ad officia divina, aut ſepulturam. Ibidem.

Cæmeterium, eo ipſo quod ſepulturæ fidelium eſt deputatum, præſumitur benedictum eſſe. 233. 712.

Omnes Eccleſiæ benedictæ gaudent Immunitate. 234. 717.

Eccleſia cenſetur polluta, ſi per Epiſcopum excommunicatum denunciatum fuerit benedicta; & ſi cœmeterium benedixit, in eo ante reconciliationem non eſt ſepeliendum. 241. 729.

Sex ſunt Caſus, in quibus Eccleſia tamquam polluta, indiget reconciliatione per novam benedictionem. Ibidem.

Eccleſia polluta, ſi erat conſecrata, non poteſt, niſi per Epiſcopum reconciliari cum aqua per ipſum benedicta, ſcilicet cum ſale, vino, & cinere; non conſecrata verò poteſt reconciliari per ſimplicem Sacerdotem cum aqua benedicta communi. 245. 744.

Si Eccleſia ſemel conſecrata, per longum tempus ſteterit abſque tecto, & Janua, & plena multis ſpurcitiis: ſatis erit ſi Epiſcopus bis ejectis, Altaria viſitet, & an ſint integra, fracta, vel polluta, tàm oculis ſuis, quàm aliorum luſtret: luſtrata reconciliet aſperſione aquæ benedictæ, benedictione ſimplici, aut reconciliari per Sacerdotem ſua auctoritate, & nomine curet. 247. 749.

Benedictio Nuptiarum.

Eſt ſanum conſilium Matrimonium conſummare ante Benedictionem, quando ex aliqua juſta cauſa differuntur, eſtque periculum incontinentiæ. 48. 141.

Dando benedictionem ſolemnem tempore ab Eccleſia interdicto: Sacerdos graviter puniendus eſſet; ſponſi verò in pœnam criminis ſeparandi eſſent ad tempus, niſi periculum incontinentiæ timeatur ob ſeparationem, ſed puniri deberent alia pœna. 48. 142.

Benedictiones non reſpiciunt Nuptias, ſed Perſonas. 49. 175.

Beneficia Eccleſiaſtica, & Beneficiarii.

Beneficium appellatur Res Dei, Patrimonium Chriſti, & bona Pauperum. 260. 782.

Qui

Digitized by Google

Qui aliquod Beneficium ſimplex exoptat, ſufficit quod habeat 14. annos inceptos. 32. 93.

Si Epiſcopus in hoc diſpenſaret, collatio Beneficii nulla eſſet. 33. 94.

Debet eſſe Clericus, ſaltem prima tonſura initiatus, ac nullo canonico impedimento irretitus, ſcilicet non irregularis, excommunicatus, ſuſpenſus, & hujuſmodi. 32. 93.

Debet eſſe dignus, quod conſiſtit in ſcientia, morum rectitudine, & aptitudine ad officium. Ibidem.

Qui Jus habent conferendi beneficia per proviſionem liberam, non ſunt Domini Beneficiorum, ſed Æconomi. 252. 759.

Beneficia ſine cura Animarum, quæ quis de rebus propriis inſtituit, & vult dari iis, qui ſibi ſunt cognati, aut de ejus familia, poſſunt conferri Cognato digno, relicto non cognato digniori. 251. 757.

Concilium prohibet Epiſcopis tollere, etiã cum conſenſu Patroni, qualitates in fundatione Beneficiorum appoſitas. 277. 829.

Unum tantùm Beneficium habere debet. 32. 93.

Epiſcopus non poteſt plura ſimplicia, ultrà duo conferre ſine Papæ diſpenſatione. 55. 166.

Epiſcopus diſpenſare non poteſt cum Bigamis in Irregularitate, ad Beneficium etiam ſimplex, in bigamia vera, vel intepretativa, ſed tantum in ſimilitudinaria, ſi talis Bigamus contraxit cum Virgine. 58. 175.

Qui nondum attigit annum 25. ætatis, ſine Diſpenſatione non poteſt retinere Beneficium cum cura animarum, nec fructus percipere. 33. 97.

Beneficiarius, qui divinum Officium recitat ſine attentione, tenetur ad reſtitutionem fructuum, & ſi recitat in Choro ex officio abſque attentione, neque diſtributiones in conſcientia retinere poteſt. 44. 130.

Collatio Beneficiorum non eſt actus ordinis, ſed Juriſdictionis. 49. 146.

Beneficiorum Permutatio.

Ex Bulla Pauli IV. prohibitum eſt ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & Summo Pontifici reſervatæ, recipere Beneficium animo permutandi. 50. 151.

Dicta Bulla procedit de impetrantibus Beneficia in Curia Romana, non ab Ordinariis locorum. Ibidem.

Licet partibus inter ſe tractare de futura permutatione, ſi Superior conſentiat. 54. 163.

Beneficiorum Pluralitas.

Ad obtinendum plura ſimul beneficia, juſta cauſa diſpenſandi non eſt, niſi ob neceſſitatem, vel utilitatem Eccleſiæ. 55. 168.

Multi fuerunt æternaliter condemnati, propter Beneficiorum pluralitatem. Ibidem.

Cardinalibus conceditur, ut plura Beneficia ſimul habeant. 72. 220.

Beneficiorum Reſignatio.

Ex Bulla Pauli IV. prohibitum eſt ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & Summo Pontifici reſervatæ, recipere Beneficium, animo reſignandi. 50. 151.

Dictam pœnam non incurrit, qui poſt aliquot annos habet intentionem reſignandi Beneficium. 51. 151.

Etiam, qui obtinet Beneficium, cum animo dubio, aut conditionali illud reſignandi in favorem alterius, dictam pœnam non incurreret. Ibidem.

Dicta Bulla procedit de impetrantibus beneficia in Curia Romana, non ab Ordinariis locorum. ibidem.

In Romana Curia datur Juramentum: quod non accipiatur Beneficium animo reſignandi. 50. 150.

Bigamia.

Qui ducit fœminam à ſeipſo corruptam ante Matrimonium, non ſit Bigamus. 56. 170.

Bigamia facit hominem irregularem. 205. 613.

Qui poſt Votum ſolemne, Caſtitatis Matrimonium celebrat cum aliqua, Virgine, vel corrupta eamque carnaliter cognoſcit, fit irregularis ratione Bigamiæ:
Bigamia vera, majorem habet Bigamiæ rationem, quàm interpretativa, & hæc quàm ſimili tudinaria. 58. 176.

Blaſphematores, & Blaſphemiæ.

Blaſphemias hæreticales proferens, eſt impius Blaſfemus. 59. 181.
Blaſfemias hæreticales proferens ſine errore adverſante Catholicæ fidei, non eſt Hæreticus. Ibidem.
In Foro externo habetur tanquam Hæreticus, & excommunicatus. Ibidem.
Talis perditiſſimus Peccator, ſi extrà Sacramentalem Confeſſionem innoteſcat, Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis denunciari debet. Ibidem. *& p.* 184. *n.* 450.
Evomentes Blaſphemias hæreticales, in inquiſitione Romana habentur vehementer ſuſpecti de hæreſi, & imponitur eis abjuratio de vehementi. 60. 188.
Blaſphemi hæreticales, attentis DD. Inquiſitorum Edictis, denunciandi ſunt abſque prævia correctione. 166. 479.
Qui intra triduum illos non denunciat, Blaſphemantis pœnas incurrit. 185. 542.
Si blaſphemia ſit ſimplex, ſufficit, ſi denunciatio fiat Epiſcopo, maximè, ſi Blaſphemus conſuetudinem habet Blalſphemandi. p. 184. *&* 185. *num.* 541.
Blaſphemiæ ſimplices ſunt etiam mixti fori, & pertinet earum cognitio, tàm ad Judicē Eccleſiaſticum, quàm ad Secularem: ita ut inter eos ſit locus præventionis. 185. 541.
Blaſfemiam hæreticalem evomens, Eccleſiæ immunitate gaudere non poteſt non ratione Blaſfemiæ, ſed quia eſt ſuſpectus de Hæreſi. 59. 182.
Blaſphemi in ira ſemel, bis, & ter ſi ira magna fuit, & ex cauſa juſta, non ſolent abjurare: conſuetudinarii verò in ira & extrà iram, de vehementi. 60. 186.
Minimè eſt dubitandum, quod qui dicit per modum contemptus, Al coſpettaccio di Dio, al Sanguaccio di Dio, Dio Sacratone &c. *incidat in caſum reſervatum ubi eſt reſervata Blaſphemia*. 76. 232.
Senſus horum verborum, al diſpetto di Dio, *eſt quod omninò debet fieri id, quod Blaſphemans profert, etiamſi Deus ſuà omnipotentià nolit*. 60. 185.
In his Verbis, al coſpetto di Dio, Corpo di Dio, Sangue di Dio, poſſar Dio, poſſanza di Dio, *quia, ut plurimum abeſt intentio Blaſphemandi, ſeù convicium inferendi Deo, aut falſum dicendi, non ſunt veræ Blaſphemiæ; niſi ex conſcientia erronea*. 60. 187.
Hujuſmodi Blaſphemiæ; Deus non vult mihi ſuccurrere, ſuccurrat igitur mihi diabolus; Deus non recordatur mei, memor igitur mei ſit diabolus; derogant, tùm Juſtitiæ, tum providentiæ Dei; ideoque habentur hæreticales. 185. 544.

Bona externa.

Sunt media ad conſervationē vitæ. 177. 511.
Dicuntur ſanguis, & vita hominis. Ibid.

Bona Fama.

Eſt bona opinio communis de aliquo circa aliquod ipſius bonum 203. 602
Eſt pretioſior Auro, & Divitiis. 315. 952.

Bona Fides.

Pœnitens, qui bona fide eſt confeſſus, apud Deum excuſatur, ſi inveniri à Confeſſario non poſſit, ut ei detegat ſuum errorem. 231. 373.
Non tenetur repetere Confeſſionem, qui confitetur Confeſſario aliquando dormienti, aut non advertenti ob ſurditatem, vel animi diſtractionem: dummodò bona fide ſua peccata aperuerit; ſed quando cognoſcit confeſſarium unum, vel plura peccata nullo modo intellexiſſe, tenetur in ſequenti Confeſſione iterum explicare. pag. 144. *&* 145. *num.* 415.
Poſt factam ſcienter, & malitiosè unam Confeſſionem invalidam, aliæ bona fide continuatæ cum ingnorantia invincibili, vel inadvertentia ad primam, validæ fuerunt, & ſemper validæ remanent. 145. 417.

Bona fides Pœnitentis, dum ad Diœceſim Confeſſarii ſe transfert, devotionis, aut negotiationis gratiâ, operatur dumtaxat, ut abſolvi poſſit à reſervatis, non autem ab excommunicatione reſervata. 25. *quæſ.* 2.

Bona fide ordinatus ante legitimam ętatem, ſuſpenſionem non incurrit, neque irregularitatem, ſi celebrat, etiam adveniente mala fide. 35. 103.

Nulla indiget diſpenſatione, ut Miſſam celebrare queat, & qui bona fide ſuſcepit ſacros Ordines, credens mortuam eſſe Uxorem: licet durante Matrimonio non poſſit, ſed ſolùm poſt mortem Conjugis. 95. 282.

Si quis in Calice non conſecrato, bona fide celebret, non per hoc maneat conſecratus. 63. 193.

Poteſt Sacerdos ſine metu Irregularitatis inſervire Infirmo, dum bona fide putat, quod mortem Infirmo ſua actio acceleratura non ſit. 407. 1177.

Eccleſia minimè cenſenda eſt conſecrata, ex eo quod bona fide [id quod in nullo jure fundatur] quis in ea Miſſam celebraverit. 245. 743.

Qui bona fide emit rem à latrone, ſufficit, ſi illi reſtituat ut recuperet ſuum pretium; ſi verò pretium recuperare non poteſt, eam Domino reddere tenetur. 261. 785.

Qui falſam Monetam alicujus magni valoris bona fide accepit, non ſolùm peccat mortaliter, & ad reſtitutionem tenetur, ſi ſcienter & pro bona eam expendit: ſed ſi eadem bona fide in alium tranſtulit, adhuc tenetur ad reſtitutionem. 304. 918.

Qui putat ſe habere cauſam ſufficientem, quæ excuſet à Jejunio: licet verè non ſit ſufficiens, non peccat, ſaltem mortalitèr, ſed Confeſſarius, ſi viderit illum magnam in jejunando difficultatem habere, non debet eum à ſua bona fide deponere, ſed exhortari, ut experiatur jejunare, & inducere ad petendam diſpenſationem. 348. 1044.

Nemo debet ſe reputare illegitimum propter aliquem rumorem, & Infamiam, cum prævaleat poſſeſſio bonæ fidei. 363. 1073.

Bona immobilia.

Bona Mobilia, quæ triennio non corrumpuntur, quoad æſtimationem comparantur inter immobilia. 37. 118.

Bona Opera.

Tutior eſt, ut bonum, quod quiſque poſt mortem ſuam ſperat agi per alios, agat ipſe, dum vivit per ſe. pag. 98. *quæſ.* 4.

Bona ratio.

Bona ratione ſcrupulus eſt deponendus. 113. 440.

Qui in dubio ex duabus opinionibus contrariis unam eligit, debet, cum aliqua bona ratione ex animo dubietatem expellere, certò credens opinionem ab eo electam eſſe veram. 219. 659.

Bonum commune.

Debet præferri bono privato. pag. 47. *num.* 139. *pag.* 48. *num.* 140. *pag.* 186. *num.* 547. *pag.* 187. *num.* 548. *pag.* 190. *num.* 557. *pag.* 193. *num.* 572. *pag.* 257. *num.* 774. & *pag.* 318. *quæſ.* 1.

Bonum publicum debet anteponi malo particulari, quod ſequitur delinquenti. pag, 194. *quæſ.*

Bonus.

In dubio quilibet præſumitur bonus. 184. 540.

Bullæ.

Non ſunt propria auctoritate corrigendæ, etiamſi ſenſus non mutetur, ſed per Officiales, ſeu Notarios in Curia deputatos, niſi difficilis ad ipſos aditus eſſet. 303. 914.

Conjuges de communi conſenſu voventes non petere, nec reddere debitum conjugale, poſſunt per ſimplicem Confeſſarium diſpenſari virtute Bullæ cruciatæ, ubi adeſt tale Privilegium. 209. 626.

Ex Bulla ſuper facultatibus Majoris Pœnitentia-

Digitized by Google

tentiarii, is facultatem habet abſolvendi hæreticum externum occultum, ſolum in caſu, quo, licet actus externus factus ſit coram aliis, nullus tamen ad talem actum advertit, vel in aliis caſibus, in quibus non eſt neceſſe complices denunciare. 327. 984.

A caſibus Bullæ Cœnæ non poſſunt abſolvere, nec Prælati Regulares, nec Epiſcopi. pag.24. quæſ.1, & pag.326. num. 983.

Nec etiam noſtri Inquiſitori. 326.983.

Caſus in Bulla Cœnæ, dubiè, vel clarè, ſunt reſervati. 20.58.

Hæreticus eſt excommunicatus in Bulla Cœnæ. 59. 181.

Excommunicatio, quæ incurritur ob violationem libertatis Eccleſiaſticæ, eſt reſervata in Bulla Cœnæ. pag.238. quæſ.1.

Non poteſt Confeſſarius virtute Jubilæi abſolvere à caſibus in Bulla Cœnæ reſervatis: niſi Pontifex in Jubilæo de illis expreſſam faciat mentionem. pag.418. quæſ.

In Bulla Jubilæi non ponitur exceptio: ut non abſolvatur peccans ſpe abſolutionis obtinendæ. 416. 1191.

Habentes temporale dominium, ſi prohibent laicos, ne Clericis exhibeant aliqua ſervitia, & obſequia, incurrunt pœnam excommunicationis Bullæ Cœnæ, quia faciunt contrà libertatem Eccleſiaſticam. 111. 332.

Ex Bulla Pauli IV. prohibitum eſt ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ac ſummo Pontifici reſervatæ, recipere Beneficium animo reſignandi, vel permutandi. 50. 151.

Explicatur dicta Bulla. Ibidem.

Bulla B. Pii V. non excipit à recitatione Divini Officii habentes beneficium tenue. 53.159.

Ex Bulla B. Pii V. etiam Clericus, qui non eſt Sacris Ordinibus initiatus, habens onus recitandi Officium ratione Beneficii, ſi culpabilitèr illud recitare prætermittit, non ſolum peccat mortaliter, ſed etiam tenetur reſtituere pro rata juxtà omiſſionem Officii. pag.53. num.160. & pag. 54. num.161.

Item, ex Bulla B. Pii V. Qui plura beneficia juſtè, & cum legitima Superioris authoritate retinet, tenetur fructus omnium Beneficiorum pro rata Officii culpabiliter omiſſi reſtituere. 56. 169.

Privilegia Regularibus conceſſa quoad tempus celebrandi Miſſas revocata ſunt à Bulla B. Pii V. 85. 258.

Monaſteria, & Domus Religioſorum, tàm Regularium, quàm Sæcularium, gaudent privilegio Immunitatis, ex Bulla Greg. XIV. 234. 717.

Juxta dictam Bullam Miniſtri Curiæ extrahentes reum ſine licentia Epiſcopi ab Eccleſia, incurrunt ipſo facto pœnam excommunicationis, à qua abſolvi non poſſunt niſi a Summo Pontifice. 236.722.

Poſt eandem Bullam ad incurrendam hanc excommunicationem, ſufficit attentatio, ſcilicet actio, qua quis opere externo tentavit extrahere exiſtentem in loco ſacro. 236. 723.

Reſervatur etiam hæc excommunicatio in Decretis Clem. VIII. pag. 238. quæſ.1.

Octo ſunt caſus ex Bulla Gregorii XIV. in quibus delinquentibus Immunitas Eccleſiaſtica non ſuffragatur. 231. 707.

Licet Crimen læſæ Majeſtatis in Perſonam Principis, ſit unus, ex caſibus exceptuatis in prædicta Bulla, cui immunitas Eccleſiæ non ſuffragatur; tamen cùm quis illud ſcit, & non revelat, hoc crimen omiſſionis in ea Bulla non comprehenditur. 229. 707.

Ex diverſis Summorum Pontificum Bullis: omnes dominium temporale habentes, qui in terris ſuis locum ad Monomachiam concedunt, hoc eſt cauſa duelli, ultra alias graviſſimas pœnas, incidunt etiam in excommunicationem latæ ſententiæ, à qua, excepto Summo Pontifice, nullus poteſt abſolvere, niſi in mortis articulo. 220. 664.

Id clarè patet ex Bulla Clem. VIII. 221. 664.

Item ex Bulla Clem. VIII. Gregor. XIII. & Pii IV. incidunt etiam in talem excommunicationem, tum duellantes, vel diffidationem facientes, tum Patrini, & conſulentes, tum huic ſpectaculo concurrentes. 221. 665.

Ex

Digitized by Google

Ex Bulla Gregorii XV. Confeſſarius, qui non declarat fœminæ ab alio ſollicitatæ obligationem denunciandi, aut eidem dicit ad talem denunciationem faciendam non teneri, ab Inquiſitoribus, pro qualitate culpæ poteſt puniri. 192. 567.

Multæ ſunt pœnæ impoſitæ contra Duellantes, ex Bullis Summorum Pontificum, præſertim contra Clericos. 108. 320.

C

Calix Miſſæ.

Calici bæſiſſe Hoſtiæ particulam, in Calice infuſam, advertens Sacerdos, poteſt digito ad labrum Calicis adducere; ſed melius eſt propter majorem reverentiam infundere vinum. 87. 263.

Cambium.

Poſſunt Regulares abſq; conſenſu Sac. Cong. pecunias ad cambium ſumere, ſi aliter non reperiant, quando tam urgens eſt neceſſitas; ut expectare non poſſint Sac. Cong. licentiam. 38. 118.

Canonici.

Licitè conſpirare poſſunt de non parendo Epiſcopo excommunicato, vel non eligendo indignum. 28. 80.

Canonicus, niſi ſit ætate annorum 22. *non poteſt habere vocem in Capitulo, licèt poſſit eſſe annorum* 14. *ut ſit Canonicus in Collegiata.* 33. 95.

Requiritur ætas annorum 14. *ad obtinendas dimidias portiones in Cathedrali, nec tales dimidiæ portiones habent annexum Ordinem Sacrum.* Ibidem.

Quando Canonicatus Sacerdotalis alicui confertur, non eſt neceſſe ut actu Sacerdos ſit: ſed ſufficit ut aptitudinem habeat Ordinem Sacerdotalem recipiendi intra annum à die adeptæ poſſeſſionis, immò ſi infrà annum non ſit Sacerdos, juſto aliquo impedimento detentus, excuſatur. 108. 317.

Ratione Doctoratus nulla datur præeminentia inter Canonicos, ſed debent præcedere ratione Canonicatus, aut antiquitatis præbendæ, vel promotioni ad illam, juxtà conſuetudinem Eccleſiarum, in quibus habent Canonicatū. pag. 114: *quæſ.* 3.

Canonici coadiutores, viventibus coadiutis, ſedere debent in ultimo loco ejuſdem Ordinis coadjuti; ſed ſi Coadiutor eſſet in Dignitate; abſente, vel impedito coadiuto ſuo, tunc præcedit omnibus Canonicis. Ibidem.

Aſſumptus ad Canonicatum, tenetur publicæ fidei profeſſionem emittere. 314: 947.

Capitulum Sede vacante.

Poteſt per ſe conferre Beneficium, quod cum Epiſcopo providere ſolebat. 49. 146.

Poteſt etiam per ſe ipſum conferre Beneficium Jurispatronatus, licet ſolus Ordinarius conferebat. Ibidem.

In locum Epiſcopi, quoad ea, quæ ſunt Juriſdictionis, non dignitatis Epiſcopalis, ſuccedit. 249. 753.

Succedit in omnem Juriſdictionem ordinariam Epiſcopo competentem. pag. 65. *num.* 202. & *pag.* 66. *num.* 203.

Venit nomine Epiſcopi. 66. 204.

Si præſtat aſſenſum donationis Jurispatronatus, præſtat titulum coloratum ad præſcribendum. Ibidem.

Cappellani, & Cappellania.

Cappella poteſt conferri Clerico minorum Ordinum, licet ſolum habeat annos 14. 69. 212.

Non poteſt Epiſcopus diſpenſare, etiam ex conſenſu hæredis, quod Cappellania, actu, vel habitu Sacerdotalis, ſaltem una, vel altera vice, conferatur Clerico 14. *annorum.* 277. 829.

Carceratus.

Non ſit irregularis Epiſcopus, Prælatus, ſive alius Judex ſi Carceratus moriatur. pag. 409. *quær.* 1.

Si

Digitized by Google

Si carcer eſſet adeò arctus, ut careret ſufficienti aere, aut Carcerato cibus, & neceſſaria ad vitam negarentur, ita ut conſumatus periret, ſecuta morte, Epiſcopus, Prælatus, vel Iudex eſſet irregularis. Ibidem.

Carceratus ob ſua demerita pane doloris, & aqua anguſtiæ eſt ſuſtentandus, non autem illicò conſumandus. pag. 408. *quæſ.* 1.

Non eſt de facili Clericus incarcerandus, quia excommunicatus eſt, qui injurioſè Clericum detinet. pag. 409. *quæſ.* 1.

Cardinales.

Ad Cardinalatum requiritur ætas, ut intra annum poſſit promoveri ad eum ordinem, ad quem deſtinatur. 33. 96.

Cardinales dicuntur inviſcerati Papæ, & dicuntur pars corporis Papæ, & una perſona cum illo. 73. 224.

Quando, pars Cardinalium ſufficiens ad electionem Papæ, vult dignum in Papam eligere, prætermiſſo digniori: tunc minor pars tuta conſcientia, poteſt ſe conformare cum majori. 251. 758.

Eorum declarationes magnam inducunt probabilitatem. 176. 510.

Filii, & nepotes offendentium Cardinalem, ſunt inhabiles ad Beneficia Eccleſiaſtica conſequenda. 52. 156.

Quod dicitur de celebrante Miſſam coram Epiſcopo exiſtente in propria Diœceſi, multò magis procedit de celebrante coram Cardinali. 81. 247.

Cardinalis, Major Pœnitentiarii.

Facultatem habet abſolvendi hæreticum externum occultũ, ſolùm in caſu, quo licèt actus externus, factus ſit coram aliis, nullus tamen ad talem actum advertit, vel in aliis caſibus, in quibus non eſt neceſſe complices denuntiare. 326. 984.

Caſus reſervati.

Caſibus omnibus, qui ſunt Papæ reſervati, annexa eſt aliqua cenſura. 12. 30.

Caſus in dubio, non præſumitur reſervatus, loquendo de caſibus reſervatis ab Epiſcopis, ſed Caſus in Bulla Cœnæ, dubiè, vel clarè, ſemper ſunt reſervati. 20. 58.

Caſus, qui à jure ſunt Epiſcopis reſervati, ſunt quinque, aut ſex. 21. 62.

Qui ſcienter negat, Epiſcopum caſus ſibi reſervare poſſe, excommunicationis pœnam incurrit. 74. 227.

Ideò reſervantur caſus, ut crimina graviora corrigantur, ſalubrioraque ijs remedia adhibeantur: & ut ex difficultate impetrandæ veniæ ſceleſti homines reddantur minùs proclives ad committenda peccata. 75. 228.

Qui conſultò, & data opera aliò ſe transfert in fraudem reſervationis, pœnam reſervationis non evadit. 75. 229.

Celebratio Miſſæ.

Sacerdos ſimplex, qui ſolùm quater in anno celebrat, licèt non peccet mortalitèr ſecluſo ſcandalo, & contemptu, tamen peccat venialiter, quia defraudat Eccleſiam ſuo ſacrificio, ad quod offerendum eſt conſtitutus Miniſter. 92. 277.

Nullus tenetur quotidie celebrare, ſed debet celebrare, ſalva reverentia, & honeſtate. 66. 205.

Si inſtitutio Miſſæ dirigatur ad perſonam Sacerdotis, & eligatur Cappellanus qui quotidie celebret, poteſt tuta conſcientia, ſemel in hebdomada à celebrando vacare: ſed non poteſt in tali die celebrare Miſſam pro aliis, & accipere ſtipendium. Si verò Inſtitutor dixerit, quod per ſe, vel per alium Cappellanus celebret, vel ut dicatur ab ipſo quotidie Miſſa in tali Eccleſia, vel Cappella; tunc qui hujuſmodi onus habet, tenetur quotidie celebrare. Ibidem.

Ex aliqua inurgenti neceſſitate licet Cappellano quater, vel ſexies per annum pro ſe ipſo, vel ſibi conjuncto, ad aliquam à Deo gratiam obtinendam celebrare. 68. 211.

Cappellanus quotidie obligatus ad celebrandum, non tenetur pro inſtitutore Cappellaniæ applicare Miſſam in die

commemorationis omnium Defunctorum, neque tres Miſſas in die Nativitatis Domini, ſed unam tantùm. 68. 209.

Si Capellani infirmitas non excedat 15. dies, non obligaret illum ad Miſſas celebrandas, nec per ſe, nec per alium, niſi tale Beneficium, aut nota conſuetudo id non permittat, quia tunc majori rigore urgebit obligatio quotidiana. 67. 206.

Si Teſtator dicat, ut Cappellania conferatur Sacerdoti, & in fundatione talis Cappellaniæ cautum non eſt, ut Cappellanus per ſe ipſum Miſſas celebret, non tenetur promoveri ad Sacerdotium; ſed debet curare, ut per alium Miſſæ celebrentur. 69. 212.

Cappellanus, vel alius, qui ſimplici beneficio cum onere miſſarum gaudet, poteſt ſine licentia Epiſcopi alium idoneum ſubſtitutum deputare pro tali munere; niſi in inſtitutione Cappellaniæ expreſſè fuerit diſpoſitum, ut Cappellanus per ſe ipſum celebret. 67. 207.

Epiſcopus non poteſt cogere obtinentem Cappellaniã ut ipſe met celebret, licèt in ejus fundatione diſponatur, quòd Rectores celebrent. Ibidem.

Sufficit dare ſubſtituto juſtam ſtipem, & conſuetam juxtà morem Patriæ. 67. 208.

Cappellanus obligatus ad Celebrandum in certo Templo, Oratorio, vel Altari, peccat mortaliter alibi celebrando, fraudãdo promiſſum in re magni momenti, quamvis excuſetur propter parvitatem materiæ, ſi bis, vel ter in anno in tali Cappella, vel Altari non celebret. 68. 210.

Si Cappellanus in deſignato loco minimè celebravit, & aliquid inde ſuffragium Defunctis ſubtraxerit: tenetur hujuſmodi defectum aliis precibus compenſare; ſed ſi obligatio eſſet celebrandi in Altari privilegiato, ad reſtitutionem tenetur, cum tunc Teſtator grave pateretur damnum. Ibidem.

Non eſt peccatum mortale, ſecluſo ſcandalo, & contemptu, celebrare ſine imagine Crucis, vel Crucifixi, licèt commodè haberi poſſent. 78. 239.

Qui in Miſſa utitur Calice non conſecrato, incurrit pœnam depoſitionis ab officio, & Beneficio. 63. 192.

De jure communi non licet celebrare, niſi in Eccleſia conſecrata, vel benedicta. 82. 249.

Licèt permiſſum ſit in caſibus neceſſitatis celebrare ſubdio in Altari portatili ab Epiſcopo conſecrato, abſque eo quod accipiatur Epiſcopi licentia, ſecurius erit petere licentiam ab Epiſcopo. Ibidem.

Ex præcepto divino tenetur Sacerdos in Miſſa ſe communicare ſub utraque ſpecie. 94. 280.

Non poteſt Sacerdos partem ſibi debitam ex opere operato in ſacrificio Miſſæ alteri applicare, ut duplicatum in Miſſa ſtipendium accipiat. pag. 96. quæſ. 2.

Miſſa non eſt inſtituta, & ordinata ad ſuſtentationem Sacerdotis pauperis. 88. 268.

Eſt prohibita à Sac. Rit. Congr. in feſtis duplicibus celebratio pro Defunctis, excepta una ſolemni, præſente Corpore defuncti. 91. 275.

Decretum Sac. Rit. Congreg: celebrandam eſſe unam tantùm Miſſam feria quinta in Cœna Domini, multis in locis non eſt uſu receptum. 92. 278.

A Sac. Congr. prohibetur, ne præter illam Miſſam, quæ celebratur in nocte Nativitatis Domini, aliæ Miſſæ in ea nocte celebrentur. pag. 84. num. 256. & 257.

In Romana Urbe extat decretum de determinato tempore celebrandi Miſſas, niſi exhibeatur, & approbetur Privilegium aliquod. pag. 85. num. 257. & 258.

Cum de jure communi Miſſa ſit celebranda ab Aurora uſque ad Meridiem, Bulla B. Pii V. revocat Privilegia in contrarium Regularibus conceſſa. 85. 258.

Quia Miſſa debet celebrari, cum A. B. C. D. ideſt Altè, Breviter, Clarè, Devotè: illud Breviter debet cohærere, cum Devotè, præſertim ſi addatur altera littera, ſcilicet, ideſt exactè, aut exquiſitè; Denotat etiam illud Breviter, non ultrà mediam horam, & non minùs, quàm quadrantem, cum dimidio. 86. 259.

Miſſæ virorum debent eſſe de Sanctis, aut pro remiſſione peccatorum &c., non de requiem. pag. 98. quæſ. 4.

Eſt optimum conſilium, ut fideles curent pro ſe Miſſas non de requiem, ſed pro vivis,

ante mortem celebrari. Ibidem.

Tanta eſſe poſſunt Sacrificia in vita alicujus oblata, ut totam pœnam, quæ in Purgatorio debebatur, expient, ac deleant, ita ut ille decedens Cœlum ſtatim conſequatur. Ibidem.

Eſt valdè laudabile, quòd quiſque etiam poſt mortem ſibi Miſſas de Requiem applicari curet, cum ad extremum vitæ contrahere poſſit novas obligationes ad Pœnas Purgatorii, quas bonum eſt per ſacrificium poſt mortem tollere. Ibidem.

In collectis Miſſæ non poteſt aliquid addi ſub pœna peccati mortalis, præter orationem ſolitam. 186. 260.

Sacerdos in die Paraſceves exercet actionem, quæ dicitur celebratio. 148. 427.

Cum Sacerdos complet ſacrificium ab alio inceptum, etiam poſt Conſecrationem, talis actio ſub nomine celebrationis meritò comprehenditur. Ibidem.

Excommunicatus minori excommunicatione, celebrando Miſſam, Irregularitatem non incurrit. 294. 884.

Quem morbus impedit dicere officium divinum, poteſt licitè Miſſam celebrare. 381. 1110.

Cenſura.

Ignorantia etiam craſſa, & ſupina, excuſat transgreſſorem à cenſura. 20. 57.

Non excuſat ignorantia affectata, vel adeò craſſa, ut ſit quaſi ſcientia. Ibidem.

Pœnitens poſtque cognoverit ſe irretitum eſſe cenſura, ſatisfacit petendo abſolutionem cenſuræ, & confitendo peccatum, cui eſt annexa cenſura, quam per ignorantiã, vel oblivionem prætermiſerat confiteri. 145. 416.

Jure humano eſt inſtituta cenſura. 100. 286.

Cenſura debet eſſe medicinalis, & ſolùm inſtituta ad tollendam contumaciam. 17. 49.

Eſt Medicinalis, vel illi, contrà quem fertur, vel aliis. 292. 878.

Quando Clericus ob delictum jam perpetratum privatur officio, & Beneficio, in vindictam commiſſi criminis, talis privatio non habet rationem cenſuræ, quamvis privet divinis officiis. 17. 49.

Irregularitas, & ceſſatio à divinis, non ſunt cenſuræ. 100. 284.

Etiam ob culpam præteritam, & remiſſam, incurruntur cenſuræ ſub conditione effectus ſecuti. pag. 135. *quæſ.* 1.

Cenſuræ in Decretis Viſitationis Epiſcopalis infliguntur per modum præcepti, & Decreti. 100. 285.

Hæ vim ſuã amittunt mortuo, vel ab officio à moto Epiſcopo, ut nemo deinceps eas incurrat, quamvis ſi anteà incurrerat, ijs innodatus maneat, donec abſolvatur. Ibidem.

Cenſuræ per conſtitutiones Synodales perpetuò durant, ſicut & ipſæ conſtitutiones, niſi vel à ſucceſſore revocentur, vel contraria conſuetudine legitimè præſcripta abrogentur. Ibidem.

Poteſt Epiſcopus procedere ad cenſuras contra Miniſtros regios inconſulto Rege, ſeù Prorege. 283. 848.

Charitas.

Non eſt forma juſtificans, niſi præſuppoſitivè, ſeù diſpoſitivè. pag. 161. *quæſ.*

Omnia cum charitate tentanda ſunt, ut minori, cum detrimento proximi, ſubveniatur. pag. 19. *quæſ.*

Circũſtantiæ in confeſſione explicandæ.

Uxoratus, qui habet copulam cum conjugata, cum duo Adulteria committat, utrumque in confeſſione explicare tenetur. 30. 86.

Quando conjugatus rem habet cum Virgine, & Adulterium cum ſtupro conjungitur; id etiam explicari debet in confeſſione. 31. 87.

Quoties, non eſt circumſtantia, ſed Peccatorum multiplicatio. 100. 287.

Qualitas Perſonæ, cum qua committitur Inceſtus, non eſt circumſtantia actus, ſed quid pertinens ad ſubſtantiam actus. 141. 402.

Quantitas Officii omiſſi, non eſt circumſtantia neceſſariò aperienda in confeſſione. 143. 410.

Clau-

Digitized by Google

Claudus.

Claudus, vel debilis Sacerdos, poteſt Miſſam celebrare, licèt non poſſit ſine baculo incedere: modò tamen per ſe ipſum ad Altare accedere valeat, & ſine baculo Altari aſſiſtere poſſit. 82. 250.

Clauſura Monialium.

Violatio Clauſuræ Monialium ad malum finem eſt caſus Summo Pontifici reſervatus, à quo nemo poteſt abſolvere virtute privilegiorum. 387. 1115.

A caſu violationis Clauſuræ Monialium ad malum finem, non poteſt Epiſcopus abſolvere, licèt ſit occultus. 387. 1116.

Clerici, atque Eccleſiaſtici.

Non licet Clericis, pro defenſione rerum, aut honoris, quemquam occidere, ſed tantùm ob vitam ſalvandam, quando aliter ſalvare non poſſunt. 177. 513.

Si comodè fugere queant, & ob levem alapam vitandam occidunt invaſorem, peccant contrà juſtitiam. 178. 516.

Licet Eccleſiaſticis percutere furem citrà occiſionem. 177. 513.

Clerici percuſſi, vel invaſi, quando fugere poſſunt ſine gravi incommodo, tenentur fugere. 178. 516.

Perſonæ Eccleſiaſticæ ſemper fugere debent, cum illis fuga non ſit indecora. 405. 1171

Eccleſiaſtici prohibentur accuſare aliquem apud Judicem ſæcularem, quando agitur de pœna mortis propter delictum, de quo eſt accuſatus; nimirum petendo vindictam. 26. 73.

Accuſare eis permittitur, etiamſi veniat ſanguinis pœna imponenda; dummodo proteſtentur, quòd non intendunt accuſare, ut pœna ſanguinis imponatur, ſed ſolùm ſatisfactionem, vel intereſſe ſibi debitum petere. pag. 194. quæſ.

Clericus excuſatur ab irregularitate, quando accuſat ad vitandum grave damnum Innocentis, vel Reipublicæ. 28. 79.

Perſonæ Eccleſiaſticæ non poſſunt puniri pœna comminata à Judice laico, ſed alia arbitraria. 110. 326.

Clerici omnes evitare debent Mulierum familiaritatem, cohabitationem, & conſuetudinem, & peccant mortaliter habitando cum mulieribus, ſi adeſt ſcandalum, vel ſi ſcienter ſe exponunt periculo peccandi, aut quoties hæc contumaciter, aut contemptibiliter faciunt. pag. 112. quæſ. 1. 1.

Notare debent, tùm Sacerdotes, tùm Clerici, quod Mus in pera, Ignis in ſinu, Serpens in gremio, malè ſuos remunerant hoſpites. pag. 113. quæſ. 1.

Conc. Trid. contrà Concubinarios, vel fornicarios Clericos, graviores pœnas infligit, ultrà eas, quæ habentur in jure antiquo. 126. 355.

Clericus Concubinarius notorius ſine aliqua monitione Superioris eſt hodie, prout in veteri jure, ipſo facto ſuſpenſus ab Officio, & Beneficio. 127. 356.

Epiſcopus poteſt abſolvere Clericum concubinarium à ſupradicta ſuſpenſione. 127. 357.

Ex concubinatu Clericorum, tria mala oriuntur. Ibidem.

Clerici concubinarii dicuntur violare Templum Dei. Ibidem.

Sacri Canones, Eccleſiaſticorum bona Patrimonium Dei appellant: & ideò in Miniſtrorum Dei ſuſtentatione, & piis operibus inſumenda ſunt. 255. 769.

Superfluum magis invenitur in Eccleſiaſticis Perſonis. Ibidem.

Contra bona Patrimonialia Clericorum, inter præſentes in eadem Provincia præſcribitur regulariter conſuetudo decem annis, inter abſentes viginti; ſed ſi agatur de re Eccleſiaſtica, inter præſentes 30. anni requiruntur ad præſcribendum, & inter abſentes 40. 157. 455.

Etiam Clericus, ſi ſit excommunicatus denunciatus, intrans in Eccleſiam, dum Miſſa celebratur, poteſt per vim expelli, cum poſt admonitionem non vult exire. 80. 245.

Nonniſi, quando adeſt ſpes proficiendi, & non aliter, debet Epiſcopus ordinare Clericum ſæcularem, quem minùs peritum invenerit. 358. 1066.

Clerici conjugati.

Clericus conjugatus gaudet privilegio fori, & Canonis, ſi unam, & Virginem duxerit, & incedat in habitu, & tonſura, & alicui Eccleſiæ ſervitio, & miniſterio ab Epiſcopo deputatus, eidem Eccleſiæ ſerviat, & miniſtret. 50. 148.

Clericus conjugatus, de jure communi habere non poteſt Beneficium Eccleſiaſticum, nec adminiſtrationes Eccleſiaſticas. Ibid.

Clericus in minoribus, contrahens Matrimonium validum per verbo de præſenti, perdit Jus ad Beneficium, & ad illud amplius non habet regreſſum; contrahens verò ſponſalia per verbo de futuro, non perdit Beneficium. 50. 149.

Clericus in ſacris, contrahens per verba de præſenti Matrimonium, quod eſt nullum, eſt privandus Beneficio. Ibidem.

Clericus in Minoribus, contrahens Matrimonium cum Moniali, aut cum ea, quæ votum ſolemne Caſtitatis emiſit, non fit irregularis ratione Bigamiæ ſimilitudinariæ 56. 171.

Cœmeterium.

Ex ipſo quod Sepulturæ Fidelium deſtinatum eſt, præſumitur benedictum eſſe, & auctoritate Epiſcopi ſacratum. 233. 712.

Si Epiſcopus excommunicatus denunciatus benedixit Cæmeterium, in illo ante reconciliationem ſepeliendum non eſt. 241. 729.

Polluta Eccleſia, polluitur etiam Cæmeterium conjunctum, ſed non è contra, & illa reconciliata, reconciliatum eſt Cæmeterium. 241. 728.

Eccleſiæ parietum diruptione, aut conſtructione, Cæmeterium non violatur. 241. 729.

Cognatio Matrimonium dirimens.

Sicut cognatio naturalis dirimit Matrimonium ob reverentiam debitam conſanguineis: ita conveniens eſt, ut Matrimonium dirimatur per cognationem ſpiritualem ob reverentiam cognationis ſpiritualis. 117. 342.

Contactus, qui ad Cognationem ſpiritualem requiritur, ſufficit, quod ſit alienus. 118. 343.

Cohabitatio Conjugum.

Uxor tenetur ſequi Viri infortunium, non per modum pœnæ, ſed tanquam opus annexum Matrimonio. 119. 346.

Compulſus à Judice, vel alio quopiam, habitare cum Uxore illegitima, aliò migret. 319. 959.

Comediæ.

Quando in illis turpes res repræſentantur, Peccatum eſt mortale ſæcularibus hujuſmodi Comediis intereſſentibus; multò magis Eccleſiaſticis. 108. 318.

Prohibitio, quod Clerici, & Eccleſiaſticæ Perſonæ Comediis interſint, licèt non obliget ſub mortali, ceſſante ſcandalo, & contemptu; tamen melius eſt, ut ab iſtis nugis Eccleſiaſtici ſe abſtineant. Ibidem.

Commodatum.

In commodato non transfertur dominium Rei, ſed conceditur uſus tantùm, & res eadem poſteà redditur. 205. 615.

Commutatio votorum.

Commutare in evidenter melius, quilibet propria auctoritate poteſt, ſed non votum Papæ reſervatum; excipitur tamen commutatio in Religionis ingreſſum, in quam quodlibet votum commutari poteſt propter ſummam Religionis perfectionem. 206. 619.

Si Conjuges de communi conſenſu voverint non petere, nec reddere debitum conjugale, Confeſſarius Regularis poteſt hujuſmodi vota commutare, ad id à ſuo Superiore deputatus. 209. 620.

Confeſſarii Regulares poſſunt vota commutare etiam extrà confeſſionem, & reſpectu omnium fidelium ex quacunque Diœceſi ad ſe accedentium, in opus etiam minus bonum. 132. 378.

Poſſunt tempore Jubilæi commutari vota ex-

extra Sacramentum Confeſſionis. 418. 1198.

Qui habet votū non reſervatum, & noluit tempore Jubilæi illud ſibi commutari, per confeſſionem factam tempore Jubilæi, jus acquiſivit, ut poſſit poſtea quivis Confeſſarius illud ei commutare. 417. 1197.

Vota commutata vigore Jubilei, non reviviſcunt, ſi poſtea vovens deliberata voluntate prætermittit opera in Jubileo præſcripta. 418. 1198.

Qui voti commutationem accipit vigore alicujus Jubilei, habens animum præſtandi cætera ad Jubileum neceſſaria, licèt mutato animo, poſtea ea non præſtet, non peccat mortaliter. 418. 1200.

Facultas delegata diſpenſandi vota, extenditur ad ea commutanda. 208. 625.

Commutatio in minus, participat de diſpenſatione. 208. 624.

Ut validè, & licitè fiat commutatio, neceſſaria eſt juſta cauſa. 206. 619.

Concionatores, & Conciones.

Omnes poſſunt audire concionem cum excommunicato vitando. 120. 348.

Oratio Angelica in principio concionis non cenſetur publica, ſed privata. Ibidem.

Per divina officia non intelligitur Prædicatio. pag. 120. num. 349. & pag. 289. num. 868.

Concionatores Regulares ſemel approbati in una Diœceſi, itinerantes poſſunt prædicare ubi voluerint, non contradicente Parocho, & in loco ubi non eſt Epiſcopus, dummodò præſumi poſſit ejus licentia tacita, vel interpretativa, & legitima conſuetudine ſit receptum. 120. 350.

Etiam prædicante Epiſcopo, Religioſi prædicare poſſunt, ipſo Epiſcopo non contradicente. pag. 125. quæſ. 4.

Etiam laicis de Jure communi permittitur prædicare. 120. 351.

Sæcularis licentiam habens prædicandi à Prælato Regulari juriſdictionem habente in loco, in quo prædicationem facienda, tenetur petere benedictionem ab Epiſcopo, & emittere profeſſionem fidei coram eodem, multò magis quam Religioſi, à quibus etiam poteſt id exigere Epiſcopus. 121. 351.

Quomodo prædicabunt, niſi mittantur? pag. 121. num. 353. pag. 122. quæſ. 1. & pag. 123. quæſ. 2.

In tranſgreſſione Præcepti non prædicandi ſine licentia Superiorum legitima, datur parvitas materiæ. pag. 122. quæſ. 1.

Melius eſt, quòd Concionator ante prædicationem confiteatur peccata mortalia, ſi habet, aut ſaltem actum contritionis eliciat, nam aliàs ad minus ſemper grave peccatum veniale committit. pag. 123. quæſ. 2.

Prædicare propriè, & ſecundū ſe, non eſt actus Ordinis, vel alterius Sacramenti. Ibid.

Aliud eſt legere Evangelium, aliud docere populum, aliud prædicare. Ibidem.

Prædicare eſt actus juriſdictionis ſpiritualis Ibidem.

Quod ſpectat ad ſuſtentationem, & pro itinere Concionatoris, poteſt deduci in pactum, & obligationem ex juſtitia; pro labore verò intrinſeco Concioni non videtur ullo modo poſſe in pactum deduci: poteſt tamen aliquid exigi abſque pacto ex conſuetudine Eccleſiæ, & Judicis Eccleſiaſtici auctoritate interpoſita. pag. 124. quæſ. 2.

Concionatores quotidiani voluntariè ſuſcipientes tale munus non excuſantur à recitatione horarum Canonicarum. 334. 1009.

Scamna, & ſedilia laicorum poſita in Eccleſiis pro audiendis concionibus, poſſunt à Rectore mutari, & auferri pro libito, non obſtante quacunq; conſuetudine, etiam immemorabili; tamen hujuſmodi mutationes non ſunt facilè faciendæ. 247. 750.

Concubinarii, & Concubinatus.

Non poteſt probari Concubinatus ex publica voce, & fama. 126. 354.

Ex Concubinatu Clericorum tria mala oriuntur. 126. 355.

Clerici concubinarii dicuntur violare templum Dei. Ibidem.

Per ſpecialem conſtitutionem B. Pii V. monentur

Digitized by Google

nentur omnes locorum Ordinarii, & in virtute ſanctæ Obedientiæ eis præcipitur, ut ſtatuta Concilii Tridentini contrà Concubinarios, tàm Clericos, quàm Laicos edita, diſtrictè faciant obſervari. 126. 354.

Inter crimina depoſitione digna eſt Concubinatus diù continuatus, præſertim Notorius. 126. 355.

Confeſſarius.

Scire tenetur ſuam poteſtatem, antequam abſolvat. 131. 373.

Non eſt neceſſarium, ut Confeſſarius ſciat determinatè peccatum confeſſum eſſe mortale, aut veniale, cum hoc diſtinctè, & determinatè ſcire de omnibus peccatis ſit impoſſibile. 217. 655.

Major ſcientia requiritur in Confeſſario, cui munus incumbit audiendi confeſſiones Clericorum, quàm ſecularium, cum ſcire teneatur etiam caſus irregularitatem continentes, vel ſaltem de illis dubitare. 108. 319.

Peccant mortalitèr Confeſſarii, qui neſciunt ea, quæ ad eorum munus pertinent. 357. 1064.

Confeſſarius poteſt abſolutè, etiam cum juramento, negare peccatum Pœnitentis, quia non ſcit illud ut homo, ſed ut Deus. 181. 524.

Confeſſarius eligibilis ad audiendas confeſſiones tempore Jubilæi, debet eſſe approbatus ab Epiſcopo loci, in quo auditurus eſt confeſſiones. 416. 1193.

Confeſſarius ſolùm approbatus ad confeſſiones Virorum audiendas, non poteſt tempore Jubilæi Mulierum confeſſiones excipere ſi ab illis eligatur. 417. 1195.

Quòd Confeſſarius debeat eſſe approbatus ab Ordinario, eſt conditio à Concilio univerſaliter appoſita reſpectu omnium ſecularium, inter quos etiam Epiſcopi continentur; Prælatus verò Regularis, vel quilibet Regularis habens abſolutè licentiam eligendi Confeſſarium, poſſunt ſibi eligere quemlibet Sacerdotem, etiamſi ab Epiſcopo non fuerit approbatus. 279. 837.

Confeſſarius Monialium debet eſſe ſpecialiter ab Ordinario pro ipſis approbatus. 2. 5.

Quilibet ſimplex Sacerdos poteſt abſolvere quemlibet in mortis periculo conſtitutum, abſente tamen approbato Confeſſario. 18. 50.

Epiſcopus poteſt cogere Confeſſarios etiam Canonicos ſub pœna pecuniaria, ut ad Congregationem caſuum conſcientiæ interveniant. 64. 198.

Confraternitates non poſſunt in earum Eccleſiis per ſuos Cappellanos facere confeſſiones audire, abſque expreſſa Ordinarii licentia, aut illius Parochi, intra fines cujus Parochiæ Eccleſiæ Confraternitatum ſunt. 69. 213.

His Romæ extat Decretum, ne Confeſſores in domibus laicorum Confeſſiones audiant ſine licentia Eminentiſs. Card. Vicarii, vel ejus Vicegerentis, exceptis Cardinalibus, Principibus, Oratoribus Regum, & magnorum Principum, Ducibus, & Nepotibus Summi Pontificis, niſi gravi infirmitate detenti ad Eccleſiam accedere nequeant. 134. 383.

Poteſt Confeſſarius abſolvere pœnitentem, qui non vult alloqui, vel ſalutare inimicum, ſi non adſit odium, aut ſcandalum, aut periculum, ut inimicus odium, & rancorem ob denegatam ſibi ſalutationem concipiat, vel conſervet. 393. 1134.

Confeſſarius abſolvens eum, qui denunciare non vult ex malitia, aut abſque rationabili cauſa, incurrit pœnam excommunicationis latæ in Decreto, ſeù in Edicto S. Inquiſitionis. 187. 549.

Confeſſarius in gravioribus dubitationibus non poteſt licitè amplecti quamcumque opinionem, quæ ſibi videtur probabilis, ſed tenetur Doctiores, pioſque viros conſulere, antequam Pœnitentem abſolvat, ne temeritate ductus animabus periculum creet, ſibique exitum infelicem. 219. 660.

Indoctus, & audax Confeſſarius, hoſtis eſt potiùs, quàm Medicus Animarum. Ibidem.

Si Confeſſarius in aliquo caſu difficili dicat Pœnitenti velle conſulere Viros Doctos, & pœnitens nolit, nec in genere quidem conſilium peti, quamvis teneatur dum Vi-

Digitized by Google

Viros doctos conſulit; nomen Pœnitentis celare, non debet illum abſolvere. 154. 445.

Si Maritus eſt ligatus Voto caſtitatis Confeſſarius debet conſulere, ut diſpenſationē petant propter periculum incontinentiæ. 170. 492.

Debitori urgeant Confeſſarii properam ſolutionem, maximè quando non eſſet admodum magna, quamvis ob dilationem non magnam condemnare non debeant eum, qui eſt in mora ſolvendi debitum ex contractu, abſque damno creditoris, & cum intentione ſolvendi. 173. 500.

Uni Confeſſario pandenda ſunt omnia peccata, veluti tota infirmitas uni Medico. 146. 419.

Confeſſarii, qui per unum integrum diem, vel per plures dies defatigantur in excipiendis confeſſionibus, à recitatione horarum Canonicarum non excuſantur. 334. 1009.

Non tenetur repetere confeſſionem, qui confitetur Confeſſario aliquando dormienti, aut non advertenti ob ſurditatem, vel animi diſtractionem dummodò ſine culpa pœnitentis hoc accidat, & bona fide ſua peccata aperuerit. 144. 415.

Quando Pœnitens cognoſcit, vel dubitat Confeſſarium unum, vel plura peccata nullo modo intellexiſſe, tenetur in ſequenti confeſſione explicare. 145. 415.

Quando id, quod apponitur Confeſſario, vel à Pœnitente, vel à tertia Perſona, non conſtet, & Confeſſarius non ſit convictus, aut non ſit confeſſus, cæteris paribus præſumandum eſt in favorem Confeſſarii. pag. 28. num. 81. & pag. 136. quæſ. 3.

Non licet Confeſſario interrogare Pœnitentem de complice in ordine ad faciendam illi correctionem de licentia Pœnitentis. 164. 474.

Confeſſarius concubinarius poteſt audire confeſſionem ſuæ Concubinæ, ſi non ſit caſus reſervatus, & non eſſet periculum lapſus, vel doloris defectus, vel manendi in occaſione peccandi. 127. 359.

Confeſſarius excommunicatus toleratus non debet ſe ſponte ingerere ad audiendas confeſſiones, ſed rogatus, & cum præmiſſa contritione. 130. 367.

Sacerdos, qui incipit audire confeſſiones in peccato mortali, ſed ante abſolutionem conteritur, non peccat. 159. 462.

Si in peccato mortali non conteratur, non duo, ſed unum peccatum committit. Ibid.

Si plures ſucceſſivè in peccato mortali abſolvat, toties quoties mortaliter peccat. Ibidem.

Confeſſarius extraordinarius Monialium

Moniales pluries quàm per tres vices in anno Confeſſarium extraordinarium petere queunt. 137. 384.

Approbatus pro una vice, non poteſt pluries in vim approbationis ejuſmodi, illarum confeſſiones audire. 3. 5.

Epiſcopus licitè poteſt concedere Confeſſarium extraordinarium alicui Moniali particulari. 137. 386.

Finis, cur concedatur à Prælatis Confeſſarius extraordinarius Monialibus, eſt utilitas ſpiritualis ipſarum Monialium. 138. 387.

Tempus hujuſmodi deputationis videtur eſſe, ut infra 15. dies totum negotium perficiatur, niſi aliter Epiſcopus judicaverit. Ibidem.

Confeſſio Sacramentalis.

Si aliquis per Dei revelationem certò ſciret ſe eſſe perfectè contritum, adhuc teneretur confiteri. pag. 162. quæſ.

Peccata dubia ſunt materia confeſſionis. pag. 216. num. 651. & pag. 217. nu. 652. & 653.

Peccata dubia, & ſub dubio confeſſa, ſi poſtea advertatur fuiſſe certa, tenemur illa iterum in confeſſione aperire. pag. 217. num. 654. & 655.

Si Pœnitens integrè confeſſus eſt peccatum, quod fecit, dubitans tamen ipſe, vel Confeſſarius, an eſſet peccatum mortale, tunc non tenetur iterum confeſſionem illius peccati repetere, niſi aliunde confeſſio fuerit irrita. 217. 655.

De Jure divino, & humano. tenemur dumtaxat confiteri omnia peccata mortalia 101. 289.

Qui-

Quilibet de Jure divino, tenetur ad confeſſionem mortalium ante Euchariſtiæ ſumptionem. 160. 464.

Sacerdos, qui incboata Miſſa meminit ſe eſſe in peccato mortali, ſi poſſit vocare Confeſſarium ad Altare commodè, & ſine ſcandalo, tenetur id facere. 80. 244.

Etiam Sacerdos, qui eſt in peccato mortali, quando tenetur alterius Sacerdotis Sacrificium inceptum perficere, tenetur confiteri. 94. 281.

Præceptum eſt, non Conſilium, quod Sacerdos conſcius peccati mortalis, qui ob neceſſitatem urgentem non præmiſſa Confeſſione celebrat, quàm primùm poſtea confiteatur. 147. 425.

Ad ſatisfaciendum illi præcepto, poteſt Sacerdos intrà triduum confiteri; ſed ſi prima die haberet commoditatem confitendi, non habiturus ſequentibus diebus: teneretur non differre confeſſionem. 149. 428.

Illud verbum Concilii, quàm primùm, non eſt intelligendum, uſque ad aliam ſequentem communionem, vel cùm Sacerdos ſuo tempore confitebitur. Ibidem.

Qui habet aliquod peccatum, cui eſt annexa excommunicatio, vel ſuſpenſio reſervata, ſed eſt occultũ, poteſt ad evitandũ ſcandalum, vel gravem jacturam ſuarum rerum, vel honoris Perſonæ celebrare, ſed prævia Confeſſione peccatorum; quia licèt non abſolvatur ſtante cenſura reſervata, tamen fit in ſignum majoris contritionis, vel ad ipſam excitandam. 80. 243.

Licèt non ſufficiat dubium, quamvis prudens, ſed requiratur notitia moraliter certa, aliquem eſſe excommunicatum denunciatum, ut teneatur quis illum vitare; tamen ſi quis confiteri vellet ei, quem dubitat eſſe denunciatum, deberet abſtinere, ne ſe exponat periculo faciendi Sacramentum irritum, modò abſque ſcandalo, vel alio periculo fieri poſſit. 218. 657.

Uni Confeſſario pandenda ſunt omnia peccata, veluti tota infirmitas uni Medico. 146. 419.

Nemo tenetur, per ſe loquendo, confeſſionem facere per Interpretem. 151. 433.

Integrè facienda eſt, quando moraliter fieri poteſt, abſque damno notabili Pœnitentis, vel Confeſſarii. 17. 47.

Dupliciter integra appellari poteſt. 140. 396.

Cum aliquis prætermiſit aliquod peccatum mortale confiteri ſine juſta cauſa, ſufficit in alia confeſſione, ſi fiat apud eundem Confeſſarium, ſe accuſare in particulari de illo peccato voluntariè prætermiſſo, & de aliis in communi, dummodò Confeſſarius recordetur, ſaltem in confuſo ſtatus Pœnitentis, vel pœnitentiæ ei injunctæ. 145. 418.

Si Pœnitens non vult iteratò redire ad Confeſſionem, cum conceſſione facultatis, ut Confeſſarius ei loquatur de confeſſione præterita ad detegendum gravem errorem à Confeſſario in confeſſione commiſſum, culpa in Pœnitentem transfunditur. 131. 372.

Pœnitens, qui bona fide eſt confeſſus, apud Deum excuſatur, ſi inveniri à Confeſſario non poſſit, ut ei detegat ſuum errorem. 131. 373.

Nullus tenetur ſua peccata ſemel ritè confeſſa iterum confiteri. pag. 135. quæſ. 1.

Qui paulatim confeſſionem generalem faciunt de peccatis aliàs ritè confeſſis, poſſunt abſolvi quotidie ab illis peccatis, quæ paulatim, & quotidie fatentur. 140. 394.

Quando ſunt plura peccata ejuſdem ſpeciei, non oportet in confeſſione Individua nominare ſigillatim. 141. 400.

Melius eſt, quod Concionator ante prædicationem confiteatur peccata mortalia, ſi habet. pag. 123. quæſ. 2.

Confraternitates.

Non poſſunt, nec debent Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum in ſuis Eccleſiis tenere. 69. 213.

Non poſſunt in earum Eccleſiis per ſuos Cappellanos facere ſolemniter celebrare, confeſſiones audire, ſepelire, Sacramenta miniſtrare, & alia hujuſmodi, quæ ad ſolum Parochum ſpectant, abſque expreſſa Ordinarii licentia, aut illius Parochi, intra fines unius Parochiæ Ec-

cleſiæ Confraternitatum ſunt. Ibidem.
Poſſunt facere ſolas Proceſſiones, quando non fiunt in Parochiali, & Primaria Eccleſia. Ibidem.

Conjuratio.

Conjuratio, quæ eſt multorum ſimul juratio, contingit, quando aliqui Rebelles auctoritate in unum ſe colligendo, juramento in ſe dederunt. 28. 80.
Conjuratio, & conſpiratio, pro eodem crimine accipiuntur. Ibidem.

Conſcientia.

Conſcientia prohibente, ſi fiat aliquid, peccatum eſt. 152. 434.
Si conſcientia propterea lædi non potuit, quia neſcivit, nunc incipit lædi, quia ſcivit. pag. 361. quæſ. 1.
Conſcientia recta eſt Regula proxima voluntatis derivata à prima, & principali regula omnium actionum humanarum, ſcilicet lege divina, & æterna. 152. 437.

Conſcientia erronea.

Carceratus, licèt ex conſcientia erronea putet ſe peccare mortaliter non audiendo Miſſam, quam audire non poteſt, non tamen peccat mortaliter. 70. 214.
Qui domi Infirmus jacet, ac putat ſe peccare ſacrum prætermittendo, peccat mortaliter non audiendo Miſſam, niſi deponat conſcientiam erroneam. 381. 1111.
Qui faliò putat, hodie eſſe vigiliam, & carnes comedit, committit peccatum ejuſdem ſpeciei, ac ſi verè fuiſſet vigilia. 107. 315.

Conſecratio.

Conſecrare Calices, Patenas, & alia in quibus requiritur ſacra unctio, eſt actus ordinis Epiſcopalis. 63. 195.
Eſt ſpeciale Privilegium pro Abbatibus Congregationis Caſſinenſis conſecrare Calices, Altaria, & Campanas. 2. 2.
Si per Epiſcopum excommunicatum denunciatum Eccleſia fuerit conſecrata, cenſetur polluta, & ſi altare conſecravit, in hoc celebrandum non eſt. 241. 729.
In Miſſa expedit priùs circà calicem, omnes guttas, præſertim remotas, abſtergere, & tunc ſimpliciter omnem materiam conſecrabilem, quæ eſt in Calice conſecrato, conſecrare, ne materia non conſecrata miſceatur conſecratæ. 64. 196.
Preceptum conſecrandi in utraque ſpecie eſt divinum. 86. 261.
Conſecratio utriuſque ſpeciei eſt de eſſentia Sacrificii. Ibidem.
Licèt una ſpecies validè conſecrari poſſit, altera non conſecrata, tamen Sacerdos in dicto caſu non poteſt licitè accipere ſtipendium: accipiendo ſtipendium certum pro fructu incerto. 86. 262.
In Sacrificio Miſſæ, ſi conſecratio fuerit incepta, & tunc lumen deficiat, nec aliud haberi poſſit, tenetur Sacerdos Sacrificiū perficere. 79. 241.
Si facta eſt conſecratio, vel inchoata dum excommunicatus denunciatus intrat in Eccleſiam, & exire nolit, nec expelli poteſt ſine periculo, Sacerdos perficere debet Miſſam, uſque ad ſumptionem incluſivè, & poſt ſumptionem ſe recipere debet in Sacriſtiam, vel in aliam locum ad perſolvendas ibi reliquas orationes dicendas poſt communionem. 80. 245.
Tenetur ſub peccato mortali Sacerdos, licèt non ſit jejunus, aut excommunicatus, vel irregularis exiſtat, perficere Sacrificium alterius Sacerdotis, qui dum Miſſam celebrat, poſt conſecrationem morbo corripitur, nec poteſt ſacrum inceptum explere; quamquam præferendus ſit Sacerdos jejunus, & nulla Cenſura irretitus; ſi adſit. pag. 39. num. 279. & pag. 94. num. 281.
Si poſt conſecrationem utriuſque materiæ, Sacerdos moriatur, & nullo modo Sacrificium poſſit explere, ſecundus Sacerdos debet ſpecies Sacramentales remanentes ſumere, & Sacrificium inceptum perficere, nihil addendo; ſi verò Sacerdos, qui moritur, unam tantùm conſecraverat ſpeciem, conſultius eſt alteram hoſtiam non conſecrare; & dato, quòd Sacerdos moriatur poſt ſumptionem hoſtiæ à ſe con-

conſecratæ, & non potuit vinum conſecratum ſumere: ſecundus Sacerdos poteſt ſolum ſanguinem ſumere. pag. 93. & 94. num. 280.

Quando non conſtat, in qua parte Miſſæ mortuus fuerit Sacerdos, & dubitatur an conſecraverit, vel non ſatis eſt Hoſtiã, & Calicem, quæ invenit ſecundus Sacerdos in altari, ſub conditione conſecrare, & non debet aliam hoſtiam, & vinum apponere. 94. 280.

Miſſa hodie incœpta, & poſt conſecrationem Corporis Chriſti non perfecta præter impedimentum Celebrantis, non poteſt ab alio perfici cras. Ibidem.

Prælatus Regularis, non poteſt reddere invalidam ſui ſubditi conſecrationem. pag. 99. quæſ. 5.

Conſilia.

Ponitur differentia Conſilii à mandato. 154. 444.

Plus requiritur ad removendum effectum conſilii, quàm mandati. Ibidem. & pag. 201. num. 197.

Licet conſulere minus malum ad vitandum majus malum. pag. 6. num. 10. pag. 297. num. 900. & pag. 322. num. 969.

Hoc intelligitur, dummodò non ſit damnum tertii, & damnum ſit irreparabile. pag. 12. quæſ.

Filius ex honeſtate tenetur contrahere Matrimonium cum conſilio Patris, ſecùs ſine juſta cauſa mortaliter peccat. 316. 954.

Eſt ſanum conſilium Matrimonium conſummare ante benedictionem, quando ex aliqua juſta cauſa differuntur, eſtque periculum incontinentiæ. 48. 141.

Si Maritus eſt ligatus Voto caſtitatis, Confeſſarius debet conſulere, ut diſpenſationem petant propter periculum Incontinentiæ. 170. 492.

Judici conſulendum, ut conſuetudinem introduceret, quod portantes ſecum Aram portatilem, gauderent Immunitate Eccleſiaſtica. pag. 239. quæſ. 2.

Eſt optimum Doctorum conſilium, quòd potiùs ſit declinandum ad æquitatem, quam Epichejam vocat, quàm ad rigorem. 138. 386.

Conſulendi ſunt fideles, qui non habent niſi peccata venialia, ut Confeſſionem actualem præmittant ad lucrandam Indulgentiam, cum illa clauſula conceſſam. 415. 1189.

Optimum conſilium erit, nihil facere ſine conſilio prudentis Confeſſarii, & Superioris. 180. 522.

Confeſſarius in gravioribus dubitationibus tenetur Doctiores, pioſque viros conſulere. 219. 660.

Quando in confeſſione accidit aliquis caſus difficilis, ubi ſit neceſſarium ſapientum virorum conſilium, poteſt Confeſſarius abſolutionem impendere, modò Pœnitens promittat ſe facturum, quod judicatum fuerit. 130. 369.

Tenetur Confeſſarius, dum viros doctos conſulit, nomen Pœnitentis celare. 154. 445.

Qui dubitat an recitatio Divini Officii valdè nocitura ſit valetudini, debet Medicũ conſulere. 335. 1010.

Qui agunt conſilio, reguntur ſapientia. 282. 846.

Conſilio docti Viri, ſcrupulus eſt deponendus. 153. 440.

Fœmina gravida, ad ſuperandas carnis tentationes, cum jejunare non teneatur, ad pia conſilia tamquam remedia recurrat. 350. 1049.

Eſt ſaluberrimum conſilium, quod Juvenes, qui ad jejunium minimè tenentur ante vigeſimum primum annum completum, aliquibus Jejuniis aſſuefiant. 348. 143.

Conſulendum eſt, ut Moribundus omnia peccata mortalia in ſpecie confiteatur per Interpretem, ſi alio modo non poteſt. 151. 433.

Conſulendi ſunt Pœnitentes, & præſertim in periculo mortis, ad eliciendum actum perfectæ contritionis. pag. 162. quæſ.

Eſt optimum conſilium, ut fideles curent pro ſe Miſſas, non de requiem, ſed pro vivis, ante mortem celebrari. pag. 9. quæſ. 4.

Conſulendi ſunt Regulares, ut cum Parochis benè ſe gerant, & Pœnitentes à frequentatione Eccleſiarum Parochialium non diſſuadeant. 284. 344.

Con-

Conſulendum eſt ſemper eis, qui ſuperflua habent, ut largè eleemoſynas præbeant. 258. 776.

Conſpiratio.

Eſt fraudolenta confœderatio in præjudicium alicujus Perſonæ, vel Dignitatis. 28. 80.

Importat idem quod conjuratio ſine juramento, & pro eodem crimine accipiuntur Ibidem.

Conſpiratores audiendi non ſunt, utpotè Infames. Ibidem.

Conſuetudo.

Blaſphemi conſuetudinarii, non ſolùm in ira, abjurant delevi, ſed in ira, & extrà iram, de vehementi. 60. 186.

Qui eſt ſolitus blaſphemare non debet excuſari, ſi in iracundia profert blaſphemias, ſicut nec in totum excuſatur, ſi in ſomno dormiens blaſphemat, neque qui in ebrietate, nec eſt excuſatione dignus, qui ludendo exponit ſe periculo blaſphemandi. 60. 186.

Propter pravam conſuetudinem ex gravi negligentia non correctam blaſphemiæ, et juramenta ſunt voluntaria in cauſa. 155. 449.

Qui conſuetudinem habet jurandi, & mentiendi, ſi talem conſuetudinem evellere non conatur, ſemper eſt in occaſione proxima peccandi. 156. 449.

Conſuetudo peccandi arguit infirmum emendationis propoſitum. pag. 154. & 155. num. 446.

Ad quamcunque Eccleſiam veneris, ejus morem ſerva. 344. 1035.

Eccleſiæ conſuetudo ad mortalem culpam obligat. 200. 590.

Tenentur Clerici conſuetudinem laicorum ſervare, quando materia conſuetudinis pertinet ad politiam civilem, & Eccleſiaſticam, & ſi materia ſit ſpiritualis, & ad bonum animæ tendet. 111. 331.

Multum faciunt conſuetudines locorum, quando non ſunt contra legem naturalem & divinam. pag. 159. *quæſ.*

Conſuetudines locales affixæ ſunt loco, & ſolùm obligant exiſtentes in eo. 343. 1033.

Conſuetudo legitimè introducta vim legis habet. 308. 929.

Conſuetudo immemorabilis, non ſolùm habet vim legis, & privilegii, ſed facit etiam præſumi juſtum titulum. Ibidem.

Loci conſuetudo valdè attenditur in præcedentiis, etiamſi conſuetudo juri repugnet. pag. 114. *quæſ.* 3.

Conſuetudo eſt alterum jus poſitivum, & æquipollet veritati, & dubia, quæ poſſunt eſſe, removet, ac denique eſt optima cujuslibet diſpoſitionis interpres. Ibidem & 118. 343.

In favorem conſuetudinis decidit Sac. Congreg. 118. 343.

Judici conſulendum, ut conſuetudinem introduceret, quòd portantes ſecum Aram portatilem, gauderent Immunitate Eccleſiaſtica. pag. 239. *quæſ.* 2.

Contractus Mohatra.

Eſt uſura palliata. 158. 459.

Contritio.

Tria exigit vera contritio: diſplicentiam de pecatis commiſſis ſuprà omne odibile propter Deum ſuper omnia dilectum, propoſitum vitandi peccata ſupra omne vitabile, & propoſitum confitendi, ſeu ſatisfaciendi; ſed hoc tertium requiritur ſi homo non eſt confeſſus: duo autem prima ſimpliciter, & abſolutè exiguntur. pag. 162. *quæſ.*

Qui non habet copiam Confeſſarii, eliciat actum contritionis, cum propoſito tunc confitendi, ſi poſſet, aliàs ſalus non obtinetur. 45. 133.

Qui actum contritionis elicit, quando non habet copiam Confeſſarii, tenetur adhuc eadem peccata, quorum remiſſionem per actum contritionis obtinuit, ſubjicere ſuo tempore Sacramento Pœnitentiæ. Ibid.

Si aliquis per Dei revelationem certò ſciret ſe eſſe perfectè contritum; adhuc teneretur confiteri. pag. 162. *quæſ.*

Conſulendi ſunt pœnitentes, & præſertim

in periculo mortis, ad eliciendum actum perfectæ contritionis. Ibidem.

Si quis de mortalibus jam confeſſis, & remiſſis, de novo conteratur, benè facit. 160. 463.

Qui habet aliquod peccatum, cui eſt annexa excomunicatio, vel ſuſpenſio reſervata, ſed eſt occultum, poteſt ad vitandū ſcandalum, vel gravem jacturam rerum ſuarum, vel honoris Perſonæ, celebrare, prævia tamen contritione, ac etiam confeſſione Peccatorum, vel in ſignum majoris contritionis, vel ad ipſam excitandam. 80. 243.

Deficiente Confeſſario ab Ordinario proprio approbato, poteſt Sacerdos in die feſto celebrare cum ſola contritione, ſi non habeat aliam Miſſam, quam audiat; & ſimiliter laicus, cum ſola contritione communicans, ſatisfacit præcepto Paſchalis communionis. 147. 424.

Melius eſt, quod concionator ante prædicationem, ſi habet peccata mortalia, ſaltèm actum contritionis eliciat, nam alias ad minus ſemper grave peccatum veniale committit. pag. 123. *quæſ.* 2.

Actus contritionis eſt in noſtra poteſtate, poſito divino auxilio, quod ſemper eſt paratum ad eum actum eliciendum. 80. 244.

Contritio eſt actus præcipuus pœnitentiæ. pag. 161. *quæſ.*

Naſcitur ex charitate erga Deum. Ibidem

Per hanc redditur Deo ratio ſummi boni, & ultimi finis. Ibidem.

Neceſſaria fuit ante legem, ſub lege, & tempore gratiæ, neceſſitate medii extrà Sacramentum poſt Baptiſmum iis, qui mortaliter peccarunt. pag. 161. *&* 162. *quæſ.*

Ponitur actus contritionis. pag. 162.

Contumelia.

Qui diverſis Contumeliis Proximum affecit, ſufficit quod in confeſſione dicat; toties gravibus contumeliis affeci proximum meum. 144. 412.

Peccaret Maritus, ſi Uxorem aliqua injuria afficeret, qua notam infamiæ incurreret. 165. 475.

Injuriæ verbales verbis repelli poſſunt, quæ eſt legitima vindicta. 179. 517.

Copula carnalis.

In Copula carnali finis à natura intentus eſt generatio, & filiorum procreatio. 103. 298.

Illa dicitur perfecta copula, & ſufficiens ad generationem, & ad affinitatem contrahendam, in qua ſolùm Vir intrà clauſtra pudoris fœminei ſeminat. 36. 110.

Qui habet copulam cum ſoluta, tenetur in confeſſione copulam explicare. 141. 399.

Qui dormiret cum quadam fœmina, tenetur explicare in confeſſione numerum copularum, quamvis non habuerit interruptionem mentis, vel operis. 143. 408.

Correctio.

Poteſt quis ante correptionem Prælato denunciare, ſi peccatum eſt publicum aut in damnum tertii, aut alicui Reipublicæ perniciosum, vel communitati, aut Prælatus ſit Vir prudens, & probus. pag. 195. *quæſ.*

Exponitur præceptum Chriſti de correctione fraterna. 167. 481.

Crux.

Crux, quæ requiritur in Altari, dum Miſſa celebratur, tali modo ſita eſſe debet, ut cenſeatur expoſita pro Adoratione. 78. 239.

Ad hoc non ſufficeret, ſi eſſet pictus Chriſtus, aut ſculptus, ut deferens Crucem ad Calvarium, ſufficiet tamen Imago B. Virg. Pietatis, in qua Crux ſtat erecta, & tanquam adorabilis. Ibidem.

Licet Crucem variis Reliquiis, licet non approbatis, ornatam in altari collocare, & Populo adorandam proponere, quia adoratio Reliquiarum tunc eſt per accidens, & ſolùm cultu privato & non publico adorantur, cum ſola Crux adoranda proponatur, quæ cultu publico adoratur. Ibidem.

Cul-

Culpa.

Alia dicitur Theologica, alia Juridica. 168. 483.

Culpa Juridica.

Eſt quædam negligentia, & quantò magis eſt negligentia, tanto magis eſt gravis culpa. 168. 484.

Culpa Theologica.

Ponitur differentia culpæ theologicæ à peccato. 168. 483.

Cultus Sanctorum.

Duplex eſt cultus; privatus, & publicus, ſeù ſolemnis, & hic non dicitur talis, quòd coràm aliis exhibeatur, ſed quod deſertur tanquam inſtitutus ab Eccleſia, & nomine Eccleſiæ. 29. 84.

Curia.

Stylus Curiæ jus facit, & ſtylus, & obſervantia Romanæ Curiæ ſervari debet in omnibus aliis Curiis. pag. 242. nu. 731. & pag. 96. num. 1512.

D

Damnum.

DIverſitas damni illati affert peccata ſpecie diſtincta. 144. 413.

Debitum Conjugale

A jejunio excuſantur conjuges, qui non poſſunt reddere debitum Uxori. 347. 1043.
Conjuges de communi conſenſu voventes non petere, nec reddere debitum conjugale, poſſunt diſpenſari, non ſolùm ab Epiſcopo, ſed etiam per Confeſſarium ſimplicem virtute Bullæ Cruciatæ, ubi adeſt tale Privilegium; immò quilibet Confeſſarius Regularis poteſt commutare hujuſmodi vota, dummodò fuerit ad id à ſuo Superiore deputatus; & unus poſt mortem alterius poteſt ad ſecundas Nuptias tranſire. 209. 626.
Conjux adulter occultus, aut petat diſpenſationem ab Epiſcopo, vel ab alio habente facultatem, aut ſe abſtineat à debiti petitione. 169. 487.
Licèt Uxor debitum negare poſſit conjugi adultero, ſicut Vir Uxori, tamen melius eſt, ut Uxor viro reddat, ad evitandum majus malum. 169. 488.
Qui ſcienter commiſit inceſtum cum conſanguinea alterius Conjugis in primo, & ſecundo gradu privatur jure petendi debitum conjugale, & ſolùm poteſt reddere conjugi petenti. pag. 37. num. 116. pag. 170. num. 490. & pag. 209. n. 627.
Non debent moneri conjugati de hoc impedimento, excuſante illos ignorantia, ſi nullus ſperetur fructus ex admonitione. 209. 627.
Ultra ſecundum gradum eſt privatus jure petendi debitum, non ratione Inceſtus, ſed ratione Adulterii. 170. 490.
Cum conjugibus inceſtuoſis poteſt Epiſcopus diſpenſare per ſe, vel per alium Confeſſarium, cui id ſpecialiter committat. 209. 627.
Debitum conjugale moderatè petendum eſt, ne corporis ſanitati noceat. 173. 499.

Debitum ex contractu.

Debitori, qui eſt in mora ſolvendi debitum ex contractu, abſque damno creditoris, Urgeant ſemper Confeſſarii properam ſolutionem, maximè quando dilatio non eſſet admodum magna. 173. 500.

Decoctores.

Quamvis obſtricti ſint debito publico, aut ſuſpecti ſint de fuga, aut decoxerint cum magno Reipublicæ detrimento, & etiamſi fraudolenter, gaudent Privilegio immunitatis, ſi ad Eccleſiam confugiant. 174. 103.
Debitores fraudolenti ad Eccleſiam unà, cum bonis confugientes, non debent ibi multo tempore tolerari, ſed ab Eccleſia

ſunt

ſunt ejiciendi; & bona tranſportata ad Eccleſiam in creditorum præjudicium, Judici ſæculari conſignanda ſunt, ut illa, cui de jure, adjudicet. 174. 104.

Decreta.

Si conſtet authenticè de Deciſione Sac. Congreg. non eſt recedendum ab ea. 34. 99.

Caſu, quo declarationes aliquæ Em. Cardinalium, nec authenticæ, ſint nec publicatæ, tamen ſi conſtet illa reſponſa à Sac. Congregat. emanaſſe, tantæ quoque auctoritatis ſunt, ut ſine firmiſſimo fundamento recedendum non ſit. 176. 510.

Ex determinatione Sac. Cardinal. Congreg. extractus ab Eccleſia contrà formam Bullæ Greg. XIV. eidem Eccleſiæ eſt reſtituendus. 236. 724.

Decretum Sac. Rit. Congreg. celebrandam eſſe unam tantum Miſſam feria quinta in Cœna Domini; multis in locis non eſt uſu receptum. 92. 278.

In Romana Urbe extat Decretum de determinato tempore celebrandi Miſſam, niſi exhibeatur, & approbatur privilegium aliquod. pag. 85. *num.* 257. & 258.

Ex Decreto Sac. Cong. incidunt in excommunicationem Papæ reſervatam omnes Dominium temporale habentes, qui in terris ſuis locum ad Monomachiam concedunt, hoc eſt cauſa duelli. pag. 220. & 221. *num.* 664.

In Decreto DD. Cardinalium Inquiſitorũ generalium mandatur denunciare Inquiſitoribus, vel locorum Ordinariis illos, qui ſunt de Hæreſi ſuſpecti, ſub excommunicationis majoris pœna ipſo facto incurrenda, & Papæ, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Inquiſitioni generali reſervata. Idem quoque ſub cenſuris, & graviſſimis pœnis decernitur in Decreto Alex. VII. quod ſingulis annis legi debet à Regularibus in Capitulo, aut publica menſa Kalendis Martii. 187. 550.

Confeſſarius abſolvens eum, qui denunciare non vult ex malitia, aut abſque rationabili cauſa, incurrit pœnam excommunicationis latæ in Decreto S. Inquiſitionis. 187. 549.

Decretum, quod adducit Gavantus, verb. Monialium cura ſpiritualis, circà Confeſſarium extraordinarium Monialium, procedit de una deſignatione pro pluribus vicibus. 137. 386.

Cenſuræ in Decretis Viſitationis Epiſcopalis infinguntur, per modum Decreti. 100. 285.

Decreta Viſitationis Epiſcopalis ſunt leges. 175. 507.

Ex Decreto Sac. Congr. Epiſcoporum, & Regul. ſub Clem. VIII. Regulares tenentur, quando Epiſcopus in Pontificalibus vult adeſſe in eorum Eccleſiis, in loco ad Solium Epiſcopi conſtituendum opportuno Baldachinum attollere, aliàs poſſunt ad id pœnis, & cenſuris Eccleſiaſticis cogi ab Epiſcopo. 264. 793.

Ex Decreto Sac. Congr. ſub Clem. VIII. prohibetur Regularibus cujuſvis Ordinis Prælatis, ut nec intrà, vel extrà Italiam, in vim privilegiorum poſſint quemquam abſolvere à caſibus in Bulla Cœnæ Domini, aut Ordinario loci reſervatis. 326. 983.

Ex Decretis Clem. VIII. procurantes pro ſè, vel pro aliis, Vota, vel Suffragia in Capitulis, complices, & ſimpliciter ſcientes, & non revelantes, præter alias pœnas, & cenſuras à Sacris Canonibus inflictos, eo ipſo incidunt in pœnam privationis Officiorum, quæ obtineat, & ad futura quæcunque pariter inhabiles habentur, nec ab ullo poſſunt diſpenſari, niſi à Summo Pontifice. 253. 764.

Ex Decreto Urbani VIII. Regulares cujuſvis Religionis pœnitentiati à S. Officio, etiam minori pœna quàm ordinaria ob Hæreſis ſuſpicionem, ſunt inhabiles ad officia ſuæ Religionis, niſi ſpecialitèr, & expreſsè rehabilitati fuerint. pag. 410. *quæſ.* 2.

Ex Decreto Clementis XI. diſpenſatus à carne, mortaliter peccat, ſi non ſalubriores, ſed quaſcunque carnes comedit. 211. 632.

Defenſio bonorum temporalium.

Jus naturale conſervandi bona propria ſine qui-

*quibus homo non poteſt ſuſtentari, præponi debet omni legi poſitivæ, & humanæ. pag.*113. *quæſ.*2.

Defenſio honoris.

Non excuſatur quis ab Irregularitate, aliquem occidendo pro defenſione honoris. 406. 1172.

Defenſio Immunitatis.

*Clerici ob defenſionem Immunitatis grave damnum pati tenentur. pag.*113. *quæſ.*2.

Defenſio vitæ propriæ.

Quilibet tenetur ex charitate ſe ipſum conſervare, & non habere affectum contrarium. 180. 522.

Jus conſervandi vitam eſt de jure naturæ, ſaltem remediis ordinariis. 385. *quæſ.*

Eſt pariter de jure poſitivo. Ibidem.

*Jus naturale conſervandi vitam, præponi debet omni legi poſitivæ, & humanæ. pag.*113. *quæſ.*2.

Qui poteſt evadere mortem mutilando invaſorem, ſi occidit peccat mortaliter, & fit irregularis. 405. 1170.

Qui occidit ſe aggredientem, valens fuga, vel alio modo ſibi conſulere, fit irregularis illum occidendo. 405. 1171.

Perſonæ Eccleſiaſticæ ſemper fugere debent, ſi commodè poſſunt. Ibidem.

Adulter, qui prævidit ex tali occaſione ſe futurum in morali periculo, aut occumbendi, aut occidendi, occidens Maritum appreſſorem cauſa neceſſariæ defenſionis, fit irregularis; ſi non prævidit, excuſatur ab irregularitate ſi aliter non poteſt defendere propriam vitam niſi occidendo. pag. 404. & 405. *num.* 1168.

Qui ſuum interficit invaſorem, cum moderatione inculpatæ tutelæ, ſcilicet ſi alia ratione ſuam vitam defendere nequeat, non ſolùm non peccat, nec tenetur ad reſtitutionem, ſed neque irregularitatem incurrit. 178. 514.

Ad hoc ut quis licitè poſſit alium occidere, duo requiruntur. 331. 1031.

Defenſio vitæ Proximi.

*Nullo jure tenetur dives ſolvere Pauperis debita, ne Pauper ſe interficiat, ſed teneretur ſolùm ex charitate. pag.*173. & 174. *num.*102.

Defunctus.

*Vivens, Officia Defunctorum pro ſe dici, licitè facere non poteſt. pag.*98. *quæſ.*4.

Eſt valdè laudabile, quòd quiſque etiam poſt mortem ſibi Miſſas de requiem applicari curet, cum ad extremum vitæ contrahere poſſit novas obligationes ad pœnas Purgatorii, quas bonum eſt per ſacrificia poſt mortem tollere. Ibidem.

*Miſſa, ſi per modum congratulationis in eligatur, omnibus in Purgatorio exiſtentibus prodeſt, non autem ſi per modum expiationis. pag.*97. *quæſ.*3.

Eſt prohibita à Sac. Rit. Congreg. in feſtis duplicibus celebratio pro Defunctis, excepta una ſolemni præſente Corpore. 91. 725.

Non minus homo mortuus, quàm vivus, potiri debet Eccleſiæ Immunitate, & excommunicatio Canonis, ſi quis ſuadente, extenditur etiam ad Defunctos. pag. 239. *quæſ.* 3.

Homo mortuus non eſt verè homo, ſed potiùs non homo, aut æquivocè homo. Ibid.

Etiam mortuis fit injuria, & violentia. Ibidem.

Delectatio moroſa.

Sicut conſenſus efficax circà actum ſumit ſpeciem ab illo, ſic etiam ſola complacentia, quæ propriè eſt delectatio moroſa. 104. 305.

Quamvis licitè cupiat quis delectationem cum aliqua Muliere conditionaliter ſi eſſet Uxor ſua; delectatio tamen voluntaria, quam iſte in præſenti reciperet de tali opere cogitato cum illa, eſſet Delectatio moroſa, cum ſine conditione habeatur. 196. 578.

De-

Delegati.

Delegatus ad nudum Miniſterium, non poteſt ſubdelegare, niſi aliam eſſe Superioris delegantis voluntatem conſtet. 24. 72.

A Delegato ad delegantem permiſſa eſt appellatio. 42. 127.

Facultas delegata audiendi Confeſſiones durat etiam poſt mortem Epiſcopi in ordine ad Confeſſarios Regulares, non verò pro omnibus Confeſſariis, ſicut nec licentia eligendi Confeſſorem ab Epiſcopo conceſſa. 129. 364.

Facultas delegata diſpenſandi vota, extenditur ad ea commutanda. 208. 625.

Facultas diſpenſandi, & abſolvendi, ex Juris Privilegio Epiſcopis competens, cum ſit ordinaria, poterit ſpeciali commiſſione alicui generaliter delegari, ſicut quælibet alia ordinaria Poteſtas. 281. 840.

Epiſcopus examen alicujus poteſt alteri delegare, quamvis in litteris Apoſtolicis fuerit Epiſcopi conſcientia onerata, cum non cenſeatur electa induſtria Perſonæ. 288. 866.

Quando in aliquo Brevi Apoſtolico dicitur Epiſcopo, tuam oneramus conſcientiam, illa Verba potiùs videntur poſita in vim Monitionis, quàm in vim formæ delegationis. 281. 842.

Epiſcopus non poteſt procedere ut Sedis Apoſtolicæ delegatus, niſi in caſibus à Conc. Trid. & aliis Bullis Pontificiis exceptis; unde ſi alio modo eſt delegatus, tenetur copiam ſuæ commiſſionis parti petenti dare, aliàs non ſolùm erit injuſta, ſed etiam nulla excommunicationis ſententia, & hoc procedit de quocunque alio delegato, quia Delegato non creditur, niſi probet delegationem, nec tenetur quis exequi ſententiam, niſi litteræ oſtendantur. pag. 281. & 282. n. 843.

Delicta.

Non ſolùm denunciare tenentur delicta ad S. Officium pertinentia qui illa certò ſciunt fuiſſe à tali, vel tali commiſſa, ſed etiam illi, qui à Perſonis ſaltem fide dignis hoc acceperunt. 185. 545.

In Delictis ſpectantibus ad S. Officium non requiritur infamia, ſed ſufficiunt indicia etiam ſolum probabilia, præſumptiones, & ſuſpiciones veriſimiles. 188. 551.

In delictis ad Sanctum Officium ſpectantibus nulla eſt præmittenda correctio fraterna. pag. 166. & 167. n. 480. & 481.

In Delictis, quæ tendunt contrà bonum commune, non eſt præmittenda correctio. Ibidem.

Si Delictum, aut crimen eſt publicum, ita ut ſciatur, à majori parte viciniæ, Collegii, Pareciæ, aut Monaſterii, ubi ſaltem ſunt decem, tunc non habet locum correptio. pag. 195. quæſ.

In loco ingenti non ſufficit ſex homines ſcire delictum, ut publicum cenſeatur, ſed debet innoteſcere ſaltem decem hominibus. 270. 811.

Diffamatum cenſetur per publicitatem Delicti, quod in multorum præſentia commiſſum eſt, aut in via publica, eo tempore quo multis innoteſcere potuit; tandem quando fama ex ſufficientibus indiciis orta innotuit majori parti viciniæ, vel oppidi, vel Paræciæ, tunc delictum dicitur famoſum. 199. 588.

Ut Delictum dicatur notorium, non ſufficit quod actus externus ſit notorius, & publicus tantùm materialiter, ſed requiritur, ut ſit notorius formaliter, & in ratione Delicti. 271. 813.

Delictum adhuc dicitur occultum, ſi ſententia abſolutoria ſit ſecuta. 271. 816.

Delinquens per criminis publicitatem amittit jus ad famam. pag. 199. num. 588. & 589.

Filius, & Nepotes, Perduellionis, ſeù leſæ Majeſtatis, crimen perpetrantis, ſunt infames ratione infamiæ, quam trahit ſecum tale Delictum. 317. 957.

Delictum Patris in non expreſſis à jure non præjudicat filio. pag. 411. quæſ. 3.

Scriptura privata Epiſtolæ, qua quis ſuum delictum fatetur, facit plenā probationem dummodo in judicio à reo ſcriptore recognoſcatur. pag. 421. quæſ.

Denun-

Digitized by Google

Denunciatio.

Ponitur differentia Denunciationis ab accuſatione propriè ſumpta. pag. 195. *quæſ.*

Qui denunciare non vult ex malitia, & abſque rationabili cauſa, in re graviſſima, nec obedire Eccleſiæ præcipienti dictam denunciationem, non eſt dignus abſolutione, ponit obicem effectui ipſius abſolutionis, eſtque indiſpoſitus. 187. 549.

Periculis, quæ timeri poſſunt ex denunciatione, mederi poteſt ope Superiorum, & ratione ſtrictiſſimi Tribunalis S. Officii ſecreti. 192. 570.

Facilè cuicumque peccato poteſt occurri per ſimplicem denunciationem judicialem, abſque inſtigatione Judicis. Ibidem.

De peccato futuro non debet fieri ſecreta Monitio, ſed ſtatim poteſt denunciari Prælato, ſaltem ut ſingulari Perſonæ, ſeù tanquam Patri, ut impediat, quando aliter non poteſt obviari. pag. 195. *quæſ.*

Etiamſi delator delictum ſpectans ad S. Officium probare non poſſit: tamen ſi denunciationem prætermiſit, ipſo facto excommunicationem incurrit. 194. 574.

Quando alterius crimen vergit in Multitudinis corruptelam corporalem, vel ſpiritualem, & dummodò ſufficienter probari poſſit, tunc quis tenetur illud crimen, ſub mortali denunciare Superiori, propter bonum publicum. pag. 194. *quæſ.*

Prætereà, non ſolùm quis tenetur denunciare Superiori, quando crimen alterius vergit in periculum corporale, vel ſpirituale multitudinis, ſed etiam, quando vergit in grave damnum alicujus tertiæ Perſonæ, etiamſi, hoc ſciat ſub ſecreto naturali. Ibidem.

Nemo tenetur denunciare ſe ipſum. 248. 751.

Non eſt regula generalis, quòd criminoſi non teneantur denunciare complices. pag. 189. *n.* 557. & *pag.* 248. *n.* 751.

Non eſt neceſſe complices denunciare, quando mortui ſunt, vel ſunt ex Regionibus palàm infectis, & in illis degunt. 327. 984.

Quilibet tenetur ad detegenda Matrimonii impedimenta, etiam occulta, ſi abſque ſuo gravi incommodo, vel aliorum ſcandalo facere queat: tenetur tamen præmittere correctionem, ſi profuturam ſperet ante denunciationem. pag. 368. *quæſ.*

Scientes, & non revelantes eos, qui pro ſe vel prò aliis, vota, vel ſuffragia in Capitulis procurant, incidunt, ut illi, & Complices, in pœnam privationis Officiorum, quæ obtinent, & ad futura quæcunque pariter inhabiles habentur, nec ab ullo poſſunt diſpenſari, niſi à Summo Pontifice. 253. 764.

Conſpiratores repelluntur à denunciatione. 28. 80.

Denunciatio fieri non debet ex odio, aut aliquo alio iniquo fine, ſed zelo Juſtitiæ. pag. 194. *quæſ.*

Ponitur forma denunciationis inter Regulares. Ibidem.

Deſiderium.

Conditio excuſat deſiderium futuri. 196. 578.

Detractio.

Eſt pejor, quàm furtum. 198. 585.

Infamare dicendo falſum, & Infamare dicendo verum, ſed occultum, ſunt duæ Infamationes, quæ differunt ſpecie. 143. 411.

Audiens detrahentem de re gravi, ſi de detractione minimè delectatur, vel ſi delectetur ſolùm de auditione rei novæ, vel de eloquentia detractoris, dummodo ad detrahendum ex nullo ſigno, nec quidem indirectè, Detractionem moveat, non peccat mortaliter. 167. 482.

Si poteſt corrigere detrahentem, & ſperat correctionem profuturam, & non corrigit, peccat mortalitèr contra charitatem, Ibidem.

Si ex officio detractionem impedire tenetur, peccat etiam contra Juſtitiam. Ibidem.

Qui nonpoteſt aliter impedire detractionem, debet, vel diſcedere, vel ſermonem ad res alias convertere, vel facetiam interponere, vel obſecrare ne de ea re agatur, aut

vultum hilarem non præferre ,ſed triſtitiam. Ibid.

Diaconi.

Ad Diaconatum requiruntur 23. anni incepti. 35. 102.
Corona Diaconi debet eſſe formæ mediæ. pag. 115. *quæſ.* 3.

Differentiæ.

Inter Accuſationem propriè ſumptam , & denunciationem. pag. 195. *quæſ.*
Inter contumeliam, & detractionem. 375. 1098.
Inter culpam Theologicam , & Peccatum. 168. 483.
Inter dubium, & opinionem. 216. 649.
Inter Immunitatem , & libertatem Eccleſiaſticam. pag. 238. *quæſ.* 1.

Difficultas.

Magna difficultas æquiparatur Impoſſibilitati, idemque eſt Judicium. 382. *quæſ.*

Dilectio Dei.

Actus dilectionis Dei, eſt perfectior actu contritionis. pag. 161. *quæſ.*

Dilectio Inimicorum.

Inimico non tenemur oſtendere ſigna amoris, niſi in caſu neceſſitatis; nempe quando tenemur ex charitate ſubvenire. 393. 1134.
Sunt hortandi homines , ut ab inimicis non ſubtrahant conſueta beneficia , colloquia, &c. etiam extra articulum neceſſitatis. 393. 1135.

Diſcretio.

Eſt Mater omnium virtutum. 385. *quæſ.*

Diſpenſatio.

Si uterque conjugum communi conſenſu voverit Caſtitatem , neuter debitum petere poteſt, aut reddere petenti, abſque Summi Pontificis diſpenſatione, tanquam votum integræ, & perpetuæ Caſtitatis, nec diſpenſatio pertinet ad Epiſcopum , niſi quando ad Sedem Apoſtolicam , vel legatum, facilè non patet recurſus. 171. 494.
Si Epiſcopus in dicto caſu diſpenſavit, mortuo uno Conjuge non poteſt alter Matrimonium aliud inire , ſine Summi Pontificis diſpenſatione. 278. 834.
Idem dicendum de eo , qui in caſtitatis voto diſpenſatus fuit ab Epiſcopo , ut Matrimonium contrahere poſſit, & contrà Votum peccaret ſi extrà Matrimonium fornicaretur. 277. 831.
Tunc Epiſcopus propriè non dicitur diſpenſare, ſed ſuſpendere Voti executionem ad tempus. pag. 278. n. 831. & 834.
Non ità facilè debent Epiſcopi diſpenſare in votis non fornicandi, non ſe polluendi, non committendi ſodomiam, & ſimilibus. 277. 830.
Qui vovit non petere diſpenſationem, adhuc illam petere poteſt , explicando ſecundum votum, ſi timet alioqui periculum peccandi. 278. 832.
Licet in levibus Corporis vitiis , & deformitatibus , non requiratur Papæ diſpenſatio , ſed Epiſcopus diſpenſare poſſit : tamen in gravibus, & magnis deformitatibus, & membrorum principalium mutilationem, ſolus Papa diſpenſat. At verò Prælati Regulares ſuper hujuſmodi irregularitate non diſpenſant. 273. 820.
Qui lapſi ſunt in Hæreſim, poſſunt diſpenſari ab Epiſcopo , quoad uſum ordinum ſuſceptorum, quoad uſum verò Sacerdotii in Sacrificio Miſſæ, ſolus Papa diſpenſare poteſt. pag. 350. *quæſ.*
Per diſpenſationem in foro interno ſuper impedimento Matrimonium dirimente , & occulto, ſi poſtea impedimentum detegatur , impetretur ratificatio diſpenſationis in foro externo. 307. 1080.
Illegitimi ab Epiſcopo diſpenſari poſſunt quoad Ordines minores , & ad ſimplex beneficium, quoad Ordines verò majores, Beneficium Curatũ, & cæteras dignitates, ſolus Papa cum eis diſpenſare poteſt.

pag. 366. quæſ. 2.

Solus Papa poteſt diſpenſare cum illegitimo, ut ſit Generalis Religionis. pag. 364. quæſ. 1.

Generalatu, aut prima dignitate exceptâ, poſſunt Prælati Regulares in Capitulo generali, vel Provinciali, diſpenſationem concedere ad Prælaturas Religionis ſuis ſubditis illegitimis, propter privilegia. pag. 364. quæſ. 1.

Cum infamibus infamia Juris maculatis ſolus Papa diſpenſare poteſt, niſi quando Epiſcopus, & Prælatus Regularis, diſpenſando in delictis, quæ ſint minora adulterio, acceſſoriè abolet infamiam inde conſurgentem. 379. 1104.

Non poteſt Epiſcopus, vel Capitulum, Sede vacante, diſpenſare cum illegitimo, etiam occulto, niſi ad Ordines minores, & Beneficium ſimplex, & ſicut diſpenſare non poteſt in Ordine Sacro, ſic nec in Beneficio ſimplici, quod requirat Sacrum Ordinem; Requiritur etiam, quod illud Beneficium ſimplex non fuerit poſſeſſum à Patre talis illegitimi. pag. 273. & 274. num. 821.

Illi, cui conceſſum eſt comedere Ova, non propterea conceſſum eſt comedere ſanguinem animalium, neque ſagimen. 343. 1031.

Si Medicus dubitat de morbo, recurrendum eſt pro diſpenſatione ad Superiorem. 335. 1011.

Fugiendi ſunt Medici diſpenſationes facilè concedentes. 335. 1010.

Ad diſpenſandum ſufficit putare cauſam eſſe rationabilem. 335. 1011.

Cùm adeſt juſta, & rationabilis cauſa, debet Prælatus diſpenſare, alioquin peccat. pag. 207. num. 621. & pag. 385. quæſ.

Poteſtas diſpenſandi commiſſa eſt Prælatis in bonum Reipublicæ, & Subditorum utilitatem. 207. 620.

Prælati, ac Superiores, quando ſubditi proponunt cauſam dubiam ad obtinendam diſpenſationem, non debent eſſe nimis ſcrupuloſi, ac ambigui, remittentes id conſcientiæ ſubditi petentis, cum potiùs ad ipſos ſpectet tunc diſpenſare, cauſam dubiam per diſpenſationem efficiendo juſtam. 208. 622.

Multis ſcrupulorum occaſionibus eſſet expoſita Superiorum poteſtas, ſi ad cauſas ſolas certò juſtas extenderetur, & vix auderent Superiores diſpenſare. 207. 621.

Juſta diſpenſandi cauſa in jejunio, eſt magna jejunandi difficultas. 348. 1044.

Inferior nequit diſpenſare in lege Superioris ſui. pag. 266. num. 797. pag. 274. n. 823. & pag. 276. num. 828.

Diſpenſatio Votorum.

Si uterque communi conſenſu voverit Caſtitatem, neuter debitum petere poteſt, aut reddere petenti, abſque Summi Pontificis diſpenſatione tanquam votum integræ, & perpetuæ caſtitatis, nec diſpenſatio pertinet ad Epiſcopum, niſi, quando ad Sedem Apoſtolicam, vel legatum, facilè non patet recurſus. 171. 494.

Conjuges de communi conſenſu voventes non petere, nec reddere debitum conjugale, poſſunt diſpenſari, non ſolùm ab Epiſcopo, ſed etiam per Confeſſarium ſimplicem virtute Bullæ cruciatæ, ubi adeſt tale Privilegium. 209. 626.

Magis juſta cauſa requiritur ad diſpenſationem, quàm ad cõmutationem. 208. 624.

Divites.

Peccant mortalitèr Divites, qui habent ſuperflua, & non faciunt eleemoſynam extrà extremam, vel quaſi extremam neceſſitatem pauperibus, ſi habeant intentionem conſtruendi Templa, aut omnia relinquendi Pauperibus poſt mortem, cum hæc eorum intentio non tollat obligationem. 258. 777.

Divites habentes ſuperfluum, ſunt Œconomi in Dei familia, & ex præcepto tenentur diſtribuere ea in Pauperes. Ibidem.

Non tenentur inquirere pauperes, ſed ſolùm miſereri occurrentibus. 255. 770.

Divortium.

Matrimonium ratum diſſolvitur per profeſſionem in Religione approbata, vel ali-

Digitized by Google

quando per Summi Pontificis diſpenſationem. 211. 634.

Sententia Divortii ob Adulterium non concedit Innocenti jus divertendi, ſed jus, quod ex Adulterio acquiſivit, declarat, ut eo publicè uti poſſit. 214. 641.

Sententia divortii non abſtulit Jus ſuperiori, ne poſſit conjuges ſeparatos, quoad torum, & habitationem iterum conjungere ad vitanda pericula incontinentiæ; imò tenetur hoc facere, quando adeſt ſcandalū, vel manifeſtum incontinentiæ periculum. 213. 641.

Facto divortio, ſi unus conjugum ſuſcepit Sacros Ordines, vel Religionem intravit, nō tenetur alter, vel Religionem ingredi, vel votum Caſtitatis facere; hoc enim valet ſolùm de Matrimonio integro, & illæſo, non quando factum eſt divortium. 214. 644.

In caſu divortii Vir, & Uxor, ſunt pares. 215. 646.

Doctor.

Doctori non eſt credendum propter Dignitatem, ſed propter Doctrinam. 65. 199.

Turpe eſt Doctori ignorare leges, in quibus verſatur. Ibidem.

Nemo eſt, qui doceri non egeat, dum vivit. 282. 846.

Officium Pœnitentiariæ non eſt conferendū Doctoris, qui dicebatur eſſe valdè ignarus. Ibidem.

Etiam Doctor in Theologia, vel in jure canonico, & in publica Univerſitate graduatus, debet examinari quando petit provideri de aliqua Eccleſia Parochiali. 288. 865.

Inter Doctores datur Præcedentia; Theologus omnibus Doctoribus præcedit, deinde Canoniſta, poſtea Legiſta, ultimò Medicus. pag. 114. *quæſ.* 3.

Ratione Doctoratus, nulla datur præeminentia inter Canonicos. Ibidem.

Gradus Doctoratus minor eſt Ordine Preſbyteratus. Ibidem.

Eccleſiaſtici magnæ litteraturæ poſſunt plus aliis minùs doctis in ſui ſuſtentationem inſumere. 265. 794.

Doctor interrogatus à Judice, an ſit obligatus ad condemnandum aliquem, non incurrit in irregularitatem, etiam ſi reſpondeat in particulari, adeſſe obligationem occidendi reum. 408. 1179.

Dolus.

Dolus præſumptus eſt culpa latior, Dolus apertus culpa latiſſima, 168. 484.

Datur dolus bonus, & dolus malus. 168. 485.

Par non eſt, ut Patrocinetur, pag. 22. *n.* 64. *pag.* 53. *num.* 158; *pag.* 121. *n.* 352. *pag.* 313. *num.* 944. *& pag.* 344. *n.* 1034.

Dubium.

Ponitur differentia dubii ab opinione. 216. 649.

In dubio quilibet præſumitur bonus, & innocens, dummodò contrarium non probetur, præſertim ſi fuerit bonæ notæ, & famæ. 184. 540.

De omnibus dubiis benigna Interpretatiō fieri debet pag. 274. *n.* 822. *& pag.* 383. *quæſ.*

In dubio de rebus pertinentibus ad S. Officium, tutior pars eſt eligenda. 190. 560.

In dubio tutior pars eſt eligenda. pag. 219. *n.* 660. *& pag.* 261. *n.* 784.

Duellum.

Duellum eſt intrinſecè malum, & prohibitum, etiam lege Eccleſiaſtica. 220. 662.

Multæ ſunt pœnæ impoſitæ contra Duellantes, ex Bullis Summorum Pontificum, præſertim contrà Clericos. 108. 320.

E

Ebrietas.

E*Brietas non in totum excuſat eum, qui in ebrietate blaſphemat, ſi eſt ſolitus blaſphemare.* 60. 156.

Si culpabilis fuit ebrietas, non ſolum mortaliter peccat ſi quis tunc fornicetur, polluatur, occidat, vel vulneret, ſed ad pecca-

ca-

Digitized by Google

catum imputari debent etiam peccata blaſphemiæ, perjurii, & infidelitatis, cum ſint prævíſa in cauſa, nec Deus ea acceptat ut facetias: contumeliæ verò, ergà homines peccata non ſunt, cum non ſequatur illis ullum detrimentum. 223. 672.

Mortale eſt, ſe ebrietatis periculo committere; nec licet ad vitandam comminatam mortem ſe Vino repleri cum manifeſto periculo ebrietatis. 220. 663.

Qui alterum cogit, ut ſe pluſquam opus eſt bibendo inebriet, minus malum ei erat, ſi carnem ejus vulneraret gladio, quàm Animam ejus necaret. Ibidem.

Ebrietas non eſt ita intrinſecè mala, quin ob juſtam cauſam poſſit aliquando permitti; unde ſi procurando morbo neceſſarium ſit ex Medicorum conſilio generoſum vinum, ex quo ſumpta ſequitur ebrietas per accidens, ſumi poteſt eo animo, ut morbus pellatur; dummodo non timeatur aliquod damnum in ebrietate faciendum, nempe occiſionis, vulnerationis, blaſphemiæ. 223. 672.

Recenſentur ebrietatis mala. 223. 671.

Vitari debet à Perſonis præcipuè Eccleſiaſticis, Ibidem.

Ebrius.

Ebrii ſunt deteriores Brutis, & diabolo, filii Belial ſine jugo, & Apoſtatæ. 223. 671.

Per Sacros Canones graviſſimis pœnis puniuntur ebrioſi. Ibidem.

Eccleſiæ.

Perſonæ unà cum Sacerdote geſtante Sanctiſs. Eucharíſtiæ Sacramentum, repræſentant unam Eccleſiam. 231. 716.

Non conſideratur Eccleſia materialiter, ex mortuis lapidibus ædificata, ſed ſub ratione formali; & quando fit Injuria Eccleſiæ, non cenſetur fieri lapidibus, ex quibus conſtat, ſed ei, quem repræſentat. pag. 239. quæſ. 3.

Solùm ſpatium illud Eccleſiæ dicitur locus Sacer, quod ſpectat ad interius Eccleſiæ Corpus à tecto interiori, uſque ad pavimentum. 305. 309.

Chorus, & Cappellæ, ſpectant ad interius Eccleſiæ Corpus, non autem Sacriſtiæ, vel cameræ Eccleſiæ adhærentes Ibidem.

Eo ipſo, quod Eccleſia auctoritate Epiſcopi cœpit conſtrui, dicitur locus divinis obſequiis dicatus. 232. 710.

Ob ceſſationem ab ædificio non tollitur deputatio Eccleſiæ ad divina celebranda. Ibidem.

Eccleſia diruta, ratione loci, in quo ædificata erat, non deſinit eſſe ſacra, modò non ſit diruta auctoritate Epiſcopi, ſine ſpe reædificandi. pag. 232. & 232. n. 711.

Eccleſia diruta ſine ſpe reædificandi amittit Indulgentias. 233. 711.

Ordinarius non poteſt concedere, ut partes Eccleſiæ collapſæ, ad uſus profanos vendantur. pag. 246. & 247. num 747.

Epiſcopus non poteſt concedere Eccleſiæ non Parochiali facultatem tenendi Sanctiſs. Eucharíſtiæ Sacramentum, ſed requiritur Privilegium Apoſtolicum. 69. 213.

Conſulendi ſunt Regulares, ut Pœnitentes à frequentatione Eccleſiarum Parochialiū non diſſuadeant. 284. 844.

A Sac. Congregat. prohibetur retineri in Eccleſiis quibuſcunque malè viventes, & facinoroſos. 46. 136.

Eccleſia eſt extrà Territorium, & Juriſdictionem Principis laici; vel licèt dicatur eſſe in territorio Principis ſæcularis, non tamen propriè dicitur eſſe de ejus territorio. 47. 137.

Ad quamcumque Eccleſiam veneris, ejus morem ſerva. 344. 1035.

Nullum eſt peccatum laborare in die feſto propter Eccleſiam, vel Monaſterium, ſi Eccleſia, vel locus pius ſit tàm pauper, quod non habeat neceſſaria ad cultum divinum, vel ad ſuorum ſuſtentationem, audito tamen ſacro, & dummodò non fiat in Dominicis, vel feſtis ſolemnioribus, ut Paſchatis, & Pentecoſtes. 352. 941.

Eccleſiæ Immunitas.

Ponitur differentia Immunitatis Eccleſiaſticæ à libertate Eccleſiaſtica. pag. 238. quæſ. 1.

Sufficit tangere parietem Eccleſiæ partis exterioris, aut amplecti. 233. 713.

Sufficit intrare in cubiculum ægroti, cui à Sacerdote præbetur Sacramentum Euchariſtiæ ;| aut ſe immiſcere inter illas Perſonas, quæ aſſociant hoc venerabile Sacramentum. 234. 716.

Scalæ Eccleſiæ, quando conſtat illas pertinere ad publicam viam, aut eſſe illius partem, non gaudent ejus immunitate. 233. 714.

Expreſsè prohibetur Judicibus laicis aliquam Juriſdictionem in Eccleſia exercere. 227. 691.

Non ſolùm non poſſunt ſatellites, aut miniſtri laici, auferre à confugiente ad Eccleſiam arma prohibita, ſed neque rem aliquam furto ablatam. Ibidem.

Immunitas violatur ob violentiam alteri illatam. pag. 241. quæſ. 5.

Excommunicatio incurritur ob violentam extractionem ab Eccleſia, vel cooperationem ad illam. Ibidem.

Confugiens ad Eccleſiam, neque ab Epiſcopo poteſt corporali pœna puniri. pag. 234. & 235. num. 718.

Brevia Sacræ Pœnitentiariæ non ſuffragantur in foro externo, ſed tantùm in foro interno, prævia tamen ſatisfactione, in materia violationis libertatis, ac juriſdictionis Eccleſiaſticæ. 236. 722.

Qui in duello Inimicum occidit, gaudet Eccleſiæ Immunitate. 221. 666.

Privilegium Eccleſiæ extendendum eſt etiã ad illos, qui ſolùm timore pœnarũ, non zelo fidei, vel Religionis, ad eam confugiunt. pag. 240. quæſ. 4.

Octo ſunt caſus, in quibus ex Bulla Gregoriana delinquentibus Immunitas Eccleſiaſtica non ſuffragatur. 231. 707.

Licèt crimen læſæ Majeſtatis in perſonam Principis, ſit unus ex caſibus exceptuatis in Bulla Gregoriana, cui immunitas Eccleſiæ non ſuffragatur: tamen cum quis illud ſcit, & non revelat, hoc crimen omiſſionis puniri quidem debet pœna mortis, ſed Immunitatem Eccleſiæ non amittit, nec comprehenditur in dicta Bulla 229. 700.

Violantes Eccleſiam, nonniſi per homicidiũ, & mutilationem in ea commiſſam, excluduntur ab ejus Immunitate. 231. 705.

Aliter delinquentes in Eccleſia, debent à Judice Eccleſiaſtico ſeverè puniri ratione loci delicti, & conſulto Romano Pontifice poterunt etiam tradi Curiæ ſæculari, quando delictum fuerit atrociſſimum. 231. 706.

In materia Immunitatis non reſpicitur delictum, ſed loci ſanctitas. 230. 702.

Circa delicta, quæ ſi fiant in Eccleſia, ipſius immunitate non gaudent, non eſt attendendus locus inchoati, ſed conſummati delicti. pag. 228. num. 695. & pag. 229. num. 697.

Delictum homicidii cenſetur commiſſum in Eccleſia, non ſi ibi mors, ſed ſi ibi fuit lethalis vulneratio. 229. 698.

Non eſt idem dicendum de incendiariis, ac de Depopulatoribus Agrorum quoad Eccleſiæ Immunitatem, niſi ex incendio ſequatur proditoria mors, aut alia delicta in Bulla Gregorii expreſſa. 230. 703.

Eccleſiæ Pollutio.

Eccleſiæ gaudent immunitate, etiamſi fuerint pollutæ. 234. 717.

Eccleſia polluta non eſt propriè interdicta. 245. 742.

Ut Eccleſia remaneat polluta per ſanguinis effuſionem, vulnus debet fieri cum peccato mortali. 242. 732.

Eccleſia non ſolùm polluitur per ipſum contactum ſanguinis decidentis in pavimentum, ſed etiam per actionem injurioſam, qua cauſatur effuſio, & omnis propria malitia formaliter continetur. 243. 735.

Ad Eccleſiam pollutam reconciliandam à ſimplici Sacerdote, ſi non erat conſecrata, non eſt petenda licentia ab Epiſcopo, vel ejus Vicario Generali, niſi ex congruentia, vel niſi caſus eſſet, quod Eccleſia pollueretur dum Miſſa incepta eſt, pag. 245. & 246. num. 744.

Edicta.

Conſulenda ſunt ſpecialia locorum Edicta, ad quæ nos conformare debemus. 192. 566.

Digitized by Google

Quotannis promulgantùr Inquiſitorum Edicta, quibus præcipiunt ſub excommunicationis latæ ſentententiæ pæna, ut Hæreticales Blaſphemi ad S. Inquiſitionis tribunal deferantur. 184. 541.

Etiamſi delator Delictum probare non poſſit, tamen ex Edicto Sanctiſſimæ Inquiſitionis, quod bis in anno publicari ſolet, ſi Denunciationem prætermiſit, ipſo facto excommunicationem incurrit. 194. 574.

Præcipiunt omnibus, & ſingulis, niſi unus nomine omnium denunciat. 185. 543.

Blaſphemi hæreticales attentis DD. Inquiſitorum Edictis, denunciandi ſunt abſque ulla alia prævia monitione. 164. 479.

Inquiſitorum Edicta non adverſantur præcepto Chriſti de correctione fraterna. 167. 481.

Terminus præfixus in Edictis inquiſitorum non aſſignatur eo fine, ut extinguatur denunciandi obligatio, ſed ut non differatur. 186. 546.

Confeſſarius abſolvens eum, qui denunciare non vult ex malitia, aut abſque rationabili cauſa, incurrit pœnam excommunicationis latæ in Edicto S. Inquiſitionis. 187. 549.

Ex vi Edicti SS. Inquiſitionis, Confeſſarius, neglecta denunciatione fœminæ ſollicitatæ, extrà mortis periculum abſolvere præſumens, ipſo facto excommunicationem incurrit. 192. 566.

Edicta ſunt leges ab homine. 249. 753.

Electio.

Dignior, & melior ille eſt, qui muneri, cui præficitur, eſt aptior. 249. 754.

Dignitas, vel major dignitas Perſonæ cenſenda eſt, non abſolutè, ſed in ordine ad Eccleſiæ commoditatem. 250. 755.

Eligendus in Prælatum Eccleſiaſticum, duabus debet pollere virtutibus, nempè, quod ſit bonus ſine peccato mortali, & quod ſit melior cæteris cognitis, qui poſſit eligi, & haberi, non quantum ad bonitatem vitæ, ſed quantum ad illud Regimen nunc, & hic reſpectu talium Ovium, & reliquis particularibus occurrentiis penſatis. 251. 758.

Ut electio non poſſit impugnari in foro Judiciali, ſufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem, quia ſic omnis electio poſſet habere calumniam, ſed ad conſcientiam eligentis neceſſe eſt eligere meliorem. 252. 759.

Etiam in Beneficiis habentibus curam Animorum eligendo dignum prætermiſſo digniori, ſi exceſſus eſt parvus, aut non benè dignoſcitur, nullum adeſt inconveniens, maximè ſi ſperatur major futura dignitas probabilitèr, quàm ſit in præſenti. 250. 755.

In eligendis ad Animarum curam Epiſcopus debet conſiderare probitatem vitæ, ſcientiam, induſtriam, & prudentiam; ſed probitas debet præferri ſcientiæ; & interdum comparativè anteferri debet induſtria, & prudentia, ſuppoſita ſemper ſufficientia, & ſcientia; Unde eliget ex probatis ad Animarum curam, quos magis idoneos putabit conſiderata ætate, moribus, ſcientia, & prudentia. 284. 845.

Tractatus pactionalis, & conventionalis pro ſua electione eſt prohibitus. 254. 766.

Electores.

Infamis impeditur eligere. pag. 411. *quæſ.* 3.

Irregularis non impeditur eligere. Ibidem.

Antequam quis ſententialiter ſit declaratus inhabilis, in foro externo pro habili habetur, licèt ipſe mortaliter peccet, quia cum inhabilitate, quamvis occulta, accedit ad electionem non diſpenſatus. 254. 767.

Eleemoſynæ.

Eleemoſynæ erga Pauperes, De licentia Superioris localis non prohibentur in Bulla de largitione munerum. 3. 6.

Si alicui Perſonæ, cui bonorum adminiſtratio competit, prohibitum ſit donare, eleemoſinæ fiant modeſtè, & diſcretè. 4. 6.

Si quis mitteret Servum ad dandam eleemoſynam, licet ſervus diceret, & repugnaret, nihilominus eleemoſyna valeret om-

omnibus illis, pro quibus affertur. pag. 95. quæſ.1.

Quilibet tenetur de ſuperfluis vitæ, naturæ, & ſtatui, facere eleemoſynas proximo, etiam extrà neceſſitatem extremam, vel quaſi ex re nam. pag.257. num.774. & pag. 258. n. 778.

Conſulendum eſt ſemper eis, qui ſuperflua habent, ut largè eleemoſynas præbeant. 258. 776.

Eleemoſyna eſt in præcepto, & obligat aliquando ſub pœna peccati mortalis. 327. 988.

Qui dicit, & pertinaciter credit, nullum extare præceptum largiendi eleemoſynam ſub mortali, non poteſt à quolibet Confeſſario abſolvi, quia eſt hæreticus. Ibidem.

Ex præcepto divino, & naturali, tenemur per eleemoſynam ſuccurrere proximo. pag.327.& 328. n.988.

Lucæ 11. Quod supereſt, date eleemoſinam. 258. 778.

Divites non tenentur inquirere Pauperes, ſed ſolùm miſereri occurrentibus, Epiſcopi verò tenentur inquirere neceſſitates pauperum, ut eis ſuccurrant. pag.255. & 256. num.770.

Circa eleemoſynas Concionatori præſtandas conſideranda eſt conſuetudo Eccleſiarum, & ſecundùm illam determinandum: qua ſecluſa Epiſcopum obligabis. pag. 124. quæſ. 4.

Nec Epiſcopus, nec Parochus, prædicantes, illas prætendere poſſunt. pag.124.& 125. quæſ.4.

Emendationis Spes.

Qui poteſt corrigere detrahentem, & ſperat Correctionem profuturam, & non corrigit, peccat mortaliter contra charitatem. 167. 482.

Si crimen alterius non vergit in damnum communitatis, aut in damnum tertii, & eſt occultum ante accuſationem, vel denunciationem, neceſſariò prius præcedere debet fraterna correctio; modo tamen profutura ſperetur. pag.195. quæſ.

Suſpecti de Hæreſi ſtatim ſunt denunciandi, etiamſi ſperetur per correctionem emendatio 166. 480.

Epiſcopatus.

Epiſcopi dignitas, & poteſtas, non pendet ex qualitate Sedis, ſed quia ex ſe magna dignitas eſt in Eccleſia. Ibidem.

Hæc Dignitas omninò conſervanda eſt, ut decernitur à Tridentino. Ibidem.

Epiſcopatus eſt culmen omnium dignitatum. 265. 795.

Vocatur ſtatus perfectionis, quia ſupponit perfectionem in illo, qui ad Epiſcopatum promovetur. 264. 792.

Vir habens Uxorem, ad Epiſcopatum minimè promoveri poteſt, niſi Uxor, ſive ſit Senex, ſive Juvenis, Religionem ingrediatur. 392. 1132.

Epiſcopus.

Epiſcopi in locum Apoſtolorum ſucceſſerunt. 265. 795.

Poteſt Epiſcopus compellere Clericos, quamvis ſenes, ad removendas famulas, & ancillas. pag.112. quæſ. 1.

Epiſcopus aliorum doctrina non debet egere. 284. 845.

Defectus ſcientiæ in Epiſcopis omninò reprobandus, nec tolerandus. Ibidem.

Peccant mortalitèr Epiſcopi, qui neſciunt ea, quæ ad eorum munus pertinent. 357. 1064.

Non poteſt Epiſcopus ad longum tempus à Matrimonio coercere, qui Chriſtianam Doctrinam ignorant. 358. 1067.

Nonniſi quando adeſt ſpes proficiendi, & non aliter debet Epiſcopus ordinare Clericum ſæcularem, quem minùs peritum invenerit. 358. 1066.

Ad Epiſcopum pertinet judicare de bonorū ſufficientia pro victu Clerici in ſacris conſtituti, qua exiſtente, pro alienatione patrimonii, ad cujus titulum fuit ordinatus, ſuum debet præſtare conſenſum. 39. 121.

Ad Epiſcopum pertinet judicare de corporis defectibus, inducentibus irregularitatem, tam in ſecularibus, quàm in Regularibus.

bus. pag.402. & 403. num.1163.

Pertinet ad Epiſcopum, vel ejus Vicarium Generalem, cagnoſcere circa Immunitatem Eccleſiæ, an delictum, ſeù caſus ſit exceptus in Bulla Gregorii XIV. 235. 718.

Etiam pertinet ad Epiſcopum judicare, an inconvenientia aliqua accidere poſſint in repræſentationibus ſacris, quæ fiunt in Eccleſia; 245.746.

Epiſcopus debet habere ætatem 30. *annor. complesorum.* 263.*n.*790.

Item debet eſſe in Ordine ad minus Subdiaconatus antea ſex menſium ſpatio conſtitutus. Ibid.

Epiſcopus tenetur ſub pœna peccati mortalis concedere Monialibus, ſibi ſubjectis, duabus, aut tribus vicibus in anno, Confeſſarium extraordinarium. 136. 384.

*Si ſæpius vult concedere, non eſt ei prohibitum. pag.*136.*&* 137. *n* 384.

Tenetur concedere, tàm benè valentibus, quàm infirmis. 137. 385.

Poteſt Epiſcopus, auctoritate propria, ad præciſam ſpiritualem conſolationem Monialis morti proximæ, concedere aliquem Confeſſarium Regularem, quem ipſa petit, ut loco Confeſſarii Ordinarii, ei omnia Sacramenta adminiſtret, & aſſiſtat tempore agoniæ: dummodò ſit gravis, pius, & prudens. 137.386.

Epiſcopus licitè poteſt concedere Confeſſarium extraordinarium alicui Moniali particulari, non obſtante Decreto Sacr. Congr. quod adducit Gavantus. Ibidem.

Epiſcopi per Privilegium eligendi Confeſſorem, non poſſunt ſibi eligere Sacerdotem ſibi non ſubditum, niſi aut Parochiale Beneficium habeat, aut à ſuo Ordinario approbatus fuerit ad confeſſiones audiendas 73. 222.

Epiſcopus, ſi peccat mortaliter, non tenetur explicare in confeſſione, quòd eſt Epiſcopus, niſi peccatum publicum ſit, quod ſcandalum pareret. 142.407.

*Epiſcopi non poſſunt abſolvere à Caſibus Bullæ Cœnæ. pag.*24. *quæſ.*1.

Cum aliquis habet impedimenta adeundi Papam pro abſolutione in cenſuris Bullæ Cœnæ, ſi impedimentum eſt perpetuum, Epiſcopus abſolutè, & ſine onere præſentandi; impoſito Apoſtolicæ Sedi, abſolvere poteſt impeditum: 268.806.

*Epiſcopus non poteſt abſolvere à caſibus occultis, poſt Concilium ex nova lege Sedi Apoſtolicæ reſervatis cum clauſula, non obſtantibus.*62.90.

Epiſcopus ab excommunicatione à jure non reſervata poteſt abſolvere, ſed non à ſuſpenſione, niſi quando eſt perpetua, & quando poſita eſt in contumaciam, vel ob delictum, ſuper quod poteſt diſpenſare. 205. 611.

Epiſcopus ingrediens Monaſteria Monialium, abſque ulla vera, & manifeſta neceſſitate, prima vice ſuſpenditur ab ingreſſu Eccleſiæ, ſecunda à Divinis, tertia ipſo facto excommunicatur. 387. 1117.

Epiſcopi, virtute facultatis Tridentini, non poſſunt abſolvere delinquentes contrà formam in eligendo Summo Pontifice à Gregorio XV. præſcriptam - 270. 810.

*Ad hoc, ut Epiſcopus non poſſit abſolvere vigore Tridentini, ſatis eſt, ut denunciatio, vel accuſatio coram legitimo Judice facta ſit, & Reus ratione illius citatus fuerit. pag.*270. *&* 271. *num.*812.

*Diſpenſare poteſt in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto, nec deducto ad forum contentioſum provenientibus, excepta irregularitate, quæ ex homicidio voluntario contrahitur.*269. 810.

In impedimentis, quoque non dirimentibus Matrimonium, excepto voto Caſtitatis, ac Religionis, abſoluto, & perfectò. pag. 209. *&* 210. *num.*628.

Pariter in impedimentis dirimentibus, quæ ſuperveniunt Matrimonio jam contracto, ad effectum petendi debitum conjugale. 275.825.

Licèt, quando neceſſitas urget, poſſit Epiſcopus diſpenſare, quoad votum Caſtitatis perpetuæ, & Religionis: quoad alia tamen vota raro, aut nunquam, eventurus eſt hic diſpenſandi caſus. 277.831.

Epiſcopus in Bigamia vera, vel interpretativa, non ſolùm, non poteſt diſpenſare ad Ordines Sacros ſed neque ad minores, vel ad primam tonſuram, vel ad Benefi-

Digitized by Google

cium etiam ſimplex; In ſimilitudinaria verò poteſt ſi talis Bigamus contraxit cum Virgine. 58. 175.
Diſpenſare nequit per ſe loquendo, in jure communi. 100. 206.
Epiſcopi non ſunt Domini, ſed diſpenſatores proventuum Eccleſiaſticorum, quos in pauperes Chriſti diſpenſare tenentur, ſi ultrà neceſſitatem ſuam ſuperſunt. 260. 783.
Epiſcopi tenentur inquirere neceſſitates pauperum, ut eis ſuccurrant. 256. 770.
Epiſcopus non poteſt ſuſpendere effectus cenſurarum, niſi Privilegium habeat; aut conſuetudo aliqua immemorabilis hoc ei permittat. 100. 206.
Epiſcopi, juxtà eorum arbitrium, poſſunt caſus ſibi reſervare. 75. 227.
Monentur, ut conceſſa poteſtate utantur in ædificationem, non deſtructionem, nec in ea re modum excedant. Ibidem.
Monentur quoque, ut non paſſim mortalia delicta, ſed atrociora tantùm, gravioraque crimina ſibi reſervent. 75. 228.
Non ſint faciles Prælati ad compoſitiones faciendas ſuper delictis. 126. 355.
Per ſpecialem conſtitutionem B. Pii V. monentur omnes locorum Ordinarii, & in virtute S. Obedientiæ eis præcipitur; ut ſtatuta Concilii Tridentini contrà concubinarios, tàm Clericos, quàm laicos edita, diſtrictè faciant obſervari. 126. 354.
Poſſunt, ac debent punire, leges Pontificias non obſervantes. pag. 175. & 176. num. 509.
Impedire non poteſt Parochis prædicare, niſi ipſe aliquando infrà annum prædicare vellet, aut alium magis idoneum deputare; neque quando ipſe in ſua Cathedrali prædicat. pag. 125. quæſ. 4.
Epiſcopus prædicans prætendere non poteſt ſibi præſtari eleemoſynam ſolitam dari Prædicatoribus. Ibid.
Sicut non debet Epiſcopus contradicere Regulari, ne prædicet in ſua Eccleſia, ſic nec laico docto, qui licentiam habet à Prælato Regulari Juriſdictionem habente in loco, in quo prædicatio eſt facienda, ſi tamen Epiſcopus contradixerit, melius eſt, ut ei obediatur. 121. 351.
Epiſcopus non poteſt concedere Eccleſiæ non Parochiali facultatem tenendi Sanctiſs. Euchariſtiæ Sacramentum. 69. 213.
Epiſcopus, non verò Inquiſitores, procedit contrà illum, qui diceret; Rennego Maria S. Pietro, &c. dummodò, ex aliqua circumſtantia judicare non poſſit ſuſpectus de fide. 59. 184.
Nec Epiſcopi ab Inquiſitoribus ligari cenſuris poſſunt, nec propter hæreſim citari, vel puniri, niſi ſit ſuſpectus de fuga, vel aliquid in manifeſtum fidei, & fidelium detrimentum moliretur: quia tunc poteſt capi, & cuſtodiri, donec Summus Pontifex certior reddatur. 292. 879.

Eremitæ.

Etiam, quando non vivunt in communi, ſervientes ſub obedientia Epiſcopi, vel alterius Prælati, gaudent Privilegio Canonis. 294. 886.

Error.

Error, cui non contradicitur, approbatur. pag. 194. quæſ.
Error meus nulli nocere debet, ſed error ſuos tenere debet auctores. 304. 918.
Qui errat in fide, & in foro externo allegat ex ignorantia erraſſe, non eſt ei credendum. 358. 1069.
Error conditionis ſervilis irritat Matrimonium, quando quis, cum ſit liber, putat alterum conjugum eſſe liberum, cum ſit ſervus. 368. 1082.

Examen Conſcientiæ.

De Jure divino prærequiritur examen conſcientiæ ante confeſſionem. 287. 863.
Qui nulla præmiſſa Diligentia, in examinatione conſcientiæ, Confeſſioni accederet, ultrà peccatum mortale, quod tunc committit, tenetur quoque ad novam ſuorum peccatorum confeſſionem, quamvis ſuam negligentiam aperuerit in confeſſione, &

à Con-

à Confeſſario abſolutionem obtinuerit. 287. 862.

Tenetur Confeſſarius pœnitentem examinare, & interrogare. Ibidem.

In examine Mulierum circa peccata carnalia, niſi de puris neceſſariis à Confeſſario interroganda non erit, & melius eſt, quod Confeſſarius peccatum pœnitentis minus perfectè intelligat, quàm illi, vel ſibi ruinam pariat. 131. 375.

Abuſus eſt, non ferendus, nihil confiteri, niſi interrogatum. 287. 862.

Examen Puellarum ante Profeſſionem Religioſam.

Examinari debent ab Epiſcopo loci, etiamſi ingrediantur Monaſteria Regularibus ſubjecta. 390. 1125.

Epiſcopo abſente, vel impedito, ad ejus Vicarium ſpectat tale examen, quod ad crates Monialium fieri debet. Ibidem.

Si prætermittatur hoc examen, in peccatum mortale incurrunt Puellæ, Abbatiſſa, & Prælatus. 391. 1125.

Examen quoad ſcientiam, & doctrinam.

Poteſt Epiſcopus, ſine examine ad audiendas Confeſſiones admittere quemlibet Sacerdotem ſuæ Diœceſis idoneum. 280. 839.

Poteſt etiam licitè revocare, abſque ulla cauſa, licentiam excipiendi confeſſionem da am Regulari ſine examine, quamvis aliter revocare non poſſit, ſine cauſa confeſſiones ipſas concernente, aut ob non ſervatum interdictum, ab Ordinario poſitum. 280. 839.

Examinatores Synodales.

Si ſolùm ſint ſex, & aliqui ex eis moriantur, Officium omnium expirat. 286. 859.

Examinator non poteſt præmonere examinandum de punctis, ſi fiat per concurſum, vel detur Juramentum de non præmonendo. 286. 860.

Exceptio.

Firmat Regulam in contrarium. 230. 705.

Non poteſt Judex ſæcularis per viam exceptionis cognoſcere Clericum de delicto falſi teſtimonii, ad effectum eum à tali teſtimonio repellendi. 109. 322.

Excommunicatio.

Ex Privilegio à Summo Pontifice obtento Reges, & Imperator, nequeunt ab Epiſcopo excommunicari. 283. 848.

Tàm Ignorantia Juris particularis Epiſcopi, quàm Juris univerſalis Eccleſiæ, excuſat ab excommunicatione à Jure impoſita. pag. 362. quæſ. 2.

Excommunicatione non ablata, invalida eſt abſolutio. pag. 16. n. 42. pag. 25. quæſ. 2. & pag. 293. num. 880.

Excommunicatio major.

Ubi non eſt peccatum mortale, excommunicatio major non incurritur. pag. 113. quæſ. 2. pag. 122. quæſ. 1. pag. 181. num. 527. pag. 295. num. 891. & pag. 319. num. 959.

Excommunicatus majori excommunicatione, etiamſi non ſit denunciatus, peccat mortaliter, aſſiſtendo divinis Officiis. 289. 869.

Excommunicatio minor.

Privat receptione, ſeù paſſiva participatione Sacramentorum. pag. 102. num. 293. & pag. 293. num. 882.

Item privat paſſiva electione, præſentatione, & collatione beneficii Eccleſiaſtici, & Eccleſiaſticæ dignitatis. 293. 882.

De excommunicatis minori excommunicatione, valet electio ſecundùm aliquos, ſed poteſt annullari. 254. 268.

Excommunicatus minori excommunicatione validè adminiſtrat Sacramenta, ſed peccat venialitèr. 293. 882.

Excommunicatio ob Clerici percuſſionem.

Qui invenit Clericum, vel Religioſum, inhoneſtè cum Uxore, Matre, Sorore, Filia, vel etiam Nepte, ſi ipſum percutiat, mutilet, aut etiam occidat, non eſt excommunicatus, ſi ex incontinenti, & paſſione ſubita id fiat; quamvis ſemper mortaliter peccet. 298. 906.

Qui invenit Clericum Domi honeſtè colloquentem, cum Uxore, Matre, Sorore, vel filia, poſt monitionem, ut ab ea re abſtineret, poſſet illum verberare ſine periculo incurrendi excommunicationem. 112. 336.

Percutiens Clericum mortuum, excommunicationem Canonis incurrit. pag. 239. quæſ. 3.

Per violentas manus, intelligitur quilibet injurioſus effectus adversùs Clerici Perſonam. 296 895.

Qui furatur crumenam Sacerdoti, vel Clerico dormienti, vel alias non ſentienti, non incurrit excommunicationem. 322. 968.

Si Clericus ſolùm ſtrepitu Sclopi perterritus ex hoc vita decedit, ſufficit ad excommunicationem. 296. 895.

Ob reverentiam ſtatus Clericalis, impoſita fuit excommunicatio. 296. 893.

Sufficit, dum quis capit Clericum, vel Religioſum, per capillos, aut barbam, vel per caputium, dicens, ſi non eſſes Clericus, vel Religioſus, te occiderem, vel percuterem. 297. 897.

Aliud eſt de percutiente voluntariè Clericum, & aliud caſu, & inculpabiliter, 295. 892.

Dum quis percutit unum Clericum, credens eſſe alium Clericum, nulla ignorantia excuſat in tali caſu. 295. 893.

Non excuſatur quis percutiendo Clericum conjugatum eo quod non deferat habitum & Tonſuram. 295. 888.

Si Uxor, & Filii Clerici conjugati percutiantur in odium mariti, vel reſpectivè Patris, tales ſic percutientes eſſent excommunicati. 295. 889.

Si Clericus ſeipſum, ſuadente Diabolo, percuteret, in excommunicationem incideret. pag. 240. quæſ. 3.

Quæſtiones, ſeù tormenta circa Clericos, ut delictum confiteantur, moderatæ eſſe debent propter periculum excommunicationis. pag. 421. quæſ.

Qui ob Clerici percuſſionem eſt excommunicatus, ante abſolutionem prius parti læſæ ſatisfactionem præſtet quantùm commodè poſſit. 269. 808.

Excommunicatus.

In dubio Juris nemo in foro externo, aut interno, cenſendus eſt excommunicatus; in dubio verò facti debet ſe habere ut excommunicatum. 218. 656.

Excommunicatus in una Diœceſi, eſt excommunicatus ubique locorum. pag. 25. qu. 2.

Poſito quod quis alibi ſit denunciatus, & hic ubi degit neſcit, non debemus illum hic publicè vitare, ſed bene in privato. 291. 874.

Eſt licitum communicare, cum excommunicato occulto, hoc eſt non denunciato. 100. 286.

Excommunicatus denunciatus intrans Eccleſiam dum Miſſa celebratur, ſi poſt admonitionem non vult exire, poteſt etiam per vim expelli, quamvis ſit Clericus. 80. 245.

Admonitus à celebrante, ut exeat, ſi exire nolit, incurrit novam excommunicationem Papæ reſervatam. Ibidem.

Communicare, cum excommunicato fori eſt veniale peccatum, niſi in divinis communicatus illicitè. 102. 293.

Omnes poſſunt audire concionem cum excommunicato vitando. 120. 348.

Omnes caſus, in quibus prohibitum nobis eſt communicare cum excommunicatis vitandis. 289. 871.

Communicare in crimine criminoſo, cum excommunicato vitando eſt cooperari crimini, vel contumaciæ ipſius, propter quam lata fuit excommunicatio. 289. 870.

Participans in crimine criminoſo cum illo, incurrit eandem excommunicationem. 283. 849.

Li-

Digitized by Google

Licèt excommunicati ſint Rebelles Eccleſiæ, & excluſi ab Eccleſia, & communione fidelium: tamen Eccleſia majorem oſtendit pietatem, dum illos tuetur. 230. 702.

Excommunicatus, non per hoc deſinit eſſe membrum Eccleſiæ per fidem, nec eſt exemptus à legibus, & præceptis ſui Prælati, nec omninò extrà Eccleſiam ſicut Ethnici. 291. 876.

Excommunicatus vitandus poteſt orare in Eccleſia, etiamſi ibi alii fideles privatim orent, dummodo ſeparatim oret. 289. 868.

Poteſt etiam orare in eodem Sacello. Ibid.

Poteſt ingredi Eccleſiam tempore, quo celebrantur divina officia, ut tranſeat ob commoditatem itineris, etiamſi paululum oret. Ibidem.

Caſus, in quibus licitum eſt participare cum excommunicatis vitandis. 290. 872.

Inſordeſcentes per annum in excommunicatione, ſunt de Hæreſi ſuſpecti. 291. 877.

Tales inſordeſcentes ſunt Beneficiis privati, dummodo pro crimine aliquo fuerint excommunicati. 292. 877.

Expoſiti.

Habendi ſunt pro legitimis. pag. 51. *n.* 154. *& pag.* 274. *n.* 822.

Expoſiti debent reputari, tamquam legitimi & puri ſanguinis, ad omnes ordines, & præbendas obtinendas. pag. 365. *quæſ.* 1.

F

Facinoroſi.

FAcinoroſi gaudent Eccleſiarum Immunitate. 46. 136.

Falſæ Monetæ.

Ludentes Monetam falſam, immunitate Eccleſiaſtica gaudent, licèt in Eccleſiis tale delitium commiſerint, & non ſunt propriè perduellionis rei, neque publici latrones. 229. 701.

Falſificatio Scripturarum.

Licèt non ſit contrà Juſtitiam commutativam, eſt tamen contrà Juſtitiam legalem, & bonum Reipub. 302. 913.

Severis legibus prohibetur. Ibidem.

Fama.

Fama ex voce Populi, non probata præſumptione, ex qua fama trahat originem, dicitur vana vox Populi. pag. 420. *quæſ.*

Si publica fama à fide dignis procedat, ſolùm incitat Judicem ad inquirendum. pag. Ibid.

Fama apud graves, & bonos, cum ſuſpicionibus violentis ſecundùm conditionem Perſonæ, de qua agitur, facit aliquam probationem. 420. 1203.

Quando agitur de crimine, fama nec ſemiplenam probationem facit, ſed tantùm delicti operatur indicium. 125. 354.

Quando fama probatur trahere originem ex aliquibus præſumptionibus legitimis præcedentibus, facit probationem plenam in cauſis brevioribus, vel modici præjudicii, non autem in aliis. pag. 421. *quæſ.*

Teſtes deponentes de fama, ad minus duo eſſe debent omni exceptione majores. pag. 420. *quæſ.*

Læſio famæ alterius, ſi publicè fiet, dicitur contumelia, ſi autem occultè, dicitur detractio. 375. 1098.

Famula.

Poteſt Epiſcopus compellere Clericos quamvis ſenes ad removendas famulas, & ancillas. pag. 112. *quæſ.*

Famuli quicunque.

In caſibus, in quibus meridiana luce clarius eſt, heros committere injuſtitiam, famuli ſi in Judicio non poſſint ſui juris æqualitatem conſequi, poterunt extrajudicialiter ſibi occultè compenſare, judicio tamen

men

Digitized by Google

men hominis valdè docti, & in re morali verſatiſſimi. 305. 920.
Ab hujuſmodi acceptionibus abſtinere debent propter ſcandala, quæ ſolent oriri. 305. 921.
Famulis, qui ſpontè famulatum offerunt, poſſunt Domini præbere minus ſtipendiū, licèt illis indigeant. 305. 922.
Mens Famuli, qui remittit Domino determinationem pretii, eſt,ut Dominus determinet ex æquitate, non ex arbitrio. 306. 924.
Cum ſervus compellitur à Domino laborare in diebus feſtis, ſi nullum domnum ſervo ex inobedientia ſequatur, non poteſt tunc exercere ſervilia. pag. 311. & 312. n. 939.
Solùm ſervorum vota, quæ Domino præjudicant poteſt is irritare. 414. 1187.

Famulus.

Tenetur ob conventionem Dominum comitari, ac ejus vitam defendere, ſi opus fuerit, etiam cum vitæ propriæ periculo, ſi ad talem effectum conductus fuerit. 182. 528.

Favor.

Favores ſunt ampliandi. pag. 218. n. 656. pag. 239. quæſ. 3. & pag. 240. quæſ. 4.

Feſtus dies.

Omnium Chriſtianorum feſta, etiam dies Dominici, ſolùm Jure humano in Eccleſia introducti ſunt. 308. 929.
Cum quis vovit jejunare in feſto alicujus Sancti, & hoc accidit in Dominica, ſi Votum fuit tantùm de Jejunio afflictionis, aut de Jejunio afflictionis ſimul, & exultationis, jejunandum eſt Sabbato præcedenti; ſi verò de neutro, quia non cogitavit, vel ſolùm de Jejunio exultationis, jejunat in Dominica. 350. 1051.
Qui nec voto, nec regulari obſervantia ſunt adſtricti, in 6. feria, ſi feſtum Nativitatis Dominicæ die ipſo venire contigerit, carnibus propter feſti excellentiam veſci poſſunt. 350. 1052.
Non ſanctificare feſta ex genere ſuo mortale eſt, ac contrà divinum præceptum, & curare debent fideles diem feſtum expendere in divinis laudibus. 312. 940.
Opera ſervilia ſunt ex ſe, & jure divino prohibita in feſtis, & licita non ſunt extrà neceſſitatem. 312. 941.
In venditionibus ſolemnibus, & in operibus forenſibus, ac judicialibus, quæ ſunt ſpeciali jure prohibita in die feſto, materia gravis non deſumitur ex quantitate tēporis inſumpti, ſed ex qualitate operis. 309. 930.
De Lucro ſequente ex piſcatione facta ob urgentem, & ſpecialem neceſſitatem in die feſto, debet fieri pauperibus portio, aut Eccleſiæ. 309. 931.

Fidei Profeſſio.

Sæcularis licentiam habens prædicandi à Prælato Regulari Juriſdictionem habente in loco, in quo prædicatio eſt facienda, tenetur emittere profeſſionem fidei coram Epiſcopo, multo magis, quam Religioſi. 121. 351.

Fides.

Expedit ad breve tempus impedire à matrimonio contrahendo, qui Chriſtianam Doctrinam ignorant, ut addiſcendæ Doctrinæ curam habeant. 358. 1067.
Qui nihil audierunt de fide, damnantur propter peccata commiſſa contra legem naturæ, quæ ſine Fide Chriſti remitti non poſſunt. 358. 1068.
Nullus Chriſtianus excuſari poteſt prætextu ignorantiæ ſi erraverit in articulis fidei. 359. 1069.
Nullus tenetur ad explicitam fidem omnium, quæ credenda ſunt habendam, ſed partim implicitam, partim explicitam, præter articulos, qui in Eccleſia publicè ſolemnizantur, quos omnes explicitè credere debent, aliàs mortaliter peccant. pag. 313. & 314. num. 945.
Non ſufficit Myſteria Trinitatis, & Incar-

carnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſemel credidiſſe. 314. 946.

Fidere.

Scrupulos mitigat ſibi parum, & multum Chriſto fidere. 153. 440.

Filii.

Nunquam in foro conſcientiæ licet filio occidere Patrem, quamvis capitaliter Bannitum, niſi eſſet valdè noxius Reipublicæ. 226. 687.

Extrà neceſſitatem extremam potiùs filiis, quàm Parentibus ſuccurrendum eſt. 258. 779.

Filii Clerici conjugati gaudent Privilegio Fori, dummodò non fuerint emancipati. 295. 889.

Filii Hæreticorum, uſque ad ſecundam generationem per lineam paternam, & uſque ad primam per maternam, ſunt Irregulares. pag. 410. *quæſ.* 3.

Id malè limitatur ad filios ante Hæreſim genitos, & ad illas regiones, in quibus hæreſes graſſantur, ſed ad filium Patris Hæretici prima vice pœnitentis. pag. 411. *quæſ.* 3.

Filii relapſorum ſunt intelligibiles ad officia publica, etiamſi Parentes pœniteant. Ibidem.

Filii Patris Hæretici etiam impœnitentis, non ſunt infames, niſi loquendo de quadam imperfecta infamia, pro quanto ſunt in minori æſtimatione. Ibid.

Filii Saracenorum, Paganorum, vel Judæorum, ſi fuerint baptizati ante ſeptennium, non ſunt irregulares: ſecùs ſi in ætate adulta baptizati fuerint, cum ſint novi in fide, ſed poſt aliquam temporis moram à die ſuſcepti baptiſmatis ceſſat hæc Irregularitas judicio Epiſcopi ſic declarante. pag. 412. *quæſ.* 4.

Finis.

Qui vult finem, vult etiam media neceſſaria ad finem, & cui finis eſt permiſſus, media quoque neceſſaria permiſſa cenſentur. 138. 387.

Fœmina.

Nullo modo debet admitti adminiſtrandum Miſſæ. 79. 242.

Audendum potiùs ſibi reſpondere, & miniſtrare, quàm fœmina ad id muneris admittere. 80. 242.

Fœminæ non competit prædicare. pag. 123. *quæſ.* 2.

Fœminam minor metus excuſat, quàm Virum. pag. 114. *quæſ.* 2.

Eſt regula communis, nomine maſculini generis, etiam fœminas comprehendere. 386. 1114.

Fornicatio.

Eſt intrinſecè mala, jure naturæ prohibita. 319. 959.

Fuga.

In cauſa gravi fugere non dicitur, qui ad Superiorem vadit. 40. 124.

Si aliquis non poteſt, abſque ſuo dedecore fugere, non tenetur id facere. 179. 518.

Licèt quis non teneatur fugere, quando fuga eſt vituperoſa ad peccatum vitandum, ne interficiat aggreſſorem, tenetur tamen fugere ad vitandam Irregularitatem. 405. 1171.

Quoties quis non poteſt fugere, vel fuga illi eſt periculoſa, interficiendo non peccat, nec efficitur Irregularis. 405. 1169.

Occidentes furem, ſi cum re furata fugiat incurrunt Irregularitatem. 177. 512.

Fuga occaſionum peccandi.

Vera Pœnitentia non eſt ſine exciſione cauſarum peccandi. 15. 37.

Fures.

Fures gaudent Eccleſiarum immunitate. 46. 136.

In tribus caſibus occidi non poſſunt pro de- *ſeu-*

ſenſione rerum. 177. 511.

Furtum.

De furtis filiorum non eſt philoſophandum, ut de cæteris furtis, major enim quantitas in illis, quàm in iſtis requiritur. 321. 967.

Tàm in fure, quàm in concauſis, oritur obligatio reſtitutionis. 319. 961.

G

Gabella.

GAbellæ ſunt ſignum ſubiectionis. 324. 974.

Generalis Religionis.

Solus Papa poteſt diſpenſare, cum Illegitimo, ut ſit Generalis Religionis. pag. 364. quæſ. 1.

Si peccat mortaliter, non tenetur explicare in confeſſione, quod ſit talis, niſi peccatum publicum ſit, quod ſcandalum pareret, ut dicitur etiam de Epiſcopo. 143. 407.

Non poteſt poni in Canone Miſſæ pro nomine Epiſcopi nomen Generalis Religionis. 86. 260.

Gula.

Ex genere ſuo non eſt mortale. 211. 633.

Qui ſponte bibit ſine cauſa, cauſa voluptatis, notabiliter lædit uſum rationis, & exponitur periculo proximo peccandi mortaliter. 222. 671.

H

Hæreſis, & Hæretici.

HÆretici occulti non ſolum ſunt eo ipſo excommunicati in Bulla Cœnæ, ſed etiam Irregularitatem incurrunt; ita quod Epiſcopus poteſt cum eis diſpenſare. pag. 328. n. 991. & 992.

Si in Jubilæo concedatur facultas abſolſolvendi à caſibus in Bulla Cœnæ, adhuc ab Hæreſi occulta non poteſt Confeſſarius abſolvere niſi exprimatur. pag. 418. & 419. quæſ.

In Hæreſis deteſtationem admittuntur teſtes aliàs inhabiles. 185. 545.

Homicidium.

Homicida eſt coram Deo, & in foro pœnitentiali, qui cauſavit certò moraliter Mortem ex vi vulneris ſecuturam, pag. 135. quæſ. 1.

In dubio facti circa homicidium quilibet in utroque foro cenſendus eſt Irregularis. 404. 1167.

Horæ Canonicæ, & Officium Divinum.

Quatuor modis quis attendere poteſt, ut præceptum adimpleat, & unus ſufficit. 43. 129.

I

Jejunium.

IN collatione ſerotina quantitas ſecundùm communem complexionem eſt unciarum octo. pag. 351. quæſ.

Jejunium eſt una ex conditionibus pro comparando Jubilæo, & tàm Adoleſcentes, quàm ſenes, Jubilæum lucrari non poſſunt, niſi Jejunent, cum hoc non ſit præceptum, ſed conditio pro conſecutione. pag. 415. & 416. n. 1190.

Non poteſt Epiſcopus, aut Prælatus Regularis, diſpenſare cum ſibi ſubdito, ut nunquam in tota vita jejunet. 210. 629.

In locis valdè ab urbe remotis, vel ubi periculum eſt in mora, vel ex generali conſuetudine, licèt Epiſcopo univerſos Cives abſtinentia quadrageſimali ex cauſa peſtis ſolvere. 275. 824.

Qui eſt diſpenſatus ad edendas carnes in Quadrageſima, ſi ſanus ſit, & fortis, non excuſatur à jejunio. 211. 632.

Licentiatus ad carnes in Quadrageſima, nō poteſt tuta conſcientia illas edere in diebus quatuor temporum, abſque gravi neceſſitate, & licentia Medici. 380. 1107.

Ex Decreto Clementis XI. diſpenſatus à carne mortaliter peccat ſi non ſalubriores, ſed quaſcumque carnes comedit. 211. 632.

Igno-

Ignorantia.

Ignorantia invincibilis dicitur probabilis, & inculpabilis, vincibilis verò inprobabilis, & culpabilis appellatur. 353. 1053.

Ignorantia antecedens idem eſt, ac probabilis, & invincibilis, conſequens verò idem, ac affectata. Ibidem.

Ignorantia affectata contingit quando quis ex induſtria vult aliquid ignorare, craſſa verò, & ſupina, quando quis ex aliqua negligentia ignorat ea, quæ poteſt, & debet ſcire, pag. 359. num. 1070. & pag. 362. quæſ. 3.

Illegitimi.

Sunt Irregulares. 363. 1074.

Impedimenta diſimentia Matrimonium.

Impedimentum Affinitatis per copulam illicitam contrahitur uſque ad quartum gradum, per illicitum verò uſque ad ſecundum incluſivè. 35. 106.

Propter inceſtum cum Conſanguinea Uxoris in primo, vel ſecundum gradu, contrahitur unum ex impedimentis impedientibus. 37. 116.

Impedimentum publicæ honeſtatis.

Ex Matrimonio rato, & non conſummato, non oritur affinitas, ſed impedimentum publicæ honeſtatis. 36. 108.

Impotentia Coeundi.

Impotentia perpetua cenſenda eſt, quando non poteſt tolli ſine miraculo, aut peccato, aut vitæ periculo. 372. 1090.

Incantatio.

Fit dicendo verba inutilia, aut inefficacia ad effectum, non apponendo res naturales, ſed ſola verba cum concurſu Dæmonis. pag. 203. & 204. num. 607.

Inceſtus.

Qui ſcienter commiſit Inceſtum cum conſanguinea alterius conjugis, in primo, & ſecunda gradu, privatur Iure petendi debitum Conjugale, & prohibetur, altero Conjuge defuncto, matrimonium cum aliis contrahere, etiamſi Inceſtus ſit occultus. 37. 116.

Item ſi eo mortuo ducat Uxorem, & reſpectivè Maritum, debitum petere non poteſt, ſed ſolùm reddere. Ibidem.

Parochus, aut alius cognoſcens fœminam, quam baptizavit, vel ipſius Matrem, committit inceſtum. 375. 1097.

Indulgentia.

Securius eſt præmittere actualem confeſſionem ad lucrandam Indulgentiam cum illa clauſula, & conſulendi ſunt ad id fideles, qui non habent niſi peccata venialia. 415. 1109.

Indignatio.

Contingit dum quis dolet, cum vidit bona indignis conferri, 203. 605.

Infamatus.

Infamatus propriè dicitur, cujus opinio eſt læſa apud bonos, & graves viros. 375. 1098.

Infamis.

Impeditur eſſe teſtis, & eligere. pag. 411. quæſ. 3.

Infamis jure Civili, regulariter eſt etiam infamis jure Canonico. 376. 1099.

Infirmi.

Nomine Infirmorum comprehenduntur non ſolùm propriè infirmi, ſed etiam Valetudinarii, qui de facili ægrotant. 383. quæſ.

Sacerdotes qui Miniſtrant Infirmis in vertendo eos de lecto ad lectum, vel eis cibum & potum porrigendo, ſi ex his Mors ci-

tiùs ſequatur, non fiunt Irregulares, dummodo hæc omnia cum cautela, & diligentia fiant. 407. 1177.
Sacerdotes, non ſe ingerant, aſſiſtendo infirmis, quoad Corporis contactum, ſi adſunt laici. Ibidem.
Cardinales ægritudine laborantes non poſſunt pati ſanguinis miſſionem ſine licentia Papæ, ubi commodè haberi poſſit. 73. 224.

Ingreſſus in Monaſteria Monialium.

Epiſcopus non poteſt accedere, & multò minùs ingredi Monialium ſepta, ſine licentia Epiſcopi prohibentis ne quis accedet ad Monaſteria Monialium. 283. 847.
Conſulitur Epiſcopus, ut ſe abſtineat ab abſolvendo ab excommunicatiane occulta contracta ex ingreſſu ad Monaſterium Monialium. 62. 190.
Non poſſunt Cardinales Protectores ingredi Monaſteria Monialium, niſi in caſibus neceſſariis. 73. 223.
Semper mortaliter peccant Parentes cogentes filias poſt annum duodecimum ad Ingreſſum Monaſterii, etiam educationis cauſa. pag. 389. & 390. n. 1122.

Inimicus.

Qui Inimicum ſalutantem non reſalutat, Mortaliter peccat, quotieſcunque ſequitur ſcandalum, aut quoties notabilis contemptus exiſtimatur, ſpectata circumſtantia temporis, loci, perſonarum, & conſuetudine Patriæ. 393. 1134.
Ad poſtulationem Inimici, qui minatur Urbi excidium niſi Innocens ei tradatur, poteſt Reſpublica illum tradere, imò ſe ipſum tradere debet, & ad hoc cogi, pro bono communi. 331. 1003.

Innocens.

Dupliciter quis dicitur Innocens; de facto, & de Jure. 184. 540.

Inquiſitores.

Contrà evomentes Blaſphemias hæreticales ſolùm Inquiſitores procedere poſſunt. 60. 188.
Poſſunt procedere contrà Blaſphemantes hæreticaliter in iracundia. 60. 186.
Non ſolùm nullam indiciorum notitiam habuiſſe conſtet eos, qui beneficio ſpontè comparentium coram Inquiſitoribus gaudere volunt, ſed Confeſſio ſit integra velut Sacramentalis, p. 131. & 132. n. 376.
Contrà Inquiſitores jurisdictionem non habet Epiſcopus. 292. 879.

Intentio.

Triplex eſt Intentio, nempe habitualis, virtualis, & actualis. 397. 1145.

Interdictum.

Eccleſiæ gaudent Immunitate, etiamſi fuerint interdictæ. 234. 717.

Interſtitia.

Juſta cauſa, ob quam licitè concedi poteſt diſpenſatio interſtitiorum, non eſt eadem in omnibus ordinibus. 208. 623.

Invaliditas.

Importatur per Verbum, nullatenus, vel, non poſſe. 39. 122.

Invalidas Abſolutionis.

Excommunicatione non ablata invalida eſt Abſolutio. pag. 16. num. 42. pag. 25. quæſ. 2. & pag. 293. num. 881.

Invaliditas Beneficiorum.

Irregularitas reddit hominem inhabilem ad obtinendum Beneficium Eccleſiaſticum, nec poteſt tuta conſcientia retinere, nec fructus ex eo perceptos. 402. 1161.
Etiam poſt obtentam diſpenſationem ab Irregularitate, non poteſt Beneficium retinere ſine revalidatione collationis priùs factæ. Ibidem.
Si Epiſcopus diſpenſaret, ut quis ante annum

Digitized by Google

num 14. *Beneficium ſimplex obtineat, collatio Beneficii nulla eſſet*. 33. 94.

De Jure communi invalida eſt collatio Beneficii facta excommunicato ante abſolutionem. 100. 216.

Collatio Beneficii facta indigno, in utroque foro eſt nulla. 250. 755.

Invaliditas Juramenti.

Non valet Juramentum, quoties intercedit error, aut dolus circa ſubſtantiam, vel ſaltem circa cauſam finalem. 425. 1215.

Invaliditas Sacramenti Matrimoni.

Ex Matrimonio rato invalido, modò non ſit invalidum ex defectu conſenſus, conſurgit impedimentum publicæ honeſtatis. 371. 1087.

Invaliditas Sacramentorum.

Ad validè conficiendum Sacramentum Intentio habitualis non ſufficit. 397. 1145.

Invaliditas ſententiæ Judicis.

Sententia contra aliquem lata à Judice nulla cenſetur, quando eſt à Judice non competente lata, aut quando quis non eſt de aliqua culpa accuſatus, vel denunciatus, aut citatus, vel niſi adſint indicia ſufficientia. 420. 1203.

Invaliditas Sponſalium.

Ex Sponſalibus fictis, & invalidis ex defectu interioris conſenſus, vel ex alia invaliditate, non conſurgit impedimentum publicæ honeſtatis. 371. 1087.

Irregularis.

Irregularis non impeditur eſſe teſtis, & eligere. pag. 411. quæſ. 3.

In dubio Juris poſita Ignorantia invincibili nullus cenſendus eſt Irregularis; In dubio autem facti debet unuſquiſque in foro animæ ſe irregularem exiſtimare; ſed in foro contentioſo non debet Iudex aliquem reputare Irregularem. 216. 650.

Irregularitas.

Non eſt Cenſura. 103. 284.

Etiam ob culpam præteritam incurritur Irregularitas ſub conditione effectus ſecuti. pag. 135. quæſ. 1.

Irregularitas oritur etiam ex defectu ſcientiæ. 357. 1065.

Irregularitas, quam incurrit Maritus ignarus adulterii, non eſt in pœnam delicti, neque ob infamiam ullam Perſonæ, ſed ob defectum ſignificationis inducta eſt. 57. 172.

Tam infamia juris, quàm facti, reddit hominem Irregularem, ſed prima ſimpliciter, ſecunda verò ſecundùm quid, non impediendo exerci ium ſuſceptorum ordinum, niſi crimen tale ſit, quod inducat peculiarem irregularitatem, ut homicidium; debet tamen impediri, nam Irregularitas non ſolùm ex delicto, ſed ex diffamatione, & ſcandalo oritur. pagina 376. & 377. num. 1100.

Aliqua crimina notoria, ſi infamiam juris non habeat annexam, non inducunt veram irregularitatem, niſi poſt ſententiam Judicis. 376. 1099.

Non requiritur ſententia declaratoria ad incurrendam irregularitatem, ſed ipſo jure incurritur. 328. 992.

Irregularitas ex defectu Natalium tollitur per profeſſionem ſolemnem Religionis, quoad ordines, non quoad Prælaturas. pag. 364. quæſ. 1.

Si Clericus violavit Cenſuram exercendo actum proprii Ordinis, irregularitatem contraxit, à qua, ſi eſt notoria, ſolùm Summus Pontifex diſpenſare poteſt, ſi verò occulta, etiam Epiſcopus diſpenſare non prohibetur. 127. 357.

Excommunicatus minori excommunicatione, celebrando Miſſam, Irregularitatem non incurrit, ſicut incurrit excommunicatus majori excommunicatione. 294. 884.

Inhabilitas ad Beneficia, & officia publica, eſt quædam veluti Irregularitas. pagi-

na 411. *quæſ.* 1.

*Inhabilitas ad Officia publica, non eſt propriè irregularitas, ſed conſecutivè, quia non eſt inhabilitas ad ordines, ut ordines ſunt, & ratione Sanctitatis illorum, ſed ut ſunt publica officia.pag.*412. *quæſ.* 3.

Irritatio Votorum.

Irritare Vota non pertinet ad Ecclesiaſticam authoritatem, ſed directè ſpectat ad poteſtatem dominativam, ſeù quaſi dominativam. 2. 4.

Non requirit cauſam ad ſui Validitatem, ſicut requirit commutatio, & diſpenſatio. 206. 619.

Jubilæum.

Confeſſarius approbatus tantùm pro uno oppido, vel ad certum genus Perſonarum, non poteſt eligi vigore Jubilæi, niſi ab illis Perſonis dumtaxat, pra quibus data eſt illis talis approbatio. pag. 136. *quæſ.* 3.

Non tenetur Pœnitens in Confeſſione exprimere, quod peccaverit in confidentiam Jubilæi. 144. 414.

Iudex.

Judices laici violant immunitatem eccleſiaſticam, ſi Clericos propter crimen perduellionis, ſeù læſæ Majeſtatis puniant. 109. 321.

Judices laici non excuſantur à peccato, & à cenſuris, ſi metu probabili amittendi officium violant immunitatem. pag. 113. *quæſ.* 2.

Judex Eccleſiaſticus, licet tradat Reum brachio ſæculari, non per hoc dicitur concurrere ad mortem. 27. 75.

Judex quatuor præſertim modis pervertere poteſt judicium. pag. 421. *quæſ.*

*Non peccat Judex niſi ſit ſupremus ſi juxtà allegata, & probata profert ſententiam Mortis contra aliquem, quem ſcit ex privata ſcientia eſſe innocentem. pag.*394 *&* 395. *num.* 1139.

Judex, ſi Carceratos non viſitat, & pauperibus provideri non curat, irregularitatem ſecuta morte incurrit, & ſi Carceratus eſt Clericus, excommunicatione itidem innodatur. pag. 409. *quæſ.* 1.

Iura.

Jura Juribus debent concordari, & Jurium correctio eſt evitanda. 150. 430.

Ubi Jus non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. pag. 240. *quæſ.* 4.

Dum non militat eadem ratio, non poteſt eſſe eadem Juris diſpoſitio. 184. 852.

*Jura probationem requirentia, de plena, & concludenti intelliguntur.p.*411.*quæſ.*

Iuramentum.

Juramenti obligatio ceſſat ratione eventus. 180. 523.

Si Juramentum ſit in favorem alicujus tertii, Epiſcopus non poteſt diſpenſare, & commutare, etiam in iis, quæ ſi vota eſſent diſpenſare poſſet. 279. 827.

Si Juramentum fuit pœnale, & conditionale, etiam in quinque Juramentis reſervatis poteſt Epiſcopus diſpenſare, ante, & poſt impletam conditionem, & pœnam incurram. Ibidem.

Iuriſdictio.

Conſuetudo legitimè præſcripta, Iuriſdictionem concedit. 210. 631.

Epiſcopus, vel alius Iudex non poteſt exercere Iuriſdictionem in aliena Diœceſi, vel Territorio. 266. 798.

Iuſtificatio.

Iuſtificatio formalis ſolùm à gratia ſanctificante habetur. pag. 161. *quæſ.*

Per Contritionem juſtificatur homo extra Sacramentum, & multò magis cum Sacramento, ſaltem præſuppoſitivè, cum ſit ſufficiens diſpoſitio ad gratiam. pagina 102. *quæſ.*

Prima Iuſtificatio Impii poſt Evangelium promulgatum, ſine lavacro regenerationis, aut ejus voto, fieri non poteſt. 358. 1068.

Iuſtitia.

Vera Iuſtitia compaſſionem habet, falſa dedignationem. 385. *quaeſ.*

Iuvenis.

Loquando de periculo Incontinentiae, Iuvenis intelligitur uſque ad annum quinquageſimum. pag. 112. *quaeſ.* 1.

L

Laicus.

LAicus coram Iudice Laico poteſt reconvenire Clericum civiliter. pag. 115. *quaeſ.* 4.

Si Laicus delinquat ſimul cum Clerico, debet puniri à Iudice Eccleſiaſtico. 419. 1202.

Contrà Laicos praeſentes in eadem Provincia praeſcribitur regulariter conſuetudo decem annis, contra abſentes viginti. 157. 455.

Largitio Munerum.

Si alicui perſonae, cui bonorum adminiſtratio competit, prohibitum ſit donare, ea prohibitione non comprehenduntur eleemoſynae, dummodo per Regulam, aut ordinis ſtatuta, non prohibeantur. 3. 6.

Neque etiam comprehenduntur Donationes remuneratoriae, dummodo fiant modeſtè, & diſcretè. Ibidem.

Donatio remuneratoria eſt jure naturae debita, et non eſt propriè Donatio. Ibidem.

In Remunerationem pro beneficio accepto poteſt dari aliquid plus. Ibidem.

Lex.

Leges Pontificiae, cum Romae more ſolito publicatae fuerint, obligant ubique. 175. 509.

Earum obligatio non pendet ex acceptatione Populi. Ibidem.

Extrà Romam ſaltem per duos menſes à publicatione Romae facta obligare incipiunt, niſi certum tempus obligationis apponatur. Ibidem.

In quinque caſibus Epiſcopi, & Regulares, poſſunt diſpenſare cum ſibi ſubditis in legibus Pontificiis, quamvis expreſſam poteſtatem non habeant. 210. 631.

Non licet ad fugiendam obligationem legis, tranſire ad locum ubi lex non obligat. 344. 1034.

Libellus famoſus.

Eſt Scriptura, vel ſignum infamiam continens de crimine alicujus occulto, publicans illud. 159. 589.

Iure civili libelli famoſi author, pena capitali punitur; de jure autem canonico excommunicantur, verberantur, ſiunt infames. Ibidem.

Qui libellum famoſum invenerit ignarus, & non ſtatim deſtruxerit, vel occultaverit, ſed vim ejus dolo manifeſtaverit, ſecundùm jura peniretur ut auctor. Ibid.

Libertas Eccleſiaſtica.

Ponitur differentia libertatis Eccleſiaſticae ab Immunitate Eccleſiaſtica. p. 238. quaeſ.

Excommunicatio, quae incurritur ob violationem libertatis Eccleſiaſticae, eſt reſervata in bulla coenae. Ibidem.

Licentia.

Solùm in ordine ad forum externum eſt Neceſſaria licentia in ſcriptis, in foro verò conſcientiae ſatis eſt licentia tacita, vel interpretativa. 3. 6.

M

Mala.

MInus malum de duobus eſt eligendum. 6. 9.

In materia peccatorum non valet dicere; De duobus malis minus eſt eligendum. pag. 11. *quaeſ.*

Non ſunt facienda mala, ut eveniant bona. pag. 7. ſub num. 13. & 14. pag. 220. n. 663. pag. 224. n. 673. & pag. 258. 777.

Male-

Maleficium.

Eſt ars Nocendi ex pacto, & auxilio dæmonis. 203. 605.

Malitia.

Cocundi potentia, interdum Malitia appellatur. 34. 100.
Circa ea, quæ juræ poſitivo ſunt probibita, quando apponitur illa particula, niſi eſſet probibitum ab Eccleſia, auſertur malitia operis. 196. 576.

Mandata.

Ponitur differentia mandati à Conſilio. 154. 444.
Ratibabitio eſt mandatum fictum, non verum. 76. 233.
Cenſetur tacitè mandaſſe bomicidium Filio, vel Servo ſuo, qui eidem dixit, poſtquam injuriam ab aliquo recepit, Domum ne redeas donec aliquid novi de te audiam. 331. 998.

Maritus.

Secundum Jus Codicis non datur Marito facultas occidendi conjugem, ſed adulterum, & quod Uxorem accuſet; Imò Adulterã Uxorem occidens amittit bona, quæ ob adulterium lucratus fuiſſet, & etiam tenetur ad Damna bæredum ipſius occiſi. 331. 1003.
Non poteſt Maritus irritare omnia Uxoris vota, quando ei nullum præjudicium faciunt. 413. 1184.
Maritus, qui non poteſt omnibus ſubvenire, potius tenetur ſubvenire Parentibus, & Filiis, quàm Uxori. pag. 258. & 259. *num.* 760.

Medicus.

Fugiendi ſunt Medici Diſpenſationes facilè concedentes. 335. 1010.
Clerici in Sacris, vel Beneficiarii, mederi non poſſunt ſine diſpenſatione Pontificia, quamvis Irregularitatem non incurrant, & extrà caſum extremæ neceſſitatis peccant mortaliter. pag. 406. & 407. *num.* 1175.

Memoria Peccatorum.

Sacerdos, qui incboata Miſſa meminit ſe eſſe in peccato mortali, ſi poſſit vocare Confeſſarium ad altare, commodè, & ſine ſcandalo tenetur id facere. 80. 244.
Non tenemur baberè contritionem de peccatis jam confeſſis, quoties illorum recordamur, niſi quoties recordamur practicè, ſed ſolùm de illis non complacere, vel mentem aliò divertere. pag. 159. & 160. *num.* 463.

Metus.

Si ſervi coacti laborant in diebus feſtis ad vitandum damnum in Perſona, vel rebus ſuis, talis metus eos excuſat, dummodò non cogantur à Dominis in feſtorum, & Eccleſiæ contemptum laborare. 311. 939.
Metus juſtus, & probabilis, qui dicitur cadere in conſtantem virum, eſt quando quis probabiliter timet ſibi, aut ſuis, aliquod grave malum eventurum. pag. 113. *quæſ.* 2.
Talis metus non ſemper eſt metiendus ex cauſa, ex qua naſcitur, & ex natura rei, ſed ex Perſona, cui incutitur. Ibidem.
Fæminam minor Metus excuſat, quàm Virum. pag. 114. *quæſ.* 2.
Qui metu peccat, pænam extraordinariam non effugit. 189. 555.

Miniſter Sacramentorum.

Licitum eſt ſine peccato mortali petere Sacramentum à Miniſtro parato, licet excommunicato, vel ſuſpenſo, dummodò non ſit nominatim denunciatus excommunicatus, aut publicus Clerici percuſſor. 129. 366.
Excommunicatus minori excommunicatione validè adminiſtrat Sacramenta, ſed peccat venialiter. 293. 882.
Si Miniſter ex malitia in Sacramento deciperet, non babendo intentionem faciendi

Digitized by Google

di quod facit Eccleſia Deus non ſuppleret effectum Sacramenti. 397. 1144.

Miniſter Sacrorum Ordinum.

Qui præſumit vivente Uxore ſine ejus licentia, vel extrà caſus à Jure conceſſos, Sacros ordines ſuſcipere, etiam abſoluto Matrimonio non poteſt in illis miniſtrare ſine Summi Pontificis diſpenſatione, niſi profiteatur in aliqua approbata Religione, nam in tali caſu etiam Epiſcopus diſpenſare valet. 95. 282.

Miſericordia.

Eſt præferenda rigori. 385. *quæſ.*

Miſſa.

*Non ſolùm ex opere operato, quantum ad Sacramentum, equè valet Miſſa Sacerdotis boni, & mali, ſed etiam quoad Orationes, conſideratas tanquam procedentes à celebrante in perſona Eccleſiæ. pag.*95. *quæſ.*1.

Miſſa, ſi per modum congratulationis intelligatur, omnibus in Purgatorio exiſtentibus prodeſt, non autem ſi per modum expiationis. pag. 97. *quæſ.* 3.

*Miſſa applicata vivis non ſolùm eſt ſatisfactoria, ſed propitiatoria pro peccatis, conferendo varias gratias prævenientes, & impetratorias variorū beneficiorum. pag.*98. *quæſ.*4.

Mollities, ſeù Pollutio.

*Habere copulam cum fœmina mortua eſt tantùm peccatum mollitici, dummodò peccans cum tali fœmina mortua non habeat affectum fornicarium diverſum à pollutione. pag.*163. & 164. *num.*471. & 472.

Ejus potiſſimum, & efficax remedium eſt frequentiſſima Confeſſio, cum eodem Confeſſario, & ut fiat ter in hebdomada ſi fieri poteſt. 155. 448.

Moniales.

Moniales non poſſunt tuta conſcientia admittere intra clauſuram ſui Monaſterii pueros, ſeu puellas uſum rationis non habentes. 386. 1114.

Moniales admittens aliquem intra ſepta Monaſterii ad malum finem, incurrit in excommunicationis pœnam. 386. 1115.

Monomachia.

Idem eſt ac ſingularis pugna, ſcilicet unius cum uno pugna ex condicto. 221. 664.

Moribundus, & Morti proximus.

*Non omnes prægnantes, proximè parituræ, cenſendæ ſunt in periculo Mortis.*22.66.

Abſolutus in periculo mortis ab excommunicatione reſervata, ſi convaleſcat, & non ſe præſentet ſuo Superiori ad obediendum, ob illud peccatum in obedientiæ incidit in excommunicationem eodem modo reſervatam, ut erat illa, ſuper quā fuerat abſolutus. 25. *quæſ.*2.

Si aliquis ita ſit morti propinquus, ut non vacet tempus ad impendendam utramque abſolutionem, poteſt Sacerdos dicere, Abſolvo te à peccatis tuis, ſubintelligendo priùs à cenſuris, & deinde à peccatis. 133. 380.

Tenetur pœnitens per interpretem confiteri, ſi alio modo non poteſt, quando in articulo mortis exiſtit. 151. 433.

Conſulendum eſt, ut in tali caſu Moribundus omnia peccata mortalia in ſpecie confiteatur, quia Interpres tenetur ſervare ſigillum, ſicut Confeſſarius. Ibidem.

Mutilatio Membrorum.

Nemo eſt Dominus membrorum ſuorum. 272. 818.

Non eſt cenſendus irregularis, qui in rixa præſcidit alteri digitum. 406. 1173.

Ne-

N

Neceſſitas.

Neceſſitas extrema, vel ferè extrema non eſt, quando Pauper emiſſurus eſt ſpiritũ, ſed quando ob defectum Neceſſariorum apparet, quod ille moritur niſi ei ſuccurratur. 258. 778.

Gravis neceſſitas non facit res communes, ut facit extrema. 320. 966.

Neceſſitas accipienda eſt moraliter non autem phiſicè. 386. 1113.

Negotiatio Clericorum.

Percipere fructus ex agro alieno, licèt non ſit propriè negotiari, eſt tamen expreſsè interdictum Clericis. 323. 972.

Nobilitas.

Nobilius trahit ad sè minus nobile, ſed minus nobile non trahit nobilius. 241. 728.

Eccleſiaſtici valdè nobiles poſſunt plus aliis minus nobilibus in ſui ſuſtentationem inſumere. 265. 794.

O

Obedientia.

Obedire non tenetur ſubditus, ſi per præſumptiones quaſi violentes, credat quod ſuperior velit ejus mortem. 384. quæſ.

In omni obedientia intelligendæ ſunt aliquæ conditiones, nẽpe ſi poſſibilitas adeſt, & ſi ſit rationabilis cauſa, &c. 385. quæſ.

Occaſione.

Non plura, ſed unum peccatum committit, qui facit illud peccatum, cujus periculo ſe antea expoſuit, dummodò inter periculum, & actum, non intercesserit notabilis mora. 106. 314.

Odium.

In Confeſſione non ſunt explicanda mala volita, cum optentur ſub una ratione formali, quæ eſt odium proximi; nec currit paritas de damnis illatis. 144. 413.

Officiales Papæ.

Cenſuris ligari non poſſunt. 292. 879.

Per eos eſt facienda Bullarum correctio, quoties juxtà Pontificis mentem ſenſus non mutatur. 303. 914.

Opera.

Ad rectè operandum requiritur judicium practicum moraliter certum. 360. 1071.

Opinio.

Ponitur differentia Opinionis à Dubio. 216. 649.

Non peccat, qui in dubio ex duabus opinionibus contrariis unam eligit, & ſecundum illam operatur, niſi pro contraria eſſet aliquis ſcripturæ locus, aut Eccleſiæ auctoritas, & niſi aliquid ageret priuſquam cum aliqua bona ratione ex animo dubietatem expelleret, certò credens opinionem ab eo electam eſſe veram. 219. 659.

Romana praxis anteponenda eſt omnibus Doctorum ſententiis. 242. 731.

Exiſtente opinione probabili Eccleſia non ſupplet Juriſdictionis defectum in confeſſario, ſicut eundem ſupplet concurrente errore communi, & titulo colorato, & contraria aſſertio hic Romæ non admittitur amplius. 130. 368.

Oppignoratio.

Sicuti res Eccleſiæ alienari non poſſunt, neque etiam poſſunt oppignorari propter eandem rationem. 38. 119.

Oratio.

Nil aliud ex vi Orationis exigitur, quàm

unus ex 4. modis, quibus quis attendere poteſt in Officio divino. 43. 129.

Ordines Minores.

Ad tres minores requiruntur 7. anni completi, ad Accolitatum 12.. 35.102.
Poſſunt conferri in quolibet feſtivo die, qui ſit de præcepto. 284. 854.
Sufficit quod ſit dies feſtivus in Diœceſi, vel Civitate. Ibidem.
Loquendo de Abbatibus conferentibus dictos ordines, ſatis erit ſi ſolemnitas ſit in ſua Religione, vel Monaſterio. 284. 854.
Conferri poſſunt à Cardinalibus præſbiteris in ſuis titulis ſuis familiaribus. 71. 217.

Ordines Sacri.

Conjux Innocens facto divortio ob fornicationem poteſt invita Uxore ſacris ordinibus inſigniri. 214. 642.
Prohibetur Clericis, & Religioſis, in ſacris conſtitutis, exercere artem Cherurgiæ, niſi in extrema neceſſitate. 406. 1173.
Melius eſt, ut Clerici ea ſacris ſe abſtineant à miniſterio ſcindendi venam, cum hoc opus propriè pertineat ad Chirurgum. 407. 1176.

Oſculum.

Ob ſolam delectationem ſenſibilem eſt peccatum lethale. 182.530.

P

Pactum.

PAris inter contrahentes, legem. 305. 920.

Papa, ſeù Summus Pontifex.

Nulla pro Summo Pontifice à jure determinala ætas requiritur. 33. 96.
A Papa nullus jure appellare poteſt. 42. 126.
Quia habet poteſtatem ſupra jus humanum, ſuſpendere poteſt effectus cenſurarum. 103.286:
Poteſt conſequenter validè conferre Beneficium excommunicato, quamquam unus ex effectibus excommunicationis ſit, collationem Beneficii irritam eſſe. Ibidem.
Poteſt diſſolvere Matrimonium ratum, & non conſummatum, dummodò adſit aliqua juſta cauſa. 275. 826.
Id poteſt, non ſolùm inter magnos Principes, ſed etiam inter alios. 276. 826.
Hoc etiam poteſt abſque mutuo conſenſu conjugum. Ibidem.

Parentes.

Non poſſunt Parentes filios exhæredare, neque eis dotem denegare, eo quod contrahunt ipſis invitis. 316. 954.

Parochus.

Quando Beneficium Parochiale alicui confertur, non eſt neceſſe ut actu Sacerdos ſit, ſed ſufficit, ut aptitudinem habeat Ordinem Sacerdotalem recipiendi intrà annum à die adeptæ Poſſeſſionis. immò ſi infrà annum non ſit Sacerdos, juſto aliquo impedimento detentus, excuſatur. 108. 317.
Parochus poteſt audire confeſſiones ſuorum Parochianorum in quacumque Diœceſi. 128. 362.
Parochus habens copulam cum ſua Parochiana, comittit ſpeciale peccatum, etiam ſi eam non baptizaverit. 375. 1097.

Parvitas materiæ.

Modica Furta, licèt in ſe conſiderata non ſufficiant ad conſtituendam materiam reſtitutionis peccati mortalis, ſufficiunt tamen ſi collectivè, & ſimul ſumantur. 320. 963.
Etiam in materia jejunii multa modica continuari poſſunt, ut unam notabilem quantitatem ſufficientem ad mortale peccatum conſtituant. 340. 1024.
Parum, & nihil, æquiparantur in lege. 383. *quæſ.*

Pater.

Pater nonniſi vota realia filiorum puberum, abſolutè loquendo, irritare poteſt, ſi non ſint emancipati. 414. 1186.

Nec vota realia irritare poteſt Filii, qui habet bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia. Ibidem.

Vota perſonalia, & mixta filiorum puberum; ſolum irritare poteſt quando Patri grave afferunt præjudicium: excepto ſi filius minor pubes voveat ingredi Religionem, & ſuccedere debeat Monaſterium in bona ingredientis. Ibidem.

Patrini.

Inter Baptizatum, & Patrinum, oritur cognatio ſpiritualis, quæ dicitur Paternitas; ſed inter Patrem, & Matrem Baptizati ex una parte, & Patrinum, vel Patrinos ex altera, oritur ſpiritualis cognatio per compaternitatem. 117. 341.

Inter ipſos Patrinos nulla oritur ſpiritualis cognatio. Ibidem.

Tridentinum ſtatuit, ne ſint plures duobus ſuſceptoribus in Baptiſmo. Ibidem.

Diſpoſitio Concilii militat in cognatione orta ex Confirmatione, ſicut militat in cognatione orta ex Baptiſmo, excepto qdod in confirmatione adhibendus ſit unus tantum Patrinus. 117. 342.

Procurator tenens alieno nomine Baptizatum, vel confirmatum, non poteſt eſſe Patrinus, benè tamen qui illum mittit. 118. 343.

Munus ſuſceptoris in Baptiſmo non obitur propriè, niſi quando Baptiſmus eſt ſolemnis. 119. 345.

Peccatum.

Ponitur differentia peccati à culpa Theologica. 168. 483.

Illa Peccata ſpecie diverſa ſunt, quæ vel diverſis virtutibus adverſantur, vel eidem virtuti diverſa ratione difformitatis repugnont. 101. 290.

Qui unico Voluntatis actu verba plures homines interficere, vel plures ad Mulierem accedere, & peccare, in eo adducuntur plures malitiæ numero diſtinctæ, quæ non tantum aggruant peccatum, ſed diverſificant; ſicut qui unico actu occideret plures homines, licèt fuerat unum peccatum phiſicè ratione actionis, tamen in eo eſſent diverſæ malitiæ homicidii neceſſariò in confeſſione aperiendæ. 10. 319.

Peccatum contrà Naturam.

Si Evacubus carnaliter cognoſcit fœminam, talis copula reducitur ad peccatum contra naturam. 103. 298.

Peccatum Mortale.

Motus primò primus, & ſecundò primus, non ſufficiunt ad peccatum mortale. 301. quæſ. 2.

Peccatum veniale.

Licet peccatum veniale non expellat gratiam, & Dei amicitiam, expellit tamen fervorem Charitatis, & Devotionem aliqua ex parte extinguit, atque infrigidat. 202. 599.

Qui jurat ſe facturum aliquod veniale, ſi habeat animum illud non exequendi, committit peccatum mortale, cum animo verò exequendi pecat venialiter. p. 397. & 398. num. 1147.

Penſionarii, & Penſiones.

Non poteſt aliquis ante 14. annum inceptum Penſiones obtinere. 34. 99.

Licèt Penſio non ſit Beneficium, nihilominus non datur irregulari ſine diſpenſatione. 636. 1074.

Illegitimus non tontùm eſt incapax Penſionis ratione defectus ad Clericatum, excepta Penſione ſuper beneficio Patris, ſed ſi fuit diſpenſatus ad Ordines, requiritur alia diſpenſatio, ut ſit Penſionis capax. 353. 1045.

Per-

Percuſſio Clerici.

Quando dubium eſſet, an eſſet lenis, vel gravis, credendum eſt eſſe gravem, p.20. num.58. & pag.299. quæſ.1.

Sex genere Perſonarum poſſunt ſine metu excommunicationis percutere Clericos Diſciplinæ, vel Correctionis gratia, dummodò non excedant modum, aut ſit parvus exceſſus, & non ex odio percutiant, pag. 301. quæſ. 3.

Punire etiam eos poſſunt per alium, ſive Clericum, ſive Laicum. p.302. quæſ.4.

Peregrinatio.

Iter unius Diei dicitur Dieta. 345. 1038.

Secundum Iuris civilis conſtitutiones Vicena millia paſſuum in ſingulos dies dinumerantur. Ibidem.

Peregrini.

Judicari debent juxtà leges loci, in quo reperiuntur. 22. 65.

Pœna Depoſitionis.

Inter crimina depoſitione digna eſt Concubinatus diù continuatus, præſertim Notorius, & Stuprum Virginis. 126. 355.

Qui Crimine depoſitione digno notatur, eſt irregularis. Ibidem.

Aliqua crimina notoria, licèt ſint depoſitione digna, tamen ſi infamiam Iuris non habeat annexam, non inducunt veram irregularitatem, niſi poſt ſententiam Iudicis. 376. 1096.

Pœna Privationis Sepulturæ Eccleſiaſticæ.

Duellantibus, ſi in loco conflictus morerentur, quamvis ibi eſſent miniſtraba Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, non eſt concedenda Eccleſiaſtica Sepultura. 221. 658.

Ut Hæreticus ſit privatus Eccleſiaſtica Sepultura, neceſſarium non eſt ut ſit nominatim denunciatus, ſed ſatis eſt, manifeſtè conſtare ipſius hæreſim; tamen debet ita notoriè deſcendere, ut nulla tergiverſatione ejus malitia celari poſſit. 329. 993.

Pœnæ.

Pœna ſtatuta delicto certo non eſt imponenda delicto dubio, ſed extraordinaria pro qualitate dubii. 9. 20.

Pœna non eſt imponenda contra delinquentem, niſi in jure ſit expreſſa. pag. 411. quæſ. 3.

Pœnæ ſunt reſtringendæ. pag.20. num.58. pag.76. num.23. p.229. num. 699. & p.245. num.742.

Polygamia.

Gravis pœna imponitur ei, qui contrahit cum pluribus ſimul viventibus, & præſumitur malè ſentire de fide contra Sacramenta. 205. 613.

Præcepta.

Quando duo præcepta concurrunt, quæ ſimul ſervari non poſſunt, ſervandum eſt præceptum majus. 408. 1182.

Præceptum annuæ Communionis.

Deficiente Confeſſario ab Ordinario approbato, Laicus cum ſola Contritione communicans ſatisfacit præcepto Paſchalis Communionis. 147. 424.

Præceptum annuæ Confeſſionis.

Meretrices peccant mortaliter non implendo annuæ Confeſſionis præceptum. 175. 508.

Præceptum audiendi Sacrum.

Qui Miſſam devotè audivit in diebus Feſtivis cum intentione non ſati faciendi præcepto, adimplevit præceptum. 397. 1146.

Deficiente Confeſſario ab Ordinario proprio approbato, poteſt Sacerdos in die feſto cele-

Digitized by Google

celebrare cum ſola attritione, ſi non habeat aliam Miſſam, quã audiat. 147. 424.

Præceptum Charitatis.

Oligat ad præferendam vitæ propriæ corporali vitam ſpiritualem proximi extremè indigentis. 6. 9.
Obligat preferre vitam proximi divitiis, & emolumento temporali. 324. 976.
Obligat, quod potiùs homo debet facere iacturam decentię ſtatus ſui, quam quod alius moriatur ob defectum eleemoſynę ab ipſo faciendæ, 257. 755.

Præceptum Integritati Sacrificii.

Major eſt obligatio perficiendi ſacrificium, quàm præmittendi confeſſionem, licèt utrumque ſit de Iure Divino. 94. 281.

Præceptum ſumendi Viaticum.

Intelligi debet, quando decenter, & reverenter Sacramentum confici, & ſumi poteſt. 83. 253.

Preces.

Voluntatem non auferant. 392. 1130.

Prægnantes.

Excuſantur à Ieiunio, quamvis robuſtæ ſint, prohibentur tamen veſci carnibus. 347. 1043.

Prælati Regulares.

Poſſunt retinere in ſuo Conventu per aliquot dies Bannitum aliquem ſibi Benevolum, qui caſu aliquo, & non data opera commiſit aliquod crimen, propter quod proſcriptus eſt; Cautè tamen in hoc procedendum. 46. 136.
Non ſunt Domini bonorum Conventuum. 4. 6.
Poſſunt dare licentiam ſæculari, ut concionetur in ſuis Oratoriis, aut Eccleſiis, dummodò ſit ſufficiens. 120. 351.
Poteſt ſuperior, non obſtante conſuetudine 40. *annorum derogante Regulæ Religioſorum, illam reducere in priſtinum ſtatum.* 157. 454.

Præſcriptio.

Præſcriptio conſuetudinis immemorabilis probanda eſt per teſtes, qui ſinguli debent deponere de 4. *requiſitis.* 156. 453.
Conſuetudo decem annorum contra legem Civilem cenſetur eſſe legitimè præſcripta, 40. *contra legem Canonicam.* p. 156. & 157. *num.* 454.
Conſuetudo præſcripta, non eodem modo inter præſentes, & abſentes, intelligenda eſt. 157. 455.
Contra Eccleſiam Romanam non datur præſcriptio, niſi 100. *annorum ſpatio.* p. 157 *num.* 454. & 455.

Præſumptio.

In dubio de ſollicitatione præſumptio eſt contrà Confeſſarium. 190. 560.
Præſumptio transfert onus probandi in agentem, qui debet probare contra quem facit præſumptio. p. 133. & 134. n. 382.

Privilegia.

Privilegia ſunt ſtrictè intenpretanda, quando ſunt contra jus. p. 365. *quæſ.* 1.

Privilegium Canonis.

Nemo poteſt huic privilegio renunciare. p. 240. *quæſ.* 3.
Gaudet hoc Privilegio etiam Clericus non deferens habitum, & Tonſuram. 294. 888
Prætereà hoc Privilegio gaudent etiam Clerici Conjugati, nulli inſervientes Eccleſiæ, modò habitum, & Tonſuram deferant; imò Clericus Conjugatus non bigamus, ſi dimittat habitum, & Tonſuram, & poſteà reaſſumat, gaudet privilegio Canonis. 295. 888.

Privi-

Digitized by Google

Privilegium Fori.

Tantùm in tribus caſibus poteſt capi Clericus à Miniſtris Judicis ſæcularis. 231. 708.

Tota familia Epiſcopi, licet laica, gaudet intuitu ejus Privilegio fori. 233. 715.

Uxor Clerici conjugati gaudet privilegio fori, non ſolùm vivente viro, ſed etiã poſt mortem durante viduitate. 295. 889.

Profeſſio Religioſa.

Tàm Religioſi Profeſſi, quàm Moniales deputatæ ad Chorum, ſi à Choro abſunt, tenentur ſub onere peccati mortalis privatim horas Canonicas perſolvere, etiamſi ex vi Regulæ, vel Voti, ſpeciale præceptum non habeant. 334. 1008.

Regulares profeſſi ſexagenarii non poſſunt licitè frangere jejunia ſuæ regulæ. 349. 1048.

Mulier quinquagenaria dicitur Senex, ut vir poſſit profiteri Religionem, remanente illa in ſæculo cum voto caſtitatis. 392. 1132.

Q

Querelæ Subditorum Regularium.

QUi diſcedit à Conventu ſine licentia, animo ſe præſentandi Superioribus, ut ab injuſta vexatione in cauſa gravi ſublevetur, neque eſt Apoſtata, neque fugitivus, nec ab Ordinario *debet incarcerari, aut puniri.* 40. 124.

Quota.

Quota Eccleſiaſtica eſt certa pars debita Eccleſiæ Miniſtris in ipſorum ſubſidium. 158. 460.

Non poteſt Cliens de quota litis paciſcè, cũ Advocato, vel Procuratore. Ibidem.

R

Raptus Mulierum.

RAptus Mulierum ſufficienter per ſolam violentiam conſtituitur. 163. 471.

Ratihabitio.

Ratihabitio retrotrahitur, & mandato æquiparatur. 297. 903.

Regulares, ſeù Religioſi.

Conſuetudo 40. *annorum derogat Regulæ Religioſorum citrà Vota.* 157. 454.

Si agatur de Re Religioſa, inter præſentes 30. *anni requiruntur ad præſcribendum, & inter abſentes* 40. 157. 455.

Materia notabilis in furtis Religioſorum eſt ſumma quatuor argenteorum. 322. 967.

Cùm permittitur Religioſis donare in remunerationem beneficiorum, vel ex aliis cauſis, ſufficit licentia obtenta ſemel pro ſemper. 3. 6.

Religiones aliquæ particulares.

In noſtra Congreg. Irregulares non poſſunt eligi, nec alios eligere. 255. 768.

Remiſſio Peccatorum.

Peccata commiſſa contra legem naturæ, ſine Fide Chriſti remitti non poſſunt. 358. 1068.

Remiſſio Peccatorum magis tribuitur pænitentiæ, ſeù contritioni claudenti charitatem, quam actui dilectionis Dei. pag. 161. *queſ.*

Reſtitutio accepti.

Non totam quantitatem ablatam, licèt notabilem, reſtituere tenemur ſub culpa mortali, ſed ſolùm illam, qua reſtituta non dicimur ampliùs detinere notabilem quantitatem. 320. 963.

Qui mala fide rem emit à latrone, Domino, non furi, reddere debet. 261. 786.

Qui bona fide emit rem à latrone, ſufficit ſi illi reſtituat, ut recuperet ſuum pretium; ſi verò pretium recuperare non poteſt, cum Domino reddere tenetur. 261. 785.

Reſti-

Reſtitutio damni.

Fraudantes Gabellam, teneatur ad Reſtitutionem. 322. 970.

Revelatio Secretorum.

Infamatum alicubi juridicè, aut publicè, alibi prodere, non eſt mortale. 199. 588.

Reus.

Dupliciter quis dicitur Reus; de jure, & de facto. 184. 540.

Reus Mortis.

Sub peccato mortali tenetur fiteri veritatem Judici legitimè interrogati. 133. 379.

S

Sacer locus.

Sacer dicitur locus, dum eſt benedictione deputatus ad officia divina, aut ſepulturam. pag. 107. quæſ.

Sacerdotes.

Ad Sacerdotium requiruntur 25. anni incepti. 35. 102.
Præsbyter prius ordinatus præferri debet poſteà ordinato. pag. 114. quæſ. 3.
Corona Sacerdotis debet eſſe ad menſuram majoris hoſtiæ. pag. 115. quæſ. 3.

Sacramentalia.

Sacramenta tribus perficiuntur, ſcilicet materia, forma, & intentione Miniſtri. 397. 1145.
Spectat ad Inquiſitores punire Reum, qui in ſortilegiis miſcuit Sacramentalia. 395. 1141.

Sacramentum Euchariſtiæ.

Hoc Sacramentum eſt præcipua ratio, cur Eccleſiis immunitas conceſſa ſit. 234. 716.
Major ratio habenda eſt reverentiæ hujus Sacramenti, quàm neceſſitatis proximi. 83. 253.
Quilibet de jure divino tenetur ad Confeſſionem mortalium ante Euchariſtiæ ſumptionem. 160. 464.
In tribus præcipuè caſibus poteſt licitè Sacerdos non jejunus ſumere, & conſecrare in Miſſa Sacramento Euchariſtiam. 83. 254.
Nemo poteſt Sacram Synaxim ſumere in illa Miſſa, quæ celebratur in nocte Nativitatis Domini. 84. 256.
Si hoſtia adhæreat palato illius, qui ſe communicavit, toties debet adhibere ablutionem, donec hoſtia deplutiatur ab eo, non autem licet adhibere digitum. 87. 263.

Sacramentum Matrimonii.

Ad contrahendum Matrimonium, niſi malitia ſuppleat ætatem, in Maribus requiruntur anni 14. in fœmina. 12. 34. 100.
Filius ex honeſtate tenetur contrahere Matrimonium cum conſilio Patris; ſecus ſine juſta cauſa mortaliter peccat. 316. 954.
Si Filius promiſit aliquam ducere in Uxorem, juravitque, ut Copulam extorqueret, ad eam ſub tali ſpe carnaliter cognovit, tenetur ſervare promiſſum invito Patre, niſi illa potuiſſet conjicere fictionem, ut cum ſunt valdè impares, & niſi timeatur tam grave ſcandali periculum, ut præponderet damno Sponſæ, cui aliter tunc ſatisfaciendum eſt. 317. 956.
Ex Matrimonio rato magis, quàm ex Sponſalibus validis, oritur impedimentum publicæ honeſtatis, & extenditur uſque ad quartum gradum. 371. 1086.
Ad hoc ut Matrimonium dicatur conſummatum, ſufficit quod Uxor receperit ſemen Viri quacumque arte, licet nulla interceſſerit clauſtris Virginalis violatio. 374. 1093.

Sacri-

Sacrificium Miſſæ.

Cenſetur inchoatum incepto Canone, ex eo quod hoſtia tunc proximè præparatur ad Conſecrationem. 245. 741.
Sacerdos in die Paraſceves propriè Sacrificium non facit. 148, 427.

Sacrilegium.

Tripliciter poteſt committi Sacrilegium ratione loci: per Furtum in Eccleſia commiſſum, per Injurioſam ſanguinis humani effuſionem, & per effuſionem ſeminis. 106. 312.

Scientia.

Non minùs eſt neceſſaria ſcientia Sacrorum Canonorum, quàm Theologia, ad Eccleſiæ regimen. 264. 791.

Scriptura privata.

Scriptura privata Epiſtolæ, qua quis ſuum delictum fatetur, facit plenam probationem, dummodo in Judicio à reo ſcriptore recognoſcatur. p. 421. *quæſ.*

Scripturæ Notariorum.

Non licet Notariis in die feſto tranſcribere Scripturas, ut partibus dent, etiamſi faciant gratis pro amico, vel Conſanguineo. 311. 937.

Senectus.

Non ſemper annis regulanda eſt, ſed complexione. 384. *quæſ.*

Sepultura Eccleſiaſtica.

Eccleſia cenſetur polluta, ſi ſepeliatur in ea excommunicatus vitandus. 241. 729.
Sepulto in Eccleſia Infidelis, non ſolùm Eccleſia cenſetur polluta, & indiget reconciliatione per novam benedictionem, ſed niſi Eccleſia ſit conſecrata, tunc etiam parietes radi debeat. Ibidem.
Siquis Hæreticum non obſtante notorietate in loco ſacro ſepeliret, excommunicationem incurreret, & ſuſpectus de Hæreſi redderetur. 329. 993.

Sigillum Confeſſionis.

Cognitio fractionis Sigilli Confeſſionis pertinet ad Ordinarium; ſi verò hoc crimen eſt conjunctum cum hæreſi, pertinet ad Sanctum Officium. 420. 1203.

Sodomia.

In Copula Sodomitica, ſi habeatur Concubitur cum Affinibus, vel Conſanguineis in linea tranſverſali, explicandus eſt in Confeſſione gradus Perſonæ uſque ad ſecundum gradum tantùm; ſi verò cum Conſanguineis in linea recta, in quocunque gradu. 142. 404.
Siquis in Confeſſione dicere nollet, an fuerit Agens, vel patiens, non debet abſolvi, propter pollutionem, quæ contingit in agente. 142. 405.

Sollicitatio.

Carentes Iuriſdictiones ſollicitantes in Confeſſione, quamvis non abſolvant, videntur ſuſpecti de fide. 191. 562.

Simonia.

Eſt Simonia redimere pecunia vexationem, dum quis tantum habet jus ad rem, facta verò collatione Beneficii, ſiquis injuſtè impediretur accipere poſſeſſionem, tunc eſt licitum hanc redimere vexationem, quia habet jus in re acquiſitum per Collationem Beneficii. 252. 761.

Sortilegium.

Fit mittendo Sortes, vel quid æquivalens, ad cognoſcendum cum concurſu Dæmonis ſecretum præteritum, vel futurum. 204. 607.
Qui in Sortilegio miſcuit hoſtiam non conſecratam, ſed ſuper eam eſt celebrata Miſſa, eſt puniendus ab Inquiſitoribus, ut ſuſpe-

*ſuſpectus de hæreſi vehementer, ſeum abjuratione de vehementi. p.*395. & 396. *num.* 1142.

Sponſalia.

Promiſſio futuri Matrimonii non obligat quando res ſunt notabiliter mutatæ. 425. 1216.

*Ex ſponſalibus contractis à Parentibus nomine filiorum ſine eorum conſenſu, non oritur impedimentum publicæ honeſtatis. pag.*311. & 372. *num.*1088.

Quando ſponſalia mutuo conſenſu diſſolvuntur non ceſſat publicæ honeſtatis impedimentum. 372. 1089.

Sponſi.

Circumſtantia Sponſi, vel Sponſæ, tantùm neceſſariò explicari debet in Confeſſione, ſi copula inter illos ſit Caſus reſervatus in Diœceſi. 105. 307.

Stuprum.

Deflorare Virginem ſpontè conſentientem eſt ſtuprum, maximè ſi ſit ſub cura parentum. 102. 297.

Subdiaconi.

Ad Subdiaconatum requiruntur 22. *anni incepti.* 35. 102.

*Corona Subdiaconi debet eſſe formæ mediæ. pag.*215. *quæſ.* 3.

Subditus.

Quatuor modis aliquis dici poteſt Subditus Epiſcopo, ut ab eo ordinari queat. 285. 856.

Superſtitio.

Quoties quis latriæ, vel dubiæ cultum diabolo exhibet ad Divinandum, aut aliquod ſortilegium, ſeu maleficium perpetrandum, eſt de Hæreſi vehementer ſuſpectus, & tanquam hæreticus eſt denunciandus Inquiſitoribus, & ab ipſis poteſt & debet puniri. 329. 994.

Quoties, quis eſt certus, vel quaſi certus, rem, quam facit, ſecundùm ſe ſuperſtitioſam eſſe, & tamen ſeriò facit, etiamſi proteſtetur ſe non intendere, vel nolle effectum conſequi, ſi qua diaboli virtus vel pacti ſubſit, adhuc eſt ſuperſtitionis reus, cum talis proteſtatio ſit contraria facto, nec excuſet proteſtantem, quin poſſit ab Inquiſitoribus tanquam de hæreſi ſuſpectus puniri. 396. 1143.

Surdus

Sine diſpenſatione exercere valet omnia, ea munera, ad quæ non eſt neceſſarius auditus. 82. 251.

Surdus Sacerdos, licèt non audiat Miniſtrum reſpondentem in Miſſa, poteſt Miſſam ſubmiſſè celebrare, non eſt tamen admittendus ad Miſſam ſolemnem celebrandam. Ibidem.

Surdus, qui in Choro canit cum aliis, & non poteſt percipere, quæ ab aliis dicuntur, quamvis attendat, non videtur ad quidquam aliud ex rigore obligandus, aliàs nimis gravari videretur. 336. 1014.

Suſpecti de Hæreſi.

Suſpecti quomodolibet, etiam leviter, de Hæreſi, prætermiſſa omni correctione fraterna, denunciandi ſunt Inquiſitoribus, vel locorum Ordinariis. 107. 481.

Judicium diſcernendi circa ſuſpicionem de Fide, quæ reſultat ſuppoſita Pontificiis, vel alicujus edicti præſumptione, non competit Confeſſariis, vel aliis, ſed Inquiſitoribus, vel aliis Fidei cenſoribus. 191. 562.

Suſpenſio.

Suſpenſio à celebratione pro tanto tempore, vel ad arbitrium Superioris, non eſt propriè cenſura. 17. 49.

Suſpicio.

Triplex eſt ſuſpicio ; levis, gravis ſeù vehemens, & violenta. 187. 551.

Suſurratio.

Eſt peccatum linguæ, quo quis manifeſtat alteriùs defectus ad ſeminandas diſcordias inter amicos. 202. 601.

Syndereſis.

Eſt habitus quidem naturalis, qui ex principiis operabilium naturaliter inditis inſtigat hominem ad bonum, ac malo remurmurat. 152. 435.
Eſt Conſcientiæ principalis radix, & regula. Ibidem.

T

Tactus.

Tactus impudici in Eccleſia habent ſpecialem malitiam Sacrilegii. pag. 105. *num.* 308. & *pag.* 106. *num.* 312.
Item pollui tactibus alicujus Religioſi profeſſi, aut in Sacris conſtituti. 104. 303.
Similiter ſi Religioſus, vel Monialis, aut alius in Sacris Ordinibus conſtitutus, alium taget impudecè. 104. 304.

Teſtes,& Teſtimonia.

Teſtis, qui vadit ad teſtificandum falſum, contra aliquem, non poteſt dici Invaſor. 332. 1002.
Teſtes de publica voce, & fama, non ſufficiunt. 126. 354.
Teſtes deponentes de fama, ad minus duo eſſe debent omni exceptione majores. pag. 420. *quæſ.*

Tonſura.

Ad primam tonſuram requiruntur 7. anni completi. 35. 102.
Prohibentur initiari Tonſura qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperunt. 200. 590.
Prima Tonſura quovis anni tempore, quovis die, hora, & loco dari poteſt. 284. 854.
Prima Tonſura non eſt Ordo, ſed Diſpoſitio ad Ordines. 408. 1183.

Triſtitia de bono alterius.

Intendendo alterius jejuriam, & damnum eſt peccatum odii; quatenus verò eſt diminutivum proprii boni, eſt peccatum invidiæ. 32. 91.

Typographi.

Exercentes ſuam artem in diebus feſtis, non excuſantur à mortali, niſi ratione modicitàtis temporis, & operis. 310. 935.
Excuſantur à Jejunio prælum verſantes, ſed non typos colligentes. 310. 934.

Tyrannus.

Licet innocentem, & ſe ipſum Tyranno tradere, pro communi bono. 332. 1003.
Occupantem Tyrannicè, poteſt quivis de Populo occidere, ſi aliud non ſit remedium, dummodò adſint quatuor conditiones. 333. 1005.
Legitimum Principem, qui ſolo regimine, & adminiſtratione eſt Tyrannus, non licet homini privato interficere. Ibidem.

V

Validitas.

Varia tenent facta, quæ prohibentur fieri 250. 756.

Validitas Beneficiorum.

Papa poteſt validè conferre Beneficium excommunicato. 100. 286.

Digitized by Google

Validitas Confeſſionis.

Ad Confeſſionis valorem non eſt neceſſariū, ut pœnitens, aut Confeſſarius ſciat determinatè peccatum confeſſum eſſe mortale, aut veniale, cum hoc diſtinctè, & determinatè ſcire de omnibus peccatis ſit impoſſibile. 217. 655.

Validitas Electionis.

Electio de digno facta, non eſt irrita ipſo jure, nec venit irritanda, quamvis illicitè peracta ſit. 250. 756.

Validitas Profeſſionis Religioſæ.

Etiamſi ſit peccatum mortale prætermittere examen Puellarum ante Profeſſionem religioſam, tamen profeſſio valida foret. 391. 1025.

Validitas Sacramenti Matrimonii.

Matrimonia, quæ fiunt invitis, & inſciis Parentibus, valida ſunt. 316. 954.
Sequens Copula non facit Matrimonium ante contractum Impuberum validum, niſi adſit conſenſus, ſaltem tacitus utriuſque. 35. 101.
Matrimonium contractum cum impotentia coeundi, non ante cognita, eſt validum. 372. 1090.

Validitas Sacramentorum.

Ad validè conficiendum Sacramentum, Intentio habitualis non ſufficit, & actualis, non eſt neceſſaria. 397. 1145.

Veneficium.

Eſt aliquid arte Dæmonis fabricatum, quo Malefici ejuſdem Dæmonis auxilio per occultam veneni applicationem alteri nocet, vel in bonis corporis, vel in bonis fortunæ. 203. 606.
Fit applicando res naturales inefficaces ad aliquem effectum, non utendo aliquibus verbis, neque ceremoniis. 203. 607.

Venditio, & Venditores.

Vendentes Vinum bibere volenti in eo quantitate, ut probabiliter credere poſſint, aut experti ſunt lapſurum in ebrietatem, mortaliter peccant. 224. 674.

Veniæ facilitas.

Incentivum tribuit delinquendi. 154. 446.

Veniæ petitio.

Qui inimico Veniam petenti, depoſito odio, & vindictæ affectu, concedere recuſat, ut ſibi compenſatio juridicè fiat, vel ob zelum juſtitiæ ne delicta remaneant impunita, non peccat mortaliter, licet in praxi difficile ſit quod aliquis actionem injuriarum proſequatur depoſito omni odio, & vindictæ affectu, & melius eſt remittere veniam petenti. 394. 1136.

Veniæ Spes.

Non tenetur Pœnitens in Confeſſione exprimere, quod peccaverit ſpe veniæ. 144. 414.

Verba.

Qui contrà omnes loquitur, non benè loquitur. p. 334. n. 10008. & p. 336. n. 1023.
Verba indefinitè prolata, æquivalent univerſali. p. 240. quæſ. 4.
In 5. Officio verba dubia, & æquivoca, in deteriorem ſignificationem accipiuntur. 190. 559.

Viaticum.

Sacra Euchariſtia per modum Viatici non poteſt de novo miniſtrari in eadem infirmitate, niſi inter unam, & aliam ſumptionem interveniant ſaltem 4. dies regulariter loquendo. 381. 1112.
Siquis in phrænesi ſumeret Viaticum, ut non perciperet quid faceret ſi poſtea ad ſe reverteretur, & inſtaret periculum Mortis, poſſet etiam ſequenti die ſumere Viaticum. Ibidem.

Vica-

Digitized by Google

Vicarius Epiſcopi.

Idem eſt tribunal Epiſcopi, & Vicarii, & eadem juriſdictio, & poteſtas amborum. 42. 127.
Clericus Conjugatus non poteſt eſſe Vicarius Epiſcopi. 50. 148.

Vicarius Foraneus Epiſcopi.

A Vicariis foraneis datur ad Epiſcopum appellatio. 42. 127.
Ad extrahendum Reum ab Eccleſia, quando notoriè conſtat ipſum immunitate Eccleſiæ non gaudere, non ſufficit licentia Vicarii foranei. 235. 719.

Vicarius Generalis Epiſcopi.

Licèt dicat Tridentinum, quod profeſſio fidei debeat fieri, impedito Epiſcopo, coram ejus Vicario Generali, poteſt tamen fieri coram illo, etiam Epiſcopo non impedito. 215. 950.

Vicarius Papæ.

Non judicat familiares Cardinalium, ſed remittit eos ſuo Cardinali. 73. 225.

Vicarius Parochi.

Non poteſt ſubrogari à Parocho, niſi de licentia Epiſcopi. 67. 207.

Victoria litis.

Non poteſt dari, & recipi aliquid ex juſtitia, & ex pacto, pro palmario litis in caſſa victoriæ. pag. 159. quæſ.
Reſpiciendum eſt in hoc caſu ad conſuetudines, & ſtatuta diverſorum locorum. Ibidem.
Hic Romæ non licet aliquid exigere ultrà ſtatutas taxas pro labore; alicubi verò exigitur etiam coram Iudice. Ibidem.

Vilis Perſona.

Contrahens cum vili Perſona, ſimilis illi efficitur. 57. 173.
Perſonæ infimæ conditionis, quando, dum percutiuntur, vel invaduntur, fugere poſſunt ſine gravi incommodo, tenentur fugere. 178. 516.

Viſitatores.

Poteſtas Epiſcopis conceſſa viſitandi Eccleſias Epiſcopatui ſubjectas tranſit ad Capitulum ſede vacante, poſt lapſum anni à die ultimæ Viſitationis per Epiſcopum factæ, niſi de proximo Eccleſia ſit de Paſtore providenda. 66. 203.
Epiſcopi, & Superiores Prælati, quando ingrediuntur Monaſteria Monialium ſibi ſubjectarum cauſa viſitandi, debent ingredi cũ decenti comitatu à Greg. XIII. præſcripto. 388. 1119.

Votum.

Vota ſolemnia Caſtitatis, quæ emittuntur in profeſſione Religioſa, & in ſuſceptione ſacrorum ordinum, ſunt ejuſdem ſpeciei. 101. 292.
Votum ſimplex, & ſolemne Caſtitatis, non differunt ſpecie, ſed ſolùm accidentaliter. 103. 302.

Uſus Conjugii.

Qui in actu conjugali cogitat, & delectatur de alterius Perſona, pro qualitate Perſonæ, quam mente revolvit, committit, vel adulterium mentale, vel Inceſtum, vel Sacrilegium, vel Stuprum. 104. 306.
Delectari in ſola Pulcritudine alterius Viri, aut fœminæ, ac in cogitatione alicujus Picturæ pulcherrimæ, ut ad actum conjugalem magis excitetur, à conjugatis non eſt practicandum, cum iſtæ præciſiones minùs juventi in circumſtantiis adeò lubricis, & magnum periculum eſt laedendi in aliquam turpem cogitationem. p. 104. & 105. n. 306.
Conjuges, qui utuntur Copula conjugali ob ſolam voluptatem, venialiter peccant. 192. 529.

Uxor.

Uxor.

Sponſa de futuro, non eſt Uxor. 299. 907.

Nomine Uxoris venit etiam illa, quæ ſolùm contraxit Matrimonium in facie Eccleſiæ coram Parocho, & teſtibus. 298. 907.

Poſt contractum Matrimonium, & nondum conſummatum, poteſt licitè denegare debitum Conjugi, & ante Bimeſtre Monaſterium ingredi, fierique Monialis. 391. 1130.

Ut Vir habens Uxorem ad Epiſcopatum promoveatur, debet Uxor, ſive Senex, ſive Iuvenis, Religionem ingredi. 392. 1132.

Finis hujus primi Tomi.

Adverte, ne fallaris quoad Paginæ citationes in hoc primo Tomo, poſt paginam enim 288. uſque in ejus finem quatuor numeri minus, ſalvis tamen marginalibus, poſiti ſunt, ac in Indice prout eſſe deberet notatum eſt, ut denuò Typis mandari poſſit.

Errata			Corrige.
Pag.	Columna.	Linea.	
6.	2.	31. Inter. 11.	Inter. 1.
Ibidem.		ult. Int. 5.	Inter. 1.
24.	2.	6. tract. 12. reſ. 21.	tract. 13. reſ. 22.
46.	1.	31. ad Inter. 34.	ad Inter. 33.
89.	1.	2. Speranza	Preſenza
107.	2.	26. tit. de Diſpen. ad quæſ.	Loco horum verborum poni debet in linea 31. tit. de Hæreſi &c. ad quæſ.
Ibidem.		28. & ad quæſ. 1. & 2.	Hæc verba tollenda ſunt.
219.	2.	23. in fine	in fide
342.	1.	28. violentia	violatio

Errata alia tuæ relinquuntur intelligentiæ.

ROMÆ, M. DCC. VIII.

Noviſſimis Typis Joſephi Nicolai de Martiis, propè Magnam Curiam INNOCENTIANAM.

SUPERIORUM FACULTATE, ET PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google